E CARTHAGENA

HOMILIAE

CATHOLICAE

4

P. II

BV4254
.L3
C3
v.4
Pte.2

006491



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080015303

P. F. IO.ˢ DE CARTHAGENA

# HOMILIAE CATHOLICAE

IV

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# HOMILIAE CATHOLICAE

DE SACRIS ARCANIS

# AD SS. TRINITATEM, ET CHRISTUM DOMINUM

**SPECTANTIBUS**

AUCTORE

## P. F. IOANNE DE CARTHAGENA

ORD. MIN. OBS. S. THEOL. LECTORE GEN. ROMAE ETC.

---

EDITIO PRIMA NEAPOLITANA

ADDITO PROMPTUARIO DE DIVERSIS TITULIS MARIANIS

**A CARTHAGENA PRAETERMISSIS**

AUCTORE

## RAPHAELE M. COPPOLA PRESB. NEAP.

PRAELATO PROTONOTARIO APOST. AD INSTAR PARTICIPANTIUM
ET IN ALMO COLL. NEAP. UNIVERSITATIS S. TH. MAGISTRO

VOL. IV.

P. II.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA IOSUE VERNIERI
MDCCCLIX

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez
45133

BV4254
.L3
C3
V.4
pte. 2

Literaria proprietas ad normam legum.
Exemplaria, quae non erunt hoc signo notata adulterina reputabuntur.

CAPILLA ALFONSINA
FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DE ACERBA

# CHRISTI DOMINI SALVATORIS NOSTRI

PASSIONE

---

## LIBER DECIMUS

---

### HOMILIA PRIMA

*De utili meditatione passionis Christi Domini, ac de iis, quae circa illam in memoriam revocanda sunt, ut utilior sit.*

Praeceperat olim Deus, ut agnum esuri, ita illum dividerent, ut ossium iuncturas, et articulos singulari dexteritate intersecantes nulla ratione ossa comminuerent, aut confringerent. Christum Dominum per hunc agnum fuisse praefiguratum (*Apoc.* 5): *Qui agnus occisus est ab origine mundi*, et de quo veteres Patres: *Emitte agnum Domine dominatorem terrae*, proclamabant, et Ioannes dicens praeibat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, unanimis est Patrum sententia, cum Lactantio (*lib.* 4. *div. Instit.*), ubi censet illa intersectionis, et divisionis agni circumstantia catholicos edoceri, et informari, qua ratione agnum divini amoris igne in camino crucis assum meditari debeant, nimirum alta mentis consideratione singula perpendentes, ac varias tanti mysterii dividentes circumstantias, uti se fecisse satis innuit Sponsa, passionem Christi fasciculum lignorum myrrhae compellans: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi*. Cuius tametsi rami omnes simul colligati sint, singuli tamen seiuncti, ac ab aliis divisi manent, quo significare voluit, singula passionis mysteria distincte, divisim, ac omni semota confusione devote a se fuisse praemeditata. Licet autem festinanter iuberentur olim praefatum agnum manducare, dividere tamen nonnisi pedetentim, cum singulas eius invenire iuncturas paulatim omnino deberent. Levitici etiam 2. statuit Deus, ut si oblatio de sartagine fuisset, debuisset minutatim dividi: quae quidem lex prius ad litteram explicanda erit, deinde praesenti argumento accommodanda. Sartago, ut ex Rabbi Salomone refert Engubinus (*in cap.* 2. *Levit.*), instrumentum erat non profundum, quo in sanctuario utebantur ministri, in quo coquebantur, quae ex farina offerebantur, et in idem recidit sententia Rabbi Davidis, apud Oleastrum dicentis, esse instrumentum non profundum, in quo id quod coquebatur, non admodum torrebatur. Constat autem ex praedicto loco, quod in praedicta sartagine non carnes, sed panes coquebantur. Oblatio igitur de hac sartagine facta, dividenda erat minutatim. Glossa Interlinearis egregiam adhibet mysticam expositionem, dicens: *Si oblatio tua*, id est dispensatio, *passionis fuerit de sartagine*, id est, *de cruce, divides eam minutatim, singulas partes passionis distinguendo, scilicet proditionem, sputa, colaphos, coronam spineam etc.* Hoc idem etiam Sponsa in praecitatis verbis haud obscure indicat, dicens, fasciculum illum myrrhae *inter ubera sua commorari*. Quibus aperte ostendit, passionis Christi memoriam, non instar hospitis facile praetereuntis, sed velut assiduum incolam semper in pectore eius versari: nec enim adversus se querulam Oseae vocem contra mortis Christi immemores audire volebat (*Ose.* 11): *Sicut mane transit, sic pertransit rex Israel*; nec illam per Psalmistam dicentem (*Psal.* 25): *Oblivioni datus sum, sicut mortuus a corde*; aut illam aliam (*Psal.* 76): *Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis*: aut per Hieremiam (*cap.* 2): *Populus meus oblitus est mei diebus innumeris*. Quod autem haec oblivio esset passionis Christi, satis sequentia verba indicant: *Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui?* nam teste beata Agnete, divino spiritu afflata, hoc ornamentum sanguis Christi est: *Sanguis*, inquit, *eius ornavit genas meas, dexteram meam, et collum meum cinxit lapidibus pretiosis*. Frequenter quidem memoriam hanc suae passionis Dominus exquirit a nobis: nam per Ecclesiasticum (*cap.* 22) ait: *Gratiam fideiussoris tui ne obliviscaris: posuit enim pro te animam suam*. Praesupponit hominem facile oblivioni beneficia in se collata tradere. Unde

003491

Eusebius (*libr. 2. de praep. Evang.*) ait, quod ubi Latinus Interpres legit: *Quid est homo quod memor es eius?* Originale Hebraeum habet: *Quid est Enos*, quod obliviosum significat. Sciens ergo hoc hominis ingenium ait: *Ne obliviscaris gratiam fideiussoris, qui ut te redimeret, sanguinem, et vitam in pretium tuae emptionis profudit.* Per Hieremiam (*c.* 3) ait: *Recordare paupertatis meae, absynthii, et fellis.* Quibus verbis non solum, ut quidam perperam putarunt, ad incipientes, et proficientes loquitur Dominus, sed ad perfectos, et qui ad contemplationis culmen se pertigisse autumant: nam ut loquens de aquila dixit (*Iob* 19): *Pulli eius lambunt sanguinem, et ubicumque cadaver fuerit, statim adest*; ita sane, qui contemplationis alis velut sublimis aquila super aera extollitur, et divinitatem contemplatur, minime propterea corpus Christi mortuum, multisque plagis vulneratum oblivioni tradit. Quinimmo pulli cogitationum illius lambunt eius sanguinem, et ardenti affectu virtutem eius sugunt, ut fecisse d. Paulum cernimus, qui postquam velut aquila grandis magnarum alarum, usque ad tertium caelum evolaverat, divinamque contemplatus fuerat naturam, vulnerati tamen, et exanimis corporis Christi minime postea oblitus, sic ei constanter adhaerebat, ut gaudens diceret: *Christo confixus sum cruci.*

Hanc eandem Christi passionis memoriam exquirebat Sponsus ab Sponsa, cum dicebat (*Cant. c.* 8): *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Quem locum elucidans divus Gregorius (*lib. 29. Moral. c.* 4) ait: *Idcirco signaculum rebus ponitur, ne qua diripientium praesumptione temerentur. Sponsi ergo in corde signaculum ponitur, quando fidei eius mysterium in custodiam nostrae cogitationis imprimitur.* Glossa ordinaria: *Ponimus*, inquit, *Christum ut signaculum super cor, cum ea, quae dixit, ita discimus, quasi divinae veraciter sint verba sapientiae.* Solemus signum aliquod vel in digito, vel brachio circumferre, quo commoneamur illius rei, cuius frequentiorem volumus habere memoriam: ponimus ut signum super brachium, cum ea, quae fecit, ita audire, et sequi studemus, quasi verae sint exempla virtutis. Divus Bernardus (*trac. de. pas. Dom. c.* 44) eundem locum his verbis illustrat: *Apta sit memoria recipere impressionem sigilli, idest crucifixi Iesu, ut illum semper in memoria habeamus, qui dicit: Pone me ut signaculum:* signaculum enim regium crux est. Habet hoc sigillum imaginem crucifixi Iesu multis fossuris expressam, sicut in sigillis imago regum exprimitur. His Patrum expositionibus duplicem aliam subnectere possumus: Sponsa enim invitat Christum, dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum*, id est: *Pone me ut scopum sagittarum, ut solum me cogites, de me loquaris, et omnem tuam operationem ad me convertas.* Vel dicamus, Salomonem loqui in persona Christi, ut Christum ipsum crucifixum, tanquam sigillum cordi nostro imprimamus: dum enim sigillum cerae imprimitur, omnia sigilli lineamenta in cera excipiuntur. Sigillum ergo Christus est signatum signis redemptionis nostrae, plagis, verberibus, vulneribus. Hoc igitur sigillum cordi superponendum est, ut omnia eius lineamenta excipiamus, non solum cogitatione, sed et operatione. Origenes aliud mysterium delegit in praedictis verbis latens: *Fortassis*, inquit, *idem videbitur aliquibus signum, quod signaculum; sed mihi uterque sermo multam videtur inter se habere differentiam: signum namque dicitur, cum per hoc, quod videtur, aliquid aliud indicatur; signaculum dicitur, cum alicui rei servandae pro tempore custodia imponitur.* Ex hac ergo Origenis doctrina aliam egregiam possumus eiusdem loci interpretationem eruere. Postulat quidem Sponsus ab Sponsa, ut ea quae ab eo per meditationem Christi crucifixi ineffabilia sacramenta accepit, ceteris obsignari, et celari cupiat, ut veluti sigillo illa occludat, sibique tantum aperta servet, quia sacramenta regis abscondere bonum est, ut ait Tobias. Cui intelligentiae deservire potest id, quod de Alexandro narrat Plutarchus (*in vita Alexand.*), qui cum inter legendas, quas a matre acceperat, litteras, advertisset Hephaestionem amicum eius eas quoque clanculum secum lectitasse, sigillum, quod annulo suo illigatum erat, eius ori admovit, ut moneretur Hephaestion quanto silentio essent occludenda, quae in Alexandri matris epistola legisset.

In idem genus argumenti subnectere placet locum illum Numerorum, quando Deus praecepit Moysi, ut serpentem aeneum in altum erigeret; ut qui percussus illum aspiceret, viveret: quo mirabili artificio sapienter eos compulit Dominus, ut serpentis illius non immemores, frequenter in eum oculorum aciem intenderent. Unde cum Christus Dominus in cruce exaltatus, qui tametsi in similitudinem peccati venit, peccati expers omnino erat, per serpentem illum praesignatus fuerit, qui etsi serpens appareret, serpentis veneno carebat, aperte nos eo facto commonere voluit, frequentes nos esse oportere in mentis acie ad Christum crucifixum dirigenda, quia ipse est, de quo Zacharias (*c.3*) ait: *Et super lapidem oculi septem.* Hunc autem lapidem Christum esse, quae sequuntur verba, aperte indicant: *Et ego caelabo caelaturam eius;* quasi diceret: ego artificiose sculpturas eius elaborabo. Sculpturae vero istae nihil aliud fuerunt, ait divus Gregorius (*in hunc locum Zach.*), quam foramina vulnerum eius, quorum clavi, spinae, et lancea instrumenta divini artificis fuerunt, ut sic lapis reprobatus fieret in caput anguli, in altoque, et eminenti loco collocatus facilius ab omnibus in vulnerum suorum medelam videri posset: qui enim aspexerit manus Christi cruci affixas, ab inimicorum vindicta continebit suas; et qui felle, et aceto viderit eum in cruce potari, ab epularum, et exquisitorum ciborum ingluvie ventrem coercebit; et qui Christum adeo liberalem, ac magnificum perpenderit, ut totum sanguinem pro peccatoribus effuderit, avaritiam suam detestabitur: ac tandem qui tam ingenti animi moerore, ac totius corporis dolore confectum illum intuitus fuerit, facile libidinosos veneris motus comprimet, et effroenem, ac indomitam carnem edo-



mabit, sicque aspectu huius mystici serpentis in altum erecti omnibus, et singulis suis infirmitatibus medebitur.

Ad haec silentio non praeteribo insignem Pauli locum, memoriam passionis Christi disertis verbis commonentis: *Recogitate*, ait, *eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* Singula quaeso haec verba expendamus: *Recogitate*, inquit; quasi dicat, non solum oportet simpliciter cogitare mortem Christi, sed iterum, atque iterum recolere, et recogitare eam, instar mundi animalis, semel cogitata ruminando ac degustando. Nam quemadmodum solis aestus non uno, aut altero die homines adurit, eorumque carnem, ac pellem denigrat, sed longo temporis tractu, et ut unguentum balsami, non semel, aut bis vulneri appositum, sed multo tempore vulnerum cicatrices curat: et ut, *Gutta cavat lapidem, non bis, sed saepe cadendo;* ita sane passio Domini, non ob unam, aut alteram levem cogitationem carnem nostram macerat, aut pellem conversationis nostrae in melius commutat, sed fide diu apprehensa, ac profunde meditata: ut enim gallina vaga, inconstansque apta non est ovis fovendis, atque excludendis pullis; ita qui sub alis Christi in cruce brachia extendentis diu nequit consistere, nulla alta desideria concipere, neque ad habendum alas contemplandi divina mysteria, assurgere valebit. Est et alia ratio, cur videlicet Domini passio recogitanda sit. Nam prima quidem facie crucis, ac mortis Domini aspectus, horridus, turpis, indecorus, omnique ratione apparet destitutus, atque ob eam causam *Iudaeis est scandalum, gentibus autem stultitia;* at illis, qui diu recogitant, quanta insit in eo, qui cruci est suffixus, Dei virtus, atque sapientia, sic agnoscunt thesauros in eo delitescentes, et tanquam rem salutiferam, potentissimam, atque iucundissimam amplectuntur. Ait deinde divus Paulus, *recogitate eum.* Emphasim habet singularem verbum illud, *eum*, quia perinde fuit, ac si diceret, *eum*, qui a Patriarchis desideratus, a Prophetis praenuntiatus, a Sibyllis magnificatus, qui principium est, et finis salutis nostrae, innocentissimus Dei Filius a Virgine per Spiritum sanctum conceptus, et sine dolore Matris in lucem editus; ab angelis, et pastoribus adoratus; a Magis Orientalibus mysticis muneribus cohonestatus; a Simeone iusto tanquam lumen gentium, et gloria plebis Israel celebratus: ab Anna prophetissa commendatus: in templo cum Doctoribus disputans in admiratione habitus; a Ioanne Baptista, ut Agnus Dei tollens peccata mundi indicatus, et Messias ab eo praedicatus, potens in opere, et sermone, sanctitate morum illustris, signorum editione conspicuus, doctrinae praedicatione praeclarus, disputandi acumine singularis, denique beneficentia, et iuvandi mortales omnes studio incomparabilis, et Sanctus Sanctorum est: haec enim omnia, et infinita alia includit pronomen illud, *eum.* Ne autem quispiam existimaret Christum Dominum utpote principem, ac regem adversa, quae sustinuit, perpessum fuisse in subiectis sibi populis, aut in familiaribus, et amicis suis, aut in ditionis suae bonis, ut quandoque principibus contingit, ideo Apostolus addidit verba illa: *Adversus semetipsum*, quibus aperte indicat, non in aliis solum, sed in seipso ea pertulisse. Multa quidem Christus Dominus passus est in membris suis: occisus enim fuit in Abel a fratre suo Cain; irrisus in Noe a filio suo Cham; immolatus a patre in Isaac; peregrinatus in Iacob; venditus in Ioseph; fugatus in Moyse, et Aarone; dissectus in partes in Isaia; vinculis alligatus, et in puteum deiectus in Hieremia; ad bestias damnatus in Daniele; colaphis percussus in Michaea: adeo, ut propter haec etiam putarim merito dici, *Agnus occisus ab origine mundi.* Sed iam tempus erat, ut non in membris suis, sed in seipso Dominus gloriae pateretur; unde per Isaiam (*c.*46) inquit: *Ego feci, et ego portabo, et salvabo:* et per Davidem (*Psal.* 68): *Quae non rapui, tunc exsolvebam:* et divus Petrus (1. *Petr.* 1): *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo.* Subdit deinde Apostolus: *Talem sustinuit contradictionem:* nam Christus non tantum dum vixit, sed etiam antequam in mundum veniret, contradictiones passus est: in caelo enim illi contradixit daemon prae invidia, impedire volens Incarnationis mysterium; conditis Adae, et Evae se lividus opposuit, et illos in peccatum pertraxit, ut Verbum, carnem ex peccatoribus propagatam, et deformem non assumeret; conatus est extinguere omnes filios Israel, per Pharaonem legem ferens (*Exod.* 12. *et* 18. *et inf.*26): *Si masculus fuerit, interficite eum, si foemina reservate*, ne semen benedictum ex familia Abrahae promissum venire posset. Adversatus etiam est multos pseudochristos, et falsos prophetas, qui se pro Christo venditabant, mittens, ut Theudam, ac Iudam Galilaeum, quo verus ignoraretur Messias. Contradixit illi vix nato, dum per Herodem eum ad mortem quaesivit, et in Ægyptum exulare coegit. Contradixit illi per seipsum in deserto, triplici illum tentationis telo aggrediens. Contradixit et per suos, qui illi obiiciebant (*Luc.*5): *Medice cura te ipsum. Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* Contradictum est illi in genere, et patris vilitas obiecta (*Matt.*13): *Non hic est fabri filius?* In matre contempta (*Ioan.* 6): *Nonne mater eius dicitur Maria?* In fratribus, qui non credebant in eum, immo voluerunt eum tenere, et ligare, dicebant enim (*Matt.*13): *Quia in furorem versus est;* et ad gloriam, pompamque adhortabantur, dicentes: *Transi hinc, et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quas facis. Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse.* Obiecerunt patriae ignobilitatem, dicentes: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Detraxerunt provinciae, in qua conceptus fuerat, et versatus: *Scrutare Scripturas, et vide, quia a Galilaea Propheta non surgit.* Vocarunt eum Samaritanum, quasi non bene Iudaizantem. Despexerunt doctrinam: *Unde*, inquiunt, *huic sapientia haec, et virtutes?* et: *Daemonium habet, et insanit: quid eum auditis?* Damnarunt eius vitam, ut vitiosam: *Scimus, quia hic homo peccator est.* Re-

ligionem in calumniam rapuerunt dicentes: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Eius mores, et temperantiam reprobarunt: *Ecce*, inquiunt, *homo vorax, et potator vini, publicanorum, et peccatorum amicus.* Immodestiae, et arrogantiae illum damnarunt, obiicientes (*Ioan.* 8): *Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.* Conviciati sunt eius conversationi, dicentes (*Matth.* 7): *Quare cum publicanis, et peccatoribus manducat Magister vester?* Eius benignitatem, et misericordiam in condonandis peccatis blasphemarunt, dicentes (*Luc.* 7): *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Divinitatis usurpationem illi tribuerunt, opponentes (*Ioan.* 10): *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Auctoritatem praedicandi in dubium revocarunt, obiicientes (*Matt.* 21): *In qua potestate haec facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem?* Eius signa satanae tribuerunt, dum dicebant: *Hic non eiicit daemones, nisi in Beelzebub principe daemoniorum.* Tentabant eius potentiam, dum petebant signa de coelo; eius sapientiam, quando volebant eum capere in sermone, interrogantes, vel de censu dando Caesari, vel de magno mandato legis; eius clementiam, et pietatem, dum mulierem adulteram in eius conspectum adduxerunt, et dixerunt: *Magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio; in lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare, tu ergo quid dicis?* Obiecerunt illi minus sanctam discipulorum suorum vitam, et conversationem, aientes (*Mat.* 9): *Quare nos, et Pharisaei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Accusaruntque illos, quod violarent traditiones seniorum. Eos, qui salutis beneficia ab ipso acceperunt, insectati sunt: nam paralyticum ad piscinam sanatum, sicut et coecum natum sanitati restitutum, multis modis exagitarunt, Lazarumque ab ipso ad vitam suscitatum interficere cogitarunt. Auditorum, qui in eum credebant, vilitatem irridebant, cum aiebant: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisaeis?* Confitentes eum, eiusque doctrinam tuentes excommunicabant. Iam enim, inquit Evangelista, conspiraverant Iudaei, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam fieret. Honorificis laudibus in die Palmarum a populo sibi exhibitis reclamarunt, dicendo: *Audis quid isti dicunt?* Cum se Filium Dei esse non obscure indicasset, in domo Annae interrogatus, si Christus esset, continuo contradixerunt ei, dicentes: *Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?* Et cum iterum mane in Concilio interrogaretur de eodem articulo Christus Dominus, sibi contradicendi libidinem eis obiecit: *Si vobis*, inquit, *dixero, non credetis mihi; si autem et interrogavero, non respondebitis mihi.* In domo Pilati graves, et verbo, et facto sustinuit contradictiones, dum malefactor, et usurpator regii tituli est insimulatus. In domo Herodis summa eius sapientia contradictionem pertulit non exiguam, dum tanquam stultus, et insanus candida tunica indutus est. Cum Barabbae postposuerunt eum: *Non hunc, sed Barabbam* dicentes, aperte satis ei contradixerunt. Innocentia item eius quam contradictionem passa non est, cum ad ignominiosam, et acerbam mortis crucem adiudicatus fuit? dum etiam diceret, *Eli, Eli Lammazabacthani*, contradixerunt dicentes: *Eliam vocat ille.* Quid plura? Iudaei quidam adversati sunt ei cum dixerunt: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum, et quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis?* Ac tandem, cum primum per sacros Apostolos praedicatus est Christus crucifixus, mundus pervicaciter contradixit eorum doctrinae, et iudicatus est, *A Iudaeis quidem scandalum, a gentibus vero stultitia.* Unde Iudaei Romae commorantes Paulo dixerunt: *De secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Quae omnia prophetico spiritu praevidens Simeon, Christo recens nato, et in templo a Matre praesentato, praedixit ei: *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.* Eadem etiam praevidens David in persona Christi loquens dixit: *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.*

Subiunxit praeterea Apostolus, *talem*, non explicando illam contradictionem, quia videbat, nec verbis exprimi, nec cogitatione concipi posse. Nam si ad ea quae passus est, oculos mentis erigas, silvam tormentorum invenies, et suo quodvis membrum, ac sensum peculiari dolore affectum: in capite enim coronam spineam, et ictus arundinis perpessus est; in facie sputa; in genis alapas; in barba vellicationes; in lingua siccitatem; in collo colaphos, et funis alligaturam; in humeris onerosum crucis pondus; in brachiis violentam extensionem; in manibus, et pedibus clavos; in latere perfossionem; toto in corpore durissimam flagellationem, ac nuditatem; in ossibus, visceribus, venis, ac nervis distractionem rigidam, ut ossa possent enumerari; in membris vitalibus omnimodam sanguinis effusionem, atque adeo summam, et incredibilem ariditatem. Si sensus, ac facultates explores, erit et ampla contemplandi materia. Nam in oculis sustinuit lacrymas, velamen quo tectus fuit, et Matris charissimae, aliorumque amicorum praesentiam; in auribus blasphemias, irrisiones, atque insultationes; in naribus sputorum foetorem, ac loci Calvariae pedorem; in gustu amaritudinem fellis, atque aceti; in tactu totius corporis lacerationem; in anima tristitiam, mortisque amaritudinem. Si vero eos, a quibus est tam dire tractatus, enumeres, universos in illum insurrexisse invenies. Contradixit enim illi Pilatus, vices Imperatoris agens, qui in illum sententiam mortis protulit: Herodes, qui sprevit illum, ac illusit ut stultum cum exercitu suo: Annas, Caiphasque Pontifices, qui illum dignum morte in tribunali spirituali iudicarunt, tanquam blasphemum; Scribae, et Pharisaei, qui illi insidias tetenderunt, et causam contra eum, ut advocati, egerunt; ministri, qui alapis eum, et colaphis percusserunt; militum cohors, quae illum comprehendit, flagellisque, et spinea corona torsit; turba, quae clamavit, *tolle, tolle, crucifige eum*; latrones, qui ex cruce illi improperabant; Apostoli, qui eum deseruerunt; Iudas, qui eum prodidit; Petrus, qui eum ter abiuravit; Mater sanctissima, quae conspectu eius graviora sua reddebat tormenta; Pater aeternus, qui eum videtur dereliquisse, ut ipse sua voce testatus est Christus: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Spiritus sanctus, qui per os Caiphae dixerat: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Atque adeo ipsemet sibi contradixisse, ac defecisse videtur, qui ne uno quidem verbo pro se tuendo uti voluit: *Ita ut miraretur Praeses vehementer.* Atque ita si recte rationem ducas, invenies non tantum homines, sed etiam Deum ipsum; Gentiles, ac Iudaeos; mares, ac foeminas; principes, ac subditos; Ecclesiasticos, ac saeculares; dominos, ac servos; litteratos, atque idiotas; incognitos, ac notos homines, tum bonos, tum malos habitos, Christo Domino contradixisse. Ut autem Apostolus aperte ostenderet, memoriam huius contradictionis, et passionis Christi molestam non esse, aut melancholicam, ut profani, atque inexperti homines dicunt, subiungit: *Ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Est enim, ac si diceret, licet ad multiplices fructus recogitanda sit Domini passio, ad hunc tamen mirum in modum valet, ne tristitia exiccante ossa, cor hominis contabescat, aut adversitate rerum animus deficiat. Et revera si orationis proprium est exhilarare, ut non obscure docet d. Iacobus, dum ait: *Tristatur aliquis in vobis? oret*; magis id consentaneum erit orationi, et meditationi passionis Salvatoris nostri, cum gratior nulla cogitatio captivo, aut aere alieno oppresso in mentem venire possit, quam si paratam pecuniam, et in eius redemptionem, debitorumque solutionem pretium iam exhibitum animo evolvat. Unde cum ex una parte: *Qui facit peccatum, servus sit peccati*, et consequenter sub diaboli servitute degere necesse sit; et ex alia peccatum sit debitum quoddam, ut Christus Dominus dixit (*Matth.* 6): *Dimitte nobis debita nostra:* certe cum in eam cogitationem inciderit, quae ante oculos ei proponat passionem Christi, pretium nostrae redemptionis, ac debitorum omnium integram, ac perfectam compensationem, non potest non grata, ac iucunda illi esse huiusmodi cogitatio. Sponsa ita se id expertam fuisse fatebatur, dum diceret (*Prov.* 2): *Sub umbra eius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Haec arbor crux erat, de qua canit Ecclesia, *arbor una nobilis.* Umbram vero eam arbitror fuisse, quam tergo, et scapulis, Christus in ea pendens faciebat, ut in hoc etiam sensu videatur impletum illud Davidis (*Psal.* 90): *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis.*

Ut tamen praedicta cogitatio utilior tibi sit, et a lapideo tuo corde ignem amoris, et aquam lacrymarum extorqueat, perpende in primis qualitatem personae patientis: nec enim purus homo est, sed Deus pariter, et homo, ut iam non mortem hominis, sed Dei hominis contemplari liceat. Ut enim tam pie, quam acute dixit Lactantius Firmianus (*lib.* 4. *de div. inst.*): Non Gavianam crucem describimus, hominem Romanum, actum in crucem. P. Gavius enim vir erat Romanus, qui tamen innocens calumniose, et iniuste in cruce suspensus fuerat. Non igitur, ait Lactantius, lacrymanda nobis est mors Christi, velut Gavii, absque culpa occisi. sed ulterius progrediendum est ad considerandum eum, qui moritur, esse Deum hominem, auctorem vitae, immensum, infinitum, et immortalem. Deinde ab excellentia personae patientis descendere oportet ad vilitatem personae, pro qua patitur, quae ex proclivitate ad peccandum, et ex peccatis ipsis facile deprehenditur. Acerbitatem etiam interni, et externi doloris, et tam in inferiori, quam in superiori portione animae vehementem tristitiam, in mentem revoca, nec non affectum commiserationis, quem ex visceribus matris secum tulit, ipso dicente (*Iob* 21): *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum.* Cum enim hominum miseriae ab utero incipiant, iuxta illud (*Psal.* 57): *Erraverunt ab utero;* et illud aliud (*Psal.* 50): *Et in peccatis concepit me mater mea:* ab utero etiam matris suae nostram miseriam agnoscens, miserari, ac pro nobis deplorare coepit. Ob quod non immerito putaverim, hanc ab utero miserationem adumbratam fuisse in Phares, qui dum ex utero Thamar in lucem prodiret, ut sacra Genesis tradit historia, coccineum filum digito alligatum eduxit; quo nobis indicavit, se ex ventre matris ardentem amorem, ac singularem miserationem erga nos concepisse. Circa hanc tamen dolorum acerbitatem duo ex Seraphico nostro d. Bonaventura (*in* 3. *dist.* 15. *q.* 2. *et di.* 16. *q.* 3) observanda sunt. Primum est, maiorem in Christo fuisse commiserationem, qua nobis peccatoribus compati dignatus fuit, quam passionem ipsam, et multitudinem tormentorum, quae pro nobis pertulit. Cuius doctrinae triplex occurrit ratio. Prima, quia passio in corpore fuit, et consequenter propter unionem eius cum anima etiam feriebat spiritum: at commiseratio ortum habuit a ratione, et in spiritu immediate erat, atque adeo immediatius, quam dolor passionis angebat. Secunda ratio: nam re ipsa Dominus tantummodo a carnificibus cruciatus fuit; at in anima tot excruciantes carnifices habuit, quot mortales omnes peccata commiserunt. Tertia, quia obiectum commiserationis Christi erant peccata nostra, seu nos omnes, ut peccatores; compassionis vero eius, poenae, atque tormenta. Ratio autem docet, ut sicut detestabiliora sunt mala culpae, quam poenae, ita etiam magis mens doleat de illis, quam de istis. Unde ipse d. Bonaventura praecitato loco, loquens de hac commiseratione, ait: *Quod iste dolor intensior fuerit, colligitur ex duplici signo. Unum est, quod maluit animam suam a corpore separari, quam quod nos essemus a Deo separati. Aliud vero signum est, quod flevit pro peccatis nostris, sed non flevit pro poenis corporis sui*, sicut Bernardus dixit: *Planctus autem signum est amaritudinis, et doloris.* Et ideo hoc eleganter exprimit Cancellarius Philippus, in quadam prosula valde notabili, et devota: ait enim sic: *Homo vide, quid pro te patior, ad te clamo, qui pro te morior. Vide poenas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior, cum sit tantus*

*dolor exterior, interior tamen planctus est gravior, tum ingratum dum te experior;* hactenus d. Bonaventura. Alterum quod ex eodem observandum est, summam fuisse dolorum Christi acerbitatem, ut his verbis egregie ipse disserit (*in praecitata distinct.* 15).

*Respondeo dicendum, quod dolor passionis Christi inter ceteros dolores, et passiones fuit acerbissimus, et acutissimus; hoc patet, si illa considerentur, quae doloris passionem acerbiorem reddunt: haec autem sunt tria, videlicet, causa passionis, et modus patiendi, et conditio patientis. Si consideretur causa, ob quam Christus passus est, fuit in eo doloris afflictio magna, non enim patiebatur pro culpa propria, immo pro aliena, non pro amicis tantum, sed etiam pro inimicis, et etiam pro his, quos videbat ingratos. Si autem consideretur modus patiendi, fuit in eo passio doloris acerbior, tum propter generalitatem, quia in omnibus membris affligebatur, tum etiam propter continuitatem, quia suspendium eius continuabatur, et clavi adeo affligebant pendentem sicut affixerunt, quando manus eius, et pedes confodiebantur, in quibus maxima erat afflictio, propter nervos, et musculos ibidem concurrentes, in quibus praecipue viget sensus. Si autem consideretur qualitas, sive conditio patientis, maxima erat afflictio, propter maximam complexionis aequalitatem, et propter sensus vivacitatem: unde quia nullus potuit ei aequari, nec aequalitate complexionis, nec vivacitate sensus, dolor illius omnium dolorum fuit acutissimus;* haec d. Bonaventura.

Deinde ut amplius divino amore inardescat animus, oportet varios passionis Christi fructus in memoriam redigere; cuiusmodi sunt, quod angustias tulit, ut te ab angustiis peccati, et gehennae liberaret; moerore affectus, quo te consolaretur; perterrefactus, ut tibi animos faceret; insidias perpessus, ut te custodiret; vigilavit, ut te a somno peccati excitaret; oravit, ut tibi dona impetraret; sudavit sanguinem, ut putridum tui peccati humorem a te expelleret; comprehensus est, ut te ad se traheret; ligatus, ut te solveret; pretio venditus, ut te redimeret; negatus a Petro, ut te coram Patre confiteretur suo; derelictus ab Apostolis, ut tibi se individuum praestaret comitem; accusatus, ut te excusaret; falsorum testium passus calumnias, ut te a calumniis, et falsis testibus eriperet; abiuratus a Caipha, ut abs te veros daemones pelleret; velatus facie, ut tibi illam in coelo cum summa gloria detegeret; nudatus vestibus, atque iterum indutus, ut nos veteri Adamo spoliaret, et novo indueret homine, qui secundum Deum est: flagellis caesus, ne aeternis flagellis nos caederemur; damnatus ab iniquis iudicibus, ut te ab ea iusta sententia, quam peccata tua promerebantur, liberaret; latroni Barabbae postpositus, ut nos a Deo reprobis praeponeret; eiectus extra civitatem, ut nos in caelestem Hierusalem introduceret; portavit crucem, ut pondus peccatorum a nostris humeris transferret in suos; exaltatus in cruce, ut nos erigeret, et ad se traheret; corona spinea punctus, ut nobis coronam gloriae praepararet; siti affectus ardenti, ut nos satiaret; inclinavit caput, ut nobis osculum pacis praeberet; perfusus sanguine, ut nos lavaret; pedibus est confixus, ut nos expectaret; extendit brachia, ut nos ad amplexum invitaret; summo dedecore, et opprobriis satiatus, ut nos honore, et gloria impleret; exoravit Patrem pro crucifigentibus, et latroni regnum promisit, ut nos ad spem remissionis peccatorum, et caelestis regni concipiendam excitaret; lancea latus eius perfossum, ut amore suo te vulneraret; mortuus tandem pro te, ut vitam daret sempiternam. Quotidie, inquit d. Hieronymus (*ad Eustoch.*), hanc lectionem discite filiae, quotidie huius lectionis sumite bolum, hunc non transglutiendo, sed magna morositate masticando, hinc inde transferte per ora, ut sentire dulcedinem valeatis; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA II.

*De proditione Iudae, ac de vili, et sacrilego pretio, quo Christum Dominum vendidit, in illa verba:* Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos (*Mat.* 26): *quae varia, ac multiplici sanctorum Patrum eruditione locupletantur.*

Refert d. Matthaeus, ira percitos principes sacerdotum, et seniores populi congregatos fuisse adversus Christum Dominum in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, ut machinarentur, quomodo Iesum tenerent, et occiderent. Consilium autem hoc cogere moliti sunt, non ut sapientes Pharaonis contra Moysem, nec ut principes Chaldaeorum, et Persarum contra Danielem, nec et consilium Achitophel contra Davidem, aut fratrum contra Ioseph; sed quod diabolus contra Christum Dominum primogenitum omnis creaturae, et principem regum terrae a mundi exordio tentavit, ut deposito legitimo haerede, sedem eius in lateribus Aquilonis, super astra coeli obtineret. Tam immane sacerdotum facinus, ac inexpiabile sacrilegium praevidens Patriarcha Iacob, execratus est consilium hoc, dicens (*Gen.* 49): *Simeon, et Levi fratres vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu eorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum: maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura.* Meminit s. Patriarcha in praecitatis verbis, *Simeon, et Levi*, quod, ut observavit Nicolaus de Lyra, ab illis originem traherent coniuratores in Christum. Levitae enim sacerdotium tenebant, et de tribu Simeon pars magna Pharisaeorum manabant: *In consilium*, ait, *eorum non veniat anima mea.* Vatablus vertit: *In arcanum eorum non veniat anima mea. Arcanum* vocat consilium illud, quia occulte, et clandestine, et absque turba volebant illum comprehendere. Christum autem vocat virum, quia ab instanti suae conceptionis iudicio, et ratione praeditus, tametsi in infantili corpore, vir erat omnibus numeris absolutus: unde Hieremias (*cap.* 31) praedixerat: *Mulier circumdabit virum.* Subiungit deinde, *et suffoderunt murum*, quia Christus Dominus inexpugnabilis est catholicae Ecclesiae murus, iuxta illud (*Isai.* 26): *Salvator ponetur in ea murus, et antemurale.* Hunc vero fortissimum murum tunc, ut arbitror, ruperunt, quando caput eius spinis terebrarunt, manus, et pedes clavis perforarunt, ac latus dira lancea confoderunt. Septuaginta Interpretes, ubi nostra vulgata legit, *Suffoderunt murum*, transferunt, *exenervaverunt taurum.* Iure optimo Christum Dominum vocant taurum, tum propter pulchritudinem eius, de qua dictum erat (*Deut.* 33): *Quasi primogeniti tauri, pulchritudo eius:* tum quia sicut taurus, ut ait Plinius (*lib.*8.*cap.*45), praecipuam suam fortitudinem absconditam habet in cordibus; ita de Christo regius Vates praedixerat: *Cornua eius in manibus eius; ita abscondita est fortitudo eius:* de brachiis crucis explicant Patres, quibus fortissime manus eius affixae fuere: ibi enim abscondita fuit fortitudo eius, dum enim vinci videbatur, vincebat: tum quia sicut eodem Plinio auctore taurus sub arbore ficus ferocitatem deponens mansuescit; ita qui antea erat Deus ultionum, sub crucis arbore degens mansuetus adeo factus est, ut non pro inimicorum ultione, sed pro eorum potius salute Patrem oraverit, dicens (*Luc.* 23): *Pater ignosce illis.* Praeterea taurum illum vocat, quia sicut canes hinc, et illinc in taurum insurgunt, ac dentibus dilacerant, ita principes sacerdotum in eo consilio, tanquam rabidi canes, in Christum insurrexerunt, ut praevidit David, cum dixit (*Psal.* 21): *Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me.* Congrue satis regius Vates illos canes appellat, quia sicut isti alioquin inter se saepe inimici, et propter cibum acriter contendentes, cum tamen pauperculus ostium pulsat, unanimes omnes simul latrant, et eum invadunt; sic Herodes, et Pilatus, qui antea inimici erant, ut Christum tamen morti traderent, amici facti sunt, ut ait d. Lucas.

Sciens ergo Iudas consilium hoc coactum fuisse a principibus sacerdotum in domo Caiphae, contra Christum Dominum, ad illud properavit, ut eum traderet illis, ut aperte indicant verba d. Matthaei (*cap.* 26): *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum, et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam?* Super quae verba Euthymius observat, quod Iudas abiit ad principes sacerdotum, sed non ab illis vocatus, et quod non dixit: *Ego vobis Christum tradam, sed eum*, eo quod iam non solum personam, sed et nomen eius oderat. Abiit quidem, sed non particeps factus illius Davidicae benedictionis (*Psal.* 1): *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum;* siquidem ipse Pharisaeorum consilium approbaturus, immo et modum executionis propalaturus, abiit in atrium principis sacerdotum, ubi erant congregati, dicens: *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?* Super quae verba d. Hieronymus (*sup. cap.* 26. *Matth.*) ait: *Quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent illi dare.* Divus autem Leo (*ser. de Pas.*) hanc execrandam Iudae impietatem considerans, his verbis in illum invehitur: *Tu, o impiissime homo, semen Chanaam, et non Iuda, nec iam vas electionis, sed filius perditionis, et mortis, ita diabolice inflammaris avaritiae facibus, ut ad triginta argenteorum inardesceres lucrum, et quid divitiarum amitteres, non videres. Nam etsi putabas credendum esse promissis, quae fuit ratio, ut tantillus pecuniae modus praeponeretur acceptis? Imperabas daemoniis, medebaris infirmis, honorabaris cum Apostolis, et ut famem tuae cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis, sed animum interdictorum admonitum, quod minus licuit, amplius incitavit, nec tam placuit quantitas pretii, quam magnitudo peccati; unde facinus commercii tui non ita detestandum est, quia Dominum viliter aestimasti, sed quia Redemptorem tuum, ne tibi parceret, vendidisti:* haec ille.

Quibus addo, caecitatem Iudae cum summa impietate coniunctam fuisse, quippe cum scriptum sit per Isaiam (*cap.* 13): *Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo;* non est veritus tam immane flagitium committere, ut mediatorem Dei, et hominum Christum Iesum, atque ipsum Deum, et hominem, tam vili pretio vendiderit: de quo etiam scriptum est: *Nescit homo pretium eius:* nam ut optime dixit d. Ambrosius (*de Spirit. sanct.*): *Quomodo poterat verum eius pretium comprehendi, cuius non potest meritum definiri? O Iuda proditor, unguentum passionis eius trecentis denariis aestimas, et passionem eius triginta denariis vendis? o informem laqueum proditoris, sed deformius pretium Iudaeorum, argentum reprobatum, quo aut emitur ad necem iustus, aut venditur!* haec ex Ambrosio. *Decorum pretium*, inquit Zacharias, *quo appretiatus sum ab eis.* Ironice atque irrisorie vocat illud pretium, *decorum*, quia vilissimum erat, et indignum, ut eo Christus, aut emeretur, aut venderetur.

Hanc Iudae venditionem, et praefiguratam, et praedictam sacrorum voluminum testimonia perspicue attestantur. Nam in primis delineata fuit in venditione Ioseph facta Ismaelitis a fratribus, licet illa non nisi viginti argenteis, ut emendatiores codices habent, venditus fuerit. Non enim in omnibus, et singulis oportet figuram correspondere figurato, et ut dixit divus Hieronymus (*sup. c.* 26. *Matth.*): *Non poterat servus pretiosior esse quam Dominus, immo e contra, et ideo minori pretio vendendus erat.* Quibus consonant verba divi Ambrosii (*lib.* 3. *de Spir. sanct. c.* 18): *Viginti aureis in veteri Testamento venditur Ioseph, Christus triginta in Evangelio: pretiosior enim typo veritas; largior gratia quam disciplina.* In Deuteronomio etiam eadem venditio praefiguratur in verbis illis: *Si deprehensus fuerit homo solicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo acceperit pretium, interficietur.* Hic sane videtur describi Iudas, qui non modo fratrem, sed Dominum, ac magistrum; immo et Deum suum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vendidit. Praedicta deinde fuit apud Zachariam dicentem (c. 11): *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis:* et apud prophetam Amos, in persona Dei haec loquentem: *Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento iustum.* Contendunt Iudaei hunc locum corrumpentes, non esse legendum, vendidisse pro argento *iustum*, sed, *iustitiam*, ut iniqui iudices facere solent. At hoc esse merum figmentum, obstinato eorum cerebro excogitatum, aperte convincit, quod tametsi venditio iustitiae grave sit iudicum peccatum, non tamen tam universali, et severo supplicio, et absque ulla remissione propter illud fuissent puniti Iudaei. Targum etiam Hierosolymitanum scribit, quod in principio huius captivitatis Adrianus Caesar decem ex Iudaeis viros egregios, et eruditos, quorum nomina erant, Rabbi Ismael, Rabbi Simeon, Rabbi Xiba, Rabbi Hanina, Rabbi Suspit, Rabbi Eleazar, Rabbi Iudas, Rabbi Isleba, Rabbi Iudas alter, et tertius Iudas, horribilibus cruciatibus interemerit, quia fratrem suum Iesum vendiderunt, condemnans eos iuxta legem Deuteronomii, paulo ante citatam. Eorum memoriam solemnem Iudaei agunt Luna 10. Mensis Septembris, etsi fingant iustum istum fratrem fuisse Ioseph, et non Iesum Mariae filium; cum certo sciri posset, nullam non modo curam, sed neque cogitationem fuisse Adriano de Ioseph, nec potuisse fratres ipsius Ioseph, nec posteros eorum per legem ipsorum convincere, aut damnare pro venditione Ioseph; cum eo tempore necdum lex lata fuisset. Quam veritatem confitetur Rabbi Achados, in libro Galezazeia, petitione VIII. Accedunt ad haec quaedam alia, quae ingeniose, ut assolet, scripsit Rupertus (*in cap.* 26. *Matthaei*), ubi postquam locutus fuerat de unctione Magdalenae, contraponit ei venditionem Iudae, in hunc modum loquens: *Hoc opus illi operi mulieris oppositum, sive contrarium est, ut bono malum. Plane sicut de illa dixit: opus bonum operata est in me, sic contra de isto dicat Dominus; malum opus operatus est in me. Illa enim ad sepeliendum me pretioso unguento unxit, iste ad crucifigendum me vili pretio vendidit. Nulla tradidit scriptura, quempiam Sanctorum, sive Prophetarum, qui multi interfecti fuerant, ita ut aliquando diceret unus ex illis Elias: relictus sum ego solus, et quaerunt animam meam, sic venditum, sive emptum fuisse, ut venditus, sive emptus est iste Sanctus sanctorum, id est, sic emptum, ut emptores interficerent eum. Ioseph quidem sanctus in typum huius fuit venditus, sed emptores non idcirco emerunt, ut interficerent eum. Et Aman impiissimus idcirco, ut interficeret, emere voluit universum genus Iudaeorum, in quo utique nonnulli iusti erant, dicens regi Assuero: Si tibi placet, decerne, ut pereat, et decem millia talentorum appendam arcariis gazae tuae. Sed neque rex accepto argento populum vendidit, neque Aman placito suo gratis concessum interficere potuit. Iste unctus Sanctus sanctorum ad hoc emptus est, ut interficeretur, emptus pretio vili, scilicet triginta argenteis, quod pretium vix est unius vituli bruti, quo multo melior erat iste vitulus Domini. Quanto melior? Caput eius, ait dilecta in Canticis, aurum optimum, manus eius aureae plenae hyacinthis, venter eburneus distinctus sapphyris, crura columnae marmoreae, quae fundatae sunt super bases aureas. Hic tantus triginta emptus est argenteis;* haec ille. Euthymius autem explicans verba illa: *At illi constituerunt ei triginta argenteos*, sic ait: *Principes autem sacerdotum appenderunt ei triginta argenteos: nam argenteus certum librae pondus erat, sicut etiam denarius, stater, talentum.* Marcus vero dicit, quod promiserunt ei argentum se daturos. Lucas autem, quod *pacti sunt.* Verisimile est autem, quod primum pacti sunt, et promiserunt, postmodum vero appenderunt, sive constituerunt. Quidam tamen intellexerunt, *constituerunt*, hoc est pacti sunt, et decreverunt. Lucas autem de Iuda quoque addidit, quod *spopondit*, sive firmiter pactum fecit, e corde promittendo se facturum, quod statutum erat.

Sed iam, quid nomine argenteorum Evangelista intellexerit, explicemus. Quidam Doctores affirmant, argenteos illos eo tempore non habuisse maiorem valorem, quam modo habeat tertia pars unius argentei, atque adeo decem argenteis ex nostris venditum fuisse Christum Dominum. Sed non video firmum aliquod huius sententiae fundamentum. Rupertus (*in Mat. c.* 26) triginta illos argenteos eiusdem valoris fuisse ait, ac usuales argentei nostri, qui Italice Pauli, vel Iulii vocantur, ita ut tribus scutis venditus fuerit Christus Dominus. Verum haec sententia mihi non probatur, quia eisdem triginta argenteis emptus fuit ager, in sepulturam peregrinorum; non tamen verisimile est, tam exiguo pretio agrum illum comparari potuisse. Nicolaus de Lyra putat unumquemque horum triginta argenteorum valuisse decem denarios usuales, ac proinde triginta argenteos valuisse trecentos denarios, sicque Iudam recuperasse totum pretium unguenti, ex cuius effusione dolebat sibi lucrum periisse: ipse enim praedixerat (*Matt.* 16. *et Marc.* 14): *Poterat enim unguentum hoc trecentis denariis venundari.*

Budaeus (*de Asse. lib.* 5) hanc reiicit sententiam inquiens: *Triginta argenteos, quo pretio Iudas sceleratissimus perfidiam indicare sustinuit Iudaeis licentibus, non triginta denarios fuisse propterea arbitror, quod ubique argenteos legi nunquam denarios, idest Graece, ἀργύρια, non denaria. Scio hodie in aede d. Ioannis Lateranensis Parisiis ostendi argenteum unum, qui ex illis esse dictitatur, quos Iudas in templum abiecit, characterem diversum a denario habentem; habet enim effigiem hominis, non luscam eminente altera mala, ut Romana numismata visuntur, sed adversam, et integram, et a tergo flosculum utrinque nullo indice. Pondus, ut conicere licet, non enim attrectatur, sed trans vitrum cernitur, didrachmus esse potest, si satis memini.*

Aliam etiam huius pretii opinionem refert Iacobus Bosius (*lib.* 1. *de cruce cap.* 12) quorundam dicentium, duo fuisse Hierosolymis solita cudi siclorum genera, unum commune, alterum sanctuarii, quod staterem vocitabant; inter quae hoc erat pretii discrimen, quod primum habebat duas drachmas, secundum quatuor. Aiunt ergo isti, siclos, quibus Christus Dominus venditus fuit, ex illo primo genere fuisse, atque adeo non maioris valoris extitisse totum illud triginta argenteorum pretium, quam sex scutorum.



Tandem aliam celebrem cardinalis Baronii adiungo sententiam, qui praeter communem fere omnium Doctorum opinionem, per triginta argenteos, quibus Evangelica eloquia Christum Dominum venditum contestantur, pretium trecentorum scutorum designari docet; moveturque ad hoc auctoritate cuiusdam Hebraei nomine Eliae Levitae, qui in libro, cuius inscriptio, *Tisebi*, affirmat, ex diligenti, et accurata maiorum suorum observatione didicisse, dictionem hanc, *Argenteum*, in Pentatheuco, unum significare siclum; apud Prophetas, integram argenti libram designare; penes Geographos, talentum denotare; quam distinctionem reperio a doctissimo Aria Montano etiam probatam, et aliorum Rabbinorum auctoritate constabilitam in suo Dictionario Syrochaldaico in verbo *Ceseph*. Unde cum d. Matthaeus adducat testimonium propheticum triginta argenteorum, reliquum est, triginta siclos importare triginta argenti libras, quae trecentis scutis, iuxta Romanorum computationem, vel tribus millibus argenteis simplicibus iuxta Hispanorum aestimantur. Atque hanc sententiam ea possumus fulcire ratione, quod ager ille, qui eo pretio fuit emptus, non potuit duodecim scutis emi, tum quia erat vicinus valde Hierosolymae muris; praedia autem civitati adeo proxima ingenti pretio aestimabantur: tum quia, cum esset in sepulturam peregrinorum, quorum visendi templi causa ingens erat multitudo, nisi capacissimus esset, tot defunctorum corpora suscipere non potuisset; magnus autem ager, verisimile non est, quod tam vili pretio venderetur: tum tandem, quia si Abraham, ut sacra Geneseos narrat historia, in provincia Chanaam ab Ephron Seor Hethaei filio mediocre quoddam praedium pro sepelienda uxore sua Sara quadringentis emit siclis, consentaneum rationi videtur, cariori pretio emendum fore praedium maius, et Hierosolymae contiguum. Varia hucusque de valore illius pretii, quo Christus fuit venditus, Doctorum placita retuli, et quibus potui argumentis fulcivi; quodnam autem illorum verius sit, sapientis lectoris iudicio relinquo: illud solum dicens animum nostrum, nisi evidens in oppositum obsistat ratio, in communiorem, et magis receptam Doctorum sententiam semper propendere, adeo, ut quae alioquin mihi arriderent, sola novitate displiceant.

Verius tamen est, hos argenteos, quibus Christus Dominus venditus fuit, fuisse siclos: frequenter enim Hebraeos reperimus, pro eodem accipere argenteos, et siclos: aliquando tantum dicunt siclos, aliquando tantum argenteos, quandoque vero siclos argenti, idem tamen per haec significant, ut aperte constat ex secundo Regum, ubi Ioab de Absalone ita loquitur: *Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum balteum? qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis.* Hic utrobique, et pro argenti siclis, et pro argenteis in originali Hebraeo est, *Ceseph*, quod argentum significat. Septuaginta vero Interpretes utrobique habent, *siclos argenti*. Iosephus autem, *siclos*. Unde d. Hieronymus super illud Isaiae, *Mille vites mille argenteis*, ait nomini, *argenteis*, subaudiendum siclis. Et illud Hieremiae (c. 7): *Appendi ei argentum septem stateres.* Ne quis putaret per stateres, id est siclos, ut habet originale Hebraeum, et argenteos diversa numismata intelligenda esse, interpretatur, Prophetam emisse agrum decem, et septem siclis. Cum autem ex d. Hieronymi, et antiquissimi Iosephi sententia constet, siclum, et staterem esse semunciam, et valere quatuor drachmas Atticas, facile erit conicere, quanti aere nostro aestimatus sit, et emptus Dominus noster, nempe quindecim florenis argenteis, vel, quod idem est, duodecim scutis, quibus probabile est potuisse emi agrum in sepulturam peregrinorum, non autem triginta argenteis denariis, qui secundum Budaeum, tantum tres faciunt coronatos, secundum Scnalem vero, paulo amplius. Ego etiam testor Romae me vidisse in templo sanctae crucis argenteum unum ex illis, quibus Christus Dominus venditus fuit, et non videtur potuisse tunc esse maioris quantitatis, et valoris, quam praedicti: et similem alium testatur Budaeus ostendi Parisiis in Æde d. Ioannis Lateranensis. Illud tamen silentio non praetermittam, tanto pretio habitum fuisse Absalonem apud omnes, ut capilli solum capitis eius ducentis siclis venderentur, ut habetur (2. *Regum*); Christus autem Dominus Absalone pulchrior, Salomone sapientior: *Qui non rapinam arbitratus est, se esse aequalem Deo*, triginta argenteis venditus est.

Ceterum iam varia arcana, quae in hoc triginta argenteorum numero, quibus Christus Dominus appretiatus fuerat, ac recondita, quae delitescunt, sacramenta, diligenter referemus. Et quidem in primis sacrum fuisse hunc numerum trigesimum, aperte constat ex sacris litteris, et Pontificum decretis. Propter triginta iustos parcit Deus Sodomis: triginta benedictiones assignavit custodientibus divina mandata in Deuteronomio: mare aeneum, in quo sacerdotes lavabantur, templum ingressuri, triginta cubitorum funiculo circumductum in exterius commemoratur; arcae, vel etiam templi altitudo, et tabernaculi longitudo triginta cubitis mensuratur; trigesimo anno Ezechiel videns visionem Domini, iuxta fluvium Chobar prophetiae dona promeruit. Unde Gregorius (*super eundem Ezechielem*), ut ostendatur, ait, cuius auctoritatis sit Ezechiel in praedicatione, aetatis solidae fuisse describitur. Et d. Hieronymus observavit, quod Christus Dominus, licet Deus, et homo: *In quo omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi erant;* et qui ab initio, quo hominem induit, magno mortalium omnium stupore summa quoque miracula edere potuisset, destituit tamen, donec trigesimum attigit annum, et tunc incepit signa facere. Et hinc factum arbitror, quod quia haec

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Téllez

aetas maturum iudicium indicat, et hominum perfectionem ostendit, ut docuerunt Plato (*de rep. l.* 5), et Heraclitus, noluit Deus Iosephum, aut Davidem prius regni sceptrum suscipere, quam triginta attigissent annos, et ut Origenes, et Hieronymus testantur, apud Hebraeorum Rabbinos traditione cautum fuit, ne quis unquam auderet exordium libri Geneseos, vel Cantica canticorum, primaque octo capita Ezechielis, propter arcanos sensus legere, nisi trigesimum aetatis annum implevisset: nec Levitam, qui procedit ad ministerium ut faciat opera in tabernaculo testimonii, lex Moysis admitti permittit, nisi trigesimum aetatis numerum in annis consummasset. Hinc etiam est, sacros Canones decrevisse, neminem in Episcopum assumi, nec feminam in Abbatissam creari, ante triginta annorum aetatem. Simile quid invenitur apud Platonem, ubi ait: *Tempus nuptiarum, et regiminis ad trigesimum annum differri debet*. Sed ut ad rem propius accedamus, quae Patres in hoc genere argumenti sapienter excogitarunt, in medium producamus. Origenes explicans verba illa, *At illi statuerunt ei triginta argenteos: Tantam*, ait, *dationem constistituentes, quantos annos Salvator peregrinatus fuerat in hoc mundo. Triginta enim annorum baptizatus, coepit Evangelium praedicare; quasi Ioseph factus triginta annorum, ut erogaret frumenta fratribus suis.* Hieronymus (*in comment. eius. loc.*) indicat triginta argenteis Iudam fuisse contentum, quia totidem perdiderat ex effusione unguenti: sic enim ait: *Infelix Iudas, damnum quod ex effusione unguenti suscepisse credebat, vult magistri pretio compensare.* Rupertus (*sup. c.* 26. *Mat. de glor. et hon. fil. hom. lib.* 12) id explicatius dicens, ait, Iudam decimam partem eorum, quae dabantur in eleemosynam, solitum esse furari; et quia trecentorum denariorum, quibus ipse existimabat posse vendi unguentum, quo Magdalena Christum Dominum unxit, decima pars erant triginta argentei, ideo oblata sibi a sacerdotibus hac quantitate, quae sufficiens erat ad compensandum lucrum perditum, contentus fuit, neque maius ab eis expostulavit. Hanc execrandam Iudae cupiditatem, et avaritiam perpendens divus Leo Papa ait: *Non timoris perturbatione Christum deseruit, sed pecuniae cupiditate distruxit: amori enim pecuniae vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est iustitiae in illo corde vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum:* unde recte Poeta:

Quid non mortalia pectora cogit
Auri sacra fames?

Divus Ambrosius (*lib.* 1. *de Spiritu sancto cap.* 18), considerans pretium, quo Ioseph, et Christus venditi fuere, singulare sacramentum detexit, in triginta argenteis latens: *Utriusque*, ait, *contractus considerare convenit qualitatem: viginti aurei, quibus venditus fuit Ioseph, pretium servitutis, triginta aurei pretium crucis sunt. Denique non otiose Iudas Iscarioth unguentum illud trecentis denariis aestimavit, quod utique ipsius pretii definitione crucem videretur Domini declarare. Unde et Dominus ait: haec enim mittens hoc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Venditio igitur Christi mysterium continet crucis;* haec ille. Divus Augustinus (*lib.* 1. *q. Evangel. in Matt.* 26) aliud in eodem pretio adinvenit mysterium, dicens: *Quod Dominus triginta argenteis venditus est significat per Iudam Iudaeos iniquos, qui sequentes carnalia, et temporalia, quae ad quinque sensus pertinent corporis, Christum habere noluerunt, quod quia sexta mundi aetate defecerunt, sexies quinos eos, tanquam pretium venditi Domini, accepisse significatum est;* haec ille.

Huic tamen multiplici Patrum doctrinae addamus nos, olim praeceptum esse in Exodo, ut pro servo occiso a domino solverentur triginta sicli argentei, quo etiam pretio Ptolemaeus Philadelphus iussit manumitti servos Iudaeos, qui erant in Ægypto, ut tradit Iosephus (*lib. antiq.* 12). Ut ergo sacerdotes ostenderent, quantum Christum Dominum vilipenderent, non alio eum emere voluerunt, quam eo, quod pro vilissimo quoque mancipio in lege praescriptum erat impendi. Deinde consideratione dignum arbitror, numerum trigesimum luctui esse dicatum. Aaron sacerdotem vita functum planxit Israel humi prostratus triginta diebus, atque eius sororem Mariam finientem dies suos flevit omnis populus totidem diebus, lacrymis continuo manantibus. Sed et Moysen singularem Dei amicum luxit universa gens, plorans per mensem integrum, ut ipse de seipso prophetavit in trigesimo quarto Deuteronomii. Plutarchus ait, consuetudinem apud priscos fuisse, ut qui familiarium, aut cognatorum quempiam amisissent, statim Apollini sacra facerent, trigesimo post die Mercurio, animas a Cyllenio suscipi putantes. Apud Anglos etiam, Polydoro Virgilio attestante, per triginta dies defunctorum luctus durat. Vendi igitur Dominum triginta argenteis, indicium, et praesagium fuit, venditionem, et emptionem eius fuisse ad occisionem, et mortem, non ad vitam, ut in aliis accidit mancipiis, de quorum salute, et incolumitate emptores, et eorum domini soliciti valde esse solent. Argumentum etiam fuit, mortem Christi Domini in Ecclesia catholica continuis fletibus lugendam esse.

Ad haec duo arcana supersunt reseranda. Primum est; quid sibi velit, voluisse Dominum, ne pretium illud mitteretur in corbonam, sed illo emeretur ager in sepulturam peregrinorum? Respondet d. Hieronymus (*in Mat. cap.* 27) in haec verba: *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum; illi quidem fecerunt alia voluntate, ut aeternum impietatis suae relinquerent ex agri emptione monumentum. Ceterum nos, qui peregrini eramus a lege, et prophetis, prava eorum studia suscepimus in salutem, et in pretio sanguinis eius requiescimus; figuli autem ager appellatur, quia figulus noster est Christus.*

Sed audiamus divum Ambrosium in idem argumentum sic loquentem (*sup. cap.* 22. *Luc.*): *Evidenter itaque, dum pretium sanguinis a Iudaeorum gazophilaciis separatur, et ager figuli, eo quo venditur Christus, comparatur pecunia, dum is locus humandis peregrinorum reliquiis dicatur, et prophetiae impletur oraculum, et surgentis Ecclesiae mysterium revelatur. Ager enim, secundum divina praecepta, mundus hic omnis; figulus autem ille, qui nos formavit e limo, de quo habes in veteri testamento: quia finxit Deus hominem de limo terrae formandi per naturam, reformandi per gratiam, habens pro suo arbitrio potestatem. Nam, etsi propriis vitiis corruamus, per illius tamen misericordiam resumpto mentis spiritu, secundum Hieremiae oracula, reformamur. Pretium quoque sanguinis est pretium dominicae Passionis: ergo pretio sanguinis emitur mundus a Christo. Venit enim, ut salvetur mundus per ipsum, venit ergo, ut consepultos per baptismum, et commortuos Christo, ad perpetuam gratiam reservaret; sed non partim omnibus ad sepeliendum est locus; nam etsi omnes mundus includat, non omnes reservat: etsi communis habitatio, tamen legitima sepultura est, eorum scilicet, qui nunc sunt per fidem domestici Dei; sed fuerunt in lege peregrini. Qui sunt isti, nisi de quibus dicitur: memores estote, quod aliquando vos gentes, quae eratis in carne alienati a conversatione Israel, et peregrini promissionis testamentorum? Sed hi nunc iam non sunt advenae, atque peregrini, quoniam cives sanctorum esse fidei iure meruerunt.* Ac tandem, ad aperienda, et illustranda sacramenta, quae in praedictis verbis latent, non pigebit, egregia verba, tametsi non pauca, sapientissimi Abbatis Ruperti (*sup. c.* 26. *Matt.*), de gloria, et honore filii hominis, hic attexere; sic enim ille scribit: *In isto quoque facto quis dubitet, scitu dignum subesse mysterium? nos enim eramus peregrini, quippe, et quibus dicit Apostolus: Qui eratis illo in tempore sine Christo alienati a conversatione Israel, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo; et nunc quidem ait idem: iam non hospites, et advenae, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei. Verumtamen mutata peregrinatione peregrini sumus profitentes eum eidem, quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, et facientes, quod idem dicit. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Igitur illi emendo agrum figuli in sepulturam peregrinorum, sicut constituit mihi Dominus Domini Dei filius mysterium nobis operati sunt, et licet ignorantes, iustitiae Dei servierunt; in eo videlicet, quod sicut illi argentei non remanserunt traditori, qui vendiderat non suum, sic nec sibi pretium illud remanere passi sunt, qui bonum operarium, et vineae Dominum non de suo, sed de bonis eiusdem Domini de mercede eiusdem operarii emerant ad interficiendum. Erat autem corbona gazophilacium, et interpretatur Corbonan, oblatio, et proinde sic appellabatur, quia de oblationibus implebatur; quae nimirum oblationes ad ipsos perveniebant. Ne igitur ad illos illi argentei redirent, quibus et ipsum gazophilacium, et cetera omnia iuste tollenda erant, hoc providit Dominus, hoc constituit Dominus, ut emerent ex illis agrum iam dictum, qui vocaretur ager sanguinis in praesagium malum ipsis, bonum nobis. Ager quippe sanguinis tota est illis Ecclesia Christi, quae sanguinem illum usque hodie fideliter bibit, clamantem ad Deum adversus maledictos illos, secundum similitudinem sanguinis Abel iusti, de quo Dominus loquitur ad Cain. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; nunc igitur maledictus eris super terram, quae aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Quomodo autem in huiusmodi agro sepelimur, aut sepulti sumus nos peregrini? quis hoc nesciat? Quicumque baptizati sumus, ait Apostolus, in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.*

Tandem silentio non praeteribo, quod nomen ipsius proditoris, pecuniarum mercedem, quam a sacerdotibus accepit, prae se manifeste ferebat. Nam *Iscar*, unde nomen *Iscariotes* deductum est, significat mercedem. Triginta autem argentei merces fuerunt illius, ut Christum traderet Iudaeis: unde recte connumerari potest inter illos, de quibus Apostolus Thadaeus (*in sua Canonica*) ait: *Vae illis qui errore Balaam mercede effusi sunt:* nam sicut Balaam pro mercede sibi oblata populo Dei maledixit; ita Iudas pro pecuniaria mercede a principibus sacerdotum sibi praestita, ligni maledictioni Christum Dominum tradidit. Alii putant *Iscariotes*, deduci in Hebraeo ab *Is*, quod significat virum, et *charath*, quod significat perdere, seu, exterminare, quod cum proditione eius satis consentaneum est, cum execrandus extiterit proditor, et exterminator Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA III.

*De egressu Christi Domini in torrentem Cedron, ac de ferventi eius oratione in Horto; In illa verba (Ioannis capit.* 18): Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron: *et in illa:* Pater si possibile est, transeat a me calix iste (*Mat.* 26).

Postquam Christus Dominus surrexit a coena, narrat divus Matthaeus Evangelista, hymnum dixisse: *Hymno dicto*. Deinde divus Ioannes; *Egressus est in torrentem Cedron*. Ubi observandum est, quod ubi latinus Interpres legit, *hymno dicto*, graecus vertit, *hymno cantato*. Licet autem quibusdam interpretibus videatur, Christum Dominum hymnum dixisse in gratiarum actionem, ob coenam factam; verius tamen crediderim, id fecisse, ut gratularetur Deo, ob appropinquatum passionis tempus, cuius dilatio pientissima eius viscera adeo excruciarat, ut diceret ipse: *Baptismo habeo baptizari*, scilicet sanguinis, *et quomodo coarctor donec veniat?* Quod autem praedictum hymnum cantaverit, id sane fecisse arbitror in argumentum proclivitatis, et promptitudinis, quam praeseferebat in incessu ad mortem: nam ad quae quis rogatur, ut praestet, certe si rogata placent, respondet cantando, id faciam. Ut er-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aetas maturum iudicium indicat, et hominum perfectionem ostendit, ut docuerunt Plato (*de rep. l.* 5), et Heraclitus, noluit Deus Iosephum, aut Davidem prius regni sceptrum suscipere, quam triginta attigissent annos, et ut Origenes, et Hieronymus testantur, apud Hebraeorum Rabbinos traditione cautum fuit, ne quis unquam auderet exordium libri Geneseos, vel Cantica canticorum, primaque octo capita Ezechielis, propter arcanos sensus legere, nisi trigesimum aetatis annum implevisset: nec Levitam, qui procedit ad ministerium ut faciat opera in tabernaculo testimonii, lex Moysis admitti permittit, nisi trigesimum aetatis numerum in annis consummasset. Hinc etiam est, sacros Canones decrevisse, neminem in Episcopum assumi, nec feminam in Abbatissam creari, ante triginta annorum aetatem. Simile quid invenitur apud Platonem, ubi ait: *Tempus nuptiarum, et regiminis ad trigesimum annum differri debet.* Sed ut ad rem propius accedamus, quae Patres in hoc genere argumenti sapienter excogitarunt, in medium producamus. Origenes explicans verba illa, *At illi statuerunt ei triginta argenteos: Tantam,* ait, *dationem constituentes, quantos annos Salvator peregrinatus fuerat in hoc mundo. Triginta enim annorum baptizatus, coepit Evangelium praedicare; quasi Ioseph factus triginta annorum, ut erogaret frumenta fratribus suis.* Hieronymus (*in comment. eius. loc.*) indicat triginta argenteis Iudam fuisse contentum, quia totidem perdiderat ex effusione unguenti: sic enim ait: *Infelix Iudas, damnum quod ex effusione unguenti suscepisse credebat, vult magistri pretio compensare.* Rupertus (*sup. c.* 26. *Mat. de glor. et hon. fil. hom. lib.* 12) id explicatius dicens, ait, Iudam decimam partem eorum, quae dabantur in eleemosynam, solitum esse furari; et quia trecentorum denariorum, quibus ipse existimabat posse vendi unguentum, quo Magdalena Christum Dominum unxit, decima pars erant triginta argentei, ideo oblata sibi a sacerdotibus hac quantitate, quae sufficiens erat ad compensandum lucrum perditum, contentus fuit, neque maius ab eis expostulavit. Hanc execrandam Iudae cupiditatem, et avaritiam perpendens divus Leo Papa ait: *Non timoris perturbatione Christum deseruit, sed pecuniae cupiditate distruxit: amori enim pecuniae vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est iustitiae in illo corde vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum:* unde recte Poeta:

Quid non mortalia pectora cogit
Auri sacra fames?

Divus Ambrosius (*lib.* 1. *de Spiritu sancto cap.* 18), considerans pretium, quo Ioseph, et Christus venditi fuere, singulare sacramentum detexit, in triginta argenteis latens: *Utriusque,* ait, *contractus considerare convenit qualitatem: viginti aurei, quibus venditus fuit Ioseph, pretium servitutis, triginta aurei pretium crucis sunt. Denique non otiose Iudas Iscarioth unguentum illud trecentis denariis aestimavit, quod utique ipsius pretii definitione crucem videretur Domini declarare. Unde et Dominus ait: haec enim mittens hoc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Venditio igitur Christi mysterium continet crucis;* haec ille. Divus Augustinus (*lib.* 1. *q. Evangel. in Matt.* 26) aliud in eodem pretio adinvenit mysterium, dicens: *Quod Dominus triginta argenteis venditus est significat per Iudam Iudaeos iniquos, qui sequentes carnalia, et temporalia, quae ad quinque sensus pertinent corporis, Christum habere noluerunt, quod quia sexta mundi aetate defecerunt, sexies quinos eos, tanquam pretium venditi Domini, accepisse significatum est;* haec ille.

Huic tamen multiplici Patrum doctrinae addamus nos, olim praeceptum esse in Exodo, ut pro servo occiso a domino solverentur triginta sicli argentei, quo etiam pretio Ptolemaeus Philadelphus iussit manumitti servos Iudaeos, qui erant in Ægypto, ut tradit Iosephus (*lib. antiq.* 12). Ut ergo sacerdotes ostenderent, quantum Christum Dominum vilipenderent, non alio eum emere voluerunt, quam eo, quod pro vilissimo quoque mancipio in lege praescriptum erat impendi. Deinde consideratione dignum arbitror, numerum trigesimum luctui esse dicatum. Aaron sacerdotem vita functum planxit Israel humi prostratus triginta diebus, atque eius sororem Mariam finientem dies suos flevit omnis populus totidem diebus, lacrymis continuo manantibus. Sed et Moysen singularem Dei amicum luxit universa gens, plorans per mensem integrum, ut ipse de seipso prophetavit in trigesimo quarto Deuteronomii. Plutarchus ait, consuetudinem apud priscos fuisse, ut qui familiarium, aut cognatorum quempiam amisissent, statim Apollini sacra facerent, trigesimo post die Mercurio, animas a Cyllenio suscipi putantes. Apud Anglos etiam, Polydoro Virgilio attestante, per triginta dies defunctorum luctus durat. Vendi igitur Dominum triginta argenteis, indicium, et praesagium fuit, venditionem, et emptionem eius fuisse ad occisionem, et mortem, non ad vitam, ut in aliis accidit mancipiis, de quorum salute, et incolumitate emptores, et eorum domini soliciti valde esse solent. Argumentum etiam fuit, mortem Christi Domini in Ecclesia catholica continuis fletibus lugendam esse.

Ad haec duo arcana supersunt reseranda. Primum est; quid sibi velit, voluisse Dominum, ne pretium illud mitteretur in corbonam, sed illo emeretur ager in sepulturam peregrinorum? Respondet d. Hieronymus (*in Mat. cap.* 27) in haec verba: *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum; illi quidem fecerunt alia voluntate, ut aeternum impietatis suae relinquerent ex agri emptione monumentum. Ceterum nos, qui peregrini eramus a lege, et prophetis, prava eorum studia suscepimus in salutem, et in pretio sanguinis eius requiescimus; figuli autem ager appellatur, quia figulus noster est Christus.*

Sed audiamus divum Ambrosium in idem argumentum sic loquentem (*sup. cap.* 22. *Luc.*): *Evidenter itaque, dum pretium sanguinis a Iudaeorum gazophilaciis separatur, et ager figuli, eo quo venditur Christus, comparatur pecunia,*



*dum is locus humandis peregrinorum reliquiis dicatur, et prophetiae impletur oraculum, et surgentis Ecclesiae mysterium revelatur. Ager enim, secundum divina praecepta, mundus hic omnis; figulus autem ille, qui nos formavit e limo, de quo habes in veteri testamento: quia finxit Deus hominem de limo terrae formandi per naturam, reformandi per gratiam, habens pro suo arbitrio potestatem. Nam, etsi propriis vitiis corruamus, per illius tamen misericordiam resumpto mentis spiritu, secundum Hieremiae oracula, reformamur. Pretium quoque sanguinis est pretium dominicae Passionis: ergo pretio sanguinis emitur mundus a Christo. Venit enim, ut salvetur mundus per ipsum, venit ergo, ut consepultos per baptismum, et commortuos Christo, ad perpetuam gratiam reservaret; sed non partim omnibus ad sepeliendum est locus: nam etsi omnes mundus includat, non omnes reservat: etsi communis habitatio, tamen legitima sepultura est, eorum scilicet, qui nunc sunt per fidem domestici Dei; sed fuerunt in lege peregrini. Qui sunt isti, nisi de quibus dicitur: memores estote, quod aliquando vos gentes, quae eratis in carne alienati a conversatione Israel, et peregrini promissionis testamentorum? Sed hi nunc iam non sunt advenae, atque peregrini, quoniam cives sanctorum esse fidei iure meruerunt.* Ac tandem, ad aperienda, et illustranda sacramenta, quae in praedictis verbis latent, non pigebit, egregia verba, tametsi non pauca, sapientissimi Abbatis Ruperti (*sup. c.* 26. *Matt.*), de gloria, et honore filii hominis, hic attexere; sic enim ille scribit: *In isto quoque facto quis dubitet, scitu dignum subesse mysterium? nos enim eramus peregrini, quippe, et quibus dicit Apostolus: Qui eratis illo in tempore sine Christo alienati a conversatione Israel, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo; et nunc quidem ait idem: iam non hospites, et advenae, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei. Verumtamen mutata peregrinatione peregrini sumus profitentes cum eodem, quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, et facientes, quod idem dicit. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Igitur illi emendo agrum figuli in sepulturam peregrinorum, sicut constituit mihi Dominus Domini Dei filius mysterium nobis operati sunt, et licet ignorantes, iustitiae Dei servierunt; in eo videlicet, quod sicut illi argentei non remanserunt traditori, qui vendiderat non suum, sic nec sibi pretium illud remanere passi sunt, qui bonum operarium, et vineae Dominum non de suo, sed de bonis eiusdem Domini de mercede eiusdem operarii emerant ad interficiendum. Erat autem corbona gazophilacium, et interpretatur Corbonan, oblatio, et proinde sic appellabatur, quia de oblationibus implebatur; quae nimirum oblationes ad ipsos perveniebant. Ne igitur ad illos illi argentei redirent, quibus et ipsum gazophilacium, et cetera omnia iuste tollenda erant, hoc providit Dominus, hoc constituit Dominus, ut emerent ex illis agrum iam dictum, qui vocaretur ager sanguinis in praesagium malum ipsis, bonum nobis. Ager quippe sanguinis tota est illis Ecclesia Christi, quae sanguinem illum usque hodie fideliter bibit, clamantem ad Deum adversus maledictos illos, secundum similitudinem sanguinis Abel iusti, de quo Dominus loquitur ad Cain. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; nunc igitur maledictus eris super terram, quae aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Quomodo autem in huiusmodi agro sepelimur, aut sepulti sumus nos peregrini? quis hoc nesciat? Quicumque baptizati sumus, ait Apostolus, in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.*

Tandem silentio non praeteribo, quod nomen ipsius proditoris, pecuniarum mercedem, quam a sacerdotibus accepit, prae se manifeste ferebat. Nam *Iscar*, unde nomen *Iscariotes* deductum est, significat mercedem. Triginta autem argentei merces fuerunt illius, ut Christum traderet Iudaeis: unde recte connumerari potest inter illos, de quibus Apostolus Thadaeus (*in sua Canonica*) ait: *Vae illis qui errore Balaam mercede effusi sunt:* nam sicut Balaam pro mercede sibi oblata populo Dei maledixit; ita Iudas pro pecuniaria mercede a principibus sacerdotum sibi praestita, ligni maledictioni Christum Dominum tradidit. Alii putant *Iscariotes*, deduci in Hebraeo ab *Is*, quod significat virum, et *charath*, quod significat perdere, seu, exterminare, quod cum proditione eius satis consentaneum est, cum execrandus extiterit proditor, et exterminator Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA III.

*De egressu Christi Domini in torrentem Cedron, ac de ferventi eius oratione in Horto; In illa verba* (*Ioannis capit.* 18): Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron: *et in illa:* Pater si possibile est, transeat a me calix iste (*Mat.* 26).

Postquam Christus Dominus surrexit a coena, narrat divus Matthaeus Evangelista, hymnum dixisse: *Hymno dicto.* Deinde divus Ioannes; *Egressus est in torrentem Cedron.* Ubi observandum est, quod ubi latinus Interpres legit, *hymno dicto*, graecus vertit, *hymno cantato.* Licet autem quibusdam interpretibus videatur, Christum Dominum hymnum dixisse in gratiarum actionem, ob coenam factam; verius tamen crediderim, id fecisse, ut gratularetur Deo, ob appropinquatum passionis tempus, cuius dilatio pientissima eius viscera adeo excruciarat, ut diceret ipse: *Baptismo habeo baptizari*, scilicet sanguinis, *et quomodo coarctor donec veniat?* Quod autem praedictum hymnum cantaverit, id sane fecisse arbitror in argumentum proclivitatis, et promptitudinis, quam praeseferebat in incessu ad mortem: nam ad quae quis rogatur, ut praestet, certe si rogata placent, respondet cantando, id faciam. Ut er-

go significaret Dominus, quam spontaneus, ac libens ad mortem properaret, coepit cantare. Cantus tamen ille velut cygni iam iam moribundi modulatio, imminentis mortis praesagium fuit: sicut enim cygnus non nisi semel, et cum morti proximus est, cantat; ita Christus Dominus nusquam, nisi iam mortem obiturus, cantasse legitur. Subdit sacer Evangelista, egressum fuisse Dominum in torrentem Cedron, cuius non absque singulari mysterio meminit divus Ioannes. Primum, quia si, ut quidam existimant cum divo Thoma, Aymone, Lyrano, et aliis, Cedron dicebatur, quia erat flumen, utrinque cedris circumdatum, ad eum modum, quo quaedam Germaniae Insula, Cedri nominatur, quod cedrorum genere silvosa sit; unde idem est, trans torrentem Cedron, quod trans torrentem cedrorum, iuxta graecam vocem, quae pluralis genitivi est; non incongrue dicemus in transitu per torrentem Cedron, significasse Christum, ad rem valde memorandam, et aeterna memoria dignam condiciendam se properare: nam cedri quasi aeterna est materies, putredinis expers. Unde Latinum proverbium obtinuit digna cedro ea vocitare, quae posteritati consecrari merentur. Unde et Persius dixit: *Et cedro digna locutus:* et Horatius (*in art. poet.*):

Speramus carmina fingi posse linenda cedro.

Secundo, quia ut constat ex secundo, et tertio Regum, cedri in Hebraeo *Arezim* dicuntur, et obscuritatem significant: unde arbitror insinuari eximiam mysterii crucis, et passionis Christi caliginem, adeo ut gentibus stultitia, Iudaeis autem scandalum, divo Paulo id attestante, videretur: aut certe significabat, Iudaeorum corda adeo obscuranda fore, ut Dominum gloriae crucifigerent. Tertio, torrentem Cedron Christus Dominus pertransivit, ut indicaret se inundantium aquarum amarissimum torrentem transiturum, iuxta illud Davidicum (*Psal.* 109): *De torrente in via bibet.* Ipse ergo noctu discalceatus incedens, minime recusavit frigidissimas aquae undas pervadere, ut nos super aquas, quae supra caelos sunt, collocaret, et de torrente voluptatis sitientes potaret. Quarto, quia, tametsi, ut tradit antiquus Borchardus Terrae sanctae diligens inspector, infra agrum Hakeldemach contra Orientem fluat torrens Cedron, colliganturque in ipsum omnes aquae, quae tempore pluviarum in altiora quaeque loca circumadiacentia ab aere descendunt, nec longe a sepulcro Virginis audiatur strepitus eius sub terra ad locum istum properantis; est tamen torrens, ut adnotat divus Hieronymus, fluvius frequenter arescens, et torrens dictus a torrendo: ac propterea, licet ex aquis confluentibus rapidum cursum haberet, facile et breviter attenuabatur, et effluebat. Sic etiam exundantes Christi dolores, non perennes, sed brevi tempore duraturi erant; ea nempe celeritate transituri, qua torrentis fluxus rapiebatur, ita ut aquae lacrymarum eius penitus resurrectionis gloria exsiccandae, et crucis ignominia in summum gloriae splendorem, intra triduum non integrum commutanda foret. Quinto, si, ut ex Talmudica traditione quidam referunt, per subterranea loca sanguis ex altari holocaustorum in torrentem Cedron descendebat, ideo Christus Dominus pertransivit torrentem, significaturus, se, ut pro nobis effunderet sanguinem, et Deo Patri pro nobis in ara crucis verum holocaustum se offerret, celerius multo ac vehementius properare, quam sanguis holocaustorum ex altari ad torrentem Cedron subter labebatur.

Egressus tandem est Christus trans torrentem Cedron, ut quae de huius torrentis Cedron lugubri transitu, sacrorum voluminum monumenta adumbraverant, modo compleret. In primis namque, ut in sacra Genesos legimus historia: *Egressus fuit Isaac ad meditandum in agro, inclinata iam die.* Ubi quaedam translatio habet, *ad orandum*, alia, *ad exercendum.* Inclinata die ad vesperam, egressus est Isaac, ut oratione, ac rerum coelestium contemplatione maestitiam animi, quam de matre defuncta susceperat, leniret. Non aliter Christus Dominus cuius typum gerebat S. ille Patriarcha, *egressus est in agrum inclinata iam die*, utpote post coenam ad orandum, et laboriosum suae passionis, et reparationis nostrae opus inchoandum. Sed video hos egressus fine dissimiles: nam Isaac egreditur in agrum ad meditandum, ut animum recreare, et tristitiam, quam ob matris mortem conceperat, depellere posset; Christus vero exiit in agrum, non ut afflictum, et contristatum animum solaretur, sed ut propter miseram matris suae Synagogae mortem, et populi illius caecitatem magis tristaretur, et lacrymaretur. Legimus (2. *Reg.* 15). Davidem olim aperto capite, et nudis pedibus ad montem Olivarum pergentem, torrentem pertransisse summo animi moerore confectum, suisque militibus lacrymantibus ob persecutionem filii Absalonis, qui ob nimiam regnandi libidinem, et divitiarum cupiditatem necem illi parabat. David Rex mansuetus Christum Dominum regem mansuetissimum refert; inobediens vero Absalon, qui ex arbore pendens interiit, inobedientem Iudam, qui laqueo pendens se interemit, ad vivum exprimit. Christus ergo Dominus, velut alter David, suis militibus, hoc est suis discipulis stipatus, nudis pedibus, et aperto capite incedens, summo moerore confectus, Iuda spirituali eius filio, quem multis beneficiis cumulaverat, hostiliter ipsum persequente, relinquit Civitatem, et pertransit torrentem Cedron: in hoc tamen dissimilis Davidi, quod hic egressus est, ut fugeret a facie Absalon; at Christus Dominus egreditur, non ut fugiat a facie Iudae, sed potius ut in manus eius veniat: propterea namque Christus profectus est in locum, Iudae valde cognitum, ad quem, ut in eo oraret, consueverat Dominus frequenter confugere, ut refert d. Lucas. Legimus etiam (*lib.* 3. *Reg.* 16) angelum Eliae dixisse: *Vade, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, et ibi de torrente bibes.* Similiter Christus torrentem Cedron pertransit, de torrente passionis bibiturus. Carith idem est, quod exterminium; quod non incongrue adaptatur Christo in hoc egressu: siquidem persecutione Iudaeorum im-



minente, quasi exterminatus, et in exilium missus ab urbe in agrum proficiscitur, non eo certe solatio, quod Eliae angelus promiserat, dicens: *Corvis praecepi, ut pascant te ibi:* tempore enim passionis nullo cibo Christum Dominum recreatum fuisse legimus, immo cum gravi siti affligeretur in cruce pendens, calicem aquae frigidae denegavit Iudaeorum impietas, et acetum cum felle porrexit. Ipse autem nostrae salutis avidissimus, ut alter Iudas Machabeus, qui gravissimorum laborum torrentem pertransiens Timothei exercitum devicit, et inimicos omnes profligavit, torrentem passionis viriliter transilivit, ut mortis auctorem, et universi humani generis hostes deprimeret, ac penitus eorum vires enervaret. Sed memini, o bone Iesu, Salomonem olim praecepisse Semei, ut nec semel torrentem Cedron pertransire auderet, alioquin poena capitis plecteretur. Accidit autem, ut famuli quidam Semei fugerent, quos persequens ille, Salomonis violavit praeceptum, torrentem Cedron pertransiens: cuius ipse certior factus, poenam mortis contra illum executioni mandari iussit. Quomodo ergo, o amantissime Iesu, nos fugitivos servos quaerens, audes torrentem Cedron pertransire? Vereor sane, ne tanti constet tibi transitus iste, quanti constitit Semei, eo tamen excepto, quod Semei quantumvis iniquus, infami morte non multatur; tu vero turpissima quae tunc erat, crucis morte iniuste afficeris. Hic etiam Christi transitus in torrentem Cedron ob oculos mihi ponit sacramentum illud magnum Isaiae dicentis, quod Deus posuit super Christum iniquitates omnium nostrum: sicut enim (*lib.* 2. *Par.* 3) dicitur: *Iussu Ezechiae destruxerunt altaria, et universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subverterunt, et proiecerunt in torrentem Cedron, et omnem immunditiam, quam intro repererunt in domo Domini;* ita in Christum Dominum proiectae fuerunt peccatorum nostrorum immunditiae, ut pro nobis ipse satisfaciens, ab eis nos abstergeret, et mundaret.

Venit deinde cum discipulis suis, cum quibus, ut alter Iacob cum filiis suis multa in itinere agens; venit, inquam, in hortum Gethsemani, qui ad radices montis Oliveti positus erat, teste d. Hieronymo. Huius ergo in hortum adventus abdita mysteria iam reseremus. Primum quidem in hortum venit Sponsae vatis annuens, in hunc modum illum invitantis (*Cant.* 5): *Descendat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructus pomorum suorum.* Cuius loci ut germanam intelligentiam venemur, in memoriam revocare oportet infelix illud Paradisi pomum, cuius esus omnium calamitatum humanam naturam infestantium fons, et origo extitit: fructus enim illius dolor, tristitia, gemitus; immo et mors ipsa fuit, ut primo parenti praedixerat Deus: *In quacumque hora comederis, morte morieris.* Vocans igitur Christum Sponsa, ut veniat in hortum ad comedendum fructum pomorum, invitat sane illum, non sicut Eva olim Adamum, ut pomo illo mortifero vescatur, cum Sponsus eius ab omni peccato immunis, immo impeccabilis esset, sed ut acerbitatem antiqui illius pomi degustet, amaritudinem sentiat, ac super insipido eius gustu minime nauseet: *Venit secundo in hortum*, ut egregie adnotavit d. Cyrillus (*lib.* 11. *in Ioann.*), *ut ubi hominum ruina coeperat, ibi eiusdem reparatio exordium sumeret.* Hortus, inquit, erat, paradisum designans: ad pristina enim omnia recurrere oportebat, et ut in paradiso malorum omnium initium factum est; sic in horto Christi passio incepit, per quam a malis liberati in pristinum habitum restituti sumus; haec ille. In horto primum Adamum deviceral diabolus; in horto ergo a secundo Adamo vinci oportebat: in horto contractum fuerat ingens peccati debitum; in horto solvendum erat pretium: in horto propter vetiti cibi esam primus parens in lethalem morbum inciderat; et in horto pestiferum, quem ex eo suxerat humorem, per sudorem foras erat opus expelli: in horto ortum habuit mors; in horto ortum habet vita. *Ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret:* in horto sepulta fuit vita; in horto pariter sepeliatur mors, et vita resurgat: in horto terrenus Adam inobediens, et praevaricator inventus est; in horto Christus obediens adest, ut crucis mortem subeat: in horto Adam libere nimium agens in captivitatem seipsum, et suum genus secum adduxit; in horto Christus vinculis captus, et comprehensus libertatem nobis promeruit, et acquisivit: in horto Adam ne contristaret Evam suas delitias, comedit de vetito fructu; in horto Iesum contristando suam Evam, hoc est carnem, usque ad effusionem sanguinis de ligno mortis coepit degustare: in horto olim Adam a Deo se absconderat; in horto Christus non se abscondit, sed manifestum se prodit, locum a traditore Iuda probe cognitum eligens, ut adnotavit d. Ioannes (*cap.* 18), dicens: *Sciebat autem et Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Ac tandem, sicut in horto serpens fuit satanae organum ad interficiendum in anima, et corpore terrenum hominem; ita in horto Iudas, quasi apto organo usus est ad inferendam mortem homini caelesti. Et sicut serpens propterea, quod fuit satanae instrumentum, prae omnibus animantibus invisus homini est, ac maledicto, et exsecrationi obnoxius, Deo ipso illi dicente (*Gen.* 3): *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia;* ita Iudas prae omnibus hominibus, plurimis hisque gravissimis maledictionibus obruitur a Davide, dum (*Psal.* 108) ait: *Cum iudicatur, exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum: fiant dies eius pauci, et episcopatum eius accipiat alter.* E contra etiam in horto humanitatis Christi organum fuit, et instrumentum coniunctum divinitati ad nostrae reparationis initium, sicut postea in cruce fuit ad eius consummationem (*Ioan.* 19): *Consummatum est* dicens. Indeque apud angelos, et homines tantam benevolentiam conciliavit, ut nihil charius, quam illi inservire, eundem revereri, et super omnia diligere habeant. Venit tertio in hortum, qui drachmam perditam tibi quaerere oportebat, ubi perdita fuerat. Natura enim humana in horto perierat, et ideo Christus velut drachmam investigans,

aut sicut pastor ovem errantem quaeritans, venit in hortum, ut inveniat, et salvum faciat, quod perierat. Quarto venit in hortum Gethsemani, qui secundum Hieronymum interpretatur, *vallis pinguissima*, vel, ut aliis placet, *vallis pinguedinis, et olei mei*, quia inde pinguis vitulus egressurus erat ad pingue sacrificium Deo Patri in ara crucis offerendum, iuxta illud Davidis: *Sacrificium nostrum pingue fiat, et holocausta medullata offeram tibi.* Et quia oleum symbolum est misericordiae: Christus autem, de quo d. Paulus (*ad Tit.3*) dixit: *Quod non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit*, conferebat se tunc ad omnium excellentissimum misericordiae opus exhibendum: nam si misericordia est miseriam inopis sublevare, quo maior fuerit miseria, eo amplior erit misericordia, illius sublevatio. Cum ergo casus primi parentis fuerit omnium detestabilissima miseria, illius amotionem Christi morte praestitam, inter omnia misericordiae opera primum locum tenere consequens est. Legimus in libro Hester, quod rex Assuerus iratus contra Aman surrexit de loco convivii, et intravit in hortum arboribus consitum, ut et Aman perderet, et populum Dei morti adiudicatum liberaret; non secus certe Christus Dominus e convivii loco, ubi duplicem coenam, legalem, et sacramentalem celebraverat, Discipulis dicens (*Ioan.* 14): *Surgite eamus hinc*, surrexit diabolo iratus, nobis vero propitius, et in hortum multis arboribus consitum venit, ut illum velut Aman in patibulo crucis suspenderet, et genus humanum a misera eius servitute, et dira tyrannide liberaret. Praevidit denique hunc Christi Domini in hortum adventum comitantibus discipulis prophetico spiritu Zacharias, ut testatur ipse iuxta expositionem d. Hieronymi: *Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quae erant in profundo, et post eum equi rufi varii, et albi, et dixi: Qui sunt isti Domine? et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi, quid sint haec. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta. Isti sunt, quos misit Dominus, ut perambulent terram.* Vir iste Christum Dominum morti proximum significabat, quem super equum rufum vidit, quia sanguinis cruore corpus eius conspersum, rufum colore praeseferebat. Inter umbrosa myrteta iacebat: quia multis figuris, et umbris usque ad praefinitum tempus, quo illae cessarunt, operiebatur. Equi autem rufi, varii, et albi, qui illum sequebantur, Apostoli sunt, qui tunc ipsum comitabantur; albi quidam, quia virgines; rufi, quia martyres; varii, quia multi virgines, et martyres simul fuerunt, de quibus omnibus ipse interrogatus, qui essent? Respondit, destinatos esse ad perambulandam terram: quia ut testatur David: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.*

Inter hos tres erant, Petrus, Ioannes, et Iacobus, quos Dominus, quia maioris amicitiae amore prosequebatur, et eos fecerat in monte Tabor suae gloriae socios, et testes, voluit eosdem suae imbecillitatis inspectatores habere, quippe, qui memores illius gloriae, minus quam ceteri offendi poterant. Relictis ergo aliis discipulis secedens ad interiorem partem horti, secum duxit illos tres, de quibus (*Cant.* 8): *Qui habitant in hortis amici auscultant te;* discedensque ab illis quantum iactus est lapidis, orabat dicens (*Luc.* 22): *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Calix iste metaphorice mortem Domini significabat, per figuram, qua continens ponitur pro contento, estque sumpta a magistratibus, qui multis ad mortem damnatis porrigebant potionem, sive calicem lethalem: unde inter Athenienses Socrati data est potio cicutae, qua extinctus fuit, de quo Persius dixit:

> Barbatum hoc crede Magistrum dicere,
> Sorbitio tollit quem dira cicutae.

Phocioni quoque viro insigniter iusto, ut testatur Plutarchus in vita eius, porrectum est simile poculum; et cum carnifex cessaret, quod pecuniam non haberet pro pretio potionis, ipse Phocio pecuniam numerari fecit, qua emeretur, et assistentibus dixit, admonerent filium, ne minus in rempublicam propter suam mortem vellet esse benevolus. Erat etiam calix salutis, seu salutifer, de quo (*Psal.* 115): *Calicem*, inquit, *salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo:* et declarans quis sit ille calix, subiunxit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Ac ut medicus potione, et sectione venae externa tanquam baptismo sanare solet, ita passio nomine calicis, et baptismi designatur. Dicitur ergo calix, quia cito transivit illa mors, quae potio quaedam nutricis pro puero, vel capitis pro membris fuit.

Hoc supposito, varia, quae in his verbis delitescunt sacramenta, quae sancti Patres ea qua solent subtilitate, et pietate interpretantur, aperiamus. D. Hieronymus, et haec sit prima huius loci intelligentia (*sup. cap.* 9. *Isai.*), ita illum edisserit: *In passione: Si fieri*, inquit, *potest, transeat calix iste a me.* Qui locus hunc sensum habet. Si potest fieri, ut sine interitu Iudaeorum credat gentium multitudo, passionem recuso. Si autem illi excaecandi sint, ut omnes gentes videant: *fiat voluntas tua.* Idem (*in Matth. sup. haec ead. verb.*): *Postulat*, inquit, *non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Unde et signanter non dixit: Transeat a me calix, sed calix iste, hoc est populi Iudaeorum, qui excusationem ignorantiae habere non potest, si me occiderit, habens legem, et prophetas, qui me quotidie vaticinantur. Attamen revertens in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei Filiique confirmat: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Non*, inquit, *hoc fiat quod humano affectu loquor, sed propter quod ad terras tua voluntate descendi.* Non longe ab hac Hieronymi expositione recedit alia divi Hilarii (*can.* 3. *in Matth.*), quam his verbis tradit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Vellet quidem eos non pati, ne forte in passione diffidant, sed quo haereditatis suae gloriam, sine passionis difficul-*



*tate mereantur. Non ergo, ut non patiantur rogat, dicens: Non ut ego volo, sed ut quod Pater vult, bibendi calicis in eos ex se transeat fortitudo. Superius etiam dixerat: Transire a se calicem rogat. Nunquid ait: Transeat a me calix iste? Haec enim futura erat pro se timentis oratio. Sed aliud est, ut transeat deprecari. In eo enim, quod a se transit, ipse ille a molestia transeuntis excipitur. Qui autem, ut a se transeat, rogat, non ut ipse praetereat, orat, sed ut in alterum, id quod a se transit, accedat.* Dionysius Alexandrinus in hunc modum explicat praedictum locum: *Non est sensus*, inquit, *transfer calicem hunc a me, non adveniat mihi: nisi enim evenerit, transferri non poterit, sed sicut, quod praeterit, et intactum est, nec permanens, sic Salvator invadentem tentationem flagitat pelli.* D. Basilius (*lib.* 4.*contr.Eunom.*) alia incedit via in expositione huius loci. Ait enim, quod Christus Dominus probe agnoscens innumera peccata patranda in exsecutione suae passionis, et mortis, postulabat a Patre, ut si possibile foret, se mortem obire, absque tot peccatorum, et scelerum commissione, ita fieret, quia maiori dolore peccata hominum, quam propria vulnera illum afficiebant. Unde d. Ambrosius (*in cap.* 22.*Luc.*) dixit: *Doles Domine, et vere doles, non tua vulnera, sed nostra scelera:* et (*lib.*10.*sup. Luc.*) haec verba habet: *Ideo dixi, transfer hunc calicem a me: non quia Deus Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat.* D. Epiphanius (*haer* 69) aliam excogitavit intelligentiam: ipse enim (*in Ariomanitis*), et iterum (*in Anchoratu*) tractans haec verba: *Transeat a me calix iste*, cum obiecisset sibi quod dixisset: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et Petro dehortanti a morte dixerit: *Abi retro me satana*, respondet: *Qui ante mortem dixit de morte, vel ob hoc ipsum ne deprehenderetur mendax, non potuit precari, ut transiret poculum: sed provocat per hunc modum adversarium, quo illo opinante timere Salvatorem mortem, inducat ipsi mortem ad salutem morientibus per dispensationem. Idque paulo ante probat similitudine magni in inferiorem praeliantis, et quandoque fugam simulantis, ut inimicum provocet ad certamen, et ita eum perimat.* Eusebius Emissenus (*in pas. Dom.*) ponderans verba illa, *calix iste*, alium eruit sensum: ait enim, non dixisse Christum tantum: *Transeat calix*, sed, *calix iste:* quia ipse non recusabat mortem, sed quia volebat, quod executores eius non fuissent Hebraei, non renuebat bibere calicem, sed vellet, quod propinatores non fuissent Iudaei, quia erant ex populo Deo dilecto, et propter quos principaliter venerat in mundum, ut ipse dixerat: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt ex Israel.* Unde cum dixit Christus Dominus, *Transeat a me calix iste:* perinde fuit, ac si dixisset: Pater, novi, quod si comprehendor a Iudaeis, ipsi etiam ignominiose comprehendentur; si flagellor, ipsi acerrime flagellabuntur; si circumdederint caput meum corona spinea, ipsi ab hostibus immanissimis circumdabuntur: si tandem me crucifixerint, pene innumeri eorum crucibus affigentur. Transeat ergo non calix, sed iste, exhibitus scilicet, et propinatus ab eis. Hanc expositionem acceptat etiam Hieronymus (*lib* 3. *in Isai.*), versans verba illa: *Multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam.* D. Hilarius, et d. Basilius aiunt, per illa verba Christum rogasse Patrem, ut passionis calicem transferret ad plurimos martyres, virgines, et confessores, ita ut non solus ipse, sed alii permulti mortis calicem amore Dei biberent, et fructum sui calicis perciperent. Unde d. Basilius ait, martyres in virtute huius orationis Christi insatiabili siti ad martyrium properasse. Persimilis huic expositioni est alia divae Catherinae Senensis, ut s. Raymundus in eius vita refert. Aiebat enim, quod cum ante oculos Domini obversaretur obstinatio, et malitia hominum reproborum, qui se tanto fructu privabant, accensus amore salutis illorum, rogabat Patrem, ut parceret illis, transferens in eos fructus huius calicis: et quia sciebat id esse Deo possibile, dixit (*Marc.*14): *Abba Pater, omnia tibi possibilia;* coactus tamen amore iustitiae, addidit: *Sed non quod ego volo, sed sicut tu.* Aliam etiam interpretationem non contemnendam tradit idem beatus Raymundus ex eadem Catherina: dicebat enim, *transfer calicem hunc a me*, perinde esse, ac si dixisset: Tempus est, ut hunc calicem, quem ab instanti conceptionis meae per desiderium usque in hanc horam bibi, et tandem aliquando patiendo atrocissimam mortem, quam mihi paratam video, copiosissime hauriam, et ideo accelerari desidero: nam semel ebibitus transibit a me completa obedientia tua, et restituto tibi, o Pater, honore, et hominibus salute, quam perdiderant; ita ut haec verba complectantur vehemens, et intensum desiderium bibendi calicem: sicut illud (*Luc.* 22): *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar:* et illud: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Quem huius loci sensum illustriorem esse sancta haec virgo dicebat.

Verum licet has omnes veneremur expositiones, eam tamen arbitramur germanam magis, et litteralem, quam sequuntur d. Leo (*ser.* 5. *et* 7. *post med. de pass.*), Chrysostomus (*hom.* 84. *in Matth. tom.* 2), Theophylactus (*in Mat. cap.* 27), Origenes (*tract. in Matth. long. ant. med. t.* 2), Athanasius, Gregorius Nyssenus, Epiphanius (*l.* 2. *contr. haer.*), Cyrillus (*l.*4.*in Ioan.*), Anselmus (*dial. de virg.*), Damascenus (*l.* 3.*fid. ort c.*24), Tertullianus (*l.de fug. in pers.*), Beda, Ambrosius (*l.*10 *in Luc.*), et Hieronymus, ut ex eorum testimoniis constabit. Hi omnes Patres affirmant Christum Dominum hic tanquam verum hominem mortem refugisse, et secundum inferiorem portionem pro infirmitate humanae naturae ab eo susceptae mortem exhorruisse, et mori recusasse, et id indicant verba illa: *Pater si possibile est, etc.* ardens tamen eius erga Deum, et homines amor, illi ut satisfaceret, nos ut redimeret, vim naturalis affectionis superans, ac mira fortitudine devincens, subiunxit: *Sed non mea, sed tua fiat voluntas.* Unde et constanter se obtulit morti, quaerentibus hostibus occurrit, turbales confirmavit, proditorem osculi di-

gnatione suscepit, et quos poterat in nihilum redigere inimicos, humi prostratos erexit. Itaque cum naturale sit imminentem mortem formidare, et huiusmodi reformidatio ita conditioni humanae adhaereat, ut cum nulla sit coniuncta culpa; non est cur illam Christo Domino adscribere formidemus, dicente Paulo (*Hebr.*2): *Debuit per omnia fratribus assimilari, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Sed Patrum testimonia, quibus huic intelligentiae subscribunt, proferamus. D. Ambrosius: *Haerent*, inquit, *plerique hoc loco, qui tristitiam Salvatoris ad argumentum inolitae potius a principio, quam susceptae ad tempus infirmitatis inclinant, et naturalis sensum cupiunt retorquere sententiae. Ego autem non solum excusandum non puto, sed etiam nusquam pietatem eius, maiestatemque demiror: minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret; et sequestrata delectatione divinitatis aeternae, taedio meae infirmitatis afficitur.* Origenes: *Suscipiens*, ait, *naturam carnis humanae, omnes proprietates implevit, ut non in phantasia habuisse carnem existimaretur, sed in veritate, secundum quod in hoc loco orat calicem passionis transire a se, sed non sicut vult ipse, sed sicut vult Pater.* D. Chrysostomus (*in cat. aur. S. Thom. relat. sup* 33. *cap. Luc.*): *Quaelibet*, inquit, *ars verbis, et operibus ostenditur ab eo qui docet. Quia ergo Dominus venerat docturus nos quamlibet virtutem, ob hoc eadem dicit, et facit: unde quia iusserat verbis orare, ne intrarent in tentationem, hoc etiam opere docet: sequitur enim dicens: Pater si vis, transfer, etc. Non dicit si vis, quasi ignorans an Patri placeret, neque non magis ardua cognitio est hac cognitione paternae substantiae, quam ipse solus perspicaciter novit, secundum illud: Sicut novit me Pater, et ego novi Patrem. Neque hoc dicit quasi respuens passionem: qui enim comminatus est Discipulo volenti eius passionem impedire, ut satanam eum vocaret, post multa praeconia qualiter crucifigi volebat? Cur igitur ita dictum est, consideres quantum erat audire, quod Deus ineffabilis, qui quemlibet intellectum transcendit, voluit uterum subire virgineum, lac sugere, et humana quaeque pati? Quoniam ergo fere incredibile erat, quod erat futurum: primo quidem misit Prophetas hoc nunciantes, postea ipse indutus carne veniens, ut non phantasma putaretur, permittit carnem ferre naturales defectus, esurire, sitire, dormire, laborare, et affici, ob idque recusans mortem, veram humanitatem demonstrat.* D. Athanasius: *Geminum*, inquit, *hic velle ostendit, alterum quidem humanum, quod est carnis, alterum vero divinum: humanitas enim ob carnis fragilitatem recusat passionem; sed divinus eius affectus affectanter eam subiit, eo quod non esset possibile eum detineri a morte.* Gregorius Nyssenus, et Apollinaris asserit, *quod Christus non habuit secundum terrenam naturam propriam voluntatem, sed quod solum in Christo erat voluntas Dei, quae de coelo descendit. Dicat ergo, quam voluntatem vult Dominus nequaquam evenire?* Neque Deus aufert propriam voluntatem. Beda inquit: *Appropinquans etiam passioni Salvator infirmantium in se vocem sumpsit, ut cum hoc imminet, quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus, ut non fiat: quatenus per fortitudinem parati simus, ut voluntas conditoris nostri etiam contra nostram voluntatem fiat.* Ac tandem d. Hieronymus, qui in alios sensus declinasse videtur, hunc etiam amplectitur, dum subdit, ut recte adnotavit Iansenius: *Attamen revertens in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei, Filiique confirmat: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu: non inquit, hoc fiat, quod humano affectu loquor, sed propter quod ad terras tua voluntate descendi.* Volunt ergo sancti Patres, quod sicut infirmus amarae potionis calicem exhorret, et quadam, ut aiunt, velleitate bibere renuit, absoluta tamen voluntate propter corporis sanitatem illum ebibit: ita Christus Dominus calicem passionis in manu tenens, ipso dicente (*Ioan.*10): *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*, summam calicis amaritudinem praevidens, velleitate quadam, et inefficaci actu recusabat illum sumere; ad communem tamen sui mystici corporis salutem respiciens, naturalem carnis affectum supprimens, ac suffocans, bibere illum elegit. Contigit sane huic duplici voluntati Christi, quod in figura eius contigisse legimus duobus filiis Thamar, e visceribus matris egredi nitentibus: appropinquante enim matris partu, unus protulit prius manum, in qua obstetrix ligavit coccinum; illo vero retrahente manum, egressus est alter. Ita certe accidit Christo Domino, qui parturire volens redemptionem generis humani, appetitus sensitivus naturali affectione ductus mortem renuens extendit manum suam, dicens: *Si possibile est, transeat a me calix iste*; at portio superior voluntatis humanae Christi, charitatis coccino eum ligans, retraxit illi manum, et ipsa egressa est, dicens: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Certe quoties hanc vocem audio, auscultare mihi videor echo, seu soni repercussionem ab ore Christi progressam, et usque ad Patris pectus pervenientem, et inde in eundem Christum reflectentem. Dicebat ille: *transeat a me calix iste*, et reciproca vox echo respondebat: iste crucis calix citissime tibi propinabitur. Desiderium moriendi, quod habes, absque mora tibi implebitur. Sed insuper aiebat: *Sed non mea, sed tua voluntas fiat.* Fiat reddidit Patris echo, ac si diceret, executioni mandetur voluntas mea, ut moriaris pro redemptione generis humani. Similia verba et cum simili echo resonaverant antea, ut refert d. Ioannes: nam morti vicinus Christus Dominus sensus vocem exprimens, clamavit (*Ioan.* 12): *Et nunc anima mea turbata est, et quid dicam? Dicam*, repetit Patris echo, quid ego velim; adiunxit Christus: *Pater salvifica me ex hac hora. Hora*, respondit echo sonus, haec est, non te salvandi, sed morti tradendi. At ratio sensum dominans rursum dixit: *Pater clarifica nomen tuum. Tuum*, occurrit echo, hoc est, si moriaris, non solum meum, sed et tuum clarificabitur nomen.

Haec autem orans Christus Dominus *procidit*, ait d. Matthaeus, *in faciem suam*: ille,



scilicet, coram quo viginti quatuor caeli Seniores ceciderunt, ut testatur d. Ioannes. Multis aliis huius orationis circumstantiis silentio praetermissis, ut de solitudine loci, de separatione a Discipulis, de confidentia, de perseverantia, et similibus; de illa solum, quae ad humilitatem pertinet, cuius non absque singulari mysterio meminit Evangelista, ex professo disseramus. Quod olim verbo humilitatis indicium exhibuerat in oratione Abraham, dicens (*Gen.*18): *Etsi sim pulvis, et cinis, loquar ad Dominum*: id ipsum Christus Dominus in hac horti oratione opere ipso exhibet, implens illud Hieremiae vaticinium: *Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes*, scilicet, ut ab eo calix ille transiret. (2. *Reg.* 2) legimus Davidem pronum in terram orasse summo moerore affectum: *Deprecatus est David Dominum pro parvulo, et ingressus hortum iacuit super terram; venerunt autem seniores domus eius cogentes eum ut surgeret*: ita Christus Dominus ingressus hortum procidens in terram orat, non pro filio maiori, scilicet angelo, sed pro parvulo, et minori, nempe homine; verum seniores domus eius, non ut ad Davidem consolandum olim venerant, ad illum accesserunt, quin potius ab eo separati, et somno correpti, non vigilant, omnes dormiunt, adeo ut Dominus eis obiecerit: *Non potuistis una hora vigilare mecum.* Legimus etiam (3. *Reg.* 18), Eliam posito inter genua capite Deum orasse, quia haec corporis dispositio, utpote servorum propria, cum olim ad flagella aptabantur, maximam praeseferebat humilitatem; sed maiorem sine dubio praesefert, quod Christus oraverit *procidens in faciem suam*: sic enim eius facies non genibus, sed pavimento immediate adhaerebat.

Sed cur hac singulari caeremonia Dominus usus fuerit, plures, tam piae, quam graves occurrunt rationes. Prima: quia egressurus ab hoc mundo, ut iret ad Patrem, voluit terram salutare, et ultimum vale illi dicere, ideoque procidit in terram, illam deosculans. Secunda: quia cum osculum pacis symbolum sit, terram deosculans, significare voluit, merito Christi pacem obtenturam, ipso dicente: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Tertia: ut osculi signo ostenderet se regnaturum. Commemorant enim Livius (*lib.*10. *decade* 1), et Valerius (*l.* 5. *c.* 3), Iunium Brutum terram deosculatum, ut Romanorum regnum obtineret: ex oraculo namque agnoscens futurum illum regem, qui primus omnium matrem deoscularetur, continuo in terram concidit osculans illam, ut cecinit Ovidius (*lib.* 3. *fastorum*):

Ille iacens pronus, matri dedit oscula terrae.

Quarta: osculatur terram, quia prae ardenti moriendi desiderio pro communi omnium salute gratias illi refert, quod procreaverat funes eum ligaturos, spinas caput puncturas, arundinem pro sceptro in manu ponendam, ferrum clavorum, et lanceam, pedes, manus, et latus perforatura; vel certe osculatus est terram, quia illa futura erat arca, calix, et patina, quibus sanguis profundendus, et corpus ponendum foret. Quinta: quia ipse repraesentans omnium peccatorum personas, ut qui omnium delinquentium debita solvenda susceperat, et omnibus nostris sceleribus onustus incedebat, velut alter Manasses dicebat: *Non sum dignus videre altitudinem caeli*; aut, quasi alter Publicanus, *non audebat oculos ad caelum levare*, sed prae nimia tantorum flagitiorum turpitudine pronus in terram verecundia, et pudore suffundebatur, ut per Prophetam ipse praedixerat (*Psal.*43): *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me.* Sexta: in terram procidit, ut custodiat, et protegat illam: sicut enim, qui alium defendit, inter ipsum, et offensorem se interponit; sic sane Christus tanquam mediator Dei, et hominum inter ipsum, et terram, pronus in illam se constituit, ut illam protegat, et incolumem servet. Septima: quia olim iratus terram maledixerat (*Gen.*3): *Maledicta terra, tribulos, et spinas germinabit tibi*; nunc vero deposita ira, terram pretioso vultus sui tactu benedicere tentat. Octava: quia cum Deus fecerat hominem ad similitudinem suam, et pulchram, quam in eo impresserat sui imaginem, ipse infecerat ac deformaverat homo, iterum Deus, in eam faciem suam quasi sigillum imprimens, restaurare contendit, et in pristinam pulchritudinem reducere. Quia cum dicat Isaias (*c.*33): *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum*, et hae fuerint gravissimi, et intolerabilis ponderis, inde est, ut sacrosanctum illud corpus ita oppresserint, ut in terram pronum prosternerent. Sed non immerito quispiam forsan interrogabit, quare orans Moyses brachia extendebat, et manus ad coelum levabat; Christus autem Dominus *procidens in faciem suam*, pronus orabat in terram? Huius certe illam praecipuam crediderim rationem assignari posse, quod Moyses tunc favores de caelo, ac singularia beneficia expectabat, unde manus extendebat, quasi illis ea sibi collecturus, ac suscepturus; Christus autem cum tempore passionis coelestibus solatiis non esset cumulandus, sed potius multis doloribus afficiendus, non manus extendit, sed corpus, aptans se ad flagella nostris peccatis debita patienter sustinenda.

## HOMILIA IV.

*De tristitia Christi Domini in horto, ac de confortatione ab angelo ei facta in illa verba*: Tristis est anima mea, (*Matt.* 26): *et illa*: Apparuit illi angelus de caelo confortans eum (*Lucae* 22).

Tametsi Christus Dominus ab instanti suae conceptionis essentialem beatitudinem habuerit, ut unanimi consensu testantur omnes Ecclesiae Patres; et quamvis etiam d. Thomas (1. 2. *q.* 38. *a.* 4) doceat tristitiam mitigari per contemplationem, a qua nec per momentum cessabat anima Christi; nihilominus tamen, cum summo gaudio summam habuit coniunctam tri-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stitiam, in cuius figura d. Ioannes angelum vidit uno pede terram calcantem, altero mare tangentem. Angelus iste Christum exprimebat, quem magni consilii angelum Isaias vocat. Pedes affectus cordis, quibus anima incedit, significant. Ipse ergo terrae promissionis, hoc est beatitudini summo alacritatis affectu inhaerebat, pariterque peramarum contritionis mare tristitiae pede calcabat. Hanc tristitiam animae Christi tametsi beatae, vere illi infuisse, praeterquam clare ostendit Hieremias, dicens (c. 14): *Attamen caro eius dum vivit, dolebit, et anima ipsius super ipso lugebit:* illud etiam Isaiae palam facit, dicentis (c. 53): *Vere dolores nostros ipse tulit, et languores nostros ipse portavit:* vere dixit, ut intelligas, non ficte, ut corpori accidit phantastico, sed proprie, et vere tristatum fuisse. Unde David, ut indicaret tristitiam hanc non fuisse apparentem, sed veram, et ex corde, Iudam increpat, quod hominem compunctum corde persequutus fuerit (*Psal.* 118): *Et persecutus est*, ait, *hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare.* Itaque sicut Philosophi duplicem aereae regionis partem distinguunt; unam supremam ipsi ignis regioni propinquiorem, quae summa fruitur serenitate, nullisque peregrinis impressionibus afficitur; alteram inferiorem, terrae magis proximam, in qua pluviae, et grandines generantur, variisque tempestatibus undique concutitur: ita plane in eadem Christi anima duplicem portionem agnoscimus, superiorem scilicet, quae summa tranquillitate, et beatifico gaudio perfruebatur; alteram inferiorem, quae summa tristitia angebatur. Advertere tamen oportet, quod quamvis in Christo Domino vera tristitia fuerit, illa tamen non erat passio, sed propassio, hoc est loco passionis: passio enim saepe solet praevenire, aut impedire usum rationis, quod Christo Domino minime unquam accidit, ut Patres adnotant, ponderantes Evangelistam consulto dixisse, quod *coepit tristari, et moestus esse;* unde Origenes: *Considera*, ait, *quia non dixit tristabatur, et taediabatur, sed coepit tristari, et taediari.* Quale autem sit hoc discrimen, arbitror dicendum in eo consistere, quod tristitia Christi non anteibat eius rationem, sed ratio potius praeveniebat, et dominabatur ei, ita ut animum eius invictum nunquam invaderet, sed accersita veniret, et vocata ab illo: adeo ut si ipse non coepisset tristari, tristitia minime illum vexare coepisset. Acute satis id explicuit Ioannes, dum referens turbationem Christi Domini in morte Lazari, non dixit turbatum illum, sed *infremuit, et turbavit semetipsum*; quasi diceret, non invasit eum turbatio, sed ipse turbationem elegit, non illum moestitia excitavit, sed ipse excitavit eam: unde divus Damascenus (*li.* 3. *de orthod. fide cap.* 10) ait: *Naturales nostrae passiones secundum naturam, et super naturam fuerunt in Christo: secundum naturam quidem, nam movebantur in ipso, quando sinebatur carni, ut pateretur propria; super naturam vero, quod non praecedebant in Domino voluntatis naturalia. Nihil enim in ipso coactum conspicitur, sed omnia spontanea. Volens enim esurivit, volens timuit, et volens mortuus est:* et d. Thomas (3. *p. q.* 15. *a.* 4): *Sciendum*, inquit, *est, quod huiusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obiectum, quia in nobis plerumque huiusmodi passiones feruntur ad illicita; quod in Christo non fuit. Secundo quantum ad principium, quia huiusmodi passiones frequenter in nobis praeveniunt iudicium rationis; sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Tertio quantum ad effectum, quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem; quod in Christo non fuit, quia motus naturaliter humanae carni convenientes, sic ex eius dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere, quae conveniebant.* Cum hac autem ingenti Christi tristitia simul fuit timor vehemens, seu pavor, dicente d. Marco, quod *coepit pavere, et taedere.* Et licet Aristoteles putarit timorem non habere locum, nisi ubi adest spes aliqua evadendi malum, quod timetur; fallitur tamen: quia sola fuga mali alicuius futuri est verus timor, quantumvis vitari non possit: hoc enim potius illum auget, et reducit ad specialem gradum, qui constituit stuporem, ut indicant d. Damascenus (*lib.* 2. *de fide c.* 15), et Gregorius Nyssenus (*lib.* 4. *phil. c.* 4): unde quamvis Christus Dominus nullam haberet spem evadendi malum mortis, potuit futuram eius acerbitatem vere timere.

Illud tamen diligenti examine indiget, quomodo cum sacra Scriptura non pugnent, immo et cum magnanimitate, et summa Christi fortitudine, tristitia, et pavor, similesque affectus angoris, et taedii, quos sacri Evangelistae illi adscribunt, conveniant. Nam in primis Salomon dixit (*Prov.* 12): *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit*, et iterum (*cap.* 28): *Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit:* et Lyricus:

> Iustum, et tenacem propositi virum
> Non civium ardor prava iubentium,
> Non vultus instantis tyranni.
> Mente quatit solida etc.
> Si fractus illabatur orbis,
> Impavidum ferient ruinae.

Huc facit, quod d. Augustinus loquens de d. Paulo dicente (*ad Phil.* 1): *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*, ait: *Non enim fortior est miles, quam Imperator: miles ergo coronandus gaudet mori, et Dominus coronaturus timet?* Refert etiam Olaus Magnus fortissimum quendam virum nomine Estarchaterum, cui tanquam benemerito de sua republica, eo quod infestissimum quendam eius hostem occiderat, multum auri, et argenti ipsa respublica ei donaverat, ipse vero semper eo animo aurum illud secum portabat, ut praemio eum afficeret, qui ipsum viriliter invadens interficeret, indignum arbitrans senio confectum, et senectutis morbo laborantem, e vita discedere. Narrant etiam Historici, Socratem ad mortis suae nuncium nihil expavisse, sicut nec Seneca timuit quod diligenter Nero nuncio ad eum misso mortem ei machinaretur. Quamplures item pro patria mortem alacriter tulisse Machabaeorum libri testantur:



d. Andream, Ignatium martyrem, Hispanum Laurentium, crucem, leones, ardentes prunas non solum non exhorruisse, sed incredibili gaudio haec tam acerba tormentorum genera tolerasse, omnes recte norunt; quin et tenellae virgines tanta fortitudine viguerunt, ut intrepide tyrannorum tribunalia adirent, ut pro Christi amore atrocissimis suppliciis excarnificarentur. Qui ergo fieri potest, ut ipse trepidet, tristetur, paveat, et taedeat ob instantem mortem; maxime quod Petrum illam impedire volentem satanam vocaverit, ipseque etiam tam illam ardenter desideraverit, ut diceret (*Luc.* 12): *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, donec veniat?* Qui autem aliquid desideravit, illo iam appropinquante, non tristatur, sed gaudet, quia proxima est possessio rei desideratae. Deinde si dux ita pavet, morte imminente, milites etiam pavescent, et exemplo illius animo cadent. Quae obiectiones nos compellunt, ut studiosa inquisitione causas, propter quas Christus Dominus tristari, et pavere voluerit, diligentius indagemus.

Prima causa sit: quia certum est, adultum peccatorem absque poenitentia iustificari non posse: unde Christus Dominus dixit (*Luc.* 13): *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis;* et d. Petrus (*Act.* 3): *Poenitemini, et baptizetur unusquisque vestrum:* et divus Paulus (2. *Cor.* 7): *Tristitia, quae secundum Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Certum etiam est, non qualemcumque poenitentiam sufficientem esse ad expianda peccata: Esau enim, ait Scriptura, non invenit poenitentiae locum, etiamsi cum lacrymis quaesivisset. Saul etiam, ut sacra Geneseos narrat historia, doluit, quod Samueli non obedisset; et tamen constat esse relatum in numerum reproborum. Christus ergo videns imbecillitatem liberi arbitrii ad eliciendum actum contritionis, sine quo in lege naturali, et scripta peccatores adulti non iustificabantur, voluit ipse pro nobis conteri, tristari, et dolere, ut illo suo summo dolore virtutem sacramento poenitentiae impertiens, parvitatem, et insufficientiam nostri doloris suppleret, ita ut ex attritis contritos faceret in lege gratiae, per sacramenta ab eodem instituta. Licet enim quidam Doctores putaverint, non sufficere solam attritionem cum sacramento, ad obtinendam remissionem peccati, sed necessariam esse contritionem; mihi plane videtur id esse contra expressam definitionem Concilii Tridentini: nam de attritione agens ait (*ses.* 14. *c.* 14): *Et quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit.* Itaque Christus Dominus non solum propter imminentem mortem, sed propter omnium nostrum peccata doluit, ut egregie adnotavit Angelicus Doctor (3. *p. q.* 46. *a.* 6. *ad quartum*) dicens: *Christus non solum doluit pro amissione vitae temporalis, sed etiam pro peccatis omnium aliorum, qui dolor in maiori sapientia, et charitate processit, ex quibus dolor contritionis augetur; tum etiam, quia pro omnibus peccatis simul doluit, secundum illud Isaiae: Vere dolores nostros ipse tulit:* et infra subdit: *Christus voluit genus humanum liberare, non solum potestate, sed iustitia; ideo non solum attendit, quantam virtutem dolor eius haberet ex divinitate unita, sed etiam quantum dolor eius sufficeret secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem;* haec ille. Memini s. Ioannem Climachum (*cap.* 5. *de poen.*) de quodam monacho referre, quod cum in peccatum non nimis grave prolapsus fuisset, tam vehementem concepit dolorem, ut prae nimia tristitia intra dies octo vitam finierit. Et Historiographus vitae sancti Vincentii Ferrerii nobis rem narrat memorandam. Ait enim, quod cum quidam poenitens grave peccatum incestus confiteretur, et ipse certum ei poenitentiae genus per septennium duraturum imposuisset, adeo illum contritum, tantoque prae turpitudine illius peccati angore fuisse affectum, ut exiguam illam poenitentiam, vel satisfactionem iudicans, dixerit: Nunquid nullam aliam exhibens satisfactionem salvari potero? Sanctus Vincentius eximiam eius contritionem perpendens, respondit, minorem etiam exhibens, salvaberis, ac propterea non aliam tibi impono, quam tridui ieiunium in pane, et aqua. Verum ille replicans subiecit: *Nunquid, pater sceleratus adeo homo tam levi poenitentia aeternas flammas evadet? Etiam fili*, adiecit Sanctus, *quamvis non nisi ter Dominicam recitaveris orationem.* Quo audito divinam bonitatem, quam offenderat, admirans, et stupens tam ingens contritionis dolor illum invasit, ut Dominicam orationem recitans feliciter mortem obierit. Si ergo peccatores divino tantisper lumine irradiati ad turpitudinem peccati, et divinae bonitatis cognitionem ita tristantur, et conteruntur; quid mirum si doluerit, et tristatus fuerit Christus Dominus, nostra peccata considerans, qui ita probe divinae bonitatis inexhaustum pelagus cognoscebat, et peccati foeditatem intime adeo percallebat? Si Davidem iniuriae Deo factae adeo vexabant, ut non solum tristaretur, sed et moerore contabesceret, ut ipse testatur, dicens (*Psal.* 118): *Vidi praevaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt;* quomodo tot, ac tam ingentia hominum flagitia non afficerent summo dolore Christum Dominum, in quo divini honoris zelus viguit? adeo ut per Prophetam dicat (*Psal.* 68): *Zelus domus tuae comedit me;* quo nil in hoc genere maius dici potuit: nam si comedens in substantiam suam convertit cibum; certe zelus comedens Christum, oportet ut illum in se convertat, atque adeo non solum ipse erit habens zelum, sed et zelus ipse. Ex quo facile conicies, quam ingentem propter nostra peccata conceperit dolorem. Id autem satis ostendunt graeca verba: nam ubi latinus interpres vertit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, graece legitur: *Tristitia undique obsessus est animus meus:* iuxta quod praedictum fuerat (*Psal.* 114): *Circumdederunt me dolores mortis.* Illa autem verba, *usque ad mortem*, licet Origenes, et Hilarius exponant, ut significent praefixum tempus, ultra quod non erat protendenda tristitia, ut inde nonnihil solatii capesscrent Discipuli; tamen d. Hieronymus hanc expositionem non reprobans, illam magis germanam putat, ut Chri-

sti tristitia mortis moerore non fuerit inferior, et mortis doloribus aequari potuerit.

Secunda causa tristitiae in anima Christi fuit, quod singula tormenta, et ludibria ignominiosa pariter, et acerbissima crucis mors, quam perpessurus erat, vivaci quadam eorum consideratione illi occurrebant, non seorsum, et separatim, prout infligenda erant, sed simul, et aggregatim; et non a longe, ut in instanti conceptionis, sed ut iam vicina, et proxima: nam licet divus Hieronymus (*in cap. 26. Matth.*) dicat: *Contristabatur non timore patiendi, quia ad hoc venerat, ut pateretur, et Petrum timiditatis arguerat, sed propter infelicissimum Iudam, et scandalum omnium Apostolorum, et eiectionem populi Iudaeorum, et eversionem miserae Hierusalem:* et divus etiam Ambrosius (*in c. 22. Luc.*) asserat: *Tristis erat non pro sua passione, sed pro nostra dispersione;* hi tamen Patres solum volunt Christum Dominum non fuisse tristatum propter mortem tanquam sibi involuntariam, cum libere ipse illam acceptasset: unde divus Cyrillus (*lib. 4. in Ioan. c. 1. in init.*): *Ea enim ratione*, ait, *qua Verbum Dei Deus est, et ipsa naturaliter vita, nemo ambiget, quod nullo modo mortem formidavit. Caro autem factus permittit carni, ut sua patiatur; et ideo ut vere homo praesentem iam in ianuis mortem timescit.* Ut tamen haec tristitiae causa ob imminentem mortem melius percipiatur, in memoriam revocare oportet id, quod Apophtegmata de quodam insigni Philosopho referunt. Cum enim ille navigaret, ingruente tempestate, et periculo submersionis, qui aderant, omni terrore deposito sibi animum mutuo faciebant; Philosophus vero prae tristitia contabescens penitus animo ceciderat. Admirati alii omnes obiiciebant: *Nos tametsi litteras non didicerimus, et philosophiae ignari simus, mortem non formidamus, et tu philosophus cum sis, et inter sapientes connumereris, pavido animo es, et mortem pertimescis?* Quibus ipse sapienter respondit: *Immo, quia philosophus sum, probe agnosco, quanti viri sapientis vita habenda sit, et quam ingens nocumentum atque iacturam eius amissio reipublicae ingerat, et ideo imminentem meam mortem doleo, cuius vita multis profutura foret, vestra autem omnium vita, quae nullius prorsus utilitatis est, non est cur illam amittere pigeat.* Sic sane in proposito non est, cur tristitia pusillanimitati, et animi deiectioni, quae longe a Christo abfuit, adscribatur, sed sapientiae potius tribuendum, qui cum sapientia Patris esset, recte noverat inaestimabile propriae suae vitae pretium, et quam esset eius amissio dolenda. Unde egregie d. Thomas (3. *p. q.* 46. *a.* 6. *ad* 4) dixit: *Vita corporalis Christi fuit tantae dignitatis, et praecipue propter divinitatem unitam, quod de eius amissione, etiam ad horam, magis esset dolendum, quam de amissione vitae alterius hominis per quantumcunque tempus.* Unde et Philosophus dicit (*Ethicorum cap.* 6): *Virtuosus tanto plus diligit vitam suam, quanto scit eam esse meliorem, et tamen eam exponit propter bonum virtutis.* Sic Christus vitam suam maxime dilectam exposuit propter bonum charitatis, secundum illud Hieremiae (*c.* 12): *Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum eius.*

Tertia causa tristitiae Domini fuit illa, quam his verbis assignavit Ambrosius (*lib.* 10. *in Lucam c.* 22): *Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam laetitiam largiretur, et vestigiis nostris descendit usque ad mortis aerumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam.* Timoris autem causam arbitror fuisse, ut nostram infirmitatem, pavorem scilicet, et timorem assumens, sua fortitudine nos indueret: ad eum certe modum, quo Saul propriis armis se expolians illa tribuit David: vel certe sicut alter Achilles galeum et thoracem deponens, Patroclo, ut ad bellum audacem redderet, illa imposuit: unde d. Leo (*ser.* 2. *et* 3. *de Passione alias* 7): *Poenalis*, inquit, *experientiae metum subeundo pellebat nostrae infirmitatis affectus:* et (*serm.* 1. *de Passione*): *Dominus*, ait, *nostro pavore trepidat, ut susceptionem nostrae infirmitatis indueret, et nostram inconstantiam suae virtutis soliditate vestiret:* et d. Bernardus (*ser.* 1. *de s. Andrea*) eandem causam timoris in Christo perpendens ait: *Agnosco plane in duce belli pusillanimorum trepidationem; agnosco aegroti vocem in medico; agnosco infirmantem gallinam cum pullis; considero charitatem, stupeo ministrationem, expavesco dignationem:* et (*infra*) subdit: *Misericors Dominus non b. Andreae robustum sibi suscepit affectum: quid enim magnum fuerat Domine Iesu, si accedente hora propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam, et nemo eam tollebat a te? An non longe gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret, et quos vivificabat mors tua, nihilominus et trepidatio robustos, et moestitia laetos, et taedium alacres, et turbatio quietos faceret?* Quibus consonant verba d. Leonis ubi supra: *Ego de tuo fui trepidus, tu de meo es securus.* Ac tandem illud idem satis aperte indicant verba Zachariae magni Baptistae parentis: *Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.* Ut enim mortem assumpsit, mortem nostram destructurus, sic timorem induit, ut nostrum timorem a nobis fugaret. Versabatur quidem in mundo mors, ferocissimo leone ferocior, et tremendo fremitu rugiebat: leone autem rugiente quis non timeret? Volens autem Deus nos ab illius pavore liberare, noluit interficere penitus mortem: id enim non expediebat usque ad universalem resurrectionem, dicente Paulo (1. *Cor.* 15): *Tunc novissime inimica destructur mors.* Sed tamen quod in morte peius ac detestabilius erat, ferocitatem scilicet, et immanitatem labefactavit, relinquens eam in mundo velut leonem mansuetum, ita ut dorsum eius manu pertingere inermes pueri audeant, ac delicatae foeminae non perhorrescant. Huius veritatis mirabilem arbitror figuram, quod Genesis secundo dicitur, Deum ab Adam extraxisse costam, et loco illius immisisse carnem (*Gen.* 2): *Et replevit*, ait, *carnem pro ea.* Sicut ergo in formatione mundi, mollem carnem posuit Deus Adamo loco solitae costae, ita in reformatione eiusdem posuit in secundo Adamo, Christo scilicet Domino, infirmitatem nostrae carnis, et nobis costam suae fortitudinis contulit. Referunt Historici naturales, de leonis natura pertractantes, in superiori medietate corporis illius, capite scilicet, brachiis, et pectore, speciali ratione solem praedominari, et ratione eiusdem symbolum esse imperii, et fortitudinis; in inferiori autem medietate praedominari aiunt elementum terrae, a quo timorem contrahit, et infirmitatem participat. Unde cum mira illa fortitudine timor et pavor in eo agnoscitur: adeo ut et gallum pertimescere, immo et quercus folia si videat, continuo trepidare, iidem historici asserant. Christum Dominum leonem esse disertis verbis scripsit d. Ioannes, dicens: *Vicit leo de tribu Iuda.* In hoc ergo leone duplicem naturam, divinam, et humanam fatemur, cum hoc tamen inter alia discrimine, quod ratione divinae, quae potior est, summa fortitudo inerat; ratione vero humanae timorem infuisse nemo catholicus ambigere potest. Unde manifestum est, fortitudinem a se, timorem a nobis mutuasse.

Quartam huius tristitiae causam arbitror fuisse, quod anima Christi per scientiam infusam praevidebat, quam paucis profutura esset acerbissima eius passio, et quam multi inaestimabile sanguinis pretium propter illos effusi nihili habituri essent: unde ipse conqueritur per Prophetam (*Psal.* 21): *Sicut aqua effusus sum.* Sicut enim aqua propter immunditiam aut foetorem contractum in terram effusa nihil inutilius habetur, et ideo eius iacturam nemo dolet, alioquin dolendum, si alius pretiosus liquor effunderetur; ita sane ait Christus Dominus, non secus sanguinem meum vilipensum iri praevideo ac aquam sordidam, quae propter immunditiam et sorditatem in terram proiicitur, non iterum colligenda. Huc facit illud Ecclesiastici (*Ecc.* 2): *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus haeredem post me quem ignoro, utrum sapiens, an stultus sit* Si ergo haeredi, quem ignoret, an sapiens, vel stultus futurus sit, substantiam suam relinquens vehementer dolet, timens ne illam dissipet, ac disperdat; quam acerbum putabimus Christi dolorem, qui certo ac evidenter praecognoscebat, innumeros prodigos filios habiturum, qui substantiam pretiosi sanguinis, ac meritorum tanti Patris dissipaturi erant, et in grave sui nocumentum eis abusuri?

Quintam huius tristitiae causam assigno, quod dolores omnes, quibus beata Virgo ob Filii mortem, martyres ob eius fidem, confessores ob eius amorem afficiendi erant, praevidens, summo compassionis affectu angebatur. Si enim Paulus ita compatiebatur afflictis, ut diceret (2. *Cor.* 21): *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* quis in dubium revocabit, Christum Dominum simili compassionis affectu tristatum fuisse? maxime eodem Paulo dicente (*ad Hebr. cap.* 4): *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris:* erat enim caput, et proprium capitis est compati super infirmitatem corporis. Fuisse autem hanc Christi Domini compassionem illa b. Pauli, et quorumcumque aliorum intensiorem et vehementiorem, ex eo haud difficulter deprehendi poterit, quod illa oritur quandoque ex sympathia compatientis cum persona erga quam versatur compassio; oritur etiam ex apprehensione vehementi alieni doloris, ac tandem ex amore erga afflictum cui compatimur. Cum ergo Christus Dominus maximam cum praedictis omnibus haberet sympathiam, non solum secundum identitatem naturae specificae, sed morum etiam conformitatem; insuper etiam cum dolores omnes, quibus virginea Matris viscera excrucianda erant, variaque martyrum, et confessorum futura supplicia limpidissima cognitione penetraret; ac tandem cum amoris prunae ardentius, quam reliquos, Christi animum inflammarent; inde aperte efficitur, pium erga afflictos compassionis affectum prae ceteris tenerum, ac intensum habuisse.

Sextam huius tristitiae causam fuisse opinor, ut ostenderet, tum animum Christianum non esse impassibilem Stoicum, et stupidum, ut notavit Ambrosius, sed talem, ut huiusmodi in se insurgentes passiones suscipiat, moderetur, et vincat: tum ut hac sua maestitia et angore, Valentini, Manichaei, et Apollinaris, quos praeviderat futuros, errores aperte confutaret: primus namque asserebat corpus Christi ex coelesti fuisse materia compactum: secundus phantasticum et apparens fuisse: tertius anima, atque adeo animali vita caruisse. Hi omnes pestilentissimi errores, hac tristitia animam, et corpus Christi affligente, penitus corruunt, et velut tenuis fumus evanescunt, cum tristitia, et timor, qui actus vitales sunt, non nisi a principio vitali et animali oriri possint.

Ad extremum cum omnes huius tristitiae causas comprehendere, singulasque pro dignitate prosequi impossibile sit, Laconica, ut aiunt, brevitate eas percurram. Tristabatur quidem de ruina, ac de vastatione dilecti populi, prout satis ipse indicaverat, dum ingrediens civitatem Hierusalem profusis lacrymis exclamavit (*Luc.* 19): *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Tristabatur iram Patris intuens, proprium ensem contra ipsum invitantis (*Zach.* 13): *Framea suscitare super pastorem, et super virum cohaerentem mihi.* Vocat Christum Dominum cohaerentem sibi, quia consubstantialis erat Patri, et adeo intime ei coniunctus, ut ipse diceret (*Ioan.* 10): *Ego, et Pater unum sumus.* Cum probe etiam agnosceret, horrendum esse incidere in manus Dei, et tempus incidendi iam instaret, non poterat id animum eius non vehementer excruciare. Tristabatur deinde de recessu a dilectissima Matre, charissimisque discipulis, quos tanto prosequebatur amore, ut dicere non dubitarit (*Ioan.* 15): *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* Tristabatur etiam speciali ratione de proditione Iudae, et abnegatione Petri, quos ingratitudinis vitium invaserat adeo, ut ille summum suum benefactorem Deum ac Dominum vendere, hic abnegare, ausi fuerint. Atque ex his omnibus compertum habemus, mi-

nime alienum fuisse a sanctitate Christi Domini, tristatum fuisse. Nec enim Paulus dixit simpliciter (*2. Thess.* 4): *Ut non contristemini*, sed adiunxit: *Sicut et ceteri, qui spem non habent*. Cum vero Salomon (*Prov.* 12) ait: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit*, loquitur, ait Lyranus, de tristitia deiiciente eum a virtute: et cum tandem asserit (*Prov.* 28): *Iustus, quasi leo confidens, absque terrore erit*, Glossa censet id dixisse, non ut damnet rationabilem timorem, sed ut confidentiam iusti exprimat.

Sed iam ad angelum, quem d. Lucas Christum in hac afflictione existentem confortasse commemorat, sermonem convertamus. Et quidem in primis circa quaestionem illam, quisnam ille fuerit, tametsi nonnulli putaverint Michaelem fuisse, in re tamen omnino incerta videtur eligendum, quod rationi consentaneum magis videtur. Est tamen cum ea magis coniunctum, Gabrielem fuisse, ut ait Origenes, quia praeterquam Gabriel fortitudo interpretatur, quae ad confortandum idonea est, praeterquam etiam quod secundum Ambrosium (*in Luc. 22. cap.* 1), idem valet Gabriel, quod vir Deus, et ideo ad Deum virum factum mitti congrueret; verisimile sane id mihi videtur, tum quod sicut Gabriel Virginem turbatam in sermone eius, ut testatur d. Lucas, confortavit, et corroboravit, dicens (*Luc. cap.* 1): *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum*; ita sane Filium eius in horto paventem ad cruentam cum hoste ineundam pugnam animavit; tum quia nullis procuratoris, cui creditae sunt illis scripturae, intercedentibus demeritis, cepta per ipsum causa minime ab eo aufertur, sed permittitur ad finem usque illam perducere. Gabrielem autem fuisse, qui primum Danieli Christi adventum revelavit, et qui futuras hebdomadas usque ad mortem Salvatoris praedixit, nemo est, qui ambigat. Congruebat ergo, ut ad eundem Christi iam iam moribundi confortatio pertineret. Est tamen animadversione dignum, quod ubi vulgata nostra vertit, *apparuit ei angelus confortans eum*, Syriaca translatio legit, *confirmans eum*, et Theophylactus transtulit, *glorificans eum*, hoc est, *Exaltans illum* propter futurum passionis fructum, et superventuram resurrectionis gloriam, quae iam quasi prae foribus aderat. Favet huic expositioni alia Septuaginta interpretum, cuius bis Epiphanius meminit, semel in haeresi sexagesima nona Ariomanitarum, et iterum in Anchorato, ubi adducens illud Deuteron. *Adorent ipsum omnes filii Dei*, legit, *et confortent ipsum omnes angeli Dei:* et explicans quomodo angeli confortent, subdit: *Non ut dent robur ipsi angeli, nec enim indigebat angelorum confortatione, sed confortant ipsum, hoc est confitendo proprium ipsius robur ipsi attribuunt:* et infra: *Quapropter admiratione ductus angelus dicebat ad ipsum glorificanss et benedicens proprium Dominum in stadio consistentem, tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo, ut impleret id quod a Moyse scriptum est: Confortent ipsum omnes angeli Dei;* haec Epiphanius. Cuius expositionem licet non inficiar, immo egregiam et ingeniosam putem; divus tamen Hieronymus (*lib.* 23. *Pela.*), Chrysostomus (*hom.* 83. *in Matth.*), et Gregorius (*ho.* 8. *in Eze.*), alia via mihi non ingrata incedunt. Existimant enim angelum confortasse, et consolatum fuisse desolatam partem inferiorem animae Christi, ut non immerito dicere esset illud Zachariae: *Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba consolatoria.* Idque sane praefiguratum videtur primo in Ionatha, Davidem dulcissimis verbis consolante: *Surrexit*, ait sacer textus (2. *Reg.* 32), *Ionathas filius Saul, et abiit ad Davidem in silvam, et confortavit manus eius in Deo, dixitque ei, Ne timeas.* Adumbratum etiam id secundo agnosco in Daniele ab angelo confortato: sic enim ipse ait (*Dan.* 10): *Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, et confortavit me, et dixit: Noli timere Daniel vir desideriorum; pax tibi, confortare, et esto robustus: cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi: Loquere Domine mi, quia confortasti me.* Tertio huius imaginem reperio apud Zachariam dicentem (*cap.* 2): *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, et satan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad satan: increpet Dominus in te satan, etc. Numquid non iste torris est erutus de igne? Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli.* Sacerdos iste magnus Christum Dominum praefigurabat, cui Pater praedixerat (*Ps.* 109): *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech:* et sicut ibi Iesus filius Iosedech orabat pro libertate populi obtinenda, id enim praesefert verbum, stare, iuxta illud (*Psal.* 133): *Qui statis in domo Domini, in noctibus extollite manus vestras in sancta;* ita summus Sacerdos Iesus orabat in horto pro libertate generis humani, quod in suam servitutem diabolus redegerat, direxitque orationem ad beatissimam Trinitatem: ut enim adnotavit Glossa, propterea ter oravit, quia ad tres personas orabat; vestibus autem sordidis indutum orasse dicit, quia vel ut ait Chrysostomus (*hom.* 5. *ex var. loc. in Matth.*), carnem assumpsit ex genere peccatorum; vel ut putat d. Gregorius (*lib.* 20. *moral. cap.* 2), quia venit in similitudinem carnis peccati; vel ut probabilius forte testantur Ambrosius (*ser.* 5. *in Psal.* 18), Origenes (*hom.* 19. *in Luc.*), et Eusebius (*libr.* 4. *de demonst. Evang. cap. ult.*), quia sordida peccata nostra delenda suscepit, et pro eis dolore et ignominia graviter affectus erat. Dicit tandem Zacharias, satan a dextris eius extitisse, sed minime praevaluisse, quin potius a Christo Domino fugatum esse, non secus ac leonem, qui ostenso sibi igne fugari solet: id enim sibi volunt verba illa: *Non iste torris est erutus ab igne?* Verba autem, quibus angelus Christum confortans usus fuerit, licet incerta sint, nemo enim Evangelistarum illa expressit, tamen d. Anselmus inducit illum dicentem: *Constans esto Domine, modo genus humanum debes redimere.* Theophylactus refert dixisse: *Domine fortitudo: tu enim praevaluisti contra mortem, et contra infernum, et liberasti genus humanum.* Ego non incongrue putaverim verba illa Iob protulisse: *Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti,*



*vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti.* Vel illud Isaiae (c. 51): *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: nunquid tu non percussisti superbum, et vulnerasti draconem? nunquid non tu siccasti mare aquam abyssi vehementis? Quis tu, ut timeas ab homine mortali?* vel certe illud, quod olim angelus Eliae dixit (3. *Reg.* 19): *Surge, bibe domine calicem passionis, grandis enim tibi restat via.* Revoca in memoriam illud Isaiae: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius:* et illud: *Pro eo, quod laboravit anima eius, videbit, et saturabitur.* Memento Domine te dixisse (*Ioan.* 3): *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis:* et Petrum te a morte sustinenda revocantem acriter increpasse (*Matth.* 16): *Vade post me satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea quae hominum.* Affirmasti insuper (*Luc.* 12): *Baptismo habeo baptizari*, scilicet sanguinis in cruce profusi, *et quomodo coarctor, donec veniat?* Unde si nunc mortem sustinere recusaveris, omnia haec ficte et simulate dicta nemo non iudicabit. Bibe ergo Domine calicem hunc; non quia princeps huius mundi habeat in te quidquam, sed ut cognoscat mundus, quia diligis Patrem; et sicut mandatum dedit tibi Pater, sic facis. Si tu non biberis, sane supposito Patris decreto omnes in aeterna gehennae damnatione bibent: quod si praebibas, aeternum illum et amarum calicem, temporaneum, et momentaneum reddes, et non solum tolerabilem, sed dulcem etiam et amabilem. Ac tandem nisi tu biberis, nec fies sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, nec accipies omnem potestatem in coelo, et in terra, nec de Sion exibit lex, nec verbum Domini de Hierusalem, nec conteres caput serpentis, nec in coelum coronandus ascendes, neque Spiritum paraclitum ad nos mittes. Alii tandem pie meditantur recitasse ei illud (*Psal.* 19): *Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. Tribuat tibi secundum cor tuum.* His sane, vel similibus, vero simile est angelum Christum confortasse. Nec mirandum, ut quem secundum naturam humanam paulo minus ab angelis minuerat Deus, eundem per angelum confortari intueamur: maxime quod si Christus ab angelo malo in deserto tentari se permisit, nihil mirandum, quod a bono confortari non renuerit: egere enim consolatore, et consolationem accipere poena est nostrorum peccatorum, quam propter nos sustinere Christus non recusavit. Id tamen non modicam difficultatem ingerit, qui fieri possit, ut si angelus confortaverit, et consolatus fuerit Christum Dominum, continuo ingens agonia, et vehemens tristitia, alioquin mitiganda, animum eius adeo affecerit, ut sanguinem sudare compelleret. Huic difficultati in hunc modum faciendum satis opinor, quod angelus in tantum Christum Dominum confortavit, in quantum praedicta illa motiva ei ante oculos proponens, movit illum, ut ferventissimos obedientiae actus erga sustinendam mortem, parti sensitivae alias valde molestam eliceret; haec autem inferioris portionis oppressio non poterat illi non ingentem inferre molestiam. Vel aliter dicamus cum Beda (*supr. cap.* 22. *Luc.*), id quod non ingeniose satis in hunc locum adnotavit, dicens: *Confortatus est, sed tali confortatione, quae dolorem non minuit, sed magis auxit: confortatus enim est ex fructus magnitudine, non subtracta doloris amaritudine.*

## HOMILIA V.

*De sanguineo sudore Christi Domini orantis in horto, in illa verba:* Factus in agonia prolixius orabat: et factus est sudor eius, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Antequam de sanguineo Christi sudore sermonem instituam, operae pretium duxi de agonia, quae illius causa extitit, nonnihil prius disserere. Non desunt graves Doctores pie sane rem perpendentes, qui affirment, agoniam hoc loco non significare certamen, aut luctam inter partem superiorem, et inferiorem animae Christi; tum quia non absolute illud, quod naturaliter desiderabat, postulavit; sed si fieri posset, et si Deus Pater vellet. Secundo, quia etiam caro in Christo divinam voluntatem praeposuit desiderio suo, illam prae hoc fieri deprecans, cum diceret (*ibid.*): *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Unde quamvis permulti putaverint Christum Dominum non obtinuisse in hac oratione quod postulavit; falluntur tamen: tum quia ipse non absolute mortem deprecatus est, sed absolute precatus est, ut fieret Dei voluntas: quod cum factum sit, etiam in hac oratione exauditus est: nec enim si audiendus non fuisset, praedixisset ipse in suscitatione Lazari (*Ioann.* 11): *Ego sciebam, quia semper me audis.* Unde concludunt, Interpretem Latinum agoniam vocasse horrorem illum, et afflictionem, qua solent homines corripi urgente gravi vitae discrimine. Verum alii, quibus magis consentio, interpretantur hanc agoniam fuisse luctam, et certamen carnis Christi cum spiritu. Hi sunt Cyrillus (*lib.* 4. *Ioan. in cap.* 5), Damascenus (*lib.* 3. *Orthod. fid. cap.* 20), et Gregorius, quem ad id refert, et sequitur d. Bonaventura (*sup. cap.* 12. *Luc.*), et Lyranus (*in Luc.*) dicens: *Erat ista agonia reluctatio sensualitatis merito horrentis, et rationis ipsam acceptantis; quia virtute divina quaelibet pars permittebatur agere, et pati, quod erat sibi proprium;* haec ille. Unde putaverim agoniam hanc colluctationem quandam fuisse sensus, et naturae Christi delicatissimae, exhorrescentis mortem cum ratione superiori ad Dei gloriam, et humani generis salutem, mortem acceptante, et de illa triumphante. Duo enim amores in Christi corde inter se invicem pugnabant. Amor enim sensus naturae, ac vitae propriae

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nime alienum fuisse a sanctitate Christi Domini, tristatum fuisse. Nec enim Paulus dixit simpliciter (2. *Thess.* 4): *Ut non contristemini*, sed adiunxit: *Sicut et ceteri, qui spem non habent.* Cum vero Salomon (*Prov.* 12) ait: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit*, loquitur, ait Lyranus, de tristitia deiiciente eum a virtute: et cum tandem asserit (*Prov.* 28): *Iustus, quasi leo confidens, absque terrore erit*, Glossa censet id dixisse, non ut damnet rationabilem timorem, sed ut confidentiam iusti exprimat.

Sed iam ad angelum, quem d. Lucas Christum in hac afflictione existentem confortasse commemorat, sermonem convertamus. Et quidem in primis circa quaestionem illam, quisnam ille fuerit, tametsi nonnulli putaverint Michaelem fuisse, in re tamen omnino incerta videtur eligendum, quod rationi consentaneum magis videtur. Est tamen cum ea magis coniunctum, Gabrielem fuisse, ut ait Origenes, quia praeterquam Gabriel fortitudo interpretatur, quae ad confortandum idonea est, praeterquam etiam quod secundum Ambrosium (*in Luc.* 22. *cap.* 1), idem valet Gabriel, quod vir Deus, et ideo ad Deum virum factum mitti congrueret; verisimile sane id mihi videtur, tum quod sicut Gabriel Virginem turbatam in sermone eius, ut testatur d. Lucas, confortavit, et corroboravit, dicens (*Luc. cap.* 1): *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum;* ita sane Filium eius in horto paventem ad cruentam cum hoste ineundam pugnam animavit; tum quia nullis procuratoris, cui creditae sunt illis scripturae, intercedentibus demeritis, cepta per ipsum causa minime ab eo aufertur, sed permittitur ad finem usque illam perducere. Gabrielem autem fuisse, qui primum Danieli Christi adventum revelavit, et qui futuras hebdomadas usque ad mortem Salvatoris praedixit, nemo est, qui ambigat. Congruebat ergo, ut ad eundem Christi iam iam moribundi confortatio pertineret. Est tamen animadversione dignum, quod ubi vulgata nostra vertit, *apparuit ei angelus confortans eum*, Syriaca translatio legit, *confirmans eum*, et Theophylactus transtulit, *glorificans eum*, hoc est, *Exaltans illum* propter futurum passionis fructum, et superventuram resurrectionis gloriam, quae iam quasi prae foribus aderat. Favet huic expositioni alia Septuaginta interpretum, cuius bis Epiphanius meminit, semel in haeresi sexagesima nona Ariomanitarum, et iterum in Anchorato, ubi adducens illud Deuteron. *Adorent ipsum omnes filii Dei*, legit, *et confortent ipsum omnes angeli Dei:* et explicans quomodo angeli confortent, subdit: *Non ut dent robur ipsi angeli, nec enim indigebat angelorum confortatione, sed confortant ipsum, hoc est confitendo proprium ipsius robur ipsi attribuunt:* et infra: *Quapropter admiratione ductus angelus dicebat ad ipsum glorificanss et benedicens proprium Dominum in stadio consistentem, tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo, ut impleret id quod a Moyse scriptum est: Confortent ipsum omnes angeli Dei;* haec Epiphanius. Cuius expositionem licet non inficiar, immo egregiam et ingeniosam putem; divus tamen Hieronymus (*lib.* 23. *Pela.*), Chrysostomus (*hom.* 85. *in Matth.*), et Gregorius (*ho.* 8. *in Eze.*), alia via mihi non ingrata incedunt. Existimant enim angelum confortasse, et consolatum fuisse desolatam partem inferiorem animae Christi, ut non immerito dicere esset illud Zachariae: *Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba consolatoria.* Idque sane praefiguratum videtur primo in Ionatha, Davidem dulcissimis verbis consolante: *Surrexit*, ait sacer textus (2. *Reg.* 32), *Ionathas filius Saul, et abiit ad Davidem in silvam, et confortavit manus eius in Deo, dixitque ei, Ne timeas.* Adumbratum etiam id secundo agnosco in Daniele ab angelo confortato: sic enim ipse ait (*Dan.* 10): *Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, et confortavit me, et dixit: Noli timere Daniel vir desideriorum; pax tibi, confortare, et esto robustus: cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi: Loquere Domine mi, quia confortasti me.* Tertio huius imaginem reperio apud Zachariam dicentem (*cap.* 2): *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, et satan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad satan: increpet Dominus in te satan, etc. Numquid non iste torris est erutus de igne? Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli.* Sacerdos iste magnus Christum Dominum praefigurabat, cui Pater praedixerat (*Ps.* 109): *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech:* et sicut ibi Iesus filius Iosedech orabat pro libertate populi obtinenda, id enim praesefert verbum, stare, iuxta illud (*Psal.* 133): *Qui statis in domo Domini, in noctibus extollite manus vestras in sancta;* ita summus Sacerdos Iesus orabat in horto pro libertate generis humani, quod in suam servitutem diabolus redegerat, direxitque orationem ad beatissimam Trinitatem: ut enim adnotavit Glossa, propterea ter oravit, quia ad tres personas orabat; vestibus autem sordidis indutum orasse dicit, quia vel ut ait Chrysostomus (*hom.* 5. *ex var. loc. in Matth.*), carnem assumpsit ex genere peccatorum; vel ut putat d. Gregorius (*lib.* 20. *moral. cap.* 2), quia venit in similitudinem carnis peccati; vel ut probabilius forte testantur Ambrosius (*ser.* 5. *in Psal.* 18), Origenes (*hom.* 19. *in Luc.*), et Eusebius (*libr.* 4. *de demonst. Evang. cap. ult.*), quia sordida peccata nostra delenda suscepit, et pro eis dolore et ignominia graviter affectus erat. Dicit tandem Zacharias, satan a dextris eius extitisse, sed minime praevaluisse, quin potius a Christo Domino fugatum esse, non secus ac leonem, qui ostenso sibi igne fugari solet: id enim sibi volunt verba illa: *Non iste torris est erutus ab igne?* Verba autem, quibus angelus Christum confortans usus fuerit, licet incerta sint, nemo enim Evangelistarum illa expressit, tamen d. Anselmus inducit illum dicentem: *Constans esto Domine, modo genus humanum debes redimere.* Theophylactus refert dixisse: *Domine fortitudo: tu enim praevaluisti contra mortem, et contra infernum, et liberasti genus humanum.* Ego non incongrue putaverim verba illa Iob protulisse: *Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti,*



*vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti.* Vel illud Isaiae (c. 51): *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: nunquid tu non percussisti superbum, et vulnerasti draconem? nunquid non tu siccasti mare aquam abyssi vehementis? Quis tu, ut timeas ab homine mortali?* vel certe illud, quod olim angelus Eliae dixit (3. *Reg.* 19): *Surge, bibe domine calicem passionis, grandis enim tibi restat via.* Revoca in memoriam illud Isaiae: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius:* et illud: *Pro eo, quod laboravit anima eius, videbit, et saturabitur.* Memento Domine te dixisse (*Ioan.* 3): *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis:* et Petrum te a morte sustinenda revocantem acriter increpasse (*Matth.* 16): *Vade post me satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea quae hominum.* Affirmasti insuper (*Luc.* 12): *Baptismo habeo baptizari*, scilicet sanguinis in cruce profusi, *et quomodo coarctor, donec veniat?* Unde si nunc mortem sustinere recusaveris, omnia haec ficte et simulate dicta nemo non iudicabit. Bibe ergo Domine calicem hunc; non quia princeps huius mundi habeat in te quidquam, sed ut cognoscat mundus, quia diligis Patrem; et sicut mandatum dedit tibi Pater, sic facis. Si tu non biberis, sane supposito Patris decreto omnes in aeterna gehennae damnatione bibent: quod si praebibas, aeternum illum et amarum calicem, temporaneum, et momentaneum reddes, et non solum tolerabilem, sed dulcem etiam et amabilem. Ac tandem nisi tu biberis, nec fies sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, nec accipies omnem potestatem in coelo, et in terra, nec de Sion exibit lex, nec verbum Domini de Hierusalem, nec conteres caput serpentis, nec in coelum coronandus ascendes, neque Spiritum paraclitum ad nos mittes. Alii tandum pie meditantur recitasse ei illud (*Psal.* 19): *Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. Tribuat tibi secundum cor tuum.* His sane, vel similibus, vero simile est angelum Christum confortasse. Nec mirandum, ut quem secundum naturam humanam paulo minus ab angelis minuerat Deus, eundem per angelum confortari intueamur: maxime quod si Christus ab angelo malo in deserto tentari se permisit, nihil mirandum, quod a bono confortari non renuerit: egere enim consolatore, et consolationem accipere poena est nostrorum peccatorum, quam propter nos sustinere Christus non recusavit. Id tamen non modicam difficultatem ingerit, qui fieri possit, ut si angelus confortaverit, et consolatus fuerit Christum Dominum, continuo ingens agonia, et vehemens tristitia, alioquin mitiganda, animum eius adeo affecerit, ut sanguinem sudare compelleret. Huic difficultati in hunc modum faciendum satis opinor, quod angelus in tantum Christum Dominum confortavit, in quantum praedicta illa motiva ei ante oculos proponens, movit illum, ut ferventissimos obedientiae actus erga sustinendam mortem, parti sensitivae alias valde molestam eliceret; haec autem inferioris portionis oppressio non poterat illi non ingentem inferre molestiam. Vel aliter dicamus cum Beda (*supr. cap.* 22. *Luc.*), id quod non ingeniose satis in hunc locum adnotavit, dicens: *Confortatus est, sed tali confortatione, quae dolorem non minuit, sed magis auxit: confortatus enim est ex fructus magnitudine, non subtracta doloris amaritudine.*

## HOMILIA V.

*De sanguineo sudore Christi Domini orantis in horto, in illa verba:* Factus in agonia prolixius orabat: et factus est sudor eius, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Antequam de sanguineo Christi sudore sermonem instituam, operae pretium duxi de agonia, quae illius causa extitit, nonnihil prius disserere. Non desunt graves Doctores pie sane rem perpendentes, qui affirment, agoniam hoc loco non significare certamen, aut luctam inter partem superiorem, et inferiorem animae Christi; tum quia non absolute illud, quod naturaliter desiderabat, postulavit; sed si fieri posset, et si Deus Pater vellet. Secundo, quia etiam caro in Christo divinam voluntatem praeposuit desiderio suo, illam prae hoc fieri deprecans, cum diceret (*ibid.*): *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Unde quamvis permulti putaverint Christum Dominum non obtinuisse in hac oratione quod postulavit; falluntur tamen: tum quia ipse non absolute mortem deprecatus est, sed absolute precatus est, ut fieret Dei voluntas: quod cum factum sit, etiam in hac oratione exauditus est: nec enim si audiendus non fuisset, praedixisset ipse in suscitatione Lazari (*Ioann.* 11): *Ego sciebam, quia semper me audis.* Unde concludunt, Interpretem Latinum agoniam vocasse horrorem illum, et afflictionem, qua solent homines corripi urgente gravi vitae discrimine. Verum alii, quibus magis consentio, interpretantur hanc agoniam fuisse luctam, et certamen carnis Christi cum spiritu. Hi sunt Cyrillus (*lib.* 4. *Ioan. in cap.* 5), Damascenus (*lib.* 3. *Orthod. fid. cap.* 20), et Gregorius, quem ad id refert, et sequitur d. Bonaventura (*sup. cap.* 12. *Luc.*), et Lyranus (*in Luc.*) dicens: *Erat ista agonia reluctatio sensualitatis merito horrentis, et rationis ipsam acceptantis; quia virtute divina quaelibet pars permittebatur agere, et pati, quod erat sibi proprium;* haec ille. Unde putaverim agoniam hanc colluctationem quandam fuisse sensus, et naturae Christi delicatissimae, exhorrescentis mortem cum ratione superiori ad Dei gloriam, et humani generis salutem, mortem acceptante, et de illa triumphante. Duo enim amores in Christi corde inter se invicem pugnabant. Amor enim sensus naturae, ac vitae propriae

mori detrectabant; amor vero charitatis, et gloriae Dei, et salutis nostrae mortem sponte, et avide amplectebatur. Et ideo repugnabat alteri amori, illumque ut remissiorem vincebat. Atque haec fuit plane agonia Christi, cui etiam favet, quod licet Ambrosius (*in suo dict.*) dicat: *Agoniam esse extremam conturbationis speciem*, quam Latini trepidationem vocant; verius tamen alii putant agoniam dici *ab agone*, qui lucta est, sive certamen, vel campus, ubi contenditur de palma. Unde locus est Romae iuxta Tiberim, qui Circus Flaminius dicitur, et Agon appellatus fuit, eo quod locus certaminis esset. Ad id etiam alludere videtur d. Paulus dicens (2. *Cor.* 9): *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Indeque crediderim Agonalia dicta apud Romanos fuisse ludus, qui exhibebantur ad voluptatem populi, ubi pro praemio decertabatur, et inde tractum est agonizare, vel luctari: ex quo illud (*Eccles.*4): *Pro iustitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iustitia.* Tractum etiam est inde nomen agonothetae pro his, qui praemium certantibus proponunt: ac tandem inde agonia, sive pugna, vel concertatio duorum contrariorum. Quidquid tamen sit de qualitate agoniae, quam tunc passus est Christus, ex vehementia tamen illius factus est, ait d. Lucas, *sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.*

In cuius loci illustratione illud primo loco adnotandum occurrit, quod licet Euthymius (*in Mat. c.* 24), et Theophylactus (*in Lucam cap.* 22), existimaverint Evangelistam hoc loco locutum fuisse per similitudinem, et hyperbolem, dum aqueum sudorem sanguineum vocavit, utens usitato loquendi modo, quo dici solet, qui amare plorat, sanguinis lacrymas flere; veritas tamen catholica habet verum et proprium sanguinem sudasse; idque a primordiis Ecclesiae ita creditum esse tradunt Iustinus martyr (*dial. con. Tryp. et lib.* 4. *contra haeres. c.* 32), Athanasius (*lib.* 6. *de beatitud. Filii Dei*), Epiphanius (*in Anchorat.*), Augustinus (*lib.* 6. *de consens. Evang. c.* 5), Hieronymus (*lib.*11.*de Tradit. Hebraeis*), Irenaeus (*l.* 4. *con. haeres. c.*32. *et c.* 69), Dionysius (*c.* 4. *de cael.hier.*), Ammonius Alexandrinus (*in harmonia Evangel.*). Nec quidquam in contrarium movere debet, quod Lucas non dixerit Christum Dominum sudasse sanguinem, sed sudorem eius fuisse *sicut sanguinis guttas*, id est concretum in similitudinem guttarum sanguinis: nam revera si intendisset d. Lucas similitudinem tantum significare, dixisset potius *sicut guttae aquae*, cum humani sudoris guttae similes magis sint guttis aquae, quam sanguinis. Praeterea illa particula, *sicut*, non semper similitudinem significat, sed interdum rem ipsam secundum rei veritatem, ut (*Ioannis* 1): *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Secundo observandum occurrit, plerosque recentiores cum cardinali Caietano quibusdam apparentibus, sed minime nervosis rationibus ductos sibi persuasisse, Christum Dominum naturaliter, atque adeo absque speciali miraculo sanguinem sudasse ex vi internae afflictionis, et agoniae, quod probari potest: nam in primis Aristoteles (*lib. de hist. animal.*) ait: *Si multum sanguinis effluat, anima deficit; si nimium, vita interit; si sanguis immodice humescit, morbus infestat: sic enim in speciem saniei diluitur, et adeo serescit, ut cum nonnulli sudore cruento exsudaverint:* et (*lib. de partibus animalium*): *Iam,* inquit, *nonnullis accidit, ut cruentum quoddam excrementum sudarent propter vitiatum corporis habitum, scilicet, cum corpus laxum fluxumque esset, sanguisque prae cruditate humesceret, imbecillitate caloris, qui exiguis venulis inclusus concoquere non posset;* haec Aristot. Albertus Magnus ait, sudorem sanguineum provenire posse ex abundantia sanguinis, vel ex eius aquositate, et Galenus (*lib. de de utiliss. relaxation.*) scribit, quod quando pori sunt nimis dilatati, sudant sanguinem. Subscribit eisdem Caelius Rhodiginus (*lib.* 5. *lect. antiq. c.* 2). Divus etiam Augustinus (*lib.* 14. *de civit. Dei c.* 24. *post med.*) ait: *Ipse sum expertus, sudare hominem solere cum vellet:* quem locum exponens Ludovicus Vives scribit, quod compresso spiritu, et stragulis opertus sudabat, cum volebat: et medici scribunt accidere, ut icti a serpente, cuius nomen a fluxu sanguinis dicitur Haemorrhoos, sanguinem sudent. Saepe item contigit, ut experientia compertum est, deficiente semine in viro, loco illius excuti sanguinem, et in femina deficiente lacte succedere sanguinem. Quibus omnibus consonat illud (*Prov.*39): *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Immo gravissimi Doctores testantur, quod cum femina quaedam defunctum virum intense defleret, et deficerent lacrymae, sanguinis guttas per oculos emisit. Duplex tandem ratio eidem sententiae opitulari videtur. Prima, quia si ille sanguis miraculose fuisset emissus, non fuisset signum certum, et evidens maximi angoris, et tristitiae interioris, quae animam Christi premebat, quia per miraculum etiam poterat cum minima afflictione, immo et sine ulla emitti. Secunda, quia sicut naturale est, cum quis publicam ignominiam patitur, faciem eius rubore suffundi, sanguine ad anteriores partes defluente; ita etiam naturale est, ex vehementi inevitabilis ignominiae apprehensione eandem ruboris perpeti passionem. Cum ergo Christus summa qua pollebat mentis vivacitate futuras ignominias, et praecipue omnimodam sui corporis nuditatem coram universo populo apprehenderet, tanto rubore, et verecundia affectus fuit, ut sanguis per poros extra deflueret, et non solum in faciem, sed per totum corpus diffunderetur, quia totum nudandum erat, et ideo natura ruboris veste illud operire solicite curavit.

Verum tametsi haec quandam praeseferre videantur veritatis speciem, ab ea tamen longe abesse puto. Primo, quia est expresse contra d. Hilarium (10. *de Trin.*), ubi ait: *Sudorem vero nemo infirmitati audebit deputare, quia dum et contra naturam est sudare sanguinem, neque infirmitas est, quod potestas non secundum naturae consuetudinem gessit.* Similia verba Beda habet (*in Lucam*), et alii multi Patres. Secundo, quia licet male affecti, seu morbo aliquo laborantes sudorem aliquem rubrum



emiserint, ut testatur Aristoteles (*lib.* 3. *de hist. animal.*); inauditum tamen est quempiam ob pavorem mortis verum sanguinem sudasse, sed ut plurimum una nocte incanuisse, ob imminens sequenti die mortis supplicium. Quod si, ut moderni quidam tradunt, verum est, se vidisse quendam audita mortis sententia continuo sanguinem sudasse, vel sanguis non erat ille, sed aqueus sudor aliqualiter cruentatus; vel si verus sanguis erat, fuit in modicissima quantitate; Christi tamen sanguis in terram decurrens copiosissimus fuit. Tertio, quia timor et pavor, quibus tunc anima Christi graviter angebatur, non emittunt sanguinem foras, sed potius ad cor attrahunt, providente natura, potiori membro in huiusmodi pressura constituto subveniri. Cum ergo videamus, quod tempore, quo natura sanguinem retrahit, foras illum per sudorem expulerit, manifestum est id opus fuisse supra naturam, et non absque stupendo miraculo, ut verbis Iansenii utar. Nec iuvat respondere, amorem vicisse timorem, et cor inflammasse, et impedisse praedictum timoris effectum: nam licet verum sit, amorem Christi praevaluisse, quantum ad conformationem cum voluntate Patris secundum portionem superiorem; inferiorem tamen propria pati permisit. Unde cum timor sanguinem gelare soleat, ut observavit Incognitus in illa verba: *Posuisti firmamentum eius formidinem*, aperte efficitur, emanationem illius miraculosam fuisse, non naturalem. Quarto, quia licet gratis daremus, ut naturaliter fieri posset, quempiam subtilem aliquem sanguinem per poros emittere per modum sudoris, neutiquam tamen absque miraculo fieri potest, ut quis emitteret per praedictos poros crassas guttas, et crassiori sanguine concretas, cuiusmodi fuerunt, quas Christus Dominus emisit decurrentes in terram: ubi enim nostra vulgata habet, *Guttae sanguinis*, Graecus interpres legit *grumi sanguinis:* quam lectionem sequitur Euthymius. Alii vertunt cum Irenaeo, globos sanguinis. Cum ergo sudare crassos, et congelatos globos sanguinis, super vim et facultatem naturae sit, eo quod per exiguos poros non nisi tenuissimus liquor naturaliter effluere possit, aperte efficitur sanguineum illum sudorem tametsi quoad substantiam naturalem, quoad modum emissionis supernaturalem fuisse. Unde Nicolaus de Lyra (*sup. c.* 22 *Luc.*) ait: *Supernaturaliter factum est, ut sanguis pro sudore exiret.* Ac tandem, quia emanatio sudoris vel proveniebat in Christo ex sanguine indigesto, et impuro, vel ex abundantia sanguinis, aut alia simili corporis intemperie; et hoc non: quia Christo inerat temperatissima complexio, et in potu et cibo sobrietas summa: vel proveniebat ex vi summae tristitiae, et angoris; et sic naturaliter non poterat sanguis per sudorem emanare, cum natura tunc potius sanguinem retineat ad fovendum cor afflictum, unde tantum abest illam emissionem sanguinis, si fuit miraculosa, non fuisse indicium tristitiae Christi Domini, ut potius sit argumentum, illam nulla consolatione fuisse permistam: nam foras erumpente sanguine, qui ad fovendum et consolandum cor intus naturaliter permanere debuerat, naturali illo solamine privatum mansit. Unde, quamvis per naturam evenire possit alicui, sanguineum sudorem emittere, ut praecitati Philosophi testantur, id tamen neutiquam concedunt, nisi in male se habentibus; Christus autem Dominus recte valebat, atque ideo in illo non poterat naturalis esse illa sanguinei sudoris emanatio. Illud autem, quod de rubore verecundiae ex aliorum sententia obiiciebam, etsi aures demulceat, veritate tamen caret. Nam rubor ex verecundia solum erumpere consuevit ad partes discoopertas, non ad latentes; quae quia absconditae sunt, verecundiam, aut confusionem pati non possunt. Cum ergo sanguis in Christo Domino per totum corpus effluxerit, et non solum per faciem, quae est propria sedes ruboris verecundiae, manifeste efficitur, sanguineum illum sudorem, ad propassionem verecundiae, quae vere fuit in Christo, ut per Davidem ipse praedixerat: *Et verecundia mea contra me est*, minime referri posse.

Sed iam de hoc mirifico sudore, quod Dominus dignabatur impertiri, subiiciamus. Et quidem in primis id mirabile est, quod *primus Adam de terra terrenus*, et inobediens solo sudore vultus sui iubetur vesci pane suo (*Genes.* 3): *In sudore vultus tui vesceris pane tuo;* noster autem, *Secundus Adam de caelo caelestis*, qui peccatum non novit, ut omnium peccata deleret, non solum vultu suo, sed toto corpore sanguineum sudorem emittit. Sacerdotes olim apud Ezechielem, cum ingrederentur portas atrii interioris, et ministrarent, praecipiebat Dominus, ut non accingerentur ita stricte, ac violenter, et fortiter, ut sudarent: *Et non accingentur*, ait (*Ezech.*44), *in sudore.* At noster Iesus summus Sacerdos, et Pontifex in interiori atrio suae orationis, et ad portas futurae passionis deveniens, ita stricte, ita fortiter, et valide se accinxit, ut non leviter, sed copiose, non quocumque sudore, sed sanguineo, non una parte corporis, sed toto corpore anxius, et quasi vino amoris incalescens desudaverit: *Contritum est cor meum in medio mei*, ait Hierem. (*c.* 23), *contremuerunt ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino a facie Domini, etc.* Arbitror Iacob, cum proximus morti erat, et filios vocans dixit (*Genes.*49): *Congregamini, ut annuntiem vobis quae ventura sunt vobis in diebus novissimis*, cruentum hunc Christi sudorem praesignasse. Cum enim ad Iudam pervenisset, qui Christi de tribu Iuda typum gerebat, inter alia quae de illo praedixit, haec verba protulit: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum.* Vinum hoc sanguis Christi est, quod Zacharias, *vinum germinans virgines*, appellarat. Lavabit Christus hoc vino stolam corporis sui, sanguineum sudorem emittens; nec tamen corpus solum, sed pallium, quia sudore sanguinis decurrentis in terram, ut loquitur d. Lucas, vestimentum eius madefactum fuit. Vocat autem sanguinem uvae cruentum illum sudorem, quia Christus botrus ille erat, de quo Sponsa in Canticis (*Cant.* 1): *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi:* vel certe botrus ex terra promissio-

nis ab exploratoribus allatus, qui prae nimio dolore quasi in torculari compressus sanguineum liquorem emisit. Atque hinc ansam sumamus ad varia reseranda sacramenta, quae in sudore hoc, et eius causis delitescunt. Existimo enim, ut supra innuebam, ardentem amorem Christi huius cruenti sudoris causam extitisse: nam licet naturaliter sanguis, quando animus horret, et pavet, ad cor fovendum solicitus properet; ardens tamen Christi amor foras illum misit, ut solatio destituto eius corde vehementius pro nobis angeretur: unde sicut Pellicanus rostro seipsum ferit, ut pro sanandis filiis venenosi serpentis morsu ictis sanguinem eliciat; ita sane Christus Dominus salutis nostrae avidissimus, et prae amoris magnitudine, quasi dilationis in profundendo sanguine impatiens, iuxta illud (*Luc.* 12): *Baptismo habeo baptizari*, scilicet sanguinis, *et quomodo coarctor, donec veniat?* ante flagellorum, spinarum, et clavorum vulnera cunctos sui corporis poros aperuit, et sanguineum sudorem eduxit, quo tanquam pretiosissimo balsamo, nostris omnium vulneribus mederetur. Et sicut vas musto plenum prae nimio calore ebulliens lagunculas disrumpit, ut ait Iob; ita cor Christi prae nimio amoris calore effervens, totum corpus disrumpens, sanguineum sudorem emisit. Et quamvis omnis Christi sanguis immensi valoris sit, iste certe, qui non incisa eius carne per flagella, non transfixione capitis per spinas, nullo manuum, aut pedum foramine facto per clavos, nulla lateris apertione per lanceam effluxit, singulari pretio, et honore a nobis habendus est: ad eum certe modum, quo, licet myrrha, quae per incisionem arboris defluit, pretiosa valde sit, illa tamen, quae ultro decidit, sicut et balsamum sponte cadens magis odoriferum est, tanquam myrrha prima, et electissima carior habetur. Atque ad id alludere videtur illud Ecclesiastici (*Eccl.* 24): *Quasi Libanus non incisus vaporavi*, cum absque incisione aliqua sanguinem decurrentem in terram effuderit. Addo etiam, quod sicut ex vino, supposito igne, quinta, quam vocant essentia singulari virtute praedita tenui, ac subtili distillatione per angustissimum orificium effluit; ita ex vino sanguinis Christi, ad cuius potum ipse nos invitat (*Cant.* 5): *Bibite, et inebriamini charissimi*, vi ardentis amoris, velut quinta quaedam essentia, cruentus sudor per angustissima pororum foramina defluxit. Secunda certissima causa huius sudoris fuit, odium summum, quo in universa hominum peccata, quae tunc vivacissima apprehensione cognovit, incanduit, et infremuit. Ut enim antiquitus mos erat apud Hebraeos, audita contra Deum execranda aliqua blasphemia, prae eximio divini honoris zelo propria scindere vestimenta; ita ingenti blasphemiarum, et aliorum peccatorum in Christum irruente caterva, intense adeo illa execratus est, ut vestimentum corporis per tot disrumperet partes, quot pororum foramina aperuit, per quae sacer ille cruor in terram decideret. Certe cum peccatum horridus serpens sit, unde Ecclesiasticus dixit: *Quasi a facie colubri fuge peccatum;* innumeris peccatis in Christum irruentibus, haud difficile erit coniicere, innumeros serpentes eius viscera contorsisse. Refert Plinius quendam Africae serpentem in desertis eius inveniri, immanem adeo, ac veneficum, ut si aliquem mordeat, totum eius sanguinem adeo commoveat, et volutet, ut per mille partes corpus disrumpi faciat. Si ergo unius serpentis morsus ita sanguinem extorquet; quidni facient innumeri serpentum, hoc est peccatorum morsus, qui tanto crudeliores serpentibus Africae sunt, quanto prae illis pestilentius est peccati venenum. Me miserum, ego peccavi, et peccatorum dolor torquet viscera Salvatoris: *Vidi eos qui seminant dolorem*, dixit Eliphaz amicus Iob (*cap.* 4), *et metunt, illos, flante Deo, periisse:* quasi diceret, consideravi peccatores, et vidi illos peccando seminare dolores, et sic dolores metere. Digna quidem retributio, et debitus fructus semini tali: sicut enim ex tritico triticum, et sicut ex hordeo hordeum, etc. sic ex peccato oritur dolor. Merito ergo qui seminant dolores, metunt illos. Sed hac ratione peccatores, qui seminant dolores, deberent illos metere. Quomodo ergo Christus Dominus metit illos? Quid dicam Domine Iesu, nisi quod tu alias Apostolis dixisti? (*Ioan.* 4): *In hoc est verbum verum, quia alius est, qui seminat, et alius est, qui metit, et vos in labores eorum introistis.* Tertia fuit, vehemens memoria acerbae, et ignominiosae mortis, quam perpessurus erat. Si enim rex Ezechias sententia mortis, quam Deus tulerat contra illum, audita, *convertens faciem suam ad parietem flevit fletu magno*, et licet in lectulo, et amicis circumdatum moriturum se videret, doluit adeo; quid quaeso doloris concepisse Christum putabimus, inter hostes constitutum, audita Patris sententia de acerbissima crucis morte sustinenda? Huius ergo memoria sanguineum sudorem ab eo extorsit. Unde Egesippus Apostolorum discipulus refert, quod rigatione sanguinis ex corpore Christi in horto decidentis arbor erupit, cuius singula folia hanc habebant inscriptionem: *O mors, quam amara est memoria tua.* Hinc d. Anselmus (*in spec. Evangeliorum*), hanc causam perpendens, dixit: *Angustias cordis tui dulcissimi indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua in terram guttatim decurrebat:* et Beda (*ser. de Pass.*): *O dulcissime*, inquit, *Domine Iesu, quanta fuit passionis tuae acerbitas iam exhibitae, cuius adhuc absentis distincta apprehensio ita naturam terrendo concusserat, ut sudare sanguinem cogeretur? assistat hic devota anima, et passionis colligat fasciculos, in quos, ne pereant, pretiosas guttas suscipiat, et rubicundum dilecti sui corpus fletu abluat, et gratiarum actione tergat;* haec ille. Ex quibus elicere licet, Christum Dominum bis singula tormenta, et mortem ipsam pertulisse, semel apprehensione, et iterum re ipsa; semel in horto, et iterum in monte Calvariae.

Verum postquam iam de multiplici huius sudoris causa, de qua, quae ad efficientem reducitur, nonnihil disseruimus; de causa, propter quam, quae ad finalem revocatur, aliquid, si placet, dicamus. Sancti Patres quasdam non praetermittendas causas docte ac pie



tradunt. D. Bernardus (*Dominica in Ramis*) ait, non solum oculis, sed quasi omnibus membris flevisse videtur, ut totum corpus eius, quod est Ecclesia, lacrymis totius corporis sui purgaret. Lacrymae autem istae sanguineae ex intenso adeo nostrorum peccatorum dolore emanarunt, ut Iustinus Martyr (*Dial. cont. Thryph.*) verba illa Davidis: *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea: factum est cor meum velut cera liquescens in medio ventris mei*, impleta fuisse dicat in monte Oliveti, cum *factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.* Beda (*sup. Luc.*) aliam causam his verbis assignat: *Per irrigatam sacratamque eius sanguine terram, nobis aperte est declaratum, quod effectum iam suae precis obtineret, ut fidem videlicet discipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, suo sanguine purgaret: hoc ipsum totum moriendo deleret: immo universum late terrarum orbem peccatis mortuum, sua morte innoxia, coelestem suscitaret ad vitam.* Adde quod d. Augustinus: *Orans*, ait, *cum sudore sanguineo Iesus Christus, significabat de toto corpore, quod est Ecclesia, emanaturas martyrum passiones.*

His Patrum causis apponamus et nos alias. Narrat Plinius (*de natu hist.*), prodigiosam pluviam sanguinis divinitus immittenda flagella portendere, ut aruspices interpretati sunt. Cum ergo ex coelo corporis Christi sanguineam pluviam in terram descendere videamus, facile erit coniicere, superna flagella in Christum Dominum fore mittenda, iuxta illud quod ipse praedixerat (*Luc.* 18): *Flagellabitur, et conspuetur.* Communis est Astrologorum sententia, quam experientia comprobat, sanguineum cometam in coelo apparentem, mortis alicuius Principis certum esse praesagium. Sanguineus igitur iste Christi sudor mihi sane Primogeniti Dei mortem portendit. Ut enim olim postquam Ægypti aquae in sanguinem conversae sunt, primogenitorum mors secuta est; ita sane post sanguineum hunc sudorem, primogeniti Filii absque dubio mors acerba secuta est. Quare, ut Christus Dominus certum aliquod naturae suae mortis indicium, ac signum praeberet, copiosum nunc sanguinem sudare voluit. Praeterea sicut humanus sudor crisis esse solet, et argumentum medicis, quod natura totis suis viribus contra humorem peccantem luctetur, et vincat illum; ita nobis sanguineus iste Christi sudor crisis, et indicium esse debet nostri morbi discedentis, et leonis inimici victi, et expulsi ab innocentissimo Agno, iuxta illud (*Ioan.* 12): *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Ad haec voluit Christus Dominus sanguineo suo sudore terram irrigare, ut nobis significaret, iam felix illud tempus advenisse, quo maledictio illa terrae (*Genes.* 3), *Maledicta terra in opere tuo*, penitus fuganda, et abolenda erat. Fugavit autem illam, faciens inauditam commutationem, spinas scilicet, quas germinaverat, sibi assumens, et sanguinem suum pro eis super illam profundens; adeo ut non immerito dixerit d. Leo Papa (*serm.* 3. *de Pass.*): *Commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens, et sua tribuens.* Eam etiam rationem silentio non praeteribo, quod Christus Dominus sudore isto, et agonia se nobis tenerum, et delicatum ad edendum exhibeat: ut enim cervus, aut vitulus hinc et inde agitatur, ut caro gratior gustui, et suavior, ac tenerior reddatur; ita ipse agitari voluit, non solum a Iudaeis, tanquam rabidis canibus, sed etiam ab aculeis internae tristitiae, ut nobis haec pro salute nostra patientem considerantibus, dulcior, suavior, et amabilior redderetur. Tandem Beda (*in Luc. c.* 22), de hoc pertractans sudore, usque ad terram ait *decurrisse*, ut significaretur, virtute eius terrenos etiam homines abluendos fore. Vae autem animae illi, quae cum multis peccatorum maculis sit inquinata, hoc sanguineo sudore renuit lavari. Audiet sine dubio haec sanguinis Sponsum dicentem sibi illud Ezechielis (*c.* 25): *Nimio labore sudatum est, et non exivit nimia rubigo eius, neque per ignem: immunditia tua execrabilis est, et quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus. Quid ergo stas o anima*, ait d. Anselmus, *accurre, suavissimas illas guttas lambe, noli dormire cum Petro, ne merearis audire, sic non potuisti una hora vigilare mecum?* haec ille. Proverbium Latinum ait: *Gutta cavat lapidem non bis, sed saepe cadendo:* et tamen cum tot in te Christi sanguinis guttae ceciderint, nihil boni a te ob tuam obstinationem extorquere potuerunt; indicium sane apertum, te lapidibus esse duriorem, cum et Christus, ut refert Beda (*in Luc.*), *ex vehementia internae afflictionis sudans ita genua fixerit, ut vestigia eorum in lapide remanserint.* Illud autem, quod quidam referunt, peracto sudore Christum Dominum ad fluvium Cedron divertisse, ut se a sanguine abstergeret, et lavaret, incertum est.

## HOMILIA VI.

*De captura Christi Domini, et illis, quae in ea intercesserunt, in verba:* Venit Iudas Iscariotes, unus de duodecim, et cum eo turba multa, cum gladiis, et lignis missi a principibus sacerdotum. *Et in illa alia:* Cohors autem, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum.

Sacro in pectore Christi fervens adeo se morti pro nobis tradendi desiderium erat, ut obviam hostibus ire desiderans, discipulos his verbis invitarit: *Surgite, eamus, ecce qui me tradet, prope est.* Super quae verba d. Chrysostomus ait: *Undique ipsos erudit, non necessitatis, nec infirmitatis hanc rem fuisse, sed dispensationis cuiusdam inaestimabilis sacramenti:* praesciebat enim eos venturos, nec solum non fugit, verum etiam obviam ivit: *Cum venerunt ad eum ut raperent, et facerent regem*, ut ait Ioannes, *aufugit in desertum;* nunc vero, cum in crucem eum suspensuri adveniunt, non solum latebras non quaerit, sed sponte se illis com-

nis ab exploratoribus allatus, qui prae nimio dolore quasi in torculari compressus sanguineum liquorem emisit. Atque hinc ansam sumamus ad varia reseranda sacramenta, quae in sudore hoc, et eius causis delitescunt. Existimo enim, ut supra innuebam, ardentem amorem Christi huius cruenti sudoris causam extitisse: nam licet naturaliter sanguis, quando animus horret, et pavet, ad cor fovendum solicitus properet; ardens tamen Christi amor foras illum misit, ut solatio destituto eius corde vehementius pro nobis angeretur: unde sicut Pellicanus rostro seipsum ferit, ut pro sanandis filiis venenosi serpentis morsu ictis sanguinem eliciat; ita sane Christus Dominus salutis nostrae avidissimus, et prae amoris magnitudine, quasi dilationis in profundendo sanguine impatiens, iuxta illud (*Luc.*12): *Baptismo habeo baptizari*, scilicet sanguinis, *et quomodo coarctor, donec veniat?* ante flagellorum, spinarum, et clavorum vulnera cunctos sui corporis poros aperuit, et sanguineum sudorem eduxit, quo tanquam pretiosissimo balsamo, nostris omnium vulneribus mederetur. Et sicut vas musto plenum prae nimio calore ebulliens lagunculas disrumpit, ut ait Iob; ita cor Christi prae nimio amoris calore effervens, totum corpus disrumpens, sanguineum sudorem emisit. Et quamvis omnis Christi sanguis immensi valoris sit, iste certe, qui non incisa eius carne per flagella, non transfixione capitis per spinas, nullo manuum, aut pedum foramine facto per clavos, nulla lateris apertione per lanceam effluxit, singulari pretio, et honore a nobis habendus est: ad eum certe modum, quo, licet myrrha, quae per incisionem arboris defluit, pretiosa valde sit, illa tamen, quae ultro decidit, sicut et balsamum sponte cadens magis odoriferum est, tanquam myrrha prima, et electissima carior habetur. Atque ad id alludere videtur illud Ecclesiastici (*Eccl.* 24): *Quasi Libanus non incisus vaporavi*, cum absque incisione aliqua sanguinem decurrentem in terram effuderit. Addo etiam, quod sicut ex vino, supposito igne, quinta, quam vocant essentia singulari virtute praedita tenui, ac subtili distillatione per angustissimum orificium effluit; ita ex vino sanguinis Christi, ad cuius potum ipse nos invitat (*Cant.* 5): *Bibite, et inebriamini charissimi*, vi ardentis amoris, velut quinta quaedam essentia, cruentus sudor per angustissima pororum foramina defluxit. Secunda certissima causa huius sudoris fuit, odium summum, quo in universa hominum peccata, quae tunc vivacissima apprehensione cognovit, incanduit, et infremuit. Ut enim antiquitus mos erat apud Hebraeos, audita contra Deum execranda aliqua blasphemia, prae eximio divini honoris zelo propria scindere vestimenta; ita ingenti blasphemiarum, et aliorum peccatorum in Christum irruente caterva, intense adeo illa execratus est, ut vestimentum corporis per tot disrumperet partes, quot pororum foramina aperuit, per quae sacer ille cruor in terram decideret. Certe cum peccatum horridus serpens sit, unde Ecclesiasticus dixit: *Quasi a facie colubri fuge peccatum;* innumeris peccatis in Christum irruentibus, haud difficile erit conicere, innumeros serpentes eius viscera contorsisse. Refert Plinius quendam Africae serpentem in desertis eius inveniri, immanem adeo, ac veneficum, ut si aliquem mordeat, totum eius sanguinem adeo commoveat, et volutet, ut per mille partes corpus disrumpi faciat. Si ergo unius serpentis morsus ita sanguinem extorquet; quidni facient innumeri serpentum, hoc est peccatorum morsus, qui tanto crudeliores serpentibus Africae sunt, quanto prae illis pestilentius est peccati venenum. Me miserum, ego peccavi, et peccatorum dolor torquet viscera Salvatoris: *Vidi eos qui seminant dolorem*, dixit Eliphaz amicus Iob (*cap.* 4), *et metunt, illos, flante Deo, periisse:* quasi diceret, consideravi peccatores, et vidi illos peccando seminare dolores, et sic dolores metere. Digna quidem retributio, et debitus fructus semini tali: sicut enim ex tritico triticum, et sicut ex hordeo hordeum, etc. sic ex peccato oritur dolor. Merito ergo qui seminant dolores, metunt illos. Sed hac ratione peccatores, qui seminant dolores, deberent illos metere. Quomodo ergo Christus Dominus metit illos? Quid dicam Domine Iesu, nisi quod tu alias Apostolis dixisti? (*Ioan.* 4): *In hoc est verbum verum, quia alius est, qui seminat, et alius est, qui metit, et vos in labores eorum introistis.* Tertia fuit, vehemens memoria acerbae, et ignominiosae mortis, quam perpessurus erat. Si enim rex Ezechias sententia mortis, quam Deus tulerat contra illum, audita, *convertens faciem suam ad parietem flevit fletu magno*, et licet in lectulo, et amicis circumdatum moriturum se videret, doluit adeo; quid quaeso doloris concepisse Christum putabimus, inter hostes constitutum, audita Patris sententia de acerbissima crucis morte sustinenda? Huius ergo memoria sanguineum sudorem ab eo extorsit. Unde Egesippus Apostolorum discipulus refert, quod rigatione sanguinis ex corpore Christi in horto decidentis arbor erupit, cuius singula folia hanc habebant inscriptionem: *O mors, quam amara est memoria tua.* Hinc d. Anselmus (*in spec. Evangeliorum*), hanc causam perpendens, dixit: *Angustias cordis tui dulcissimi indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua in terram guttatim decurrebat:* et Beda (*ser. de Pass.*): *O dulcissime*, inquit, *Domine Iesu, quanta fuit passionis tuae acerbitas iam exhibitae, cuius adhuc absentis distincta apprehensio ita naturam terrendo concusserat, ut sudare sanguinem cogeretur? assistat hic devota anima, et passionis colligat fasciculos, in quos, ne pereant, pretiosas guttas suscipiat, et rubicundum dilecti sui corpus fletu abluat, et gratiarum actione tergat;* haec ille. Ex quibus elicere licet, Christum Dominum bis singula tormenta, et mortem ipsam pertulisse, semel apprehensione, et iterum re ipsa; semel in horto, et iterum in monte Calvariae.

Verum postquam iam de multiplici huius sudoris causa, de qua, quae ad efficientem reducitur, nonnihil disseruimus; de causa, propter quam, quae ad finalem revocatur, aliquid, si placet, dicamus. Sancti Patres quasdam non praetermittendas causas docte ac pie



tradunt. D. Bernardus (*Dominica in Ramis*) ait, non solum oculis, sed quasi omnibus membris flevisse videtur, ut totum corpus eius, quod est Ecclesia, lacrymis totius corporis sui purgaret. Lacrymae autem istae sanguineae ex intenso adeo nostrorum peccatorum dolore emanarunt, ut Iustinus Martyr (*Dial. cont. Thryph.*) verba illa Davidis: *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea: factum est cor meum velut cera liquescens in medio ventris mei*, impleta fuisse dicat in monte Oliveti, cum *factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.* Beda (*sup. Luc.*) aliam causam his verbis assignat: *Per irrigatam sacratamque eius sanguine terram, nobis aperte est declaratum, quod effectum iam suae precis obtineret, ut fidem videlicet discipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, suo sanguine purgaret: hoc ipsum totum moriendo deleret: immo universum late terrarum orbem peccatis mortuum, sua morte innoxia, coelestem suscitaret ad vitam.* Adde quod d. Augustinus: *Orans*, ait, *cum sudore sanguineo Iesus Christus, significabat de toto corpore, quod est Ecclesia, emanaturas martyrum passiones.*

His Patrum causis apponamus et nos alias. Narrat Plinius (*de natu hist.*), prodigiosam pluviam sanguinis divinitus immittenda flagella portendere, ut aruspices interpretati sunt. Cum ergo ex coelo corporis Christi sanguineam pluviam in terram descendere videamus, facile erit conicere, superna flagella in Christum Dominum fore mittenda, iuxta illud quod ipse praedixerat (*Luc.*18): *Flagellabitur, et conspuetur.* Communis est Astrologorum sententia, quam experientia comprobat, sanguineum cometam in coelo apparentem, mortis alicuius Principis certum esse praesagium. Sanguineus igitur iste Christi sudor mihi sane Primogeniti Dei mortem portendit. Ut enim olim postquam Ægypti aquae in sanguinem conversae sunt, primogenitorum mors secuta est; ita sane post sanguineum hunc sudorem, primogeniti Filii absque dubio mors acerba secuta est. Quare, ut Christus Dominus certum aliquod naturae suae mortis indicium, ac signum praeberet, copiosum nunc sanguinem sudare voluit. Praeterea sicut humanus sudor crisis esse solet, et argumentum medicis, quod natura totis suis viribus contra humorem peccantem luctetur, et vincat illum; ita nobis sanguineus iste Christi sudor crisis, et indicium esse debet nostri morbi discedentis, et leonis inimici victi, et expulsi ab innocentissimo Agno, iuxta illud (*Ioan.* 12): *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Ad haec voluit Christus Dominus sanguineo suo sudore terram irrigare, ut nobis significaret, iam felix illud tempus advenisse, quo maledictio illa terrae (*Genes.* 3), *Maledicta terra in opere tuo*, penitus fuganda, et abolenda erat. Fugavit autem illam, faciens inauditam commutationem, spinas scilicet, quas germinaverat, sibi assumens, et sanguinem suum pro eis super illam profundens; adeo ut non immerito dixerit d. Leo Papa (*serm.* 3. *de Pass.*): *Commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens, et sua tribuens.* Eam etiam rationem silentio non praeteribo, quod Christus Dominus sudore isto, et agonia se nobis tenerum, et delicatum ad edendum exhibeat: ut enim cervus, aut vitulus hinc et inde agitatur, ut caro gratior gustui, et suavior, ac tenerior reddatur; ita ipse agitari voluit, non solum a Iudaeis, tanquam rabidis canibus, sed etiam ab aculeis internae tristitiae, ut nobis haec pro salute nostra patientem considerantibus, dulcior, suavior, et amabilior redderetur. Tandem Beda (*in Luc. c.* 22), de hoc pertractans sudore, usque ad terram ait *decurrisse*, ut significaretur, virtute eius terrenos etiam homines abluendos fore. Vae autem animae illi, quae cum multis peccatorum maculis sit inquinata, hoc sanguineo sudore renuit lavari. Audiet sine dubio haec sanguinis Sponsum dicentem sibi illud Ezechielis (*c.* 25): *Nimio labore sudatum est, et non exivit nimia rubigo eius, neque per ignem: immunditia tua execrabilis est, et quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus. Quid ergo stas o anima*, ait d. Anselmus, *accurre, suavissimas illas guttas lambe, noli dormire cum Petro, ne merearis audire, sic non potuisti una hora vigilare mecum?* haec ille. Proverbium Latinum ait: *Gutta cavat lapidem non bis, sed saepe cadendo:* et tamen cum tot in te Christi sanguinis guttae ceciderint, nihil boni a te ob tuam obstinationem extorquere potuerunt; indicium sane apertum, te lapidibus esse duriorem, cum et Christus, ut refert Beda (*in Luc.*), *ex vehementia internae afflictionis sudans ita genua fixerit, ut vestigia eorum in lapide remanserint.* Illud autem, quod quidam referunt, peracto sudore Christum Dominum ad fluvium Cedron divertisse, ut se a sanguine abstergeret, et lavaret, incertum est.

## HOMILIA VI.

*De captura Christi Domini, et illis, quae in ea intercesserunt, in verba:* Venit Iudas Iscariotes, unus de duodecim, et cum eo turba multa, cum gladiis, et lignis missi a principibus sacerdotum. *Et in illa alia:* Cohors autem, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum.

Sacro in pectore Christi fervens adeo se morti pro nobis tradendi desiderium erat, ut obviam hostibus ire desiderans, discipulos his verbis invitarit: *Surgite, eamus, ecce qui me tradet, prope est.* Super quae verba d. Chrysostomus ait: *Undique ipsos erudit, non necessitatis, nec infirmitatis hanc rem fuisse, sed dispensationis cuiusdam inaestimabilis sacramenti:* praesciebat enim eos venturos, nec solum non fugit, verum etiam obviam ivit: *Cum venerunt ad eum ut raperent, et facerent regem*, ut ait Ioannes, *aufugit in desertum;* nunc vero, cum in crucem eum suspensuri adveniunt, non solum latebras non quaerit, sed sponte se illis com-

prehendendam obiicit. Dissimiliter sane primus, et secundus Adam se gesserunt, ille in horto paradisi, iste in horto Gethsemani; etenim Adam audiens tunc vocem divinae iustitiae, *abscondit se;* Iesus autem vocem humanae iustitiae praesentiens palam se manifestavit. Ecce impletum, quod praedixerat Isaias (*cap.* 42): *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir praeliator suscitabit zelum, et super inimicos suos confortabitur.* Quibus verbis non parum consonant illa Iobi (*cap.*39): *Exultat audacter, et obviam pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio:* et illa alia eiusdem Iobi: *Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui, neque egressus sum ostium.* Ut enim egregie adnotavit d. Gregorius (*lib.* 22. *Mor. cap.* 12): *Ipse ad multitudinem nimiam non expavit, qui persecutores suos, cum gladiis, et fustibus venientes, una tantum responsione percussit, dicens: Ego sum. Ipsum despectio propinquorum non terruit, qui nos ab aeternis suppliciis liberans, palmas in facie aequanimiter accepit. Ipse tacuit, et ostium egressus non est, qui sub ipsa iam hora passionis, cum humanitatis infirma pateretur, divinitatis potentiam exercere noluit. Mediatori quippe Dei, et hominum, quasi egredi ostium fuisset, si cum teneretur, ut homo, maiestatis suae potentiam voluisset ostendere, et per divinitatis magnitudinem susceptae carnis infirma transire.*

Refert d. Marcus, Iudam, magna turba cum comitante, ad Christi comprehensionem venisse, quam *cohortem* vocat d. Ioannes; constat autem cohors vel trecentis viris, ut docet Rupertus (*lib.* 13. *in Ioan. in princ.*); vel, ut Calisto Placentino placet, mille super centum quinque: idque d. Ioanni magis consentaneum videtur, cum ipse ducem illius cohortis Tribunum appellet; Tribunus autem mille ut minimum militibus praeficiebatur. Hanc cohortem habebat Pilatus in Hierusalem pro sui capitis, et principatus tutela, et securitate, et ad compescendos seditiosos, et populares motus. Erat autem cohors peditum, sicut turma equitum. De hac cohorte dicitur (*Matth.* 19): *Congregaverunt ad eum universam cohortem:* et in Actis fit mentio *cohortis Augustae:* quia teste Vegetio (*lib.* 22. *der. milit. cap.* 7), in una legione plures erant cohortes; quarum prima et numero, et praestantia militum antecellebat reliquas, et gestabat in vexillo aquilam. Cohors dividebatur in centurias, et in manipulos, obediebatque miles in exercitu suo Centurioni, Centurio Tribuno, Tribunus Legato, hic Consuli, sive Imperatori. His ergo omnibus dederat Iudas signum, dicens (*Ioan.* 16): *Quemcumque osculatus fuero, tenete eum, et ducite caute:* id quod eo proculdubio fecit consilio, ne vel unus Apostolorum loco eius caperetur, ut Iacobus minor, qui ei simillimus fuisse traditur; vel ne Christus seipsum magicis artibus transformando, et varias formas assumendo, ut post Origenem docet Hieronymus, elaberetur e manibus eorum: vel denique propter Romanos, qui ignorare poterant, quem essent capturi: etsi enim eorum animus esset capere Iesum cum omnibus discipulis; tamen quia difficile erat omnes comprehendere, si se in fugam convertissent, volebant Iesum praecipuum magistrum eorum nosse, quem praecipue capere, et in fuga sequi deberent: nam Iesu non capto, et irrita, et cassa reddita fuissent eorum consilia: ac subiungit: *Et ducite caute:* id est, eo capto exacta custodia utimini, quia alias saepe evaserat illorum manus, ut quando *transiens per medium illorum ibat*, et quando *abscondit se, et exivit de templo.* Unde significare voluit proditor, Christum artibus usum magicis alias evasisse. Iubet ergo, ut sint oculati, et cauti, ne eum amittant, et ipse promissa fraudetur mercede.

Deinde accedens perfidus Iudas, ausus est inverecunde satis, et perfricta fronte Christum osculari, dicens: *Ave Rabbi:* et ut testatur beata Birgitta (*in suis revelat.*), cum Iudas esset brevioris staturae, Christus Dominus se inclinavit ad osculum eius suscipiendum. D. Augustinus hoc execrandum osculum perpendens, exclamat, dicens: *O signum sacrilegum? O placitum fugiendum, ubi ab osculo incipitur bellum, et per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum:* et (*in alio serm.*) conversus ad impium Iudam, dicit: *Officio sanguinem fundis, pro pignore amoris vulnus infligis, pacis argumento mortem immittis, servus Dominum tradis, discipulus Magistrum prodis.* Propterea de hoc Iudae signo hypocrisi pleno dicitur (*Psal.* 40): *Homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Hominem pacis vocat ironice, aut per antiphrasim, qui per pacem didicit facere bellum: bellum inquam insidiarum, quod praedixerat Hieremias (*c.*9): *In ore suo pacem cum amico loquitur, et occulte ponit ei insidias.* Unde et quasi rem inauditam, et omni dolo, ac fallacia plenam Christus admirans, dicebat ei: *Iuda osculo Filium hominis tradis?* hoc est, ut d. Ambrosius mirabiliter loquitur (*sup. Psal.* 39): *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? Osculo, quod sacrae pacis insigne est? Osculo, quo amicitia fida firmatur? Osculo, quo fides sancta signatur? Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes? Et tradis Filium hominis homo, qui propter hominum salutem descendit de coelo? Filium hominis tradis, qui te ex peccatore Apostolum fecit? Filium hominis tradis, qui venit ut in sanguine suo omnium peccata dilueret? Ego osculum non nego, ipse videris, qui violaveris osculi sanctitatem. An non legisti, quod utiliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici?*

Haec proditoria osculatio praefigurata fuit in Ioab, qui Abner, et Amasan proditionis osculo interfecit, ut habes (*in* 2. *Reg.*), ubi cum Ioab dixisset Amasae: *Salve mi frater*, tenuit manu dextera mentum Amasae, quasi osculans eum, et sic percussit eum in latere, et effudit intestina eius in terram. Fuit etiam praenuntiata haec traditio per Davidem (*Psal.* 40) cum ait: *Etenim homo pacis meae*, idest, qui verbis, et gestis pacem se mecum habere simulabat: *in quo speravi*, id est, in quo merito debui sperare, ac si fuisset servus fidelis, ac prudens: *qui edebat panes meos*, id est qui



in gradu Apostolatus de eleemosynis, quae mihi dabantur a populo in alimoniam, vivebat: *magnificavit super me supplantationem*, id est more belluae blande tractatae, ac saturatae recalcitravit in Dominum, et iniquam proditionem est machinatus. Per hoc autem osculum, et amplexum, quem Iesus sponte suscepit, obtinuit ab aeterno Patre, ut animas nostras, etsi olim peccatrices, brachiis charitatis amplexaretur, et osculo vero pacis, et reconciliationis oscularetur, et salutis verbo, id est Evangelium, illis communicaret.

Habet tamen nescio quid latentis mysterii hoc signum, quod Iudas proditor dedit comprehensoribus Christi, inquiens: *Ipse est, tenete eum, et ducite caute.* Quod signum si spirituali sensu ad nos referamus, quibus incumbit Iesum quaerere, atque comprehendere, sicut Paulus (*ad Phil.* 3) scribit: *Sequor autem si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Iesu:* et (1. *Cor.* 9) inquit: *Sic currite, ut comprehendatis*, profecto velut alter Caiphas prophetavit, nesciens quid diceret, et signum dedit nobis, quo Christum cognoscamus, et ad salutem animarum nostrarum comprehendamus. Necesse enim est quaerentibus Christum tenere eum, et capere vinculis ardentissimae charitatis, sicut Sponsa dicebat (*Cant.* 3): *Quaesivi quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Quoniam oportet etiam, postquam tenuerimus Christum, caute illum ducere, ne forte propter peccata nostra aut se abscondat, aut effugiat a nobis, et nos deserens, ad alios se conferat: *Tene*, inquit (*Apoc.* 3), *quod habes, ut ne mo accipiat coronam tuam.*

Cum autem Christus Dominus armatam cohortem contra se concitatam videret, dixit: *Quem quaeritis?* ipsis autem dicentibus: *Iesum Nazarenum*, continuo ipse respondens, *Ego sum*, se illis manifestavit: non enim antea illum cognoverant: nam, ut tradunt Cyrillus (*lib.* 2. *sup. Ioan.*), et Origenes (*tract.* 35. *in Matt.*), divina virtute impediti fuerant, ne illum agnoscerent, ut inde evidentius constaret, se non invitum, sed sponte sua in manus inimicorum incidisse, quibus se occultare poterat si libuisset. Excaecavit igitur Deus illos, sicut olim Sodomitas (*Genes.* 19), qui per totam noctem non potuerunt ostium domus Loth invenire: vel sicut latrunculos ad comprehensionem Elisaei missos (4. *Reg.* 6), qui cum eo loquentes, eum non cognoverunt, quousque ab eo orante aperti sunt oculi eorum. Audito autem verbo illo, *Ego sum*, statim retrorsum conciderunt omnes in terram, poterantque non immerito usurpare illud Iob (*cap.* 26): *Cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit magnitudinem tonitrui eius intueri?* Communis est Patrum sententia, quam praecipue tradunt d. Cyrillus, Athanasius, Leo Papa, et alii permulti, Christum Dominum a puncto nativitatis usque ad mortem opera divinitatis, et humanitatis ita inter se permiscuisse, atque conciliasse, ut utriusque manifestissime omnium oculis paterent indicia, et clarissima argumenta: natus est, ut homo parvulus, et plorans, sed ut Deus ab angelis adoratur; circumciditur, ut homo, sed nomen *Iesus* illi imponitur, quod Salvatorem significat; fugit in Ægyptum ut homo, sed ut Deus cum primum ingreditur, Ægypti idola concidere fecit; praesentatur ut homo in templo, sed ibi tanquam Deus a Simeone, et Anna recognoscitur, et divinis canticis honoratur; baptizatur in Iordane ut homo, sed tunc Patris vox intonuit, Filium Dei naturalem illum attestantis; esurit in deserto ut homo, sed virtute divinitatis per quadraginta dies absque cibo, et potu corpus sustinet; tentatur ibidem a diabolo ut homo, sed ecce angeli tanquam legitimo suo Domino ministrabant ei; nunc tristatur, pavet, et sudat ut homo, in horto, sed ibidem potentiam divinitatis suae palam facit unico verbo, *Ego sum*, armatos duces, et milites in terram prosternens. Ad quod sane alludens per Isaiam praedixerat (*cap.* 51): *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.*

Sed verba illa, *Ego sum*, sacramentis plena, parum perpendamus. Et quidem in primis cum illis auditis, non valuerint hostes consistere, sed tabescentes, et quasi exanimes ceciderint; dicamus ante omnia, adumbratum fuisse casum istum in Heli (1. *Reg.* 1), qui audita captura arcae cecidit retrorsum; et in Ionathae facie, quae fecit cadere multos Philistaeos; et in Samsone (*Iudic.* 15), qui mandibula asini prostravit mille; et in Sangad, qui vomere sexcentos homines interfecit; et in Elia, et Elisaeo, qui ignem de coelo descendere, et plures devorare, et ursos in pueros quosdam invadere, sacra narrante Scriptura, solo verbo effecerunt, id ipsum adumbratum est. Casus autem iste aperte manifestavit Christi divinitatem, ante cuius conspectum Psalmista pronuntiarat iniustos non permansuros: *Nec permanebunt*, inquit (*Ps.* 5), *iniusti ante oculos tuos.* Unde ipsi soli vere competit dicere, *Ego sum*, hoc est, ego sum, qui habeo esse per essentiam, ceteri per participationem: *Ego sum*, cuius esse est independens ab alio, et quod ceteri mendicatum habent, et dependens a me: *Ego sum*, in quo formaliter, vel eminenter est omne esse, in reliquis non nisi unum vel aliud esse, non omnia simul. Atque hinc est, quod indicaturus Deus nomen proprium Moysi, dixit ei (*Exod.* 3): *Ego sum, qui sum: sic dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos.* Quae autem miranda, et stupenda miracula patrata fuerunt in virtute huius vocis, *Ego sum*, cui recte adaptari potest illud David (*Psal.* 5): *Dedit voci suae vocem virtutis*, brevi oratione comprehendi non potest: hac enim Moyses serpentes, et cyniphes produxit, aquas in sanguinem convertit, tenebris densissimis aerem replevit, duram petram percussit, et loco ignis scaturientem aquam ab ea extorsit; mare rubrum divisit, ut populus Dei sicco pede transiret; Pharaonem, et exercitum eius submersit in mari. Hac voce navigantes discipulos, ingentique terrore percussos confortavit, proferens (*Luc.* 24): *Ego sum, nolite timere*; hac voce Samaritanam, et totam Samariam ad se convertit: *Ego sum*, dicens, *qui loquor tecum*; hac voce Saulum a Christianorum persecutione re-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vocavit, et gentium praedicatorem effecit (*Act.* 7): *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris:* hac voce peccata delet (*Is.*3): *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me:* hac tandem vocem nunc in horto armatos hostes inermis prosternit, quod mirabilem eius potentiam aperte satis patefacit. Nec enim usquam, Cyrus, Caesar, Annibal, Pompeius, aut Magnus ille Alexander, a facie cuius siluit terra, imperii tantum habuerunt, ut unico verbo, sicut Christus, hostes in terram prosternerent: veluti enim a vehementi vento ex adverso flante, ita a voce, *Ego sum*, dicentis, retroacti supini una cum suo duce Iuda ceciderunt, non valentes in conspectu eius subsistere; impletumque est tunc in eis, quod apud Prophetam dicitur in persona Christi (*Ps.* 34): *Convertantur retrorsum, et confundantur, cogitantes mihi mala.* Convenienter autem supini, et non in faciem proni corruerunt hostes Christi, sed retrorsum in tergum: in faciem enim iacere pronum, supplicum est, et orantium; unde et Christus paulo ante in sua oratione *procidit super terram in faciem suam;* retrorsum autem cadere eorum est, qui a fortiore contra se veniente deiiciuntur, et superantur. Et alioquin non sine mysterio id accidit, sed significatum est, Iudaeos retrorsum a Deo iam alienatos fuisse, sicut de eis Dominus conqueritur per Isaiam: et propterea, quod praesentem Dominum agnoscere non voluerunt, magis, magisque retrorsum casuros, iuxta illud eiusdem: *Ut vadant, et cadant retrorsum, et illaqueentur, et capiantur.* Frequenter enim in Scripturis, *retrorsum cadere*, tribuitur impiis: *cadere in faciem*, electis; cuius mysticam rationem pulchre explicavit d. Gregorius (*ho.* 9. *in Ezechiel.*), sic scribens: *Quaerendum nobis est, cur Ezechiel, et Paulus in faciem cadunt, et de ascensore equi, id est de eo, qui in huius mundi gloria elatus est, dicitur: Ut cadat ascensor eius retro. Rursumque de persecutoribus Domini scriptum est: Abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Quid est hoc, quod electi in faciem, et reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis, qui post se cadit, ibi proculdubio cadit ubi non videt; qui vero ante se ceciderit, ibi cadit ubi videt? Iniqui ergo, quia in invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt, ubi, quid eos tunc sequatur, modo videre non possunt. Iusti vero, quia in istis visibilibus semetipsos sponte deiiciuntur, ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia timore compuncti videntes humiliantur.* Similia habet (*lib.* 31. *Moral.*): *In faciem*, inquit, *cadere est in hac vita suas unumquemque culpas agnoscere, easque poenitendo deflere; retro vero, quo non videtur cadere, est ex hac vita repente decedere, et ad quae supplicia ducatur ignorare;* haec ille. Quae autem fuerit in hostibus Christi ratio tanti pavoris, et terroris, ut in terram omnes conciderint, non est una Patrum sententia. Nam d. Gregorius (*in Iob*) putat, ex vehementia verborum Christi provenisse. D. autem Hieronymus in illa verba Psal. *Speciosus forma prae filiis hominum*, ait, praedictum pavorem, et terrorem ex quodam ingenti splendore vultus Christi processisse. Ne tamen ab horum Patrum sententiis recedamus, utrumque simul dici posse arbitror, et quod ex fortitudine verborum Christi, et ex nimio vultus fulgore provenerit: ad eum certe modum, quo cum scinditur nubes, et tonitru magnum prosilit, solet nos deterrere tam tonitrui strepitu, quam fulguris splendore. Sane Christus Dominus in sacris litteris *nubes* appellari consuevit, ut patet apud Ezechielem, et Isaiam. In hac nube latebat fulgentissimus divinitatis ignis. Volens igitur aliquod suae deitatis indicium tunc praebere, tantam in vocis tonitruo efficaciam, ac tam singularem in facie fulgorem ostendit, ut continuo inimici, sono, et splendore perterriti, supini ceciderint. O milites Hierusalem, ubinam fortitudo vestra? ubi armorum praesidium? ubi impetus, quo ducebamini in Iesum? O Iudas, ubi sunt promissa tua: *Ego eum vobis tradam?* Ubi symbolum, quod spopondisti? ubinam stratagema a te decretum? surge si potes, et adimple promissum. Sed quid haec altius perpendens d. Augustinus (*tra.* 112. *in Io.*) dixerit, audiamus: *Ubi nunc, ait, militum cohors, et ministri Principum, et Pharisaeorum? ubi terror, et munimen armorum? nempe una vox dicentis: Ego sum, tantam turbam odiis ferocem, telisque terribilem nullo telo percussit, repulit, stravit. Deus enim latebat in carne, et sempiternus Deus ita membris occultabatur humanis, ut laternis, et facibus quaereretur occidendus a tenebris. Ego sum inquit, et impios deiicit, quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit?*

Ceterum iam ad percussionem Petri accedamus, in qua pleraque observatione digna reperiemus. D. Ioannes referens illam ait (*c.*17): *Simon Petrus habens gladium eduxit eum, et percussit Pontificis servum, et abscidit auriculam eius dexteram.* Gladio utebatur tunc Petrus, quia, vel eo opus fuerat ad dividendum agnum in coena, ut ait Chrysostomus (*ho.*64. *in Mat.*); vel quia, teste Cyrillo (*lib.* 11. *in Io. cap.* 35), cum ad hortum diverteret, noctu necesse erat praecidere ramos, qui saepe ingressum impedire solent. Lyranus testatur, quod quia piscator erat, ad retia tigillis ligenda, vel resarcienda gladium habebat; vel, ut aliis placet, illum gestare solitus erat in quotidianos usus. Postquam ergo Dominus hostibus in terram prostratis, ut se possent erigere, facultatem dedit, cum inter aggressores ad capiendum Christum adesset quidam Caiphae servus, qui audacius, et prae ceteris inverecundius manus in Christum iniicere tentasset, Petrus id aegre ferens, evaginavit gladium, quod iuxta Dei permissionem factum arbitror non solum, ut Christo auriculam ei postea restituente eius potentia pariter, et benignitas hostibus ipsis innotesceret; sed quia cum commune sit apud plerasque nationes, valdeque usitatum, ac familiare supplicii genus latronibus aures amputare, Malchusque cum reliquis illius cohortis militibus in hortum introiisset Gethsemani, ut depraedaretur pretiosissimam vitae arborem, Christum scilicet Dominum, *secus decursus aquarum*, in medio paradisi Ecclesiae plantatum: hinc est, iuste Deum permisisse auriculam illi, velut infami latroni abscindi. Dicamus etiam Petrum percussisse auriculam Malchi, quia (*Exodi* 21): *Cautum erat, ut servus, qui anno libertatis a servitute liberari negligeret, perpetuae servituti maneret addictus*, in cuius signum auricula eius perforabatur. Super quem locum Nicolaus de Lyra ait: *Haec poena, et verecundia fit ei, eo quod non vult uti libertate a Deo sibi data, et perforatur auris magis, quam aliae partes, quia per illam intellexit, vel intelligere debuit legem de libertate.* Cum ergo Christus Dominus liberare venisset populum illum Hebraeum, et ipse hanc libertatem neglexisset, meruit perpetuae servituti mancipari, et in signum eius auriculam huius iniqui ministri abscindi. Nolanter autem putaverim, divum Ioannem scripsisse, auriculam illam fuisse dexteram, ut sic indicaret lethale vulnus infligere voluisse Petrum: si enim auriculam, et non caput amputare intendisset, laevam abscidisset, nam ea respondet dexterae percutientis; at dum dexteram amputat, ut ingeniose adnotavit Chrysostomus (*hom.* 82), caput acriter percutiendum, aut certe amputandum invasisse indicat, eo tamen volens hoc divertente auricula dextra abscissa est.

Illud autem nosse hoc loco multi desiderant, peccaverit ne Petrus in hac percussione. Moderniores Doctores frequenter video in affirmantem propendere partem. Primo propter d. Augustinum, qui (*lib.* 22. *contra Faust. cap.*70) ait, Petrum non bene usum fuisse gladio: *quia Dominus*, inquit, *iusserat, ut ferrum discipuli eius ferrent, sed non iusserat, ut ferirent:* et postea ait, non minus peccasse quam Moysen, quando percussit Ægyptium: *uterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitiae regulam excessit.* Consentit d. Bonaventura (*super c.* 22. *Lucae*), ubi ait: *Laudatur zelus, sed non laudatur opus.* Secundo, quia Christus Dominus increpavit percussionem Petri, dicens (*Matt.*26): *Converte gladium tuum in vaginam: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*, hoc est, digni sunt, ut gladio perimantur: quod necessario intelligendum est de iniuste gladio utentibus. Ergo verba Christi praesupponunt non absque peccato fuisse percussionem Petri, utpote, quod propria auctoritate usus gladio fuerit. Tertio, quia Petrus bene noverat divinam ordinationem esse, ut Christus pateretur, et iniquorum manibus traderetur: ipsi enim praedixerat (*Matt.*27): *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? quomodo ergo implebuntur Scripturae?* quasi diceret, postquam definitum est a Patre, ut per passionem redimam genus humanum, non debuisses tantum bonum impedire, alias quomodo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri? cum tamen necesse sit impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysis, Prophetis, et Psalmis de me, ut Prophetae vestri fideles inveniantur, et iota unum, aut unus apex non praetereat. Atque hinc est, quod cum Petrus Christo praenuncianti passionem suam dixisset (*Matt.* 16): *Absit a te Domine*, graviter ab eo reprehensus audivit, *vade post me satan, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum.* Ergo vere Petrus impediens passionem Christi per percussionem illam, fecit contra Dei ordinationem, et voluntatem sibi cognitam, et quantum est ex se, re ipsa tentavit futilia, et vana reddere Prophetarum oracula. Quarto, fuit peccaminosa haec percussio Petri, nam vel credebat Christum esse vere Deum, vel non: si hoc secundum, fecit infide; si primum, ergo putare debebat, quod non erat Christo opus sua defensione; unde ille obiecit ei (*Matt.* 26): *An non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum?* ac si dicat, non egeo auxilio duodecim Apostolorum, qui possum habere duodecim legiones angelorum. Constat autem quaevis legio, teste d. Hieronymo (*in Mat. c.* 26), sex millibus militum, non equitum, ut putavit Theophylactus (*in Matt.*26), sed peditum, cum parte aliqua equitatus; vel secundum alios legio continebat sex millia sexcenta sexaginta, et sex milites. Attendeque, quantum robur sit exercitus integram legionem angelorum continentis, si unus dumtaxat angelus interfecit una nocte centum octoginta quinque millia virorum, ut quarti Regum sacra narrat historia. Quinto, quia illa percussio Petri non fuit defensio iusta, sed temeraria quaedam aggressio, et irae impetus, aut vindicta. Cum enim impossibile esset ei a tot armatis militibus uno mucrone Christum defendere, in primis se exposuit periculo mortis, intempestive valde occasionem praebens Iudaeis, ut acrius in Christum, et discipulos eius saevirent. Ultimo, quia etsi petierit a Christo facultatem percutiendi, dicens: *Domine si percutimus in gladio?* non tamen expectavit prae impatientia responsum eius, ad eum certe modum, quo caro impetu quodam irruens ad vitia, non expectat iudicium rationis, et voluntatem Domini.

Verum licet haec omnia quandam probabilitatem praeseferre videantur, eaque moderniores Doctores unanimi consensu amplectantur; in contrarium tamen video antiquos Ecclesiae Patres, quorum sententiae dissentire nulla ratione possum. In primis enim d. Ambrosius (*in cap.* 20. *Lucam*) ait: *Petrus eruditus in lege, promptus affectu, qui sciret Phineae reputatum ad iustitiam, quod sacrilegos percussisset, percussit Principis servum:* et infra: *Tollit ergo Petrus aurem: quare Petrus? quia ipse est qui accepit claves regni caelorum: ille enim condemnat, qui absolvit, quoniam idem et ligandi, et solvendi accepit potestatem.* Leo Papa (*in ser. de Passion.*): *Dominus*, inquit, *zelantis Apostoli pium motum progredi ultra non patitur; unde sequitur, converte gladium tuum in vaginam: non increpavit tanquam malum, sed quia non elegit melius.* D. Chrysostomus (*sup. Mat.* 27): *Quis hic unus, qui auriculam amputavit? Ioannes ait fuisse Petrum, eius namque fervore dignum fuit facinus:* et infra (*super Ioannem*) in hunc modum loquitur: *Quod si dixeris, cui praecepit, ne alapam inferat, homicidam agit, et maxime cum non ulcisci praecipiatur, verum non se, sed Magistrum ultus est:* et (*homil.* 85. *in Matth.*): *Tu*, inquit, *discipuli amorem pium, et humilitatem considera.* Alterum enim, id est, ferire Malchum ex diligendi fervore, alterum,

id est, reponere gladium in vaginam, ex obedientia fecerat. D. Cyrillus (*in Io. lib.* 1. *c.* 35. 1): *Intentio*, inquit, *Petri qui gladium adversus hostes accepit, a mandato legali non fuit aliena: pedem enim pro pede, et manum pro manu, et vulnus pro vulnere absque culpa referre iubebat. Quid autem aliud facere volebant, qui cum armis in Christum irruebant, quam illa, ad quae depellenda, vel vitae pericula erant subeunda?* Quod autem fustibus, atque gladiis armati erant, ipse Salvator manifestavit, *tanquam ad latronem cum fustibus, et armis existis comprehendere me: non fuit ergo contra legem Petrus commotus; Christus autem, qui venit, ut supra legem nos doceret, motum huiusce modi, quamvis secundum legem fuerit, repressit, quasi longe a perfecta virtute constitutum.* D. Augustinus, licet alibi oppositum senserit, in quaestionibus tamen veteris et novi Testamenti haec scribit: *Quantum pertinet ad Petrum, percussit eum, quem contra se armatum videbat: resistere enim debuit ingratis servis, et ad Dominum necandum armatis.* Ubi obiter observandum, quod cum capitur Christus, educit gladium Petrus, et percutit, non autem quando ipse captus est Romae, et ductus ad crucem: docens certe Dei et Christi iniurias acriter vindicandas, proprias autem patientia, et mansuetudine esse sustinendas. Idem etiam d. Augustinus (*q.* 104) ponderat, Christum non dixisse Petro propter percussionem factam, qui acceperit gladium, gladio peribit, sed ne iterum percuteret: *permissum enim ei erat, ut dolorem faceret, non ut occideret:* et (*lib. de agone Chris.*): *Petrus*, inquit, *non superbia, sed quamvis carnali, tamen amore Domini hoc fecit.* Christianus Druthmarus, ut habetur in Bibliotheca SS. Patrum: *Petrus*, ait, *hoc fecit eodem ardore fidei, quo et cetera. Placuit autem Domino ita fieri, ut omnes cognoscerent, quod ipse nollet se defendere.* Ac tandem cardinalis Bellarminus (*lib.* 1. *de Roman. Pont. cap.* 28), postquam retulerat tanquam errorem Magdeburgensium, quod dicerent Petrum contra Christi interdictum, et Dei consilium gladio usum, temerarieque, et impio conatu ministri Pontificis auriculam amputasse, sic ait: *Blasphemum est, quod dicunt Magdeburgenses, Petrum impio conatu id fecisse, et violenter impedire voluisse Dei consilium: non enim ex odio contra consilium Dei, sed ex amore in Magistrum suum defensionem illam parabat.* Ratione etiam hanc Patrum sententiam in hunc modum corroboro: quia illa Petri percussio non temeraria, sed fide et fiducia Christi insignis fuit. Sicut enim innitens virtuti Domini dicentis, ut mitteret rete in mare, ipse dixit (*Luc.* 5): *Tota nocte laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete, et magnam piscium capturam fecit;* ita etiam fidem, ac fiduciam habens in verbis Christi (*Luc.* 22): *Qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium*, vel in illis: *Sinite hos abire*; putavit se adversus totam militum cohortem, quantumcumque armatam posse illum defendere: unde recte et ingeniose Theophylactus dixit: *Cum Petrus vidisset Dominum prostravisse illos, et impletus esset fiducia propter vocem Domini, dicentis: Sinite hos abire, existimavit, quod tunc esset tempus vindictae, extractoque gladio percussit servum.* His consonant verba d. Chrysostomi (*in cap.* 28. *Ioan.*) dicentis: *Petrus hac voce, et his, quae iam facta viderat, fretus, contra irruentes armatur.* Deinde, quia licita est innocentis defensio, ut habetur (*Proverb.* 14). Ergo cum Christus Dominus esset innocentissimus, iuste potuit illum defendere Petrus; maxime, quod illi satis videbatur usus gladii esse concessus ex eo, quod Christus Apostolis praedixerat: *Qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium:* et ex eo etiam, quod interrogantibus illis: *si percutimus in gladio?* et Christo tacente, taciturnitatem arripuit pro consensu, ut recte adnotavit divus Augustinus (*q. vet. et novi Testament. mix. q.* 104), quia *qui tacet, consentire videtur.* Ad extremum, licet daremus factum Petri non fuisse licitum materialiter, fuit tamen formaliter, quia tanto fervore, ac tam ardenti sui Magistri amore accensus fuit, ut moraliter loquendo non potuisset considerare omnes, et singulas circumstantias, quae in illo negotio perpendendae erant. Unde d. Hieronymus (*sup. cap.* 20. *Matt.*), quidquid sit de facto Petri, eius semper personam salvat: ait enim, *Malchum percussisse eodem mentis ardore, quo cetera faciebat*, et (*sup. c.* 14. *Matthaei*): *In omnibus*, inquit, *locis ardentissimae fidei invenitur Petrus: volentem ad passionem pergere prohibet: et licet erret in sensu, non tamen errat in affectu, nolens eum mori, quem Filium Dei fuerat paulo ante confessus.* Vult ergo d. Hieronymus in his omnibus materialiter dumtaxat fuisse peccatum, id est, erratum quoddam, sed absque ulla Petri culpa, propter rectam eius intentionem. Unde Glossa interlinearis (*sup. Lucam*), praedictam intentionis rectitudinem perpendens, comparat Petrum Phinees, qui ex zelo sancto occidit Hebraeum coeuntem cum muliere Madianitide, propter quod meruit summum sacerdotium. Atque ex his omnibus facile evanescunt omnia supra obiecta adversus hanc SS. Patrum sententiam. Quare autem milites armati, ad ulciscendas iniurias alioquin paratissimi, ut moris est, non irruerunt in Petrum, et graviter illum vulnerarunt, aut ut minimum tenuerunt propter percussionem ministro Pontificis factam? Respondeo, quod sicut, Theophylacto attestante, miraculo tribuendum est, quod Apostoli hostes prostratos videntes in eos non insurrexerint, multisque vulneribus affecerint; ita etiam speciali Dei miraculo abscribendum est, quod Petrum percutientem Malchum non occiderint, vel graviter percusserint: illa enim verba Christi Domini: *Sinite hos abire*, virtute et imperio eius id impedierunt. Unde egregie Euthymius ait: *Admirari quispiam poterit, quomodo non comprehenderint discipulos, ac trucidaverint propter id, quod factum est in servum Principis sacerdotum; sed vere ipsa virtus, quae eos excaecaverat, ac prostraverat, illam etiam tunc iram, quam de auriculae amputatione conceperant, dispersit.*

Verum iam ad Christum Dominum nostra revertatur oratio. Tetigit auriculam Malchi, et sanavit eam. Nescio sane quid potiori iure me in admirationem rapere debeat, Christi benignitas, et mansuetudo, vel obstinata hominum voluntas ad comprehendendum Christum Dominum. Nonne rationi consentaneum fuerat, ut tantae lenitatis prodigio, ac tam subitae curationis miraculo inspecto, ad pedes eius clamantes prolaberentur (*Psal.* 94)? *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, et oves pascuae eius.* At maiori rabie in Deum hominem insanientes sacrilegas manus in summum Sacerdotem, super quem nulla erat humana potestas, ausu plusquam temerario iniecerunt, tanquam infamem latronem illum comprehendentes, ut ipse conquestus est (*Ioan.* 21): *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me.* Quidam hoc legunt per interrogationem; alii vero melius per affirmationem. Quod recte explicans Hieronymus (*in Matt.* 26. *tom.* 9) ait: *Stultum est eum cum gladiis, et fustibus quaerere, qui ultro se tradit vestris manibus; et in nocte quasi latitantem, et a vestris oculis declinantem, per proditorem investigare, qui quotidie in templo doceat. Sed ideo adversus me in tenebris congregamini, quia potestas vestra in tenebris est:* hactenus ille. Ostendit ergo eis, quod non sua virtute apprehenderint eum, sed sicut olim non potuerunt apprehendere in templo, ita neque nunc, nisi ipse voluisset. Hanc Christi capturam tam in veteri, quam in novo Testamento pulchre satis adumbratam video. Illam enim praesignarunt primus Adam a divina iustitia comprehensus, et ex horto paradisi eiectus ad varias experiendas miserias; Samson, qui sponte a Philistaeis capi, et ligari permisit; Iosephus, qui ne adulterae consentiret, innocens in carcerem detruditur, et vinculis alligatur; rex Sedechias a rege Nabuchodonosor captus, et in Babylonem ignominiose ductus; Daniel ab inimicis comprehensus, et in lacum leonum missus; Susanna in horto suo existens a presbyteris invasa, et ad mortem traducta; arca Dei Philistaeis in praedam data. In hac tamen figura, ut quam apte Christi comprehensio fuerit delineata, detegamus, observare oportebit, quod sicut illa intra se continebat virgam Moysis prodigiorum effectricem, ita ut mare rubrum divideret, et in illo Aegyptios submergeret, Israelitasque sub dura Pharaonis servitute degentes libertate donaret, et nihilominus se captivum duci permisit, latentem virgae virtutem minime ostendens; ita proculdubio virga omnipotentiae in humanitate Christi delitescente, quamvis illa pro libito uti posset, ab eius tamen usu se abstinuit, ut daret locum irae, et iram Patris mitigaret, in quo sicut et in sanando Malchum suae clementiae, et benignitatis Manna, quod etiam vetus illa arca continebat, profudit, sed et tabulas legis, quae in eadem includebantur, pariter detexit, docens nos legem talionis (*Matt.* 26): *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Atque hoc opportunum satis tempus existimarim, quo Christus Dominus verba illa Hieremiae usurpare potuisset (*Hier.* 26): *Ecce in manibus vestris sum, veruntamen scitote, et cognoscite, quia si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam, et habitatores eius:* ita sane illi evenit: nam sicut Samson moriens plures, quam vivens occidit, et sicut arca plura post captivitatem, quam antea intulit damna; ita post Christi comprehensionem, et mortem summis calamitatibus Hebraei oppressi, in summam omnium miseriam per varias nationes dispersi devenerunt. Atque haec de figuris veteris Testamenti. In nova eandem molestam, ac ignominiosam Christi comprehensionem videntur praesignare, haeres primogenitus eiectus de vinea, ut occideretur: et homo ille, qui incidens in manus latronum, captus est ab eis: adeo ut non incongrue hoc loco Christo adaptari existimaverim verba illa Lucae: *Homo quidam descendit ab Hierusalem in Hierico, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt semivivo relicto.*

Sed iam variis Prophetarum oraculis Christi Domini capturam illustrare properemus. Hieremias illam deplorans, ait: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, in umbra tua vivemus;* quem locum licet nonnulli interpretentur, teste divo Hieronymo, de rege Iosia ab hostibus capto, et occiso; alii vero, prout refert Sixtus Senensis, exponant de Sedechia rege, quem Chaldaei catenis vinctum, et exoculatum, in Babylonem duxerunt: communiter tamen sancti Patres (*in comment. huius loci*) de Christo Domino intelligendum putant. Unde d. Hieronymus: *Ipse est spiritus oris nostri, in quo vivimus, movemur, et sumus, ex cuius sapore quidquid recte sentimus, sapimus:* et d. Ambrosius recitatis his Hieremiae verbis: *Quid hoc manifestius*, inquit, *quando et nomen Christi expressum est, et comprehensio inter manus persequentium perfidorum est declarata, et umbra vivificans, et gratia egentibus conferenda descripta est?* Recte quidem dicit Ambrosius nomen Christi expressum esse in praedictis verbis Hieremiae, quia licet, *Christus*, nomen sit commune regibus in sacra Scriptura, eo quod unctum significet, et reges tunc oleo ungerentur; tamen in ea nullus regum vocatur Christus Dominus, sed Christus Domini, ut vocatus fuit Saul a Davide: unde, ut tradunt linguae sanctae periti, loco illius verbi, *Dominus*, originale Hebraeum habet *Tetragrammaton*, quod solius Dei nomen est. Et d. Augustinus (*lib.* 2. *de Incar. Verb. to.* 5), versans eadem Hieremiae verba: *Spiritus*, inquit, *vultus nostri Christus Dominus, cui diximus, quod in umbra eius vivemus in gentibus.* Pro eo enim, quod sicut umbra corporis inseparabilis est a corpore, et indeclinabiliter motus, ac gestus corporis suscipit, et gerit, puto eum animae Christi opus, ac motum, qui inseparabiliter inhaerebat, et pro nutu eius, ac voluntate cuncta perpetrabat, ostendere volentem, umbram Domini hanc vocasse, in qua umbra nos viveremus in gentibus. In huius namque assumptionis sacramento gentes vivunt, quae imitantes eam per fidem veniunt ad salutem. His consonant verba Paraphrasis Chaldaicae, dicentis: *Rex Messias, qui erat dilectus nobis, sicut spiraculum spiritus vitae, qui est in naribus nostris, et erat unctus oleo un-*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*ctionis Domini, captus est in rete occasionis sceleratorum: de quo dicebamus, in umbra iustitiae eius vivemus inter populos;* haec ibi. Adstipulantur eidem verba alia glossae ordinariae, quae sic se habent: *Spiritus oris nostri Christus benedicitur, quia quem corde credimus, ore confitemur; corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Oris est aspirare, et quod infusione gratiae recipimus, respirando confitemur.* Ac tandem eandem interpretationem amplectuntur 70 Interpretes, dum praedictum locum vertunt in hunc modum: *Spiritus faciei nostrae Christus Dominus captus est in corruptionibus nostris.* Extat et alius insignis locus ad capturam Christi elucidandam, apud Iobum dicentem (*cap.* 30): *Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et non fuit qui ferret auxilium: quasi rupto muro, et aperta ianua irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt.* Scio hunc locum secundum sensum litteralem intelligi de patientissimo Iob: ait enim: *Dissipaverunt itinera mea, quia obviam exierunt inimici ad capiendos camelos per itinera onera portantes, et alii insidiati sunt,* quia, ut notavit Nicolaus de Lyra, *Chaldaei fecerunt tres turmas,* unam ad rapiendum praedictos camelos, et alias duas ad praeservandum per insidias, ne quispiam eorum praedam impediret. Ac tandem subdit, *quasi rupto muro,* quia satan per ventum vehementer *concussit quatuor angulos domus, et oppressit filios, et filias eius.* At cum Iob multis vulneribus laceratus ad vivum exprimat Christum in sua passione, recte secundum sensum mysticum praedicta verba ei adaptantur: *Dissipaverunt* enim *itinera eius:* quia ipsi ab oratione surgenti obviam egressi sunt hostes Christi: *et insidiati sunt,* medio Iudae osculo, quod symbolum erat pacis, et amicitiae, illum comprehendere attentantes: *et quasi rupto,* ait, *muro, et aperta ianua irruerunt super me:* quibus verbis egregia belli metaphora utitur: nam quando milites urbem aliquam obsidentes muri partem disrumpunt, summo furore eam aggrediuntur, et ingrediuntur, et nemini parcentes omnes occidunt, lactentem cum homine sene; omnia dissipant, diripiunt, ac devastant: ita sane Christi hostes in eum irruerunt, ut verba Evangelistae indicant, dicentis (*Ioan.* 18): *Cohors ergo, tribunus, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum.* Omnes pariter obsederant Christum, et a muro omnipotentiae illius detinebantur. Cum tamen ab ipsa capi permissum est, irruerunt veluti rupto muro, quidam apprehendebant vestes eius, alii mittebant manus in capillos capitis, alii barbae pilos inhumaniter evellebant, alii pugnis, et alapis caedebant, ac tandem ira perciti, quod eos prostraverat retrorsum cadentes in terram, eum proiecerunt, et conculcaverunt, ubi impletum est illud (*Act.* 7): *Ponet in pulvere os suum.* Itaque omnes simul, prout quisque poterat, variis iniuriis afficientes impetum fecerunt unanimiter in eum. Sicut enim ignis diu compressus, nec valens erumpere, et aqua fluminis diu retenta, nec valens elabi, si forte detur exitus, et repressio dissolvatur, vehementius erumpit, adeo ut fortissima moenia aliquando solo aequaverit; ita sacrilegum desiderium capiendi Iesum, quo ardebant Iudaei, tot portentorum signis impeditum, et compressum, cum primum data fuit à Domino facultas, vehementiori, quam dici possit, impetu foras prodiit. Invaserunt enim in eum, ut lupi immanes, in agnum mansuetum; irruperunt, ut scelerati latrones, in pastorem: ut degeneres, ac perfidi filii in parentem: insurrexerunt tandem, veluti ingrati discipuli, in magistrum; in medicum aegroti phrenesi debacchantes; in ducem infideles milites; in patronum insidiosi clientes; in lucem clarissimam filii tenebrarum insanientes. Adeo ut quia Iudas eos monuerat, dicens: *Tenete eum, et ducite caute,* quidam existimaverint catena ferrea collum eius alligasse: quod mihi certe incredibile non est, cum Petrum, in quem non tantam saeviendi occasionem Iudaei videbantur habere, vinxerint catenis duabus, ut habetur in Actis Apostolicis, ubi etiam de Paulo dicitur: *Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et iussit eum alligari catenis duabus.* Ait Iob, *devoluti sunt ad miserias meas,* alludens ad rotam, quae celeri motu absque interruptione devolvitur, et vehementi impetu deorsum fertur. Ita sane cum primum permissi fuere Christum comprehendere, absque ulla mora contra illum ita inmaniter se converterunt, ut non immerito sicut de Saule dictum est (1. *Reg.* 29): *Et omne pondus belli versum est in Saul,* de Christo etiam in eius comprehensione dici possit, omne hostium furoris pondus in illum fuisse conversum. Hanc eandem Christi comprehensorum rabiem, ac inauditam petulantiam indicant aperte verba Davidis, in persona Christi loquentis (*Psal.* 21): *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens:* et infra: *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.* Quibus non dissimilia sunt illa alia eiusdem Davidis (*Psal.* 117): *Circumdederunt me sicut apes.* Vocat in primis Iudaeos, *vitulos,* quia ut tradit Incognitus (*sup. Psal.* 21), *vitulus* animal est instabile, in eodem loco quiescere non valens: sic ipsi in fide Deo promissa stabiles non erant, sed idololatriae facile inserviebant: unde post exitum de Ægypto beneficiorum Dei inmemores vitulum conflatilem adoraverunt, iuxta illud (*Psalm.* 105): *Et fecerunt vitulum in Oreb, et adoraverunt sculptile.* Vocat etiam Iudaeos *tauros,* quia praeterquam isti sunt indomiti, et durae cervicis, in quo persimiles illis sunt Iudaei, quibus Stephanus dicebat (*Act.* 7): *Duri cervice, et incircumcisi corde, quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* certe sicut *tauri* sibilis, et aculeis exagitati, et provocati, in eos, quos comprehendunt, summa ferocitate saeviunt; ita Iudaei verbo illo Christi, *Ego sum,* in terram eos prosternente irritati, crudeliter in eum irruerunt. Comparat deinde eosdem *leonibus* rugientibus: quia sicut isti prae nimia fame frementes, si tunc agnus occurrat, acrius dilacerant, ac citius devorant; ita Iudaei sanguinis Christi immaculati agni sitientissimi, ac ipsum devorandi avidissimi contra eum frementes, summa immanitate comprehenderunt, et aperientes super eum os suum, multis contumeliis lacerarunt. Vocat etiam eos *leones,* quia ut recte observavit Christopolitanus Episcopus: *Sicut leo rugiens, et rapiens trahit praedam per terram, et lacerat, et laniat, ita me trahebant per terram caedendo, spuendo, colaphizando, et capillos evellendo; in tantum quod sicut aqua effusus sum, et omnia ossa mea dispersa, idest, tracta sunt super terram, qui ex nimio labore, et afflictione perfusus sum sudore sicut aqua: quia in tantum abundavit in me sudor, quod videbar perfusus in toto corpore sicut aqua madidus;* haec ille. Vocat rursum Christi comprehensores *canes,* praesupponens Christi humanitatem esse vaccam illam rufam, quae olim immolari praecipiebatur extra castra: sicut enim cum vacca agitatur, canes acriter eam invadunt, singuli singulas aures mordentes, et in eam multis latratibus insultantes; ita illi contumeliarum unguibus, et detractionis morsibus Christum Dominum graviter dilacerarunt. Et ideo tandem regius Vates eos apibus comparavit (*Psalm.* 117): *Circumdederunt me sicut apes:* nam sicut apes dum alios acriter pungunt, se ipsas eviscerant, et interimunt; sic Iudaei Christum persequentes, et comprehendentes, se ipsos peremerunt. Vel appellavit eos *apes,* ut ingeniose adnotavit Incognitus (*super Psalm.* 117): *Quia sicut apes producunt mel in favis, non sibi, sed aliis; sic Iudaei Christum persequentes mel nobis protulerunt, non sibi, quia Christum nobis Gentibus fecerunt dulcissimum, et misericordem, non autem sibi, quinimmo ipsum fecerunt sibi ultorem, mediantibus Tito, et Vespasiano;* haec Incognitus.

Minime autem contenti Iudaei Christum Dominum capere, timentes ne fugeret, illum alligarunt, ut praedixerat Salomon (*Sap.* 2): nam ubi nostra vulgata legit: *Venite, circumveniamus iustum,* d. Cyprianus (*in exp. Symb. Apost.*), et Eusebius (*lib.* 2. *cap.* 25) vertunt: *Venite, alligemus iustum,* ut vinciamus illum, quod sane ignominiosius erat, quam capi: nam ut testatur eloquentiae parens: *Scelus est vincire civem Romanum.* Unde d. Bernardus (*ser. de Pass.*), suppresso nomine Alexandri Magni, refert de illo, quod cum oporteret sagittam illi immissam ab eo extrahere, medici volentes eum ligare propter periculum motus, minime id Alexander permisit, dicens: *Non decet vinciri regem, cum libera sit regis, et semper salva potestas.* Et ut refert Mallonius (*de flagel. Christ. cap.* 5), Serenissimus Sebastianus Lusitanorum rex ultimus, superatus ab hoste in bello, et ab eo captus, cum deponere arma iuberetur, respondit: regia libertas non nisi morte amittitur: renuitque, ut animo erat invictus, ensem hosti tradere. Deinde ligari manus, consentaneum est latronibus supplicium: qui enim ad aliena rapienda eas aperuerunt, et extenderunt, iustum est, ut eas ligari, et constringi patiantur: Christus ergo Dominus, qui tanquam latro comprehensus fuit, ut ipse dixit (*Ioan.* 22): *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me,* hanc latronis ignominiam sustinere non recusavit; quamvis alioquin nosset, hostes eius ea etiam de causa inter alias eum ligare voluisse, ne de illo honorifice cani posset, quod olim de Abner: *Nequaquam, ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Manus tuae ligatae non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati.* Sed, o miram Christi dignationem, o stupendam benignitatem! qui cum fortior Samsone, facile posset, sicut ille funibus ligatus, vincula solvere, et in hostes suos, non secus, ac ille asini mandibula in Philistaeos irruere, tanquam agnus tamen mansuetus, pro nobis immolandus, ad occisionem ligatum, se duci permisit. At, proh dolor, non solum ferrea catena, et dura chorda alligatus, sed et peccatorum nostrorum funibus vinctus incessit, ut praedixerat David in persona eius (*Psal.* 118): *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Alligari autem voluit Christus Dominus, ut eius vincula essent nobis alligatura salutis: illa enim et solvunt colligationes impietatis nostrae, et laxant manum misericordiae Dei, quam peccata nostra constrinxerant, et alligant manum divinae iustitiae contra nos extentam, ne in miseros nos peccatores pro meritis invehatur. Capi tandem, et alligari se Dominus permittit, ut expectet nos ad poenitentiam: nam si solutus esset, et amor vincula, quibus illum adstrictum tenet, tantisper laxaret, quomodo iustam de nobis omnibus vindictam non sumeret?

Comprehenso iam, et vincto Christo Domino, d. Matthaeus ait, quod *Apostoli relicto eo fugerunt omnes.* Videtur fuga haec praesignata (4. *Reg.* 25), ubi sacra memorat historia, quod cum Nabuchodonosor ad expugnandam Hierusalem accessisset, et defensionem urbis sanctae rex Sedechias susciperet, omnes milites eius fugerunt eo solo relicto: *Omnes bellatores,* ait, *qui erant cum eo, dispersi sunt, et reliquerunt eum.* Praedicta etiam fuit haec discipulorum fuga per Hieremiam (*Thren.* 4): *Dispersi enim sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum:* et per Zachariam (*c.* 13): *Percute pastorem, et dispergentur oves:* et per Isaiam (*c.* 1): *Et relinquetur sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario; et relinquetur, sicut civitas, quae vastatur:* et alibi: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum:* et per Iobum (*cap.* 19): *Noti mei, quasi alieni recesserunt a me:* et per Psalmistam (*Psalm.* 37): *Qui iuxta me erant, de longe steterunt.* Quidam asserunt fugientes Apostolos non peccasse, quia cum audierant Christum dicentem, *sinite hos abire,* intulerunt inde voluntatem eius esse, ut abirent, et aufugerunt. At unanimi consensu video interpretes huic sententiae refragari, quia illis praedixerat, *omnes vos hac nocte scandalum in me patiemini;* hoc autem scandalum fugae peccatum fuit, et culpabilis turbatio; unde non immerito ipse hanc videns discipulorum fugam, dicere potuisset illud Iob (*c.* 5): *Fratres mei praeterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.* Originale Hebraeum habet: *Fratres mei deceperunt me, sicut torrens:* nam sicut qui videt hiberno tempore torrentem aquae vehementi impetu fluentem, existimans postea tempore aestivo aquam ibidem reperiendam, sitibundus divertit ad illum, deceptus



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamen nec guttam solam inveni: ita sane Apostoli velut fallaces amici, tempore necessitatis defecerant, ut dixit Ecclesiasticus (*Eccl. c.* 6): *Est autem amicus mensae, et non permanebit in die necessitatis.* Fallax certe, et minus habens reperta est o Petre promissio illa tua (*Luc.* 22): *Tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire; et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor.* Mendax etiam, et infirma inventa est o Thoma illa alia tua promissio (*Ioan.*11): *Eamus et nos, ut moriamur cum eo.* Futilis tandem, et nulla apparet nunc, o Apostoli, similis alia vestra promissio, de qua Matthaeus loquens ait: *Similiter et omnes discipuli dixerunt.* Sed quaeso dicite, quo securius confugere potestis Apostoli, quam ad tutissimum Christi asylum? In memoriam revocate verba illa, quae protulit ipse (*Io.*14): *Ego sum via, veritas, et vita.* Si ipse *via*, sine ipso errabitis prorsus; si *veritas* est, sine ipso in fallaces mendacii manus incidetis; si ipse tandem *vita*, sine illo mortem, quam fugitis, certissime invenietis. O Christi oves errantes, quomodo a pastore vestro receditis? quis vos a rapacissimis tuebitur lupis? O milites pusillanimes, siccine terga vertitis inimicis, relicto Duce in campestribus, et inter agmina hostium constituto? O duces exercitus Christiani, quomodo fugitis nemine persequente? invaserunt hostes Regem vestrum, et non fugit, et nemo invasit vos, immo nec invadere poterant, quia prohibiti erant omnipotentia eius, et fugitis omnes? Ipse postulat pro vobis: *Sinite hos abire*, et cum oporteret tunc Christi amore succensos dicere: *sinite hunc abire, et tenete nos*, illo insalutato ab acie recessistis. Hic pro vobis certans pedem fixit in acie; vos, pro quibus iniit certamen, ingrati, et infirmi fugam arripitis? O Petre in monte Thabor clamas; *Domine bonum est nos hic esse*, et in horto cum periclitatur Christus, terga vertis, et recedis a Deo salutari tuo? O Apostoli, ubi adest Christus, timetis? *Si Deus pro vobis, quis contra vos?* Revera cum ipse Christus imperio potestatis excellentiae, quam habebat, hostibus praecepisset, *Sinite hos habire*, securi debuerant esse non fore comprehendendos, certique omnino, quod capto Christo indemnes permittendi essent abire, unde non debuerant fuga sibi consulere, sed omnino persistere in confessione Christi ferventes. Quare praedictis verbis, *Sinite hos abire*, minime data fuit Apostolis a Christo facultas fugiendi, sed prohibita, seu cohibita militibus potestas eos capiendi; quod aperte fugam eorum culpabilem magis reddit, cum ubi trepidandum non erat, trepidaverint.

## HOMILIA VII.

*De praesentatione Christi Domini ante Annam, et Caipham, ac de iniusta alapa ei impacta, quae multis sacrae Scripturae, et sanctorum Patrum monumentis illustratur, in illa verba:* Unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu (*Ioan.*18).

Plerosque video recentiores in eo valde deceptos, quod putaverint responsionem Christi, ob quam alapa caesus fuit, ante Annam contigisse; cum revera Ioannes non obscure indicet, coram Caipha fuisse, cum referat praedictam responsionem datam interrogationi Pontificis: Annas vero licet fuerat, non tamen erat pontifex anni illius, sed Caiphas. Nec me latet Iosephum (*de bello Iudaico lib.* 2) eos appellare solitum pontifices, qui pontificatu functi fuerant; licet tunc pontifices non essent, sicut apud nos, qui Episcopatui renuntiat, Episcopi nomen non amittit. D. autem Ioannes non nominat Annam pontificem, sed socerum Caiphae, qui illo anno pontifex erat. Neque in contrarium huius quidquam movere debet, quod post narrationem alapae d. Ioannes subiiciat; *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem:* tum quia Graeca vox non habet, *misit*, sed miserat: tum quia vulgata editio frequentissime ponit praeteritum pro plusquam perfecto, more Hebraeorum, ut patet (*Ruth* 1), et (1.*Regum* 9), et (*Matt.*26), et (*Marci ultimo*): ergo modo in hoc loco posuit praeteritum *misit*, pro plusquam perfecto, miserat, ut recte adnotarunt d. Cyrillus, et cardinalis Toletus (*super Ioan. cap. adnotat.* 17). Sed quare ad Annam ductus fuerit Dominus, d. Chrysostomus (*ho.*28) respondet, ut eum ostentarent, et tanquam in triumphum ducerent: Cyrillus (*li.* 11. *c.* 37) dicit, id factum, quia Annas erat auctor insidiarum, et pecuniam proditori Iudae promiserat. Sed Augustinus (*in Ioan.trac.* 113. *to.* 9) ait, credendum est secundum voluntatem Caiphae id esse factum, vel etiam domos eorum ita fuisse positas, ut non deberet Annas a transeuntibus praeteriri: at Evangelista satis indicat, cur id effectum fuerit, nempe propter generum, qui erat tunc pontifex, ut quodam honore eum afficerent remque gratam illi facerent, vinctum ad eum perducentes Dominum, quem et ipse, et alii summo prosequebantur odio. Consonant his verba Euthymii (*in Ioan.* 18) dicentis: *Prae voluptate de hac re gloriabantur tanquam de trophaeo constituto; et adduxerunt eum primum ad Annam, ut qui a Caipha eius anni pontifice quasi pater honorabatur propter affinitatem;* haec ille. Graves quidam doctores moderni referunt, in torrentem Cedron fuisse a militibus praecipitem datum, et hodie vestigia pedum, et funis, quo alligatus erat, in ponte, unde proiectus dicitur, impressa remansisse. Tradunt etiam nonnulli, adduxisse eum ad Annam, et Caipham per portam auream templo proxi-



mam, quae alias dicitur, *Probatica*, vel ovium porta, per quam paucis ante diebus fuerat ingressus cum tanto triumpho, et honore palmarum, et regia illa acclamatione: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel*, quod augere tormenta, ac moerorem Domini poterat. Ductus ergo primum fuit Christus Dominus, sed per transitum, ut ait Cyrillus, ad Annam, ad quem, cum Pontifex non esset, nec iudex, non pertinebat auctoritas iuridice interrogandi: et ideo statim ad Caipham ligatum illum misit, qui ut Iesum caperet in sermone, coepit contumeliosis verbis de discipulis, et doctrina eius interrogare, ut praedixerat Sapiens (*Sap.* 2): *Contumelia, et tormento interrogemus eum;* propterea etiam de illis interrogavit, ut ipsum seditionis suscitandae, et novitatis alicuius moliendae auctorem, ac regnum tyrannice affectantem convincerent, ut adnotant d. Chrysostomus (*ho.* 82), et Euthymius (*sup. Io.* 18). Cum autem Evangelistae certa et praefixa illius interrogationis verba non producant, non incongrue arbitrabimur ei dixisse: Duodecim habes discipulos contra duodecim Patriarchas, et septuaginta duos alios discipulos contra totidem populi seniores, doctrina tua a Moysis disciplina multum dissidet; de baptismo, et de oleo ungendis nescio quae confingis hucusque inaudita; et cum ex stirpe Levitica non sis, sacerdotis munus tibi usurpas, et occulte doces, et angulos quaeris: Haereticus ergo mihi videris seductor: et novorum dogmatum annunciator. Huic calumniosae Pontificis obiectioni prudentissime respondens Christus Dominus dixit (*Ioan.*18): *Ego palam locutus sum mundo;* quasi diceret, *Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua.* Itaque Dominus respondit: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil*, intellige nihil, quod contrarium sit his, quae in publico, et palam dicebat. *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt;* quasi dicat, superfluum est interrogare me, cui non credes, quia mentiri, et seducere me arbitraris; interroga eos qui me audierunt, quibus tu facilius fidem adhibes. Haec cum dixisset Christus Dominus, ait Evangelista, *unus assistens ministrorum*, cui libera, et indecora eius responsio visa est, *dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* Hunc ministrum fuisse Malchum, cuius abscissam auriculam divina virtute restituerat Dominus, testatur d. Chrysostomus (*homil.* 82. *in Ioan.*), quod ob specialem ingratitudinis circumstantiam non potuit, praeter ingentem dolorem, quem intulit, non esse illi valde molestum. Dolor autem impactae alapae non potuit etiam non esse gravissimus, cum d. Bernardus (*ser. quodam de Pass.*) asserat, ministri manum ferrea chirotheca armatam extitisse; et d. Vincentius (*ser. de Pass.*) affirmet, ex vi percussionis Christum Dominum in terram cecidisse, et alii referant, ex ore sanguinem profluxisse, et in veneranda eius maxilla digitorum impressionem mansisse cum livido colore, et tumore, ut alii tradunt; adeo ut non immerito ad iniqui illius ministri execrabilem audaciam, et detestandam, illud Iobianum usurpare liceat: *Tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est.* Alapam hanc ab infami servo, et in faciem, partem Domini honorabiliorem inflictam, et a prophetis praedictam, et in sacris litteris mirifice adumbratam reperio. Sibylla Erithraea in suis oraculis, et Lactantius (*li.* 4. *c.* 18) cecinerunt:

In iniquorum manus infidelium postea veniet;
Dabunt et alapas manibus incestis.

Hieremias (*c.*3): *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Isaias (*c.* 50): *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* Iob (*c.*16) non tam in persona sua, quam Christi: *Percusserunt maxillam meam, satiati sunt poenis meis.* Michaeas (*c.*5): *Percutient maxillam Iudicis Israel.* Fuit etiam figurata in eodem Michaea, cuius faciem Sedechias percussit, ut adularetur regi, dicens (3. *Reg.* 22): *Mene ergo dimisit spiritus Domini, et locutus est tibi?*

Causam, ob quam impius ille minister alapam Christo Domino impegerit, non omnes eandem assignant. D. Cyrillus (*c.* 46. *in Ioa.*) ait, propterea illam impegisse, ut hoc facto significaret, non fuisse ex numero ministrorum, qui missi a Pontifice ad comprehendendum illum, admirantes redierunt, dicentes, *nunquam sic locutus est homo.* Cardinalis Toletus (*in Ioan. c.* 18) hunc ministrum asserit fuisse ex praecipuis inter eos, qui proximi erant Christo, et adulari volens Pontifici, et ostendere zelum honoris eius prae se ferre, non erubuit tantum scelus patrare. Vel forte illam arbitror fuisse causam, quod minister ille aegre tulit se allegatum fuisse inter eos, qui adstabant, in testem doctrinae Christi, cum ipse dixisset Pontifici, *Ecce hi sciunt, quae dixerim ego.* Ut ostenderet igitur, se illius doctrinae minime velle esse testem, maxillam eius percussit. Ac denique id etiam fecit, ut reliquos adstantes compesceret, ne quis in favorem eius attestari vellet.

Sed iam audiamus, quid Patres dicant, impudentiam huius percussionis considerantes: Quid hoc impudentius? ait Chrysostomus (*ho.* 81. *ante med. in Ioa. c.*18): *Exhorrescat*, inquit, *caelum, et contremiscat terra, alapis Deus percuti potuit? O angeli, qui haec intuemini, quomodo siletis? quomodo manus continere potestis? quomodo pro Domino vestro non respondetis? An hoc ita facitis, quod attonitos vos teneat tanta insolentia, et tanta mansuetudo; tanta perversitas, et tanta patientia?* Et b. Ephrem (*ser. de passione Domini*): *Qui de pulvere terrae hominem finxerat per gratiam, a manibus quas ipse formaverat, alapam accepit. Servi quidem omnes cum liberi efficiuntur, accipiunt alapam, ut mortali libertate potiantur; at ipse, o infelix, cum sit omnium liberator, iniuste colaphizatur. Quin putas ita pie mercedem accipere a Caipha? alapam quidem dedisti omnium Domino, sed servus servorum factus es in aeternum:* et d. Augustinus (*in tract.* 113) hoc idem



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamen nec guttam solam invenit: ita sane Apostoli velut fallaces amici, tempore necessitatis defecerunt, ut dixit Ecclesiasticus (*Eccl. c.* 6): *Est autem amicus mensae, et non permanebit in die necessitatis.* Fallax certe, et minus habens reperta est o Petre promissio illa tua (*Luc.* 22): *Tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire; et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor.* Mendax etiam, et infirma inventa est o Thoma illa alia tua promissio (*Ioan.*11): *Eamus et nos, ut moriamur cum eo.* Futilis tandem, et nulla apparet nunc, o Apostoli, similis alia vestra promissio, de qua Matthaeus loquens ait: *Similiter et omnes discipuli dixerunt.* Sed quaeso dicite, quo securius confugere potestis Apostoli, quam ad tutissimum Christi asylum? In memoriam revocate verba illa, quae protulit ipse (*Io.*14): *Ego sum via, veritas, et vita.* Si ipse *via*, sine ipso errabitis prorsus; si *veritas* est, sine ipso in fallaces mendacii manus incidetis; si ipse tandem *vita*, sine illo mortem, quam fugitis, certissime invenietis. O Christi oves errantes, quomodo a pastore vestro receditis? quis vos a rapacissimis tuebitur lupis? O milites pusillanimes, siccine terga vertitis inimicis, relicto Duce in campestribus, et inter agmina hostium constituto? O duces exercitus Christiani, quomodo fugitis nemine persequente? invaserunt hostes Regem vestrum, et non fugit, et nemo invasit vos, immo nec invadere poterant, quia prohibiti erant omnipotentia eius, et fugitis omnes? Ipse postulat pro vobis: *Sinite hos abire*, et cum oporteret tunc Christi amore succensos dicere: *sinite hunc abire, et tenete nos*, illo insalutato ab acie recessistis. Ille pro vobis certans pedem fixit in acie; vos, pro quibus iniit certamen, ingrati, et infirmi fugam arripitis? O Petre in monte Thabor clamas; *Domine bonum est nos hic esse*, et in horto cum periclitatur Christus, terga vertis, et recedis a Deo salutari tuo? O Apostoli, ubi adest Christus, timetis? *Si Deus pro vobis, quis contra vos?* Revera cum ipse Christus imperio potestatis excellentiae, quam habebat, hostibus praecepisset, *Sinite hos habire*, securi debuerant esse non fore comprehendendos, certique omnino, quod capto Christo indemnes permittendi essent abire, unde non debuerant fuga sibi consulere, sed omnino persistere in confessione Christi ferventes. Quare praedictis verbis, *Sinite hos abire*, minime data fuit Apostolis a Christo facultas fugiendi, sed prohibita, seu cohibita militibus potestas eos capiendi; quod aperte fugam eorum culpabilem magis reddit, cum ubi trepidandum non erat, trepidaverint.

## HOMILIA VII.

*De praesentatione Christi Domini ante Annam, et Caipham, ac de iniusta alapa ei impacta, quae multis sacrae Scripturae, et sanctorum Patrum monumentis illustratur, in illa verba:* Unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu (*Ioan.*18).

Plerosque video recentiores in eo valde deceptos, quod putaverint responsionem Christi, ob quam alapa caesus fuit, ante Annam contigisse; cum revera Ioannes non obscure indicet, coram Caipha fuisse, cum referat praedictam responsionem datam interrogationi Pontificis: Annas vero licet fuerat, non tamen erat pontifex anni illius, sed Caiphas. Nec me latet Iosephum (*de bello Iudaico lib.* 2) eos appellare solitum pontifices, qui pontificatu functi fuerant; licet tunc pontifices non essent, sicut apud nos, qui Episcopatui renuntiat, Episcopi nomen non amittit. D. autem Ioannes non nominat Annam pontificem, sed socerum Caiphae, qui illo anno pontifex erat. Neque in contrarium huius quidquam movere debet, quod post narrationem alapae d. Ioannes subiiciat; *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem:* tum quia Graeca vox non habet, *misit*, sed miserat: tum quia vulgata editio frequentissime ponit praeteritum pro plusquam perfecto, more Hebraeorum, ut patet (*Ruth* 1), et (1. *Regum* 9), et (*Matt.*26), et (*Marci ultimo*): ergo modo in hoc loco posuit praeteritum *misit*, pro plusquam perfecto, miserat, ut recte adnotarunt d. Cyrillus, et cardinalis Toletus (*super Ioan. cap. adnotat.* 17). Sed quare ad Annam ductus fuerit Dominus, d. Chrysostomus (*ho.*28) respondet, ut eum ostentarent, et tanquam in triumphum ducerent: Cyrillus (*li.* 11. *c.* 37) dicit, id factum, quia Annas erat auctor insidiarum, et pecuniam proditori Iudae promiserat. Sed Augustinus (*in Ioan.trac.* 113. *to.* 9) ait, credendum est secundum voluntatem Caiphae id esse factum, vel etiam domos eorum ita fuisse positas, ut non deberet Annas a transeuntibus praeteriri: at Evangelista satis indicat, cur id effectum fuerit, nempe propter generum, qui erat tunc pontifex, ut quodam honore eum afficerent remque gratam illi facerent, vinctum ad eum perducentes Dominum, quem et ipse, et alii summo prosequebantur odio. Consonant his verba Euthymii (*in Ioan.* 18) dicentis: *Prae voluptate de hac re gloriabantur tanquam de trophaeo constituto; et adduxerunt eum primum ad Annam, ut qui a Caipha eius anni pontifice quasi pater honorabatur propter affinitatem;* haec ille. Graves quidam doctores moderni referunt, in torrentem Cedron fuisse a militibus praecipitem datum, et hodie vestigia pedum, et funis, quo alligatus erat, in ponte, unde proiectus dicitur, impressa remansisse. Tradunt etiam nonnulli, adduxisse eum ad Annam, et Caipham per portam auream templo proximam, quae alias dicitur, *Probatica*, vel ovium porta, per quam paucis ante diebus fuerat ingressus cum tanto triumpho, et honore palmarum, et regia illa acclamatione: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel*, quod augere tormenta, ac moerorem Domini poterat. Ductus ergo primum fuit Christus Dominus, sed per transitum, ut ait Cyrillus, ad Annam, ad quem, cum Pontifex non esset, nec iudex, non pertinebat auctoritas iuridice interrogandi: et ideo statim ad Caipham ligatum illum misit, qui ut Iesum caperet in sermone, coepit contumeliosis verbis de discipulis, et doctrina eius interrogare, ut praedixerat Sapiens (*Sap.* 2): *Contumelia, et tormento interrogemus eum;* propterea etiam de illis interrogavit, ut ipsum seditionis suscitandae, et novitatis alicuius moliendae auctorem, ac regnum tyrannice affectantem convincerent, ut adnotant d. Chrysostomus (*ho.* 82), et Euthymius (*sup. Io.* 18). Cum autem Evangelistae certa et praefixa illius interrogationis verba non producant, non incongrue arbitrabimur ei dixisse: Duodecim habes discipulos contra duodecim Patriarchas, et septuaginta duos alios discipulos contra totidem populi seniores, doctrina tua a Moysis disciplina multum dissidet; de baptismo, et de oleo ungendis nescio quae confingis hucusque inaudita; et cum ex stirpe Levitica non sis, sacerdotis munus tibi usurpas, et occulte doces, et angulos quaeris: Haereticus ergo mihi videris seductor: et novorum dogmatum annunciator. Huic calumniosae Pontificis obiectioni prudentissime respondens Christus Dominus dixit (*Ioan.*18): *Ego palam locutus sum mundo;* quasi diceret, *Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua.* Itaque Dominus respondit: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil*, intellige nihil, quod contrarium sit his, quae in publico, et palam dicebat. *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt;* quasi dicat, superfluum est interrogare me, cui non credes, quia mentiri, et seducere me arbitraris; interroga eos qui me audierunt, quibus tu facilius fidem adhibes. Haec cum dixisset Christus Dominus, ait Evangelista, *unus assistens ministrorum*, cui libera, et indecora eius responsio visa est, *dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* Hunc ministrum fuisse Malchum, cuius abscissam auriculam divina virtute restituerat Dominus, testatur d. Chrysostomus (*homil.* 82. *in Ioan.*), quod ob specialem ingratitudinis circumstantiam non potuit, praeter ingentem dolorem, quem intulit, non esse illi valde molestum. Dolor autem impactae alapae non potuit etiam non esse gravissimus, cum d. Bernardus (*ser. quodam de Pass.*) asserat, ministri manum ferrea chirotheca armatam extitisse; et d. Vincentius (*ser. de Pass.*) affirmet, ex vi percussionis Christum Dominum in terram cecidisse, et alii referant, ex ore sanguinem profluxisse, et in veneranda eius maxilla digitorum impressionem mansisse cum livido colore, et tumore, ut alii tradunt; adeo ut non immerito ad iniqui illius ministri execrabilem audaciam, et detestandam, illud Iobianum usurpare liceat: *Tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est.* Alapam hanc ab infami servo, et in faciem, partem Domini honorabiliorem inflictam, et a prophetis praedictam, et in sacris litteris mirifice adumbratam reperio. Sibylla Erithraea in suis oraculis, et Lactantius (*li.* 4. *c.* 18) cecinerunt:

In iniquorum manus infidelium postea veniet;
Dabunt et alapas manibus incestis.

Hieremias (*c.*3): *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Isaias (*c.* 50): *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* Iob (*c.*16) non tam in persona sua, quam Christi: *Percusserunt maxillam meam, satiati sunt poenis meis.* Michaeas (*c.*5): *Percutient maxillam Iudicis Israel.* Fuit etiam figurata in eodem Michaea, cuius faciem Sedechias percussit, ut adularetur regi, dicens (3. *Reg.* 22): *Mene ergo dimisit spiritus Domini, et locutus est tibi?*

Causam, ob quam impius ille minister alapam Christo Domino impegerit, non omnes eandem assignant. D. Cyrillus (*c.* 46. *in Ioa.*) ait, propterea illam impegisse, ut hoc facto significaret, non fuisse ex numero ministrorum, qui missi a Pontifice ad comprehendendum illum, admirantes redierunt, dicentes, *nunquam sic locutus est homo.* Cardinalis Toletus (*in Ioan. c.* 18) hunc ministrum asserit fuisse ex praecipuis inter eos, qui proximi erant Christo, et adulari volens Pontifici, et ostendere zelum honoris eius prae se ferre, non erubuit tantum scelus patrare. Vel forte illam arbitror fuisse causam, quod minister ille aegre tulit se allegatum fuisse inter eos, qui adstabant, in testem doctrinae Christi, cum ipse dixisset Pontifici, *Ecce hi sciunt, quae dixerim ego.* Ut ostenderet igitur, se illius doctrinae minime velle esse testem, maxillam eius percussit. Ac denique id etiam fecit, ut reliquos adstantes compesceret, ne quis in favorem eius attestari vellet.

Sed iam audiamus, quid Patres dicant, impudentiam huius percussionis considerantes: Quid hoc impudentius? ait Chrysostomus (*ho.* 81. *ante med. in Ioa. c.*18): *Exhorrescat*, inquit, *caelum, et contremiscat terra, alapis Deus percuti potuit? O angeli, qui haec intuemini, quomodo siletis? quomodo manus continere potestis? quomodo pro Domino vestro non respondetis? An hoc ita facitis, quod attonitos vos teneat tanta insolentia, et tanta mansuetudo; tanta perversitas, et tanta patientia?* Et b. Ephrem (*ser. de passione Domini*): *Qui de pulvere terrae hominem finxerat per gratiam, a manibus quas ipse formaverat, alapam accepit. Servi quidem omnes cum liberi efficiuntur, accipiunt alapam, ut mortali libertate potiantur; at ipse, o infelix, cum sit omnium liberator, iniuste colaphizatur. Quin putas ita pie mercedem accipere a Caipha? alapam quidem dedisti omnium Domino, sed servus servorum factus es in aeternum:* et d. Augustinus (*in tract.* 113) hoc idem





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

considerans, ait: *Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit, aut caelesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum daemonio volutari, aut alia huiusmodi qualitate poenae, vel etiam graviore puniri? Quid enim horum per potentiam iubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere voluisset, qua vincitur mundus?* haec d. Augustinus. Quis autem non videat, dignum fuisse impium hunc ministrum, ut creaturae omnes, quasi sui creatoris iniuriam vindicantes, in illum acriter insurgerent? Olim terra Core, Datan, et Abiron contra Moysen tumultuantes deglutivit; aqua maris Pharaonem absorpsit, et exercitum eius filios Israel persequentem; ignis, et sulphur de coelo cadentes infames Sodomitas consumpsit; quinquaginta etiam milites bis contra Eliam venientes, idem ignis divinitus missus, in cinerem, et favillas commutavit; aer peste infectus septuaginta millia virorum interfecit, propter unicum regis peccatum; angelus Domini omnes Ægyptiorum primogenitos acriter extinxit; et alius in eadem nocte centum octuaginta quinque millia hominum propter unicam blasphemiam interemit; ursi duo pueros quadraginta Elisaeum illudentes, et per irrisionem, ascende calve clamantes, summa feritate dilacerarunt; Ananias, et Sapphira decipere volentes d. Petrum, ab eo subitanea morte mulctati sunt. Cum ergo omnis creatura ita parata sit ad ulciscendas sui Creatoris iniurias; qui fieri potest, ut ab hac vindicta tunc se abstinuerit? Novimus enim Ozam, eo quod indebite tetigerit arcam, repente interiisse; immo, ut habetur (1. *Reg.* 6), eo quod vidissent Bethsamitae arcam Domini, percussit Dominus de populo quinquaginta viros, et quinquaginta millia plebis: hic autem impius minister mysticam arcam omnes Dei thesauros continentem non modo vidit, et tetigit, sed sacrilego ausu contrectavit, et summa iniuria affecit. Si Heliodorum, eo quod templum Dei profanasset, angeli acerrime verberarunt; qui in sacrosanctum Christi templum, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, ita insanivit, ac irreverenter invasit, ut faciem eius dira alapa percuteret, quid quaeso supplicii tam execrandum flagitium non merebitur? Si rex Hieroboam, eo quod extendit manum contra quendam Prophetam, iubens illum comprehendi, continuo manus eius exaruit; quomodo sacrilega illa manus contra Christum Dominum extensa subita ariditate non contabuit? Maxime quod manus illa Hieroboam manus erat regis, haec humilis, et abiectissimi servi; illa in faciem Prophetae, haec in faciem Domini prophetarum; illa extensa fuit, ut comprehenderet eum, haec autem ut graviter perculeret. Quod si David, cum impium regem Saulem in spelunca invenisset, particulam vestimenti eius abscindens, ingens scelus commisisse sibi videbatur; et ideo *percussit*, ait Scriptura, *cor suum dicens: propitius sit mihi Deus*; quale quaeso flagitium existimabimus, Christi Regum regis non modo vestem, sed faciem dira alapa percutere? Ac tandem, si cum Abraham extendit manum, ut Isaac iugularet, angelus Domini, ut in Genesi legitur, ex divino praecepto extentam manum compescuit; quomodo eam, quae contra divinum praeceptum ad percutiendum omnium creatorem inverecunde porrecta fuit, angelus non cohibuit? Plures sane huius facti rationes alii reddant, ego tres praecipuas reperio. Prima sit, quod dicente olim Deo ad Adamum (*Gen.* 2): *In quacumque die de ligno scientiae boni, et mali comedisset, mortem incursurum*, daemone autem sub figura serpentis aiente, *nequaquam moriemini;* ipse illi assentiens comedit: qua in re Deus sibi mentitum, licet non verbo, opere tamen dixit: quippe credidit magis diabolo asserenti, quod non moreretur, quam Deo praedicenti si comedisset, continuo moriturum. Haec igitur Adami iniuria, quod opere ipso quasi, mentiris, in faciem Deo dixerit, alapa compensari, et vindicari debebat. Cum autem puro homini, qualis erat Adam, si alapa impingeretur, Deo Patri ad aequalitatem minime satisfieri posset, Christus Dominus tanquam Adami fideiussor alapam sustinuit, qui cum pariter sit Deus, et homo, patienter illam ferens, aequalem ac perfectam, et omnibus numeris absolutam compensationem pro illata iniuria Deo Patri obtulit. D. Cyrillus (*lib.* 12. *in Ioan.*) aliam subtilem reddit causam: autumat enim hoc singulare latere sacramentum in alapa Christo inflicta, quod hoc suo dedecore delere voluerit commune illud dedecus, quod ratione peccati natura humana contraxerat: nam sicut morte sua mortem destruxit, ita dedecore suo maculam, ac lituram dedecoris nostri penitus abrasit. verba d. Cyrilli sunt: *Dedecorati enim peccato fuimus, quam notam iniustum Christi detersit dedecus: ipse enim peccata nostra tollit, et pro nobis laborat. Nam quemadmodum mors sua mortem nostram destruxit, similiter arbitror praevaricationis nostrae dedecus alapa inflicta deletum fuisse.* Ultimam, eamque certissimam huius facti causam existimaverim, quod Christus Dominus eximium suae patientiae specimen, ac excellentissimum tolerantiae exemplum exhibere nobis volens, nullam tanti sceleris vindictam sumpsit. Dixerat David in persona Christi (*Psal.* 70): *Tanquam prodigium factus sum multis.* Alii cum Caietano legunt: *Tanquam miraculum factus sum multis:* quibus consonat illud Isaiae (*c.* 20): *Et portentum erit super Aegyptum, et super Aethiopiam.* Quamvis autem prodigium fuerit Christus in unione Verbi ad humanitatem, in conceptione virtute Spiritus sancti, in matris virginitate illaesa, in eo tandem quod simul viator, et beatus, peregrinus, et comprehensor esset; iuxta expositionem tamen divi Hieronymi, ea propter vocat se prodigium, miraculum, et portentum, quoniam etsi multi illum fugerent, tanquam rem monstruosam, et portentosam, unde et Samaritanum esse, et daemonium habere illi obiectabant; ipse tamen summa patientia, et eximia animi aequalitate haec et alia perferebat. Concinit huic interpretationi, quod in Psalmo 70. Incognitus adnotavit: nam prodigium dicitur, quasi procul a digito, ut quando quis derisorie aliis monstratur; et in eodem Psalmo continuo subditur: *Sed tu adiutor fortis;* hoc est, inter tot opprobria, et tormenta, eris mihi au-



xiliator, ut patienter omnia feram: quae ille quidem tanta humilitate sustinuit, ut qui natura primus erat inter omnes, omnium novissimus factus fuerit. Unde ubi nostra vulgata legit apud Isaiam (*c.* 53): *Vidimus eum despectum, et novissimum virorum*, Originale Hebraeum habet, *Et cessavit a viris.* Quorum verborum sensus est, Christum Dominum adeo se humiliasse, totque adversa pertulisse, ut fere capacitatem hominis per humilitatem exhauserit, ita ut cum maiori humilitate, et natura stare non posset, sed omnino desinere, et cessare deberet. Voluit ergo Dominus in hac suae impactae alapae tolerantia relinquere exemplum, ut in sufferendis iniuriis sequamur vestigia eius: nemo enim Christo nobilior, nemo mortalium illustrior, nemo ditior, nemo sapientior, nemo prudentior, sanctior, ac potentior excogitari, immo nec fingi potest. Cum ergo ipse adeo gloriosus patienter iniuriam sibi illatam sustinuerit, nec eam ulla ratione ulcisci tentaverit; qua fronte abiectissimus vermis, miserrimus, inquam, peccator, dignus alioquin in inferni barathrum detrudi, et aeternis suppliciis deputari, minimam etiam iniuriam sustinere renuit, ardentique iracundiae calore fervens in vindictam prosilit, ultionem eius minime expectans, qui dixit (*Rom.* 12): *Mihi vindictam, et ego retribuam?* Considerans haec divus Cyrillus (*lib.* 12. *in Ioan.*) praeclare dixit: *Si quis de proximis lapsu linguae minimum quidquam contra nos dixerit, more draconum in eum insurgimus, et mille verbis pro uno vituperantes, satiari non possumus, non quia ut homo lapsus est, nec propter communem infirmitatem hominum iram deprimimus, sed ultionem irruentes, Principem, et consummatorem fidei nostrae Iesum non respicimus, nec recordamur scriptum esse: Eorum viae ad mortem, qui memores iniuriae sunt.*

Sed iam mitissima verba, quae Dominus percutienti respondit, audiamus: *Si male*, inquit, *locutus sum, testimonium perhibe de malo. Quid hac responsione*, ait divus Augustinus (*trac.* 113. *in Ioann. post medium tom.* 9), *verius, mansuetius, iustius?* Divus Cyrillus verba illa, *Testimonium perhibe de malo*, interpretatur sic: *Ostende in quo erravi.* Illud autem: *Quid me caedis?* sic exponit: *Quasi percussorem reprehendat, qui ex illis erat, qui prius laudaverant Christum dicens, Nunquam sic locutus est homo.* Cardinalis Toletus (*sup. c.* 8. *Ioan.*) contendit Christum Dominum per illa verba mansuete percussorem iniuriae sibi illatae increpasse, seque vera, et recta locutum esse ostendisse, et pontificis iniquam dissimulationem insinuasse, qui alioquin, si proprium canem percuti vidisset, non dissimulasset. Divus Augustinus (*tract.* 113. *in Ioann.*) interrogat: *Cur Christus Dominus non fecit, quod praecepit: Si quis te percusserit in una maxilla, praebe ei alteram?* Respondet: *Illud praeceptum non esse ad litteram intelligendum, ut praebeamus alteram maxillam, sed ut animo tranquillo iniurias perferamus, parati potius alteram praebere maxillam, quam iram concipere, aut vindictam desiderare.* Respondendo ergo magis ostendit mansuetudinem suam, quam si tacuisset: potuisset enim cogitari, illum aegre tulisse iniuriam, non autem respondisse metu Pontificis; at dum mansuete respondet, tranquillum animum, et compositum aperit, et ostendit. Nec minus paratum se exhibuit ad maiora perferenda, quod experientia docuit; maxime quod tunc, ligatus cum esset, non solum maxillam, sed et totum corpus percutiendum offerebat: unde non dixit: *Quid me caecidisti, sed quid me caedis?* quia videbat paratum caedere iterum: nec dixit: *Ne me amplius caedas*, qui pro nobis crucifigi desiderabat. Duo tamen in alapae huius Christo Domino inflictae tractatione silentio praeterire non licet. Unum est, quod cum veneranda Christi facies pulchritudine, splendore, et modestia conspicua adeo esset, ut divus Hieronymus (*com.* 5) dixerit: *Certe fulgor ipse, et maiestas divinitatis occultae, quae etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu:* et d. Bernardus (*serm.* 1. *in festo omnium Sanct.*): *Praedicantem*, ait, *Dominum de civitatibus, et castellis populi sequebantur, quorum solvebat animas, sanabat corpora, adhaerebant ei afflatu pariter, et eius aspectu delectati, cuius nimirum vox suavis, et facies decora, sicut scriptum est: Speciosus forma prae filiis hominum. Talis est, quem nos sequimur, cui adhaeremus: totus desiderabilis, in quem non solum populi, sed et ipsi angeli sancti desiderant prospicere.* Nihilominus tamen, quamvis tanta pulchritudine, tantoque fulgore sacer ille vultus polleret, ut nihil Moyses, et Sponsa enixius deprecarentur, quam illum intueri: Ostende mihi faciem tuam clamantes; impium tamen ministrum nec pulchritudo cohibuit, nec modestia compescuit, nec fulgor deterruit, quo minus faciem illam cunctis gentibus desiderabilem acriter caederet. Secundum etiam animadversione dignum arbitror, quod Christus Dominus variis modis illusus tacet, flagellatus silet, spinis coronatus non conqueritur, quinimmo crucifixus pro crucifixoribus Patrem orat; unica tamen alapa caesus conquestus est, dicens: *Cur me caedis?* Huius rei causam arbitror fuisse, quod Christus Dominus non seipsum defendere satagebat, sed doctrinam, quam a Patre acceperat, ipso dicente (*Ioan.* 7): *Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me.* Quia ergo nunc agitur de labefactanda hac sua, et Patris doctrina, ideo nunc non silet, sed modeste, et nervose eam defendit, quia huius defensionis munus a Patre commissum sibi conveniebat.

Hucusque gravem Christo Domino irrogatam alapae iniuriam, et sacrae illius maxillae non modicum dolorem illatum pervidimus. Si tamen haec cum iis, quae sancti Patres, et gravissimi Doctores illa nocte pertulisse tradunt, conferantur, levia admodum videbuntur. Nam in primis, licet verius censeam cum divo Augustino (*de consens. Evangel. cap.* 9. *tom.* 4), Christum Dominum semel tantum ex sententia Pilati fuisse verberatum; tradunt tamen divus Bernardus (*l. de convicio Crucifixi*), beatus Laurentius Iustinianus (*lib. de triumphali agone cap.* 10), et divus Anselmus (*tract. de pass. Domini*), quibus consentiunt alii multi, prius flagellatum fuisse, non ex sententia iudicis, sed ex

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

rabie eorum, qui comprehenderant illum: unde Mallonius praecitato loco ait: *Postquam Caiphas in cathedra pestilentiae sedens, cum consilio malignantium impiam illam in Christi caput sententiam protulisset, dicens: Reus est mortis: Christum impiis ministris tradidit caute, usque dum illucesceret custodiendum, gravissimisque ignominiis afficiendum, praecipiens eis, ut illum tuto custodirent. Protinus turba satellitum Christum in teterrimum carcerem in eiusdem Caiphae palatio existentem, cuius adhuc dicuntur extare vestigia, coniiciunt: ibi ad lapideam columnam vinctis post tergo manibus ligant, pugnis, calcibus, colaphis, alapis, loris, flagellis contundunt, lacerant, suamque in eum rabiem effundunt, adeoque crudeliter tractant, ut proximum morti vix non vita privarint. Haec autem quamvis apud Evangelistas non legantur, ea tamen nobis tanquam indubitata gravium doctorum auctoritas consignavit:* et Gulielmus (*statione* 3. *Christi patientis*) refert ex sententia divi Hieronymi, Christum Dominum ea nocte tot, ac tam adversa perpessum fuisse, ut in solum diem Iudicii reservatum iri eorum integram notitiam existimet, iuxta illud Nahum: *Revelabo cunctis gentibus ignominiam tuam.* Confirmat Bredembachius (*in descriptione Hierusalem*), ex qua constat Christum ea nocte columnae alligatum, flagellis caesum; ac tandem alii non contemnendae auctoritatis Doctores referunt, quod milites non contenti praedictis omnibus suppliciis, et iniuriis illum affecisse, miserunt illum, quando ipsi dormitum se contulerunt, in lacum quendam inferiorem, ad quem immundae, et squallidae illius domus aquae confluebant, in quo Christus Dominus pernoctavit, dicente David: *Posuerunt me in lacu inferiori.* En lectulum Salomonis, Christi videlicet, qui plusquam Salomon est. En lectulum Sponsae floridum, in quo cubat rex angelorum, locum sane sordidissimum, et mortiferum ex se foetorem exhalantem, ut cum reliqui sensus Christi ingenti dolore afficerentur, olfactus eius propria vexatione, et cruciatu non caruerit. Olim Hieremias in altum puteum missus fuit; Ioseph in cisternam proiectus; Daniel in lacum leonum immissus; sed ibi eos Dominus consolatus est, et praecipue Danielem, ad quem misit angelum, qui cibaret illum, et iram leonum, qui alioquin in illum irruissent, compescuit. At lacus iste, in quo verus Daniel iacuit, omnis solatii expers erat, adeo, ut apte satis Christus Dominus dicere potuisset (*Psal.* 68): *Demersus sum in limo profundi, et non est substantia.*

## HOMILIA XIII.

*De trina Petri negatione in ea, quae de illa tradunt d. Matthaeus 26. Marcus 14. Lucas 22. et Ioannes 18. Ubi permulta scitu dignissima, tam erudite, quam utiliter pertractantur, praecipue tamen de causis illius.*

Duplicem video extremam, et utramque falsam de negatione Petri circumferri sententiam, quam oportet ante omnia confutare. Quidam enim docuerunt, Petrum Christum negantem amisisse fidem; nituntur que testimonio divi Ambrosii (*ser.* 48. *de fide Petri in initio to.* 3. *prope finem*), dicentis: *Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amisit*; potestque haec sententia ex verbis divi Marci stabiliri, dum ait, Christum Dominum exprobrasse incredulitatem Apostolorum, et duritiam cordis eorum; inter Apostolos vero certum est, adfuisse tunc Petrum: ergo incredulitatis labe non caruit. Verum haec opinio pugnat cum verbis Christi Domini, dicentis (*Luc.* 22): *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Unde cum divus Ambrosius ait, Petrum fidem perdidisse, accipit fidem pro fidelitate, quam certe Christo amico non servavit; vel pro fidei confessione, ad quam eo tempore faciendam divino praecepto tenebatur (*Rom.* 10): *Quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Marci autem locus productus nihil obest: nec enim tangit beatum Petrum, quia de eo refertur apud Lucam, quod cum mulieres ea, quae a Domino audierant, Apostolis nunciassent, ipsique ea non credidissent, sed visa potius fuissent deliramenta, protinus subiunxit Evangelista: *Petrus autem surgens, cucurrit ad momentum*; non vero cucurrisset, nisi credidisset. Coniunctio etiam adversativa, *autem*, ostendit aperte, verba mulierum non visa fuisse sibi deliramenta. Alii gravissimi Doctores in extremam alteram sententiam declinantes, asserunt Petrum non negasse, quod novisset Christum esse Deum, sed eum nosse, non esse tantummodo hominem: ita enim loquitur divus Ambrosius (*in Lucam*): *Bene negavit hominem, quem sciebat Deum:* et divus Hilarius explicans verba illa, *Non novi hominem*, diligenter inquit: *Contuendum est, qua conditione Petrus negaverit.* Quanquam de hoc superius tractatum est: *Nam primo ait, non se intelligere, quid diceret; secundo, non se ei adhaesisse; tertio vero se hominem non nosse. Et vere prope iam sine piaculo hominem negabat, quem Dei Filium prius agnoverat; tamen quia ex infirmitate carnis vel ambiguus extitisset, amarissime flevit, recolens trepidationis istius culpam se nec admonitum potuisse vitare;* haec ille. Verum divus Hieronymus, et divus Augustinus tam nervose, quam eleganter hanc sententiam labefactant: nam ille (*super eumdem locum Matthaei*) ait: *Scio quosdam pie affectos*



*erga Apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negasse, sed hominem, et esse sensum: Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit, prudens lector intelligit, si defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne quid dicat, me negabis, non hominem;* haec divus Hieronymus. Audiamus Augustinum idem dogma alia ratione refellentem: *An Apostolus*, inquit, *Petrus, sicut eum quidam favore perverso excusare nituntur, Christum non negavit, quia interrogatus ab ancilla, hominem se nescire respondit, sicut alii Evangelistae contestantur expressius? Quasi vero, qui hominem Christum negat, non Christum neget, et hoc in eo neget, quod factus est propter nos, ne periret, quod fecerat nos. Ergo qui ita confitetur Christum Deum, ut hominem neget, non pro illo mortuus est Christus, quia secundum hominem mortuus est Christus. Qui negat hominem esse Christum, non reconciliabitur per mediatorem Deo: unus enim Deus, et unus mediator Dei, et hominum, homo Christus Iesus:* et infra: *Non accusemus Christum, cum defendimus Petrum: peccatum agnoscat infirmitas: nam mendacium non habet veritas. Agnovit plane peccatum suum infirmitas Petri; prorsus agnovit, et quantum malum Christum negando commiserit, plorando monstravit: ipse suos redarguit defensores, et unde eos convincat, producit lacrymas testes;* haec fulgentissimum Ecclesiae lumen d. Augustinus, a cuius sententia neutiquam discedunt d. Hilarius, et d. Ambrosius; quia potius eam adstruunt; ille in Psalmum quinquagesimum secundum, hic in Lucam.

Supposito igitur toties Petrum peccasse, quoties Christum abnegavit, observare oportet, abiiciendam omnino esse sententiam cardinalis Caietani, asserentis Petrum septies, aut ad minus quinquies negasse Christum, ter ad vocem ancillarum, et bis ad vocem virorum. Patres enim unanimi consensu ei refragantur: nam Augustinus (*tra.* 121. *in Ioan. circa medium to.* 9): *Redditur*, inquit, *negationi trinae trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori; et plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita praesens. Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium, negare pastorem.* Ambrosius ante eum tractans Petri negationes, (*lib.* 10. *in Luc. c.* 13) ait: *Imitare Petrum, dicentem alibi tertio: Domine tu scis, quia diligo te. Etenim quia tertio negaverat, tertio confitetur; sed negavit in nocte, confitetur in die:* et d. Cyrillus (*in Ioan. lib.* 12. *ca.* 54. *circa medium to.* 2) ait: *Quoniam cum aliis Apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratur, ter in tempore passionis negatio aequali confessionis numero compensetur. Ita quod verbis commissum fuit, verbis curatur.* Idem docet d. Bernardus, et alii plerique Patres, verbis Christi Domini innixi, quibus praedixit Petro, ter illum fore abnegaturum. Nec quidquam refert Caietani responsio, quod qui septies, aut quinquies negat, ter negat, quia Dominus spiritu prophetico dixit, ter fore Petrum illum negaturum; numerus autem prophetici dicti ita est intelligendus, ut nec illi aliquid sit addendum, nec detrahendum. Deinde quia iuxta praedictam responsionem liceret Iudaeis in septuaginta Danielis hebdomadibus addere alias mille, ac dicere, quod in illis continentur septuaginta, immo et Christo dicente (*Mar.* 8), *Post tres dies resurgam*, posset dici resurrexisse quinto, vel octavo die post mortem, quia omnes isti dies sunt post tertiam diem, quae omnia manifestam praeseferunt absurditatem.

Sed iam propius accedamus ad negationem ipsam, quam praefiguratam invenio, tam in Cain negante se scire fratrem suum Abel, et in Chusai amico David, qui Davidem negavit coram Absalon; prophetatam etiam per Psalmistam (*Ps.* 141): *Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat, qui cognosceret me:* et per Hieremiam dicentem (*c.* 5): *Negaverunt Dominum, et dixerunt, non est ipse.* Hanc negationem his verbis semel protulit Petrus; interrogatus enim: *Tu ex discipulis eius es?* respondit, *Non novi hominem.* Hane Petre iniquus ac detestabilis est homo iste, ut dedigneris illum agnovisse, et cum eo conversatum fuisse? quomodo ais: *Non novi hominem?* immo agnovisti, quem Filium Dei antea confessus fuisti, dicens (*Matth.* 4): *Tu es Filius Dei.* Nonne nosti hominem vocantem te, et fratrem tuum ad mare Galilaeae, cum dixit (*Matt.* 17): *Venite post me, faciam vos piscatores hominum?* Itane oblitus es hominem, quem vidisti in monte Thabor gloriosis dotibus adeo fulgentem, ut fieret facies eius splendida, ut sol, et vestimenta eius sicut nix, et tu ipse tantae pulchritudinis aspectu captus dixeris (*Mar.* 6): *Bonum est nos hic esse?* Memento Petre hunc hominem esse, qui te super aquas ambulare fecit, et qui ne submergereris, manum tibi porrexit. Haec adeo recens facta sunt, ut oblivioni nulla ratione tradita esse possint. Unde dicens: *Non novi hominem*, recte mentitus es in caput tuum. Sane Petre crudeliorem aliis inimicis, in Christum videris mihi te exhibuisse: alii enim colaphis faciem, alii caput percusserunt, alii manibus ligarunt, alii venerandae barbae capillos extraxerunt; at tu cor Domini tenerrimum acuto, ac penetranti sacrilegae negationis telo transfixisti. Inter tormenta, quae gravius patientissimi Iobi animum excruciarunt, illud commemorat: *Non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me.* David etiam (*Psal.* 54) nihil aegrius tulit, quam dilecti filii Absalonis adversum se persecutionem; unde profusis lacrymis dicebat (*Psal.* 54): *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos etc.* Narrat Svetonius Tranquillus, quod cum inimici adversus Iulium Caesarem coniurati in Senatum convenissent, ut illum interficerent, quidam eorum nomine Casca, simulate pugione illum percussit; quia tamen hic manifestus inimicus erat, proditionem non est admiratus Caesar; continuo autem irruens in eum Marcus Brutus, qui a Caesare multis beneficiis cumu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

latus fuerat, evaginato gladio graviter Caesarem vulneravit, ob quod ipse valde obstupescens, obiecit ei: *Et tu quoque Marce fili?* gravius certe ferens ab eo, quem filii loco habebat, quam ab agnito hoste vulnerari. Ita sane, cum acerrimi hostes Christi, vitae eius insidiantes, in unum convenissent, accidit, ut perfidus hostis Iudas osculi diabolica simulatione Christum traderet, discipuli aufugerent, inverecundi ministri in eum irruerent; nihil tamen molestius, quam Petri sacrilegam negationem sustinuit, ut non immerito velut alter Caesar suo Marco Bruto obiicere potuisset, et tu quoque Petre fili, quem Principem Ecclesiae constitui, ita acriter in me insurgis? cui tamen non minora promisi, quam Iosepho olim pollicitus fuerat Pharao, dicens (*Gen.* 41): *Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te praecedam.* Narrant aliis etiam verbis Evangelistae, iterum Petrum Christum abnegasse: nam quaesitus an ex Christi discipulis esset, incunctanter respondit: *Non sum. Ecce,* inquit d. Augustinus (*tract.* 113), *columna firmissima ad unius aurae impulsum tota contremuit: ubi est illa promittentis audacia, et de se plurimum praesumentis? ubi sunt verba illa: Quare non possum te modo sequi? animam meam pro te ponam. Hoccine est sequi Magistrum, se negare discipulum?* haec ille. Quibus nos addemus, recte Petrum connumerari posse inter filios Ephraim, de quibus Psalmista (*Psal.* 77): *Filii Ephrem intendentes, et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Quasi arcum videbatur intendere Petrus, cum dicebat: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sed appropinquante die belli, non tam cum fortiori hoste, quam cum imbecilli ancilla congrediens, ab ea victus Christum abnegavit. Sed idcirco praedicta verba adnoto, quod dum volens Petrus Christi discipulum se negat, nolens ad nihilum se redactum fatetur; *Non sum dicens:* quia vere, qui a charitate excidit, nihil est, iuxta Pauli sententiam, dicentis (1. *Cor.* 13): *Si charitatem non habeam, nihil sum.* Unde mendacem simul, et veracem ad diversa relatam assertionem protulit.

Causas tamen huius negationis, quod praecipuum est praesentis sermonis argumentum, longa oratione prosecuturus, ut perspicuitati consulam, primo loco eas disculiam, quae sunt ex parte Petri peccantis. Secundo vero, quae ex parte Dei permittentis prudenter satis iuxta Patrum doctrinam scrutari possumus, in medium proferam. Primam ex parte Petri arbitror fuisse nimiam, ac praesumptione plenam de seipso fiduciam, quam haud obscure indicavit, cum dixit: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor.* Et Christo illi praedicente: *Non cantabit gallus, donec ter abneges nosse me,* ipse subiunxit: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Similia verba protulit Ethai Cethaeus, ad Davidem dicens: *Vivit dominus meus Rex, quia in quocunque loco fuerit, sive in vita, sive in morte, et ibi erit servus tuus.* Sed exitus rei huic per omnia dissimilis, et impar fuit: nam iste a Davide non aufugit; Petrus vero a Christo recessit. Huius negationis causam ita tradidit Ambrosius: *Mutatus est, quia dixit se animam posse ponere, quod non est humanae infirmitatis, sed divinae potestatis:* et d. Leo Papa (*in serm. de pass.*) inquit: *Ob hoc autem, sicut apparet, haesitare permissus est, ut in Ecclesiae principe remedium poenitentiae conderetur, et nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec beatus Petrus potuisset evadere;* haec ille. Quod si angelus de coelo cecidit, et Adam de Paradiso, et Petrus Ecclesiae columna in Apostolico throno existens Christum abnegavit; quid nobis cogitandum est, nisi quod opportune Apostolus suadet (*Ro.* 11): *In fide stas, noli altum sapere, sed time.* Olim Pharao suae potentiae innitens, confidenter admodum clamabat (*Exod.* 15): *Persequar, et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Sed continuo huius confidentiae vanitatem contrarius eventus probavit: nam statim addit sacer textus: *Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum, in aquis vehementibus.* Quibus verbis observare oportet opponi illa alia eiusdem capitis, dum ait: *Misisti iram tuam, quae devoravit eos, sicut stipulam:* utrumque enim verissimum est, et quod submersi fuerint, sicut plumbum, et sicut palea: id enim omnibus, et singulis submersis commune est, qui quamvis a principio in profundum, sicut plumbum, demergantur, aqua tamen postea illos inflans sursum illos mittit, et velut levis stipula, aut palea, super aquam vehuntur. Ita sane contigit Ægyptiis, qui postquam in profundum maris vivi demersi sunt, postea mortui super aquam, velut stipula, natantes, omnium oculis apparuerunt: immo, ut quidam aiunt, in ripam maris pervenerunt, ut ab Israelitis facile spoliari possent, quia dixerat Pharao, *dividam spolia.* Primo etiam Regum decimo septimo, cum Philistaeus ille Goliath ad locum certaminis contra Davidem praeliaturus incederet, in fortitudine brachii sui confisus aiebat: *Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo, veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus coeli, et bestiis terrae.* In supplicium tamen huius elatae, ac superbae confidentiae, quid ei acciderit, sacer textus subiunxit, dicens: *Festinavit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philistaei, et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda iecit, et circumducens percussit Philistaeum, et infixus est lapis in fronte eius, et cecidit in faciem suam super terram, percussumque Philistaeum interfecit.* Ipse etiam David postea labentibus annis, et secundis, ac felicibus eventibus fruens, ac divinis favoribus affluens, ita intumescere coepit, ut diceret: *Non movebor in aeternum,* vel ut Chaldaica Paraphrasis vertit: *Ego dixi cum sederem in fiducia.* At continuo subiunxit: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Quid plura? Scribis, et Pharisaeis arroganter dicentibus: *Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum,* Dominus respondit: *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, crucifigetis, etc.* Ubi ponderatione



digna est causalis illa, *ideo*, quae aperte indicat, propter nimiam eorum confidentiam in semetipsis, in gravissima homicidia prolabi permissos. Sacra narrat historia (3. *Reg.*), quod regi Syriae, nomine Benadad, multa de se iactanti, et pollicenti rex Israel dixit: *Non glorietur accinctus aeque, ut discinctus:* quasi diceret: donec ultima manus imposita fuerit praelio, nemo certam victoriam sibi polliceri potest, quia varius est belli eventus. Sane dum in hoc infirmo, ac mortali corporis nostri ergastulo anima commoratur, semper perseverat bellum, quia ut inquit Apostolus (*Gal.* 5): *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem:* unde minime de sua iustitia, et sanctitate gloriari debet, sed solum Deo fidere, et eius favori, et auxilio inter spem, et timorem inniti. Atque hinc ansam sumere placet, ad interpretationem illius difficilis loci Geneseos, ubi Iacob cum socero suo Laban agens, haec verba protulit (*Gen.* 31): *Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac affuisset mihi, etc.* Quaerit Paulus Burgensis (*sup. hunc loc.*), quare hoc loquendi modo fuerit usus Iacob? Quare non dixit, Deus patris mei Abraham, et Deus Isaac, vel timor Abraham, et timor Isaac, sed Deus Abraham, et timor Isaac? Non enim credendum est caruisse mysterio, quod tam paucis verbis stylum mutaverit. Respondet idem Burgensis ex opinione Hebraeorum, quod Deus non nominatur Deus alicuius singularis personae, nisi postquam est extra fluxibilitatem huius vitae, eo quod homo dum est in hac vita, potest mutari de statu gratiae ad statum peccati. Et quia, quando haec verba dixit Iacob, Abraham iam e vita discesserat, sed Isaac vivebat adhuc; idcirco de Abraham, qui erat in securo, dixit, Deus Abraham, sed de Isaac, qui adhuc erat in vita, dixit, timor Isaac, id est, quem Isaac timet: iustus enim debet esse timoratus, et numquam de sua salute securus, memor eius, quod Ecclesiasticus hortatur (*Eccles.* 6): *Ne erigaris in cogitatione animae tuae, velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, et folia tua comedat, et fructus perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Propter nimiam ergo confidentiam, quam petulanter in se ipso habuit Petrus, permissus est ignominiose adeo vinci, ut qui ianitor coeli futurus, et cui tradendae erant claves regni coelorum, a ianitrice Caiphae clavigera vinceretur.

Secunda causa lapsus Petri fuit ingressus in palatium, quod haud obscure praesignasse videtur Iob, cum dixit (*c.* 8): *Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicet, non novi te.* Solet palatium a Latinis basilica appellari, ut tradit Ambrosius, et non immerito: quia omissis aliorum interpretationibus, multi asserunt, tametsi multi non consentiant, derivari a basilisco, quia quemadmodum iste visu suo interficit, ita in Principum aulis veneficus oculus invidus semper viget. Quod si Aeliano (*de varia historia*) credimus, basiliscus in petram virus evomens, illam scindit; non incongrue dicemus id Petro accidisse: nam daemon, quem basiliscum compellat David, dicens (*Psal.* 90): *Super aspidem, et basiliscum ambulabis,* venenum trepidationis in Petrum spuens, firmissimam hanc petram divisit a Deo, Christi negationem ei suadens. Et quemadmodum teste eodem auctore ad fugandum basiliscum galli cantus praesentissimum est remedium; ita Petrus, gallo cantante, ad se reversus est, et mortiferum, quod ebiberat, negationis venenum evomuit. Illud tamen singulare, et praeter palatii consuetudinem contigit tunc, ut gallus severus peccati increpator adesset. In huiusmodi enim Principum aedibus frequentius cohabitant garruli psyttaci, canes mordaces, leones crudeles, simiae adulatrices, similiaque execranda animalia, ex quorum familiari consortio, non nisi huiuscemodi detestanda vitia comparari possunt. Unde egregiam illam existimaverim palatii definitionem, quam mordaci linguae divus Iacob assignavit (*Iacob.* 3): *Iniquitatis universitatem* aulam vocans. Nam quemadmodum in Universitate, aut publica litteraria academia diversarum scientiarum diversas cathedras, ac lectiones esse cernimus, tam matutino, quam vespertino tempore; ita sane in quibusdam Principum aulis pigritia, et somnolentia matutinum tempus primariam cathedram sibi usurpant, tempore vero prandii intemperantiae documenta leguntur, universique cibi mordaci detractionis sale condiuntur. Post prandium alearum, taxillorum, aut similium ludorum vespertinae lectiones incipiunt, quibus obiter, et quasi per transennam multa ab aliis materiis mutuata, ut odia, quae periurio, fraudi, et similibus admiscentur: nocturno tandem tempore praeter communem omnium Academiarum consuetudinem, quando lectiones cessare consueverunt, tunc in Principum aulis libidinis, et veneris doctrinae studiosius insistitur. Ingressus est Petrus hanc palatii academiam, et in primis sicut olim Magis Herodianam aulam ingressis, stella, quae in Hierosolymam eorum dux erat, disparuit; ita Petro Caiphae aulam ingredienti divini luminis radius, qui mentem eius irradiare solebat, coepit obtenebrescere. Post haec pariter cum Caiphae ministris camino appropians coepit ad ignem se calefacere: at quia ut Spiritus sanctus testatur (3. *Reg.* 19): *Non in igne Dominus,* non solum ibi Christum non invenit, sed inventum perdidit, et interno divini amoris igne deficiente, externum ignem quaeritabat. In hac tandem iniquitatis universitate brevi tempore Petrus tantopere profecit, vel potius defecit, ut in mendacium periurum, ac horrendum negationis peccatum misere prolaberetur. Haec palatii incommoda perpendens d. Bernardus, scribens ad Eugenium, prudenter satis dixit: *Claustrum quosdam malos recepit, quos ut plurimum bonos effecit; Curia vero e contrario plures bonos recipit, quos non perficit, sed inficit:* et (*eodem libro*) alia huic argumento non parum consentanea scribit: *Quae infideliter, ait, intravit, et non per Christum, quid mirum si infideliter agat, et contra Christum? vix enim bene, et fideliter aguntur, quae mala sunt inchoata principio;* haec divus Bernardus: quae propterea dixit, quia Petrus aulam non intraverat per ostium, quod est Christus, ipso dicente: *Ego sum ostium, si quis per me introie-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*rit, salvabitur*; sed per ostium humani favoris, per Ioannis scilicet intercessionem, qui, ut sacer ait Evangelista, notus erat Pontifici. Verum ut paucis comprehendam, quae prolixa oratione hic dici possent, illud unum observatione dignum arbitror, nullibi cum Christo Domino contumeliosius actum fuisse, quam in principum aulis. In domo enim Annae accusatus, in domo Caiphae alapa percussus, in domo Pilati flagellatus, in domo Herodis velut amens delusus, ac ab eisdem pene infinitis opprobriis, ac tormentis usque ad crucis mortem damnatus; cum tamen in abiectiorum hominum aedibus multis obsequiis et honoribus fuerit honestatus, a Pharisaeo invitatus, at a Zachaeo in domum honorifice receptus, ab Architriclino ad nuptias vocatus, et a plerisque aliis in summo honore habitus. Iure ergo optimo ad nos clamans hortatur Hieremias: *Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam de medio*, inquit notanter: *Babylonis*, ut indicaret, se per medium Babylonis regiam aulam intelligere, quia in urbis medio consueverant tunc Principum palatia construi. Unde cum ex una parte Babylon fictionem, et confusionem significet, et infernum adumbret, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, et ex alia palatium, tanquam cor et centrum, in medio Babylonis sedem teneat: quidni palatium dicamus esse confusionis centrum, et fictionis atque mendacii officinam?

Tertiam causam negationis Petri assignare possumus, cum ancilla ostiaria minime necessariam confabulationem: unde egregie Maximus Turinensis dixit, similes valde inter se esse lapsus Adae, et Petri: nam utrobique diabolus, homo, et mulier intervenerunt. Ille enim certissime praetorium illud perambulabat, circumiens si quem ex paucis, qui Christo adhaerebant, devorare posset: Adam, et Petrus uterque praeceptum a Domino acceperunt, ille non comedendi pomum, hic non negandi Christum; sed spreto praecepto ille comedit, hic negavit: ille vetitum fructum degustavit, iste prohibitum negationis verbum protulit: Adamum Eva ad intemperantiam invitavit, Petrum ad negationem ancilla ostiaria induxit: illa e paradiso primum parentem, haec primum Apostolum a Christo separavit: illa iniqua petitione Adamum infecit, haec sacrilega interrogatione labendi occasionem Petro subministravit: et utraque sane ianitricis munus usurparunt, illa Adamum, haec Petrum in mortem introducens, et a vita excludens. Instrumentum sane diaboli utraque effecta, per quod fortissimas has columnas solo aequavit. Sed lapsus Petri turpior et ignominiosior quam Adami, quia praeterquam negationis culpa gravior est intemperantia, aut inobedientia: certe Eva demulcens et alliciens, ancilla vero ostiaria non nisi deterrens et comminans ad peccatum movit. Foeminam autem tametsi in alliciendo fortem ac praepotentem, in terrendo tamen infirmam et imbecillem quotidie experimur. Unde quanto Petrus a debiliori hoste devictus, tanto casus eius ignominiosior comprobatur, ut egregie adnotavit divus Gregorius (*lib.* 17) dicens: Et quidem ne sexus firmior terribilem monstraret, ancilla est inquirente tentatus: rursusque ut talis sexus infirmitas etiam deiectione vilesceret, ab ostiaria est ancilla requisitus. Haec sane fuit tunc antiqui serpentis calliditas, ut cum non posset Petrum, utpote arcem omnibus virtutibus munitam aliqua ex parte irrumpere, quasi artis bellicae peritissimus ancillae ostiariae verba velut quandam scalam adhibuit, per quam ascendens rationis arcem occupare posset. Experimento enim compererat antiquus humani generis hostis, frequenter medio hoc imbecilli feminarum instrumento, fortissimos quosque duces facile a se superatos. Adami innocentiam hac via labefactaverat; Iosephum carceri mancipaverat; Samsonem infirmum effecerat; Davidem adulterum et homicidam reddiderat; Salomonem sapientiae ornamento spoliaverat; Baptistae caput abstulerat. Modo Petrum Christi vicarium eodem bellici instrumenti genere graviter sauciavit. Quis quaeso putaret, quod postquam Sisara Chananaeorum fortissimus Dux e manibus Barach, et copiosi exercitus eius insidiis liber et incolumis prodiisset, tandem in imbecilles foeminae manus incidens, clavo tempora eius confodienda forent, et ignominiose occumberet? Non dissimiliter quidem, cum Petrus tempore comprehensionis Christi inito iam bello, ita ut Malchum ipse percuteret, illaesus evasisset, et pro Christi defensione viriliter pugnasset, nemo nisi temere indicare potuisset, Petrum Ecclesiae columnam ad unius ancillae verbum in negationis Christi profundum barathrum fore prolapsurum. At exitus rei Petri infirmitatem, et fortitudinem foeminae, quae etiam adversus Apostolorum principem praevaluit, comprobavit. Legimus apud Genesim, ad efformandam mulierem Adae fuisse costam assumptam, ubi ait sacer textus, quod *Deus replevit carnem pro ea*, ita ut in vicem costae solidi ossis carnem fragilem substitueret. Quo non obscure Spiritus sanctus innuit, per familiarem cum foemina confabulationem, aut frequens consortium animi fortitudinem extenuari, et infirmos carnis affectus produci, ut expertus est Petrus, qui nec tortoris funibus compressus, nec pugione ad pectus admoto coactus, nec evaginato militis ense minas passus, aut extrinseco quopiam medio vim aliquam inferente extortus, Christum Dominum timore perterritus ad vocem unius ancillulae abnegavit.

Hucusque huius negationis causas ex parte Petri discussimus, iam eas, quas ex parte Dei casum eius permittentis Patres commemorant, diligenter edisseramus. Primam tradidit d. Gregorius (*hom.* 21. *in Evang. circ. med.*), ut qui aliis supremus Pastor praeficiendus erat, disceret lapsis commisereri, et non austero animo erga illos se gerere: sic enim ait: *Considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cunctae Ecclesiae praeferre disposuerat, ancillae vocem pertimescere, et se ipsum negare permisit: quod nimirum magnae actum esse pietatis dispensatione cognoscimus; ut is qui futurus erat Pastor Ecclesiae, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset*: et (*in Epist. ad Episc. Gall.*): *Plus*, inquit, *erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam commotio; plus charitas, quam potestas; cum nemo vestrum sine reprehensione, aut sine peccato vivat. Nam si Dominus statim post primam negationem Petrum iudicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset.*

Secundam adhibet d. Augustinus his verbis: *Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumpsit.* Tertiam causam Chrysostomus (*in cap.*26. *Matth. hom.* 83) subiungit in haec verba: *Idcirco igitur permisit, ut caderet, ut in omnibus disceret Christo parere, verioraque dicta istius crederet, quam quae sua sibi conscientia testaretur*: et subdit: *Quare verbis cum Petrus non crederet, a rebus ipsis eruditur.* Quartam affert d. Leo dicens (*ser.*9. *de Pas.*): *Beatus Apostolus Petrus, cuius fides ea devotione fervebat, ut et Domino compati paratus esset, et commori, ancilla Sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit. Ob hoc sicut apparet, haesitare permissus, ut in Ecclesiae Principe remedium poenitentiae conderetur, et nemo auderet de sua virtute confidere*; haec ille. Memini d. Gregorium (*libr.* 5. *Moral. cap.* 13) dixisse, profanis militibus prodesse illud, *Audaces fortuna iuvat, timidosque repellit*; at Christiano militi e contra Spiritus sanctus ait (*Prov.* 14): *In timore Domini fiducia fortitudinis*, quia experientia ipsa non semel docuit, nullum proximiorem ad casum, quam qui de sua virtute confidens, minime se casurum praesumit: haec enim mendax securitas, veracem, et securam reddit hostis victoriam. Quod ad vivum satis nobis exprimit, quod habetur (*Iudic.*18), ubi narratur, quod militibus tribus Dan invitantibus ad expugnandam civitatem Lais, his verbis illam persuadebant: *Surgite, ascendamus ad eos, vidimus terram valde opulentam, possideamus eam, nullus erit labor, intrabimus ad securos.* Ecce securitatem reddit tanquam rationem victoriae de illis reportandae, ut exitus rei satis comprobavit: nam postea subiungit sacer textus: *Venerunt in Lais ad populum quiescentem, et securum, et percusserunt eum in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente praesidium.* Ut ergo Dominus admoneret Petrum, ne de sua virtute praesumens securitatem sibi polliceretur, ideo misere prolabi eum permisit, et ut disceret cum Iob (*cap.* 5) repetere: *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Tandem Euthymius alias assignat causas (*in commentario super Matthaeum*), nimirum, ut miraculorum, ac prodigiorum insignis factus operator, humilis ac modestus perseveret, suique casus non immemor Deo rem omnem adscribat. Hac enim ratione Paulus variis tentationibus vexari permissus est, *ne*, ut ipse fatetur (1. *Cor.* 12), *magnitudo revelationum eum extolleret.* Aliam etiam adducit non contemnendam rationem: nam qui maiorem clementiam in se Domini experietur, tam execrandum facinus illi condonantis, maiori amore erga eum affici deberet; unde Christus Dominus saepe interrogavit illum, dicens (*Ioann.* 21): *Diligis me plus his?* Nam cui plus dimissum fuerat, plus amare debebat, iuxta illud (*Luc.*7): *Cui minus dimittitur, minus diligit.*

## HOMILIA IX.

*De lacrymis divi Petri a respectione Christi Domini causatis in ea verba*: Et conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, quia prius quam gallus cantet, ter me negabis; et egressus foras flevit amare.

In enarranda historia trinae negationis Petri, d. Lucas Evangelista, qui pingendi artem recte noverat, Petri imaginem depicturus, prius illam, ut pictoribus consuetum, nigram, et tuentibus turpem delineavit, sacrilegam eius referens negationem; postmodum vere variis, hisque splendentibus coloribus ornavit, ac perpolivit, poenitentiam eius, et lacrymas commemorans: non solum autem rem ipsam, sed et modum, quo contigit, disertis verbis enarrat, dicens: *Conversus Dominus respexit Petrum.* Quae verba an intelligenda sint de conversione corporali oculorum Christi, an vero de spirituali, non est una Patrum sententia. Nam d. Leo (*serm.* 9. *de Pass. sub fin.*) spiritualem fuisse hanc conversionem his verbis tradit: *Dominus autem Iesus, qui intra pontificale concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi divino vidit intuitu, et paventis animum mox, ut respexit, erexit, et in fletus poenitudinis incitavit.* Eandem sententiam secutus Augustinus, ait (*lib.* 3. *de consens. Ev. cap.* 5. *sub fin. tom.* 4): *Quapropter mihi videtur illa respectio divinitus facta, ut ei veniret in mentem quoties iam eum negasset, et quid ei Dominus praedixisset; atque ita misericorditer Domino respiciente poeniteret eum, et salubriter fleret; sicut quotidie dicimus, Domine respice in me. Et respexit eum Dominus, qui de aliquo periculo, vel labore divina misericordia liberatus est. Et sicut dictum est: Respice, et exaudi me. Et convertere Domine, et libera animam meam, ita dictum arbitror, Conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini.* Eidem sententiae adstipulantur d. Ambrosius, et Beda (*in Luc.*). Quorum Patrum praecipuum fundamentum sine dubio fuit, quod Marcus referat, Petrum fuisse in atrio deorsum inter servos, qui se ad ignem calefaciebant; Christus autem tunc erat in superiori partae aulae inter sacerdotes, et seniores; et ut quidam tradunt, velatus facie. Alii tamen Patres praefata interpretantur verba de conversione, et respectu spirituali pariter, et corporali; ita ut corporeis oculis Christus Dominus illum respexerit. Hi sunt Chrysostomus

*rit, salvabitur* ; sed per ostium humani favoris, per Ioannis scilicet intercessionem, qui, ut sacer ait Evangelista, notus erat Pontifici. Verum ut paucis comprehendam, quae prolixa oratione hic dici possent, illud unum observatione dignum arbitror, nullibi cum Christo Domino contumeliosius actum fuisse, quam in principum aulis. In domo enim Annae accusatus, in domo Caiphae alapa percussus, in domo Pilati flagellatus, in domo Herodis velut amens delusus, ac ab eisdem pene infinitis opprobriis, ac tormentis usque ad crucis mortem damnatus; cum tamen in abiectiorum hominum aedibus multis obsequiis et honoribus fuerit honestatus, a Pharisaeo invitatus, at a Zachaeo in domum honorifice receptus, ab Architriclino ad nuptias vocatus, et a plerisque aliis in summo honore habitus. Iure ergo optimo ad nos clamans hortatur Hieremias: *Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam de medio*, inquit notanter: *Babylonis*, ut indicaret, se per medium Babylonis regiam aulam intelligere, quia in urbis medio consueverant tunc Principum palatia construi. Unde cum ex una parte Babylon fictionem, et confusionem significet, et infernum adumbret, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, et ex alia palatium, tanquam cor et centrum, in medio Babylonis sedem teneat: quidni palatium dicamus esse confusionis centrum, et fictionis atque mendacii officinam?

Tertiam causam negationis Petri assignare possumus, cum ancilla ostiaria minime necessariam confabulationem: unde egregie Maximus Turinensis dixit, similes valde inter se esse lapsus Adae, et Petri: nam utrobique diabolus, homo, et mulier intervenerunt. Ille enim certissime praetorium illud perambulabat, circumiens si quem ex paucis, qui Christo adhaerebant, devorare posset: Adam, et Petrus uterque praeceptum a Domino acceperunt, ille non comedendi pomum, hic non negandi Christum; sed spreto praecepto ille comedit, hic negavit: ille vetitum fructum degustavit, iste prohibitum negationis verbum protulit: Adamum Eva ad intemperantiam invitavit, Petrum ad negationem ancilla ostiaria induxit: illa e paradiso primum parentem, haec primum Apostolum a Christo separavit: illa iniqua petitione Adamum infecit, haec sacrilega interrogatione labendi occasionem Petro subministravit: et utraque sane ianitricis munus usurparunt, illa Adamum, haec Petrum in mortem introducens, et a vita excludens. Instrumentum sane diaboli utraque effecta, per quod fortissimas has columnas solo aequavit. Sed lapsus Petri turpior et ignominiosior quam Adami, quia praeterquam negationis culpa gravior est intemperantia, aut inobedientia: certe Eva demulcens et alliciens, ancilla vero ostiaria non nisi deterrens et comminans ad peccatum movit. Foeminam autem tametsi in alliciendo fortem ac praepotentem, in terrendo tamen infirmam et imbecillem quotidie experimur. Unde quanto Petrus a debiliori hoste devictus, tanto casus eius ignominiosior comprobatur, ut egregie adnotavit divus Gregorius (*lib.* 17) dicens: Et quidem ne sexus firmior terribilem monstraret, ancilla est inquirente tentatus; rursusque ut talis sexus infirmitas etiam deiectione vilesceret, ab ostiaria est ancilla requisitus. Haec sane fuit tunc antiqui serpentis calliditas, ut cum non posset Petrum, utpote arcem omnibus virtutibus munitam aliqua ex parte irrumpere, quasi artis bellicae peritissimus ancillae ostiariae verba velut quandam scalam adhibuit, per quam ascendens rationis arcem occupare posset. Experimento enim compererat antiquus humani generis hostis, frequenter medio hoc imbecilli feminarum instrumento, fortissimos quosque duces facile a se superatos. Adami innocentiam hac via labefactaverat; Iosephum carceri mancipaverat; Samsonem infirmum effecerat; Davidem adulterum et homicidam reddiderat; Salomonem sapientiae ornamento spoliaverat; Baptistae caput abstulerat. Modo Petrum Christi vicarium eodem bellici instrumenti genere graviter sauciavit. Quis quaeso putaret, quod postquam Sisara Chananaeorum fortissimus Dux e manibus Barach, et copiosi exercitus eius insidiis liber et incolumis prodiisset, tandem in imbecilles foeminae manus incidens, clavo tempora eius confodienda forent, et ignominiose occumberet? Non dissimiliter quidem, cum Petrus tempore comprehensionis Christi inito iam bello, ita ut Malchum ipse perculeret, illaesus evasisset, et pro Christi defensione viriliter pugnasset, nemo nisi temere iudicare potuisset, Petrum Ecclesiae columnam ad unius ancillae verbum in negationis Christi profundum barathrum fore prolapsurum. At exitus rei Petri infirmitatem, et fortitudinem foeminae, quae etiam adversus Apostolorum principem praevaluit, comprobavit. Legimus apud Genesim, ad efformandam mulierem Adae fuisse costam assumptam, ubi ait sacer textus, quod *Deus replevit carnem pro ea*, ita ut in vicem costae solidi ossis carnem fragilem substitueret. Quo non obscure Spiritus sanctus innuit, per familiarem cum foemina confabulationem, aut frequens consortium animi fortitudinem extenuari, et infirmos carnis affectus produci, ut expertus est Petrus, qui nec tortoris funibus compressus, nec pugione ad pectus admoto coactus, nec evaginato militis ense minas passus, aut extrinseco quopiam medio vim aliquam inferente extortus, Christum Dominum timore perterritus ad vocem unius ancillulae abnegavit.

Hucusque huius negationis causas ex parte Petri discussimus, iam eas, quas ex parte Dei casum eius permittentis Patres commemorant, diligenter edisseramus. Primam tradidit d. Gregorius (*hom.* 21. *in Evang. circ. med.*), ut qui aliis supremus Pastor praeficiendus erat, disceret lapsis commisereri, et non austero animo erga illos se gerere: sic enim ait: *Considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cunctae Ecclesiae praeferre disposuerat, ancillae vocem pertimescere, et se ipsum negare permisit: quod nimirum magnae actum esse pietatis dispensatione cognoscimus; ut is qui futurus erat Pastor Ecclesiae, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset*: et (*in Epist. ad Episc. Gall.*): *Plus*, inquit, *erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam commotio; plus charitas, quam potestas; cum nemo vestrum sine reprehensione, aut sine peccato vivat. Nam si Dominus statim post primam negationem Petrum iudicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset.*

Secundam adhibet d. Augustinus his verbis: *Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumpsit.* Tertiam causam Chrysostomus (*in cap.*26. *Matth. hom.* 83) subiungit in haec verba: *Idcirco igitur permisit, ut caderet, ut in omnibus disceret Christo parere, verioraque dicta istius crederet, quam quae sua sibi conscientia testaretur*: et subdit: *Quare verbis cum Petrus non crederet, a rebus ipsis eruditur.* Quartam affert d. Leo dicens (*ser.*9. *de Pas.*): *Beatus Apostolus Petrus, cuius fides ea devotione fervebat, ut et Domino compati paratus esset, et commori, ancilla Sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit. Ob hoc sicut apparet, haesitare permissus, ut in Ecclesiae Principe remedium poenitentiae conderetur, et nemo auderet de sua virtute confidere*; haec ille. Memini d. Gregorium (*libr.* 5. *Moral. cap.* 13) dixisse, profanis militibus prodesse illud, *Audaces fortuna iuvat, timidosque repellit*; at Christiano militi e contra Spiritus sanctus ait (*Prov.* 14): *In timore Domini fiducia fortitudinis*, quia experientia ipsa non semel docuit, nullum proximiorem ad casum, quam qui de sua virtute confidens, minime se casurum praesumit: haec enim mendax securitas, veracem, et securam reddit hostis victoriam. Quod ad vivum satis nobis exprimit, quod habetur (*Iudic.*18), ubi narratur, quod militibus tribus Dan invitantibus ad expugnandam civitatem Lais, his verbis illam persuadebant: *Surgite, ascendamus ad eos, vidimus terram valde opulentam, possideamus eam, nullus erit labor, intrabimus ad securos.* Ecce securitatem reddit tanquam rationem victoriae de illis reportandae, ut exitus rei satis comprobavit: nam postea subiungit sacer textus: *Venerunt in Lais ad populum quiescentem, et securum, et percusserunt eum in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente praesidium.* Ut ergo Dominus admoneret Petrum, ne de sua virtute praesumens securitatem sibi polliceretur, ideo misere prolabi eum permisit, et ut disceret cum Iob (*cap.* 5) repetere: *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Tandem Euthymius alias assignat causas (*in commentario super Matthaeum*), nimirum, ut miraculorum, ac prodigiorum insignis factus operator, humilis ac modestus perseveret, suique casus non immemor Deo rem omnem adscribat. Hac enim ratione Paulus variis tentationibus vexari permissus est, *ne*, ut ipse fatetur (1. *Cor.* 12), *magnitudo revelationum eum extolleret.* Aliam etiam adducit non contemnendam rationem: nam qui maiorem clementiam in se Domini experietur, tam execrandum facinus illi condonantis, maiori amore erga eum affici deberet; unde Christus Dominus saepe interrogavit illum, dicens (*Ioann.* 21): *Diligis me plus his?* Nam cui plus dimissum fuerat, plus amare debebat, iuxta illud (*Luc.*7): *Cui minus dimittitur, minus diligit.*

## HOMILIA IX.

*De lacrymis divi Petri a respectione Christi Domini causatis in ea verba*: Et conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, quia prius quam gallus cantet, ter me negabis; et egressus foras flevit amare.

In enarranda historia trinae negationis Petri, d. Lucas Evangelista, qui pingendi artem recte noverat, Petri imaginem depicturus, prius illam, ut pictoribus consuetum, nigram, et tuentibus turpem delineavit, sacrilegam eius referens negationem; postmodum vere variis, hisque splendentibus coloribus ornavit, ac perpolivit, poenitentiam eius, et lacrymas commemorans: non solum autem rem ipsam, sed et modum, quo contigit, disertis verbis enarrat, dicens: *Conversus Dominus respexit Petrum.* Quae verba an intelligenda sint de conversione corporali oculorum Christi, an vero de spirituali, non est una Patrum sententia. Nam d. Leo (*serm.* 9. *de Pass. sub fin.*) spiritualem fuisse hanc conversionem his verbis tradit: *Dominus autem Iesus, qui intra pontificale concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi divino vidit intuitu, et paventis animum mox, ut respexit, erexit, et in fletus poenitudinis incitavit.* Eandem sententiam secutus Augustinus, ait (*lib.* 3. *de consens. Ev. cap.* 5. *sub fin. tom.* 4): *Quapropter mihi videtur illa respectio divinitus facta, ut ei veniret in mentem quoties iam eum negasset, et quid ei Dominus praedixisset; atque ita misericorditer Domino respiciente poeniteret eum, et salubriter fleret; sicut quotidie dicimus, Domine respice in me. Et respexit eum Dominus, qui de aliquo periculo, vel labore divina misericordia liberatus est. Et sicut dictum est: Respice, et exaudi me. Et convertere Domine, et libera animam meam, ita dictum arbitror, Conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini.* Eidem sententiae adstipulantur d. Ambrosius, et Beda (*in Luc.*). Quorum Patrum praecipuum fundamentum sine dubio fuit, quod Marcus referat, Petrum fuisse in atrio deorsum inter servos, qui se ad ignem calefaciebant; Christus autem tunc erat in superiori partae aulae inter sacerdotes, et seniores; et ut quidam tradunt, velatus facie. Alii tamen Patres praefata interpretantur verba de conversione, et respectu spirituali pariter, et corporali; ita ut corporeis oculis Christus Dominus illum respexerit. Hi sunt Chrysostomus

(*hom.* 88. *de pas. Dom.*), Euthymius (*cap.* 66. *in Matth.*), et Theophylactus (*cap.*22.*in Luc.*), qui asserunt Petrum ita prae nimio pavore turbatum, ut ipse ad galli cantum non advertens, respectus solum oculorum Christi illum excitaverit, et ad gravitatem suae negationis perpendendam impulerit. Haec sententia eo praecipue argumento fulcitur, quod alioquin oporteat vim magnam inferre verbis illis: *Conversus Dominus respexit Petrum*, quae motum corporalem manifeste importare videntur. Nec huic sententiae obest, quod Petrus deorsum esset in inferiori partae aulae, Christus vero in superiori parte domus: nam et galli cantus, et respectus oculorum eius accidere potuit, cum soluto consilio deductus fuit foras in atrium, ubi Petrus aderat cum famulis. Probabilis est etiam haec sententia, quamvis id nonnullam difficultatem ingerat, quod galli cantu nullo modo Petrum excitatum autumet. Existimo nanque exterius per illum fuisse excitatum, et interius potentia divinitatis mirabiliter motum: sic enim divina pietas peccatores a peccato relevat per galli cantum, id est, per commonitionem praedicantium, de quo canit Ecclesia:

Gallus iacentes excitat,
Et somnolentos increpat.

De his gallis spiritualibus erat ille, cui dicebat Apostolus (1. *Tim.* 4): *Argue, obsecra, increpa in omni patientia:* et ille, qui segnem hominem increpabat (*Prov.* 6): *Usquequo piger dormies? quando consurges e somno tuo?* atque huc facit illud, quod ingeniose observavit d. Gregorius, explicans verba illa d. Iobi: *Quis dedit gallo intelligentiam?* ait enim gallum boni concionatoris egregium symbolum esse: nam quemadmodum gallus antequam canat, alas expandit, eisdemque latera concutit; ita concionator antequam alios a peccati somno excitet, et poenitentiam, carnisque macerationem suadeat, prius ipse haec exercuisse debet, ut gentium praedicator Paulus se fecisse testatur, cum dicebat (1. *Cor.* 9): *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar;* et d. Hieronymus (*super eundem locum*) ait: *Gallum cantantem media nocte persimilem esse horologio, sono suo mediae noctis horam indicanti, et quod iam appropinquat: sic divini verbi concionator, oportet, proclamet, hora est iam nos de somno surgere*, diemque mortis, et iudicii indicet, cum d.Paulo dicente (*ad Rom.*13): *Nox praecessit, dies appropinquavit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.*

Verum inter has Patrum extremas sententias posset non incongrue alia media excogitari, quae utramque in concordiam quodammodo redigat, si dixerimus Christum Dominum spiritualiter pariter, et corporaliter fuisse conversum ad Petrum, absque eo, quod illum absentem, vel praesentem oculis corporalibus videret: quamvis primum istorum miraculose fieri potuisse non dubitarim. Itaque praeter internum respectum, Christus Dominus rumorem audiens ac strepitum, qui inferius fiebat, ad eam partem, non casu, sed summo consilio convertit vultum, qua Petrus aderat, et rumor magis vigebat, ut frequenter in nobis audito strepitu accidere solet. Quidquid autem sit de his Patrum sententiis, ac diversis Doctorum opinionibus; illud tamen tanquam indubitatum, et verissimum elicimus, oculis Christi Domini mirabilem inesse virtutem, ac inauditam efficacitatem, ut solo suo aspectu pauperes peccatores ad se convertat, multisque divitiis locupletes reddat, ut egregie indicant verba illa Ecclesiastici (*Eccl.*11): *Facile est in oculis Dei, subito honestare pauperem.* Recte ait, *subito*, quia tam brevi tempore, quanto fit oculorum visio, quam actionem instantaneam dicunt Philosophi. Deus peccatorem convertit.

Hanc mirabilem oculorum Christi virtutem contemplatus, multa in rebus naturalibus monumenta, et non pauciora in sacris litteris, eaque egregia testimonia pulchre illam illustrare comperio. Ut tamen ab his, quae a nobis remotiora sunt, exordiamur, certe sicut astrologi tanquam certum vindicant, Martis aspectu in eo signo natum crudelem reddi; Iovis, benignum, et clementem; Mercurii, expeditum, et eloquentem; haud difficile erit credere, Christi aspectum adeo benevolum esse, ut quem oculis intueatur, iustum, ac sanctum efficiat. Quod si splendenti radiorum aspectu sol aerem illuminat, tenebras expellit, terram foecundat, in conchyliis margaritas gignit, in telluris visceribus auri, et argenti pretiosa metalla producit, ac universum mundum tanquam regulatissimum horologium regit, atque gubernat; quos quaeso putamus effectus, divinus Sol iustitiae Christus Dominus, praeclaro illo oculorum aspectu in mundo minori producet, hoc est, in homine, a Graecis propterea microcosmo vocato? sane multo praestantiores illo, Propheta dicente (*Eccl.*23): *Oculi eius multo plus lucidiores super solem.* Unde facilius, quam ad intuitum solis, nix, et gelu liquefieri soleant, algens Petri cor ad Christi aspectum liquescere coepit, et quasi in lacrymas resolvi. Haec omnia brevi compendio Thraces perstrinxerunt, ut auctor est Sidonius Apollinaris, qui, ut mirabilem oculorum Dei virtutem exprimerent, omnibusque notam redderent, solem depingebant, ex quo tres radii prodibant, quorum unus mortuum illuminans in lucem revocavit; alter induratum lapidem conspiciens in minutissima contrivit; tertius tandem nivis montem pertingens illum liquefaciebat. Huic pulchrae, ac ingeniosae picturae hanc inscriptionem supposuerunt: *Oculi Dei ad nos;* quasi dicerent, persimiles sunt his effectus, quos Dei oculi in nobis causant. Haec quam consentanea oculis Christi sint, nemo est, qui non videat, cum tanquam Sol iustitiae radiis oculorum suorum Saulum illuminans, in peccatis mortuum suscitaverit; Matthaeum videns in telonio sedentem, et cupiditate, quae radix est omnium malorum, instar lapidis induratum contriverit, contritionem cordis illi inspirans, et cum libero eius arbitrio eam coefficiens; ac tandem Petrum intuitus niveo monte frigidiorem, in ardentem prae ignei amoris magnitudine lacrymarum imbrem eum resolverit. Similem huic effectum



tribuit Isaias oculis Dei, dicens (*Isai.*68): *A facie tua montes defluerent.*

Sacra Machabaeorum refert historia, quod cum Hebraei ex Babylonia, ubi in servitutem abducti vixerant, rediissent in patriam, exquisierunt locum, in quo sacrum templi ignem collocarant, et loco illius crassam aquam, seu gelu invenientes, aspectui radiorum solarium exposuerunt, cuius virtute in ignem conversum est: *Tempus adfuit*, ait sacer textus, *quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Ita sane contigit Petro: nam prius quam in peccati servitutem redigeretur, adeo ignis divini amoris in eo ardebat, ut diceret: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Cum tamen postea captivum se duci permisit in Babylonem, hoc est in Caiphae aulam; quam propter summam eius confusionem in aulis Principum frequentem merito Babylonem, quae confusio interpretatur, nominaverim, statim, inquam, ac ingressus est Principis illud palatium, ardens divini amoris ignis in frigidum negationis gelu commutatus fuit. Ipse autem Sol iustitiae Christus Dominus post peccati nubilum, quo se a Petro ad tempus absconderat, eundem respiciens, et in eum refulgens, pristinum ignem accendit, et in antiquam, quam amiserat, charitatem restituit. Commemorat Plinius (*de nat. hist.*) in Phrygia petras quasdam inveniri talis naturae, ut sole eas irradiante continuo guttas aquae emittentes, quasi lacrymentur. Petra erat Petrus, et dum in peccato negationis perstitit, petrae duritiem induerat; Christus autem Dominus, velut fulgentissimus Phoebus illum respiciens, et irradians, ita emollivit, ut ex eo continuo lacrymarum fluenta manarent. Ubi mirabili ratione impletum intueor illud regii Vatis (*Psal.* 113): *Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.*

Ælianus (*de varia historia*) rem singularem, ac mirabilem narrat de ave quadam nomine Caladrion, vel ut alii dicunt Caradrio, quae solo aspectu suo plerosque infirmos sanare solet: adduntque non contemnendae auctoritatis doctores, quod si conspectui illius obiiciunt hominem, de cuius vita desperandum sit, quasi hunc infelicem successum praesagiens, oculos ab eo avertit; sin autem pristinam salutem recuperaturus est, placido vultu illum intuetur, et aspectu suo pristinae illum sanitati restituit. Christum Dominum paterno ore avem vocatum Isaias testatur, in persona Patris dicens (*Isai.*46): *Vocari ab Oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meae.* Haec igitur caelestis avis, non secus, ac illa, infirmis Pharisaeis, obstinationis morbo laborantibus, eius conspectui se obiicientibus, terga vertebat, dicens (*Ioan.* 3): *Quo ego vado, vos non potestis venire:* et alibi: *In peccato vestro moriemini.* Contra vero Petrum, de cuius salute minime desperandum erat, sereno, ac placido vultu respiciens, mira sui aspectus virtute sanavit; adeo ut merito dixerim illud Ecclesiastici (*c.*10): *Oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius.* Referunt graves auctores, struthionis hanc oculis innatam, ac singularem inesse virtutem, ut ova aspiciendo foveat, licet postea illa deserat, iuxta illud Iob (*c.*39): *Duratur ad filios suos, ac si non sint sui.* Unde hac nostra tempestate quidam insignis dux depingi fecit duos struthiones, ova sua conspicientes, cum hac inscriptione: *Diversa ab aliis virtute valemus.* Idem etiam, quod auctores hi de virtute struthionis fatentur, alii de crocodilo commemorant. Haec tamen licet dubia sint, illum unum certum omnino est, hanc mirabilem virtutem insitam oculis Christi fuisse, Evangelista dicente, quod cum primum respexit Petrum, ille coepit amare flere. Hoc enim quid fuit, nisi solo oculorum aspectu illum regenerare, aut iam mortuum ad vitam revocare? Certum etiam est, oculos Christi aspectu suo aliquando alacritatem, quandoque vero ingentem tristitiam parere; unde Iacob dixit (*Genes.*49): *Pulchriores sunt oculi eius vino.* Prima facie non videtur comparatio haec consentanea, quia oculi nihil commune cum vino habere videntur; sed sane metaphora est aptissima ad significandum, oculos Dei animam intuentes, nunc alacrem, nunc tristem, ac moestam reddere; hi enim sunt proprii effectus vini, experientia ipsa id attestante in ebriis, quos summa laetitia perfundi, aut summo moerore confici videmus. Ut significaret ergo Iacob, similem virtutem inesse oculis Dei, vino illos comparavit, dicens: *Pulchriores sunt oculi eius vino.* Expertus fuit profecto Petrus hanc variam, ac mirabilem oculorum Christi virtutem: nam deambulans Dominus ad mare Galilaeae, et videns, et vocans illum, summo gaudio secutus est eum; modo autem respiciens eum in atrio Pontificis, tanta maestitia eum affecit, ut foras egressus amare flere coeperit. At sicut vinum rarius maestitiam ingerit, frequentius vero hilaritatem, Salomone dicente (*Eccl.*40): *Vinum laetificat cor hominis;* ita sane oculi Christi ut plurimum, quos intuebantur, exhilarabant, et beneficiis cumulabant: videns enim Christus turbam in deserto famelicam, saturavit eam; videns observatorem legis divinae, dilexit eum; videns Petrum, dixit: Tu es Simon filius Ionae, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus; videns tandem plurimos variis morbis laborantes, curavit eos. Unde hanc oculorum Christi virtutem probe agnoscens vir quidam, habens filium a daemone obsessum, rogabat eum, dicens (*Luc.*7): *Respice in filium meum*, et sanavit eum. Verum excellentius, quam in his omnibus, mira haec virtus divini aspectus emicuit, dum respicit nunc Petrum: nam quemadmodum, qui conversus respicit speculum, propriam effigiem, et figuram in eo efformat; illo autem avertente faciem suam, perit figura: ita sane Petrus id expertus est: nam Christo avertente ab eo faciem, dicere potuisset illud David (*Psal.*29): *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus;* converso autem eo, et illum respiciente, ut ait Evangelista, *Conversus Dominus respexit Petrum*, imaginem illam efformavit in eo, de qua Paulus (*Gal.* 4): *Donec formetur Christus in vobis.* Et quemadmodum etiam intuens speculum, si oculos clauserit, imago etiam claudit, et si aperiat, illa itidem aperit; ita Christus Dominus clau-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dens ad tempus oculos misericordiae per specialium quorundam auxiliorum subtractionem, statim etiam Petrus oculos clausit veritati, Christi discipulum se negans. Unde d. Augustinus (*in Ioann. tract.* 113): *Quid est* , inquit, *homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negavit Christum ? Illum paululum Dominus deseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil sine gratia Dei praevalere.* Contra vero aperiens Christus Dominus oculos suos, et Petrum respiciens, ipse etiam suos aperuit, suos, inquam, non solum internos, quibus errorem agnovit, sed externos, quibus miserum negationis casum multis lacrymis deplorare coepit. Narrat Pierius Valerianus, Ægyptios inter alias mysteriis plenas imagines, quas confinxerunt, quandam efformasse, basilisci caput, accipitris vero alas habentem, cui hanc supposuere inscriptionem, *Oculi Divum;* tantoque artificio fabricatam fuisse illam imaginem, ut quandoque oculos clauderet, quandoque aperiret. Prospera autem, aut adversa totius Ægypti fortuna ex oculis illius pendebat: nam si eos claudebat, infelicitas prae foribus erat; si vero aperiebat, continuo felici aura fruebatur. Non secus proculdubio Petro accidisse videmus, qui dum Christus oculos tantisper ab eo dimovit, in profundum negationis barathrum prolapsus fuit; postquam autem illos aperiens eum respexit, egressus foras in fontem lacrymarum prorupit, ut eloquenter prosequitur d. Ambrosius (*ser.* 46. *to.* 9. *pr. fin.*) in haec verba: *Petrus prorupit ad lacrymas, nihil voce precatus. Invenio enim quod fleverit, non invenio quid dixerit. Lacrymas eius lego: satisfactionem non lego,* id est defensionem, aut excusationem. *Recte plane Petrus flevit, et tacuit: quia quod defleri solet, non solet excusari; et quod defendi non potest, ablui potest. Lavat enim lacryma delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrymae ergo verecundiae consulunt pariter , et saluti , nec erubescunt in petendo, et impetrant in rogando. Lacrymae,* inquam, *tacitae quodammodo preces sunt , veniam non postulant , et merentur: causam non dicunt, et misericordiam consequuntur.* Cuius alia egregia verba eidem argumento non parum consentanea subnectere non pigebit: Lectorem non pigeat lectitare: *Bonae lacrymae , quae culpas lavant: sed et quos Iesus respicit, plorant delictum : negavit primo Petrus, et non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus: negavit secundo, et non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus: negavit tertio, et respexit Iesus , et ille amarissime flevit. Si ergo ita sunt necessarii oculi tui Deus , respice in me, et miserere mei.*

Libro Iudicum memoriae proditum est, quod cum milites quidam ad montem Ephrem pervenissent, ingressi Michae domum, furati sunt Deos, et omnem eius substantiam; Michas vero cum primum id agnovit, continuo insecutus est eos, clamans, et plorans: cui increpantes dixerunt: *Quid tibi vis, et cur clamas?* quibus ipse respondit: *Deos meos tulistis, quos ego feci, et dicitis mihi: Quid tibi est?* quasi diceret, nonne sufficiens ratio lacrymandi est, quod quis Dei sui iacturam patiatur? Sane si Dii Michae, cum manufacta simulacra essent, utpote ab eo confecta, ut ipse fatetur, dicens, *Deos meos tulistis, quos ego feci:* quid Petrus non fleret, qui Deum, qui illum fecerat, amiserat , et omne bonum sibi ablatum videbat ? Flevit quidem tanta lacrymarum inundatione, ut teste b. Clemente Papa eius discipulo, in maxillis profundos sulcos haberet, per quos, quasi per quosdam canales, aut aquaeductus, lacrymae eius defluebant. Memini quendam hac nostra tempestate hanc imaginem excogitasse, ad manifestandum ingentem animi sui moerorem. Depinxit herbam nomine amaranthum, cui singularis haec inest natura , ut praeterquam amarissima est, si in aquam mittatur, nunquam marcescit, nec virorem amittit , et ideo hanc imposuit ei inscriptionem: *At lacrymis mea vita viret;* quod perinde fuit, ac si diceret: sicut amaranthus in aqua semper suam servat amaritudinem, ita ego aquarum lacrymis inundatus dolorem animi absque interruptione conservabo. Ita accidit d. Petro, qui praeterquam, ut d. Clemens testatur , quoties galli cantum audiebat , in lacrymas prorumpebat , per totum vitae tempus negationis culpam frequenter adeo planxit, ut merito cum poenitente David dicere potuisset (*Psal.* 41): *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte:* quod propterea regium Vatem dixisse arbitror, vel , quia sicut inter omnes cibos nullus frequens magis, ac necessarius quam panis; ita continuus peccatorum dolor cor eius angebat: vel quia, quemadmodum panis comitatur reliquos alios cibos, nam fere omnibus simul cum pane vescimur , ita singularum eius actionum contritio cordis individuus comes erat : vel quia , cum panis, licet famem avertat , sitim tamen non extinguit , quin potius eam excitat. Unde ut indicaret, quod quanto plus lacrymabatur, tanto magis in eo lacrymandi sitis accendebatur, ideo lacrymas pani, non aquae comparavit, cui similiores esse videbantur. Naturalium rerum auctores tradunt, piscem nomine halec, ex sola aqua , chamaeleontem ex aere, salamandram ex igne , talpam ex terra ali , et nutriri: adduntque insuper, arborum genus inveniri, unde aves quaedam progignuntur, quae ab arbore tanquam eius fructus dum pendent, non vivificantur ; sed cum primum in aquam vicinam decidunt, statim vitam accipiunt, non secus, ac ova animalium calore foventur. Apte satis huic pisci halec Petrum comparaverim : cibus enim, ex quo tanquam ex pane alebatur, lacrymae erant illum pascentes. Poterat et Petrus verba eiusdem David non immerito usurpare (*Psal.* 6) : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, et stratum meum rigabo.* Stratum, ait David notanter, et lectum, aliorum immemor locorum, quia in his specialiter locis divinam maiestatem offenderat, in lecto scilicet, in quo adulterium commiserat, et in strato, in quo sententiam mortis contra innocentem Uriam protulerat, et propria manu subscripserat. Itaque sicut apud plures nationes mos inolevit , ut eodem , quo quis deliquerat loco , delicti poenas luat , ita in locis , in quibus culpam contraxerat, in eisdem poenam ei debitam exsolvere voluit, et ideo ait, lectum, et stratum meum rigabo. At Petrus rem altius, quam David meditatus , quia Deum ubique existentem offenderat , ubique locorum singulis noctibus post galli cantum , ut testatur divus Clemens Romanus, negationis culpam plorabat, ita ut lacrymarum fluenta ex oculis eius fere continuo manarent, quibus velut alter Naaman Syrus Iordanis aquis lotus a lepra peccati mundatus mansit. Unde d. Leo Papa (*ser.* 9. *de Pas.*): *Felices,* ait, *sancte Apostole, lacrymae tuae, quae ad diluendam culpam negationis virtutem habuere sacri baptismatis.* Quare non immerito dixerim cum d. Ambrosio (*de myster. Missae c.* 3) , lacrymas Petri similes fuisse aquis maris rubri , quibus omnia eius peccata , velut ibi omnes Aegyptii, submersa fuerunt; similes etiam aquis diluvii , propria delicta vindicantis , atque punientis ; similes aquis Nili, terram Aegypti foecundantis, ac faciem eius decorantis ; similes *aquis Siloe , quae vadunt cum silentio*, quia absque extrinseco vocum strepitu, silenter per maxillas effluebant; similes aquis odoriferis, et medicinalibus , et praecipue illis, quae admoto igne guttatim in modum lacrymarum per distillationem decidunt : ignis enim divini amoris, quo Petri cor exaestuabat, aqueum lacrymarum humorem foras mittebat: nam , ut Philosophi tradunt , bifariam lacrymae causantur : cum enim timore quis afficitur , continuo calor ad fovendum cor tendit , et ideo cum reliquae corporis partes calore destituantur, frigiditate comprimuntur , praecipue tamen cerebrum , quod natura sua frigidius est ; ea tamen compressione facta , aqueum humorem , non secus , ac si spongia aquae plena exprimeretur , per oculos guttatim emittit; contra vero cum laetitia dominatur , calor non quaerit angusti cordis domicilium, sed per totum corpus diffunditur , cerebrumque dilatat , et ampliora fiunt pororum foramina: unde fit , quod cum aqueus liquor ibi delitescens natura sua gravis sit, statim per oculos effluens descendit. Cum ergo d. Petrus, et tristitia, et laetitia afficeretur: tristitia , ob negationis culpam; laetitia, ob diaboli servitutem quam evaserat, et quia Christo iam adhaerebat: ob utramque hanc causam ingentem lacrymarum imbrem emittebat. Et quamvis ignis, et aqua inter se pugnent , et mutuo se perimere tentent: ignis tamen divini amoris lacrymarum aquis nullo modo decrescebat, sed augebatur, et fovebatur: adeo ut dicere liceat illud Salomonis (*Sap.* 8): *Ignis in aqua valebat , et aqua extinguendi naturam obliviscebatur.* Refert Dioscorides (*lib.* 5. *c.* 194), in Thracia portentosum quendam lapidem reperiri , singularis adeo , ac inauditae conditionis, ut dum aqua aspergitur, accendatur , atque inflammetur. Et d. Gregorius Nazianzenus testatur, piscem quendam nomine epirum esse talis naturae, ut quamvis conditione sua aqueus sit , et in eo magis humiditas, et frigiditas dominetur, in ignem tamen missus ita mirabiliter conservatur, ut in eo contraria haec amicitiae foedus inisse videantur. Ecce in Petro haec naturae portenta mirabilius per gratiam instaurata , cum lacrymarum aquis inundatus , igne amoris succensus ardeat , et inundantes aquae non modo ignem non extinguant , sed accendant , sed augeant , sed vivaciorem , ac fortiorem reddant. Duplicem esse, et contrarium ignem, alterum divini amoris, alterum concupiscentiae, nemo est qui ignoret: lacrymarum ergo inundatio etsi primum ignem foveat, secundum penitus perimit , ut egregie id ante oculos ponit concertatio illa quorundam gentilium, inter se alterrantium, quis inter suos Deos maiori fortitudine polleret. Chaldaei enim , qui pro Deo ignem colebant , omnium fortissimum aiebant: nam si statua lignea Iovis ei applicaretur, in cineres, ac favillas eam convertebat, si aerea Martis, continuo liquefaciebat. Fuit tamen ad vincendum ignem hoc excogitatum remedium: admoverunt igni statuam cuiusdam ex eorum diis aqua plenam , et oculos cera obturatos habentem , quae caloris vi continuo liquefieri coepit, et inundantes aquae per oculos prodierunt, quae ignem Deum Chaldaeorum penitus extinxerunt. Sane Chaldaeorum iste Deus propter insatiabilem eius voracitatem, inextinguibilem concupiscentiae ignem aperte significat, qui semper dicit *offer, offer.* Eum tamen quantalibet fortitudine pollentem , adeo ut strenuos , et invictos duces facile superaverit, lacrymarum aquae devincunt, et voracitatem eius reprimunt, atque compescunt, ut non semel experientia ipsa comprobavit; praecipue tamen in utraque Maria , Magdalena , et Aegyptiaca , quarum libidinis flammas lacrymarum inundatio penitus extinxit.

Nec tamen in hoc solum mira lacrymarum virtus enitet: sunt enim permulta, quae vim, et efficacitatem earum manifeste indicant. Nam licet prima facie contristari videantur, tristitiam tamen sine dubio mitigant, ut egregie indicat illud, quod de Cambyse, filio Cyri, fertur, qui cum regem quendam, et natos eius in vinculis teneret, ut maiori dolore eum afficeret, filios eius charissimos compedibus, et catenis oppressos ante oculos obiecit: ipso tamen dissimulante, nullumque sui moeroris signum ostendente; filias etiam saccis indutas, nudisque pedibus incedentes praesentavit: sed cum neque earum intuitu ad compassionem , et dolorem excitari videretur, charissimum illi amicum in medium produxit, funibus velut infamem hominem constrictum: quem cum intueretur, doloris externa signa amplius continere non potuit , sed in lacrymas , et singultus clamosos prorupit; cui Cambyses dixit: Quid causae est, quod inspecta filiorum afflictione , quidquam commotus non fueris ; ad unius tamen amici tristantis contuitum continuo lacrymas profuderis? Respondit ille: Tanta fuit doloris magnitudo ex filiorum calamitate concepta , ut lacrymas emittere non potuerim : si enim tunc lacrymari mihi concessum fuisset, iam ex hoc poena levior redderetur: nam qui pondere doloris premitur , plangendo sine dubio exoneratur; non secus ac navis, quando aqua, quam ebiberat, evacuatur. Unde cum Deus Ezechielem admonuit uxoris mortem non plorare, dicens ei : *Non planges , neque plorabis , neque fluent lacrymae tuae* , licet multi interpretentur , iussisse illi Dominum ne tristaretur , e contra se res habet: nam potius prohibens illi

lacrymarum profusionem, doloris levamen interdixit, qui non parum illa minueretur; voluit ergo, ut tristaretur absque solatio: quia planctus solatium est animae, ut egregie his verbis docuit Ambrosius (*de obitu Valentini.*): *Pascunt frequenter lacrymae, et mentem allevant; fletus refrigerant pectus, et moestum consolantur. Est enim piis affectibus quaedam flendi voluptas, et plerumque gravis lacrymas evacuat dolor.* Comparat d. Augustinus (*ser.* 11. *de lacrymis ad fratr.*) lacrymas aquae maris; et merito quidem: quia praeterquam quod sicut illa salsae sunt, in eo valde assimilantur, quod quemadmodum sub salsedine illa latet dulcedo, ut tradit Aristoteles (*in Meteoris*), et nautae saepe id experti sunt, singulari quadam industria ex aqua maris dulcem haurientes aquam, et Geminian. refert ex d. Isidoro in regione nomine Thachonitia, mare ter in die aquam dulcem producere; ita sub amaritudine lacrymarum latet mira dulcedo, ac suavitas, animam mirifice recreans. In eius figura videmus Moysen aquas amaras dulces reddidisse, et in ore leonis Samsonem dulcissimum mel invenisse. Habent etiam lacrymarum aquae, ut paucis multa dicam, quod daemones torquent, iuxta illud (*Psal.* 73): *Tu contribulasti capita draconum in aquis.* Unde Petrus Caesariensis ait: *Acrius diabolus contriti cordis lacryma torquetur, quam flamma infernalis incendii.* Item animae civitatem velut fortissimus murus lacrymae protegunt: *Erat aqua,* ait Moyses (*Exod.* 14), *quasi murus a dextra eorum, et laeva.* Sicut enim aquae velut murus, vel antemurale urbem cingentes inexpugnabilem illam faciunt; ita et lacrymae aditum hostibus animae fortiter occludunt. Conservant praeterea in sanctitate poenitentem, non secus ac pisces, maris, vel fluminis aquae: spiritualis inopiae nostrae miseriam mirifice sublevant, et pretiosissimis margaritis animam locupletant, quia singulae lacrymae, singulae sunt margaritae, caelestium radiorum aspectu in oculorum conchyliis procreatae. Deum insuper animae praesentem faciunt: nam oculi eius, *oculi sunt columbarum,* quae cum libenter resideant iuxta fluenta, libenter sane residebit iuxta lacrymarum rivulos. Quid plura? sane poenitentium lacrymae peccata suffocant, cordis duritiem emolliunt, divinum furorem cohibent, infirmi animi deliquiis medentur, immundos mundant, infirmos corroborant, turpes decorant, mortuos suscitant, inferni ignem extinguunt, et ad portum caelestis patriae animae naviculam securam perducunt. Verum si divinam lacrymarum virtutem, ac mirabilem earum efficacitatem perfectius nosse cupitis, haec, quae sequuntur selectissima Patrum testimonia, attente perpendite. D. Ambrosius (*serm.* 46): *Utiliores,* inquit, *lacrymarum preces sunt quam sermonum: quia sermo in precando forte fallit, lacryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit affectum. Et ideo Petrus iam non utitur sermone, quo fefellerat, quo peccaverat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo usus fuerat ad negandum, ac per hoc mavult causam flere, quam dicere, et quod voce negaverat, lacrymis confiteri;* haec d. Ambrosius; quibus alia d. Chrysostomi (*in Psal.* 50. *hom.* 2. *quae incip. Hestern. mens.*) egregia verba subnectam: *Peccata tua in libro scripta sunt: spongiae autem instar sunt lacrymae tuae. Lacrymas mitte, et obliterantur: lacrymas mitte, et purus illic liber invenitur. Magna peccatorum spongia sunt lacrymae. Magna lacrymarum vis est. Vis dicam quantum lacrymae valeant? Animum quaeso diligenter attende. Quodnam ingens virtutis munus tibi esse videtur? Martyrium dices: maiorem enim hac charitatem nemo habet, quam ut ponat quis animam suam pro amicis suis. Revera maximum virtutis munus martyrium est: quandoquidem martyres sanguinem profundunt: apertum enim est quod martyres agunt: martyres sanguinem fundunt: peccatores lacrymas fundunt. Atque ut quanta lacrymarum vis sit, intelligas, meretrix illa sanguinem ne fudit? An non lacrymarum dumtaxat fontes effudit, atque hac ratione peccata diluit? Et quid meretricem, atque impuram foeminam commemoro? Columna illa Ecclesiae, illa fidei basis, illud Apostolici chori caput, Petrus, an non semel, et iterum, ac tertio Dominum abiuravit? An vero propterea cruorem effudit, ac non potius lacrymarum fontes?* hucusque Chrysostomus; quibus alia ipse addit (*ser. de Poenit.*), dicens: *Lacrymae sunt, quae radunt rudeta, et sanant vulnera: lacrymae sunt, quae poenitentem armant, et indulgentiam provocant; lacrymae sunt, quae coelum pulsantes, crimina delent, et conscientiam degravant. Sonant in ore poenitentiae verba, et movent in pectore pietatis veniam. Et impletur caput aqua, tumescunt oculi, rigantur genae, decurrunt rivuli, et Deus indulgentia mentem exhilarat. Lacrymae sunt, quae reconciliant Deo, a peccatis redimunt animam, et sanant languores eius. Sordentem animae vestem lacrymae lavant, et dant illi remissionis candorem.* D. Hieronymus: *Magna,* inquit, *est ad impetrandum lacrymarum potentia. O lacryma humilis tuum est regnum, tua est potentia, tribunal iudicis non vereris, accusatoribus tuis silentium imponis, non est qui te accedere vetet, si vacua intraveris, vacua non exibis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnem potestatem, inclinans Filium Virginis;* hactenus Hieronymus, vel quicumque ille sit.

Hinc est, quod cruentus humani generis hostis mirabilem lacrymarum virtutem, ac divinos, quos pariunt, fructus animadvertens, totis viribus earum profusionem prohibere nititur. In cuius figura sacra Iudith historia narrat, quod Holophernes inter alia gravissima, quae Betuliae intulit damna, unum fecit, quod aquaeductus ruperit, per quos fontium aquae urbem illam ingrediebantur. Huc facere posse arbitror, inauditam cuiusdam principis nomine Trisoy immanitatem, cuius meminit Ælianus (*de var. hist.*): cum enim vellet omnem praecludere viam ad fovendum coniurationem contra se factam, publico edicto, et sub gravissimis poenis iussit, ne quisquam cum alio colloqueretur. Ægre tulit populus rem hanc, tamen loquelam supplebant gestus, et nutus, quibus internos animi conceptus exprimebant: id sciens tyrannus, confabulationem etiam per



signa, et nutus eis interdixit. Sed cives molestissime, ut par erat, hanc inhumanitatem ferentes, coeperunt plerique publico foro tristes singultus profusis lacrymis emittere, calamitatem suam amare flentes. Quod ad tyranni principis notitiam cum pervenisset, deteriorem sibi iudicans lacrymarum, quam verborum coniurationem, et vehementius fletibus, quam vocibus animos audientium contra ipsum indignaturos, multis ipse militibus stipatus statim ad forum perrexit, eiulatus, et lacrymas prohibere contendens: *Ut nec solum,* ut ait Ælianus, *linguam, cultusque servitute constringeret, sed etiam oculis a natura tributam libertatem eriperet.* At non ipse, sed lacrymantium fletus praevaluerunt, quia tanquam leones summa rabie in eum insurgentes, tandem interfecerunt, ac trucidarunt. Non secus adversarius noster diabolus nocumenta per lacrymas sibi inferenda praeodorans, summo conatu eas prohibere contendit; sed tandem lacrymae contra ipsum praevalent, et tanquam tyrannidis illius victrices de illo gloriose triumphant.

Illud tamen in hoc genere argumenti non praetermittam, videlicet omnes lacrymas non eiusdem esse conditionis: sunt enim quaedam Deo gratae, quae propter commissa peccata, propter mortem Christi Domini, aut similem aliam honestam causam profunduntur; at quae ex profani honoris amissione, rei familiaris iactura, aut rei turpiter dilectae absentia emittuntur, inutiles sunt, et Deo detestabiles. Unde d. Hieronymus (*lib.* 3. *epistol. et libr. de quaest. Hebraic.*) inter praeclara gesta Davidis illud praecipue multis encomiis ad caelum usque effert, quod Philistaeis invitis, et reluctantibus per vim Idolum abstulerit, cui solum oculorum lacrymas in victimam offerebant, quod Deo Optimo Maximo mirum in modum invisum, ac detestabile agnoscebat. Agnovit etiam olim d. Augustinus (*libr.* 1. *confes. cap.* 13) ingratas Deo esse, quas profunderat lacrymas, Didonis amorem apud Virgilium lectitans: *Flebam,* inquit, *Didonem mortuam, quae se occidit ob amorem Aeneae, cum interea me ipsum in his a te morientem, Deus meus vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero, non miserante se, et flente Didonis mortem, quae fiebat amando Aeneam; non flente autem mortem suam, quae fiebat non amando te?* haec Augustinus. In rebus naturalibus duo praecipue experimur, quae ab oculis lacrymas extorquere solent, fumum scilicet, et coepa, quae duo apte satis eas adumbrant, quas profani homines Deo ingratas, et odibiles effundere consueverunt: nam qui ob amissum honorem, aut non adeptam dignitatem deplorant, hos fumus honoris impulit ad fletum; ii vero, qui praeteritas voluptates in memoriam revocantes, quibus eorum animus valde affectus est, plangere solent, ab his coepula carnalium voluptatum lacrymas extorquet, similibus in hoc illis, qui, sacra Numerorum historia referente, dicebant: *In mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique, caepae, et allia.* Inutilitatem harum, et similium lacrymarum considerans d. Chrysostomus, tam eleganter, quam sapienter dixit: *Luge peccata, ut ipsa deleas: propter hoc enim tristitia facta est, non ut in morte, nec in ulla alia re tali doleamus, sed, ut ipsa ad delenda utamur peccata: et quod hoc verum sit, exemplo facio manifestum. Remedia medicinalia propter illos tantum morbos facta sunt, quos tollere possunt, non propter illos, quos nihil adiuvare possunt. Puta, adhuc enim manifestiorem volo rationem facere, medicamentum oculos lippientes tantum iuvare valens, nullum vero alium morbum, propter oculorum aegritudinem tantum factum esse dicere quis posset, non propter stomachum, neque propter manus, neque propter ullum aliud membrum. Transferamus igitur rationem ad tristitiam, et inveniemus quod accidentium nobis nil adiuvat, peccatum vero solum corrigit. Certum igitur, quod propter huius sublationem tantum concessa est. Percurramus ingruentium nobis malorum quodque, et tristitiam superadducamus, et videamus, quid ex hac utilitatis. Mulctatus est quispiam pecuniis; tristatus est, mulctam non emendavit: filium amisit; doluit, mortuum non resuscitavit, nec defuncto profuit: flagellatus est quis, alapis caesus, contumeliis affectus; doluit, non revocavit contumeliam. In valetudinem quis incidit, et aegritudinem gravissimam: doluit, aegritudinem non sustulit, sed et difficiliorem reddidit. Vides horum nulli prodesse tristitiam? Peccavit quis, tristatus est, peccatum delevit, dissolvit debitum;* haec d. Chrysostomus, aureum eloquentiae flumen. Medici observare solent in aquis telluris meatus, et locorum conditionem, per quae defluunt: nam quae per auri mineralia, optimas; quae vero per sulphureas venas transeunt, pessimas indicant. Idem plane discrimen non semel observavi in lacrymarum aquis: nam quae ex igne charitatis oriuntur, sanctae, et Deo gratae sunt; quae vero ex libidinoso, et luxuriante animo procedunt, necesse est libidinem redoleant, atque impiae, et ingratae Deo reddantur. Quare qui pie, ac religiose lacrymas profundere desiderat, d. Gregorium consulat; hic enim quibus de causis lacrymandum sit, his verbis breviter et optime docet (*Mor. lib.* 23. *cap.* 21): *Quatuor sunt qualitates, quibus iusti viri anima compunctione vehementer afficitur: cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit: aut iudiciorum Dei sententiam metuens, et secum quaerens, considerat, ubi erit: aut cum mala vitae praesentis attendens, considerat ubi est: aut cum bona supernae patriae contemplatur, quae quia nec dum aspicitur, lugens conspicit, ubi non est.*

008491

## HOMILIA X.

*De praesentatione Christi Domini in concilio seniorum, ac de missione ad Pilatum, et de remissione eiusdem ad Herodem, qui illum per ludibrium veste alba induit, in illa verba:* Mane autem facto consilium inierunt principes sacerdotum adversus Iesum, ut eum morti traderent, et vinctum adduxerunt ad Pilatum: *Et illa alia:* Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba.

ALERE FLAMMAM VERITATIS

Quamvis causa Christi Domini non parum agitata, atque examinata fuerat praecedenti nocte coram Caipha summo pontifice, et senioribus populi; mane nihilominus pleno eorum concilio Christus Dominus praesentatur, ut causae illius iterum calumniosum examen, cavillosamque explorationem subiret, quod absque singulari Dei consilio minime factum arbitror. Primum, ut Christi innocentia magis elucesceret: nam quemadmodum verum germanumque aurum eam induit naturae conditionem, ut quo magis in ignem detruditur, eo rutilantius, ac defaecatius reddatur, quia igne non consumitur, sed perficitur potius; ita summa Christi vitae integritas, quo magis fuit examinata, ac per diversos iudices, alioquin malignos, et corruptos explorata, eo magis illustrata omnium oculis prodiit. Secundo, quia in praecedenti concilio exploratio facta fuerat nocturno tempore; sententia vero noctu pronunciata non est valida, ut traditur in Authentico de Iudicibus, quia nocturnum tempus iudicio aptum non est. Unde de Moyse dicitur, quod sedebat, ut iudicaret populum a mane usque ad vesperam; in noctem tamen iudicium non protrahebat. Tertio id fecerunt, ut causam suam seniores magis iustificarent: quia cum iudicium nocturnum omni iuris forma destitutum fuisset, cum iidem essent iudices, testes, et carnifices; volentes sane hunc errorem corrigere, concilium aliud coegerunt sub specie, et praetextu sedati animi, et in argumentum desiderii, maturius causam Christi discernendi. Quarto, quia desiderabant, ut Iesus iam funibus, et catenis solutus rata faceret, quae nocte praecedente, eisdem ligatus dixerat: hac enim ratione formae iuris obsequentissimos observatores se ostentabant. Ita consuetudo namque obtinuit, ut quae iudices per vim tormentorum a reis extorquent, postea ab eisdem solutis, et absque tortura exquirant. Seniores isti, qui huic iudicio aderant, septuaginta duo erant: nam, teste Abulensi, consilium illud fuit consistorium Sanedrin, hoc est seniorum, et scribarum, quod penes Hebraeos dicitur, Domus iudicii; ubi moris erat causas, et iudicia animarum a septuaginta et uno congregatis iudicibus, qui cum summo Sacerdote septuaginta duorum numerum complebant, examinari, atque tractari. Fuerat hoc iudicium quondam constitutum a Deo, ut iuvaretur Moyses in regenda republica, in Deuteronomioque praecipiebatur, ut iudicium hoc Hierosolymis fieret prope Pontificem. Hoc autem iudicium paulo post sublatum fuit. Scribit enim Rabbi quidam Moyses Maimon (*in libro Iudicum*), quod Iesus Nazarenus visus est esse Messias, et interfectus est per Domum iudicii, hoc est, in iudicio unius et septuaginta iudicum Iudaeorum, et ipse causa fuit, ut destrueretur Israel in gladio. In hoc igitur consilio Caiphas nomine omnium seniorum Christum interrogat: *si tu es Christus, dic nobis.* Animadversione dignum arbitror, iam non amplius Christum interrogare, an esset Filius Dei, quia cum Pilatus, ad quem deferenda erat causa, gentilis erat, et Idolorum cultor, pluresque admittens Deos, nihil eum movisset, nec aegre tulisset, quod tantorum prodigiorum patrator Filium Dei se diceret; ideo extorquere desiderabant ab illo, ut se Christum in lege promissum, et verum regem Israel, sedem David tenentem profiteretur: quod cum contra Caesaris imperium aperte militaret, non poterat Pilati animus contra Christum Dominum non vehementer indignari. Atque hanc fuisse istorum mentem, satis ipse rei eventus demonstravit: siquidem Pilatus postea causam eius via interrogationis explorans, non interrogavit eum, an Filius Dei esset, sed an se Regem fateretur, dicens (*Matt.* 27. *et Io.* 28): *Tu es rex Iudaeorum?* Praesentarunt ergo Iesum in conspectu Pilati manibus ligatis, et catenam ferream in collo habentem, quam longo tempore tradunt nonnulli Hierosolymis asservatam fuisse, eiusque contactu daemonia ab obsessis depelli. Et Basilius (*in Mystagogia Ecclesiastica*) ait, Iesum fuisse ductum vinctum ex collo, in cuius typum sacerdotes modo collo apponunt stolam. Moris enim erat, ut quoties quis ab Ecclesiastico tribunali deducebatur ad saeculare morte mulctandus, victus traheretur ad magistratum, ut tradit d. Hieronymus (*in Matth. c.* 26. *to.* 9). Quia ergo seniores in sacrilego illo consilio mane facto Christum Dominum ad mortem damnarant, et brachio saeculari relaxarant, ideo, ut hoc signo agnosceretur iam ab eis esse condemnatum, vinctum miserunt eum ad Pilatum iudicem saecularem. Ipse autem audita eorum petitione, dixit eis (*Ioan.*18): *Quam accusationem ergo affertis adversus hominem hunc?* quasi diceret, indignum est, ut ego, qui Romani Imperii personam gero, quempiam causa non plene cognita iudicem, sive absolvendo, sive condemnando. Unde Festus, ut constat ex Actis Apostolorum: *Non est*, inquit, *Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quae ei obiiciuntur.* At illi responderunt (*Ioan.*18): *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum;* quasi dicerent: evidentia patrati facinoris non indiget clamore accusationis, sed solum iudicii executione. Quibus verbis aperte malitiam suam prodiderunt, volentes Christum, nec examinatum, nec confessum, nec convictum necari; immo indignum iudicantes, qui vel a iudice audiretur, cum tamen proverbium habeat, ipsum etiam satanam in suis iuribus audiendum esse, et ipsi etiam non ignorarent in Exodo caveri, neminem inauditum condemnari. Quod et praedixerat Nicodemus apud Ioannem, dicens: *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat?* Et licet ita sit, quod qui relaxantur ex tribunali Ecclesiastico, brachio saeculari tanquam morte plectendi tradantur; id tamen fit, praesentando merita causae, ut constet de iustitia latae sententiae, nam si constaret de iniustitia eius, executioni minime mandari deberet; unde Pilatus iniustitiam latae contra Christum sententiae in consilio seniorum probe agnoscens, renuebat iudex illius fieri, et ideo dixit eis: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate.* Responderunt ipsi: *Nobis non licet interficere quenquam*: quae verba, quia difficilia sunt, expositione indigent: non enim est sensus, legem Moysis prohibere reum puniri, aut interfici, cum constet illam in multis criminibus mortis supplicium infligendum praescribere, ut adultero, et blasphemo in Levitico; violanti Sabbatum, et homicidae in Numeris; Idola colenti in Exodo; recusanti parere Sacerdotis summi imperio, aut inobedienti parentibus suis in Deuteronomio; ac tandem simpliciter in Exodo dicitur: *Maleficos non patieris vivere.* Secundo, non est sensus quod Romani legem Moysis limitassent, ut docuit Caietanus, volentes ne ipsi alicui mortem inferrent, et omnes sanguinis causas ad se devolvi; quia non constat ex tota historia Evangelica de tali limitatione, et manifestum est, quod saepe intulerunt mortis supplicium in causis ad religionem spectantibus. Unde Stephanus ab eis lapidatus fuit, Iacobus ab Herode occisus, et multi a Paulo interfecti fuere, accepta potestate a principe sacerdotum. Iudaei etiam Domino obtulerunt mulierem in adulterio deprehensam: et ipsi iure legis intendebant Christum occidere, cum dicebant: *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Ad haec si Iudaei in captivitate Babyloniae positi habebant ius occidendi secundum legem adulteram in ipso actu deprehensam, ut patet ex Daniele, et falsos testes lege talionis, ut seniores accusatores Susannae: ergo multo magis tempore Romanorum, quo maiori libertate in patria sua versabantur. Dicens ergo Pilatus (*Ioan.*18): *Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum*, non tantum ad flagellandum, sed etiam ad mortem ei infligendam Iudaeis obtulit. Possunt igitur praedicta verba: *Nobis non licet interficere quenquam*, bifariam intelligi, iuxta duplicem eorum sensum. Primus est, non fuisse illis licitum crucis morte aliquem interficere, quia illud mortis genus lex Moysis ignorabat. Cuius sententiae est b. Chrysostomus, quem sequitur Euthymius (*in Ioan.*): *Aut dicit Evangelista*, inquit, *quoniam non pro Iudaeis tantum, sed et pro gentibus erat moriturus, vel quod crucifigere eis non licebat. Quod si dicunt, non licere interimere, eo tempore intelligendum est: nam quod interemerunt et alia morte, argumentum est Stephanus lapidatus, sed crucifigere eum desiderabant;* haec ille. Cui expositioni sine dubio favet sacer textus, dum subiungit, *ut sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans, qua morte esset moriturus.* Favet etiam, quod ut apparet ex affirmativis praeceptis Iudaeorum, quatuor tantum modis poterant mortem infligere, ut habetur (*in lib. Sanedrim*), scilicet lapidando, gladio decollando, comburendo, et strangulando. Ac tandem possunt praedicta omnia confirmari ex eo, quod interficere in sacra Scriptura solet sumi pro crucifigere, ut patet ex (*Actor.*3): *Auctorem vitae interfecistis*, hoc est, crucifixistis. Et eodem loco, quo d. Marcus dixit: *Et interficient eum*, Matthaeus habet, *crucifigent*. Altera expositio est, ut sit sensus, quod non liceret eis interficere aliquem tempore paschali: tum quia illo die celebrabatur memoria exitus de Ægypto, quo die ipsi liberati fuerant; ideo poterant liberare, non tamen aliquem damnare: tum quia in Exodo (*c.* 20) dicitur: *Non facies omne opus in eo, etc.* at infligere mortem, opus servile erat. Unde Herodes, qui Petrum in carcere morti addictum servabat, expectabat religionis causa, ut dies Azymorum transirent. Et hanc sententiam sequitur Augustinus (*tra.* 114. *in Ioannem*): *Quid est*, ait, *quod loquitur insana crudelitas? An non interficiebant, quem interficiendum offerebant? An forte crux non interficit? Si desipiunt, qui non sectantur, insectantur sapientiam. Quid est autem: Nobis non licet interficere quemquam? Si malefactor est, cur non licet? nonne lex eis praecepit, ne malefactoribus praesertim qualem istum putabant, a suo Deo seductoribus pereant? Sed intelligendum est, eos dixisse non sibi licere interficere quenquam propter diei festi sanctitatem, quem celebrare iam coeperant, propter quem ingressu etiam praetorii contaminari metuebant.*

Videntes autem obstinati Iudaei Pilatum renuere, nulla facta specialium delictorum accusatione, nullaque iuris forma praecedente, Christum Dominum mortis supplicio plectere, trinam contra illum excogitarunt accusationem, dicentes (*Matt.*22): *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Caesari, et dicentem se Christum regem esse.* Triplex imponebant crimen, primum contra populum, secundum gravius contra Caesarem, tertium gravissimum contra Deum. Ast quam haec omnia calumniis, et cavillis plena essent, id manifestissime comprobat, quod in primis tantum aberat, Christum Dominum gentem subvertere, quin potius ad Deum illam convertebat, non solum illam suis monitis edocens, sed exemplo aedificans, in omnibus se legis observantissimum ostendens: unde ipse dicebat: *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Quod si nomine subvertentis gentem seditiosum esse intelligebant; impudentissimum hoc erat mendacium, cum Christus nullam unquam seditionem excitasset, qui praeceperat inimicos diligere, pacem, et fraternam charitatem colere, magistratui legitimo praedicavit non esse contradicendum, immo interpellatus a duobus fratribus de dividenda haereditate, noluit falcem mittere in messem alienam: deinde ipse disertis verbis docuerat tributum Caesari pendendum, dicens (*Matth.* 5. *Ioan.* 12. *Luc.* 12):

*Reddite, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* Et quaesitus ab exactoribus tributum solvere, didrachma pro se, et Petro Caesari solvi praecepit. Quod tandem ei obiiciant, se Christum Regem esse dicere, et cum Romani Imperatoris iniuria regnum usurpare velle, in cuius rei signum, et indicium opponebant ei, multis stipatum hominibus incedere: nam duodecim Apostolos, ut maiores collaterales habebat, et septuaginta duos discipulos, ut inferiores suae curiae ministros. Hoc etiam crimen falso ei imponebatur; nam cum edito signo multiplicationis panum, turba eum regem vellet constituere, ipse aufugit in montem, ut ibi delitesceret: et cum saepe ab aliis diceretur Christus, ipse ob iustas causas pro tunc id prohibebat. Ex his accusationibus nulla magis permovit Pilatum, quam haec tertia, de affectatione regni; et ideo interrogavit illum (*Ioann.* 18): *Tu es Rex Iudaeorum?* Christus Dominus respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Super quem locum divus Augustinus observavit, Christum Dominum non dixisse, regnum meum non est in hoc mundo: sed *Non est de hoc mundo.* Observa etiam non dixisse: *Meum non est hic, sed non est hinc.* Atque per hanc responsionem, si eam percalluisset Pilatus, cognovisset quidem Christi regnum, cuius se regem esse non inficiabatur, nullum prorsus nocumentum Caesaris regno, ac imperio fore illaturum. Verum tamen est, quod cum ipse intulit, *Ergo rex es tu?* quidam interpretantur illum locutum esse per irrisionem. Quidquid tamen de hoc sit, nullam legitimam damnationis causam in Christo inveniens, ad Herodem eum remisit, eo quod in Galilaea ei obiecerant commovisse gentem; Herodes autem Galilaeam regebat. Itaque videns causam periculosam esse, et vel innocentem esse damnandum, vel in Iudaeorum indignationem incurrendum, ideo, ut ex tanto periculo se ipsum eriperet, mittere eum decrevit ad Herodem regem, qui illo tempore propter Pascha erat Hierosolymis. Huius missionis ad Herodem insignem prophetiam Oseae profert nobis Tertullianus (*adversus Marcionem*) dicens: *Christus Herodi velut munus a Pilato missus:* Oseae vocibus fidem reddidit. De Christo enim prophetaverat, iuxta septuaginta Interpretum versionem: *Et vinctum eum ducent xenium Regi Iarib in domo:* idemque vaticinium de Christo misso a Pilato ad Herodem praeter Tertullianum (*l.4.adv.Marc. prope fin.*70. *interp. sup. c.* 10. *Oseae*), explicant Cyprianus (*lib. de dupl. martyr.*), Iustinus (*dial. contra Tryph.*), et Cyrillus (*catech.* 13), et Rufinus (*in Symbolo*): *Herodes autem,* ait sacer textus, *gavisus est valde, viso Domino.* Unde prae gaudii magnitudine refert divus Anselmus, Herodem imposuisse regiam coronam super caput Christi, et pollicitum fuisse illi liberationem, et successionem regni, si prodigiosa illa signa, quae solebat, in conspectu eius edidisset, ob eandemque rationem Herodes interrogabat eum multis sermonibus: at, ut Evangelista testatur, *ipse nihil illi respondebat.* Quamvis autem divus Lucas non exprimat, qui essent illi sermones, probabile tamen quidam putant his verbis eum allocutum fuisse: Es ne tu ille, qui illusisti parentem meum, et cuius gratia pater meus multos occidit infantes? Es ne fortasse tu ille, ad cuius adventum perterrita simulacra Aegypti corruisse feruntur? Audivi, quod aquam in vinum mutaveris ad nuptias vocatus, et quod panes hordeaceos multiplicaveris: fac quaeso in conspectu meo rogatus, quae alibi non quaesitus fecisti. Haec incerta sunt; certum tamen, Christum Dominum in conspectu Herodis nullum verbum protulisse: ob quod ira percitus Herodes, tanquam insanum, et amentem veste alba indutum, a militibus irrideri iussit. Extant huius rei egregiae figurae in sacris litteris, praeclaraque Prophetarum vaticinia. Achior enim, qui a ducibus Holophernis in conspectu eius illusus, remissus est ad Bethuliam, unde venerat; et David rex, qui vilipensus a rege Achis, et tanquam insanus extra regiam aulam expulsus est, Christum Dominum tanquam amentem veste alba indutum, et extra Herodis palatium irrisorie explosum egregie adumbrant. David etiam in persona Christi haec praevidens dixerat (*Psal.*38): *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me: Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.* Obmutui, ait, quia nullum verbum respondit Herodi. Silui autem, inquit, a bonis, quia abscondit ab eo coelestia bona, ac portentosa illa miracula, quae ipse videre desiderabat. Ac tandem subiungit, *et renovatus est dolor meus,* quia eo quod sapienter tacuisset, subsannationem, et derisum ab hostibus sustinuit. Divus Gregorius (*lib.* 10. *moral. cap.* 17. *et lib.* 22. *cap.* 12) haec omnia complexus est paucis verbis, dicens: *Quia Herodem vidit non perfectum, sed signa vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit: et quia constanter tacuit, ab eo irrisus exivit, ingratos foris reliquit, magis eligens a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari.* Idem etiam praenunciaverat Oseas, dicens (*c.* 9): *Scitote Israel stultum Prophetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuae, etc.*

Sed iam tempus est, ut mysteria, quae in silentio Christi Domini in conspectu Herodis, et in veste alba, qua indutus fuit, delitescunt, referamus. Divus Ambrosius (*lib.* 10. *in Lucam*) primam huius Christi taciturnitatis rationem reddens ait: *Accusatur Dominus, et tacet: et bene tacet, quia defensione non indiget: ambiant defendi qui timent vinci: non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo.* Secundo non respondit, ut observaret illud Salomonis (*Prov.* 26): *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam;* erat autem manifesta stultitia, velle Christum Dominum, ut eius curiositati solum satisfaceret, miracula aliqua in conspectu eius patrare. Tertio tacuit Christus coram Herode, quia ipse vocem eius clamantem in deserto, hoc est Ioannem Baptistam, de medio sustulerat; ablata autem voce aufertur verbum. Ac tandem siluit, ne, velut adulatoribus, et assentatoribus consuevit, iniquae Herodis voluntati consentire videretur, et inter reos connumerari, de quibus Comicus dixit: *Quidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo, id quoque negat quis? nego, ait? aio.* Ut autem nonnihil de veste alba proferamus, observandum est ex antiquissimo Iosepho (*de bello Iudaico*), regem Archelaum veste candida indutum in templum venisse, qua etiam testatur solitum fuisse uti Salomonem. Et Tacitus in triumpho Vitellii refert Praefectos castrorum, et Tribunos ante aquilam incessisse albis indumentis vestitos. Et Aulus Gellius testatur, Scipionem Africanum alba veste, qua rei indui prohibebantur, solitum esse vestiri. Ut ergo irrisionis causa purpura illum postea induerunt, quam constat habitum regium esse; ita nunc per ludibrium candidam vestem, qua magnates utebantur, illi circumdederunt. Sed certe, quod in irrisionem factitarunt, divina sapientia vertit in mysterium: nam vestis candida, praeterquam suo candore repraesentat Christum Dominum, ut Deum, qui *candor est lucis aeternae, et speculum sine macula,* egregie adumbrat innocentiam, et animi candorem eiusdem, ut homo est. Hic adeo excellens, ac foecundus fuit, ut eos dealbaverit, de quibus interrogavit Ioannes: *Qui sunt hi qui amicti sunt stolis albis, et unde venerunt?* et nos omnes candore suo regni coelestis candidatos effecerit. Olim primus Adam tanquam insaniens candidam iustitiae, ac sanctitatis vestem unius pomi pretio vendiderat; nunc autem Christus Dominus veste candida velut insanus indutus, meruit nobis candidam iustitiae vestem peccatoribus restitui. Ac tandem veste alba indui voluit Christus Dominus, ut nos illum tanquam candidum scopum respiceremus, et in eum intendentes, ignita divini amoris iacula frequenter iaceremus, prout iaciebat Sponsa, cum dicebat Sponsus (*Cant.* 4): *Vulnerasti cor meum soror mea.* Sic enim fiet in nobis, quod Salomon consulebat, dicens (*Eccl.* 9): *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiet,* id est, innocentia, et misericordia, quibus Deo, et proximo coniungimur, et unimur.

Postquam autem Christus Dominus indutus fuit candida veste, eundem deferentem Herodes remisit ad Pilatum, *et facti sunt,* ut ait d. Lucas (*c.* 23), *amici Herodes, et Pilatus in ipsa die:* ubi iuxta Apostolicam interpretationem impletum est illud (*Psal.* 2): *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius:* significaturque hac reconciliatione impios, tametsi alioquin inter se dissidentes, amicitiam facile inire, ut iustitiam, et veritatem insectentur: praesertim tamen id frequenter accidit haereticis, qui licet contraria dogmata tueantur, in oppugnanda tamen Ecclesia Dei semper concordes sunt. Quare egregie Beda (*in Lucam c.* 93. *initio tom.* 5): *Hoc,* ait, *nefandissimum Herodis, et Pilati foedus, quod in occidendo Christo pepigerunt, hactenus eorum velut haereditario iure successores custodiunt, quando Gentiles, et Iudaei sicut genere, et religione, ita etiam mente dissidentes, in Christum tamen persequendo, Christique fide interimenda consentiunt.* Innuitur etiam eadem reconciliatione Pilati, et Herodis, quod Christus noster, ut ait Apostolus (*Ephes.* 2), *est pax nostra, qui fecit utraque unum;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA XI.

*De collatione Iesu cum Barabba, et antepositione eius ante Christum Dominum, in illa verba:* Clamaverunt rursum omnes dicentes: non hunc, sed Barabbam.

Postquam Herodes cum exercitu suo Christum Dominum veste alba indutum spreverat, remisit illum ad Pilatum, et factum est, quod Isaias dixerat: *Quasi pilam mittet in terram:* quia quasi pilae loco ludentes, hi iudices vicissim sibi mittebant Iesum: et sicut quoties pila mittitur, et remittitur, toties manu fortiter impetitur, ita quoties Christus Dominus ad varios Iudices missus, et remissus, toties multis iniuriis lacessitus fuit. In domo Annae contumeliose tractatur; coram Caipha alapa percutitur; ante Pilatum falso accusatur; apud Herodem candida veste indutus irridetur: ac tandem ad eundem Pilatum remissus gravissimam omnium, quae illuc usque irrogatae fuerant, iniuriam sustinuit. Nam cum consuetudo esset dimittere unum vinctum ob festi solemnitatem, in memoriam, ut communis fert Doctorum sententia, illius insignis beneficii liberationis populi Israel de potestate Pharaonis, ob quod etiam a Deo institutum fuerat festum illud Paschae; iudicans Pilatus impossibile esse, ut data Iudaeis optione eligendi inter Iesum, et Barabbam hominem seditiosum, et homicidam, hunc liberarent, et Christo illum anteponerent, dixit eis: *Quem vultis vobis dimittam, Christum, an Barabbam?* desiderabat enim illum e manibus illorum liberare, si non tanquam iustum, et sanctum, saltem tanquam minus iniquum, et iniustum. At ipsi cruenta saevitia in Iesum insurgentes, clamaverunt (*Luc.* 23): *Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam.* Ecce impleta figura Levitici de duobus hircis, super quos Sacerdos mittebat sortem, quis eorum immolandus esset, et quis in caprum emissarium esset dimittendus. Christus Dominus tametsi agnus ob innocentiam suam, propter iniquitates tamen nostras, quas in se expiandas suscepit, hirco adumbratur. Barabbam autem foetidum hircum esse nemo ambigit, nisi populus Iudaicus, cui improbitatis foetor, velut spurcissimis scarabaeis gratior fuit, quam suavis odor innocentiae Christi. Ille ergo hircus hoc dimisso immolatus est. Et sicut qui emissarium caprum in desertum deducebant, immundi reddebantur, donec se lavarent aqua lustrationis; ita Iudaei petentes Barabbam sibi dimitti, immundi facti sunt, nec unquam mundari poterunt, donec lustrali aqua baptismi laventur.

Praevidens in spiritu Isaias hanc execrandam Iudaeorum electionem, dixit (*c.* 31): *Inventa est coniuratio in viris Iuda, et in habitatoribus Hierusalem: reversi sunt ad iniquitates Patrum suorum.* Factam ait coniurationem inter habitatores Hierusalem, quia principes sacerdotum, et homines plebeii adversus Christum coniurarunt. Hi enim non nisi ex con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

silio, et suasione eorum postularunt Barabbam sibi dari, et Christum Dominum occidi, ut non obscure significant verba Ieremiae, dicentis (c. 50): *Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos.* Subiungit deinde: *Reversi sunt ad iniquitates Patrum suorum:* nam sicut olim Patres eorum, postquam multis fuerant a Deo cumulati beneficiis in exitu de Aegypto, in columna nubis, et ignis per desertum eos ducente, in transitu maris rubri, in submersione inimicorum, in manna de coelo cadente, in petra aquam scaturiente: tandem his omnibus ingrati vitulum aureum in Deum suum erexerunt, verum, et immortalem Deum abnegantes: ita sane Iudaei illi reversi sunt ad praves Patrum suorum mores imitandos, iniquitatem, et antiquam illam ingratitudinem instaurantes, dum Christo Domino neglecto, a quo pene infinita beneficia acceperant, Barabbam illi ignominiose praetulerunt (*Luc.* 23): *Tolle hunc dicentes, et dimitte nobis Barabbam.* Hoc ingens opprobrium, et improperium Christo Domino illatum praevidens Isaias, in persona Christi praedixit: *Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Conquerebatur olim Deus de quibusdam falsos Deos colentibus, quod simulacra quaedam sibi adoranda conficerent, dicens: *Cui assimilastis me et adaequastis, dicit Sanctus: Levate in excelsum oculos vestros, et videte, qui creavit haec.* Sed proh dolor: deterius, et ignominiosius nunc actum est cum Christo, cum Barabbae non assimilatus, sed postpositus fuerit. Nunc vere impletum est Isaiae vaticinium, dicentis: *Vidimus eum novissimum virorum,* hoc est, in novissimo, ac abiectissimo hominum loco constitutum. Sed sane hoc in maiorem Christi gloriam cessit, cum audierit, quod sedenti in ultimo convivii loco paterfamilias, dixit: *Amice ascende superius.* Et quia cum ex consuetudine Paschae aliquis maleficus liberandus foret, non poterat innocentissimus Christus, qui omni labe carebat, ex vi illius consuetudinis tanquam vere reus liberari.

Sed iam Ecclesiae Patres de hac praelatione Barabbae in contumeliam Christi facta mira dicentes attente audiamus. D. Augustinus (*tra.* 15. *supr. Ioan.*) ait: *O caecitas Iudaeorum, o furia phreneticorum. Noli dimittere hunc, sed Barabbam. Quid fuit hoc aliud dicere, quam occidatur ille, qui suscitat mortuos, et dimittatur latro, ut occidat vivos.* Eosdem etiam alloquens d. Leo Papa (*ser.* 3. *de Pas.*) in haec verba prorupit: *Inistis insanum cruentumque consilium tauri pingues, vituli multi, frementes bestiae, canes rabidi, ut morti auctorem vitae, et Dominum gloriae traderetis: et tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si eius sententia, qui provinciae vestrae praesidebat uteremini, vinctum Iesum ad Pilati iudicium adduxistis, ut clamoribus impiis trepido cognitore superato, interfectorem hominum eligeretis ad veniam, et Salvatorem mundi peteretis ad poenam;* hactenus eloquentissimus Leo. Quibus addo Euthymium docentem illud, quod in persona Christi regius Vates praedixerat (*Ps.* 21): *Vermis sum, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis,* in praelatione Barabbae impletum esse. Nam Christus Dominus merito propterea vermis appellatus, quia sicut vermis ex sola virtute solis gignitur, ita Christus ex terra virginea sine humano patre virtute Spiritus sancti progenitus est; et sicut vermis in escam piscibus dari solet, ita caro Christi, sub qua delitescebat divinitas, velut hamus occultus, instar vermis facta est esca in draconis, sive caeti perditionem, et in capturam nostri ad salutem; et sicut vermis per terram reptat, et absque ulla commiseratione moritur, non dissimiliter Christus Dominus, hostibus eius in eum insultantibus, pedibus conculcatus, et Barabbae postpositus, velut abiectissimus vermis despectus fuit. Hic ergo humilis vermiculus opprobrium factus est hominum, scilicet gentium, in illusionibus, quas ab illis pertulit, et abiectio plebis, scilicet gentis Iudaicae, quae Barabbam elegit, et Iesum a se ignominiose abiecit.

Videns tamen Pilatus Iudaeorum perfidiam, et incredibile odium, quo Christum Dominum prosequebantur, interrogavit eos: *Quid mali fecit?* d. Augustinus (*sup. quae verb.*) ait: *Interrogentur, et respondeant a spiritibus immundis liberati, languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, caeci videntes, mortui resurgentes, et, quod supra omnia, stulti sapientes;* hactenus Augustinus. Hi sane si interrogarentur, nihil aliud responderent, nisi illud: Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui. Bene quidem omnia fecit, aspectu suo consolatur, verbis docet, more instruit, sputo oris sui caecos illuminat, ventorum turbinem sedat, maris tumentes undas compescit, a daemoniis obsessos liberat, adulterae peccatrici benignus miseretur, mortuos ad vitam revocat, in oratione pernoctat, pro nobis orat, peccata remittit, gratiam largitur, ac tandem omnibus ac singulis suis operibus vitam aeternam nobis promeruit. Cum igitur bene omnia fecerit, merito interrogat Pilatus: *Quid mali fecit?* sed immerito quidem ipse iniquae eorum petitioni annuit: nam ut recte dixit Ambrosius (*serm.* 49), a quo etiam eadem verba mutuavit d. Augustinus (*serm.* 118. *de tem.*): *Quid profuit testimonium perhibuisse innocentiae, et tradere criminosum? ipse enim iniquitatis suae testis est, qui ore absolvit, et ore condemnat.* Verum licet iniustus sit, et iniquus Pilatus, iniustiores, iniquiores Iudaei: ille enim institit quantum potuit, ut eum e manibus eorum liberaret; ipsi vere sanguinis illius sitientissimi, Barabbam seditiosum, homicidam, et latronem dimitti, et Christum sanctum et innocentem crucifigi enixe postularunt. Sed ob id iuste factum est, ut inciderint in seditiosos, homicidas, et latrones, qui eos execrandis homicidiis, ac seditiosis latrociniis a morte Christi, usque ad excidium urbis attriverunt, acriterque vexarunt, ut late prosequitur Iosephus (*de bell. Iudaic.*). Nam suis inter se seditionibus, ac latrociniis extremum sibi exitium pepererunt, Romanumque principem fortissimum divinae iniuriae ultorem reddiderunt. Unde optime Beda (*sup. Luc.*): *Haeret,* inquit, *Iudaeis usque hodie sua petitio, quam tanto labore impetraverunt. Quia enim data sibi optione, pro Iesu, latronem; pro Salvatore, interfectorem; pro datore vitae elegerunt ademptorem; merito salutem, vitamque perdiderunt, ac latrociniis se ac seditionibus in tantum subdiderunt, ut et patriam, regnumque suum, quod plus Christo amavere, perdiderint, et hactenus eam quam vendidere, animae, et corporis libertatem, recipere non meruerunt.*



Tandem illud non praetermittam dicere, persimiles esse in peccatum lethale labentes perfidis Iudaeis, cum non secus, ac illi Barabbam Christo Domino anteponentes illum spreverunt, ipsi lucrum vile, aut detestabilem carnis voluptatem Christo praeferentes, opere ipso illum despiciunt, et execrantur, quo nihil impudentius excogitari potest.

## HOMILIA XII.

*De acerba Christi Domini flagellatione, multiplici sacrae Scripturae, et Patrum eruditione copiose illustrata, in illa verba:* Tunc apprehendit illum Pilatus, et flagellavit (*Ioan.* 19. *Mat.* 27. *Mar.* 28).

Videns Pilatus, quod Iudaeorum commotioni, ac seditioni, nec per attestationem innocentiae Christi, nec per delegationem causae ad Herodem, nec per consuetudinem liberandi unum vinctum in Paschate, praevalere ulla ratione posset, ut Christum a morte liberaret, et utcumque votis eorum satisfaceret, publice eum flagellari iussit. Existimabat enim Pilatus, satiato illorum furore per flagellationem, posse illum vivum dimitti, ut aperte indicant verba illa (*Luc.* 23): *Corripiam eum, et dimittam.* Haec autem Pilati pietas, quam tamen verius impietatem dixerim, cum innocentem flagellare sit impium, et mala fieri non debeant, ut inde sequantur bona, ut ait Apostolus, in maiorem Christi cessit dolorem: nam vigente consuetudine, quod crucifigendus prius flagellaretur, cuius meminit divus Hieronymus (*in Matth. tom.* 9): *Leviora tunc erant flagella, si mori deberet; at si morti adiudicatus non erat, acerbiora multo infligebantur.* Cum ergo Pilatus vivum eum dimittere vellet, constat manifeste, acerbissimis flagellis Christum ab eo vapulasse. Sed antequam illorum acerbitatem prosequamur, de eorundem infamia nonnihil dicamus. Cicero testatur, nullum civem Romanum flagellis unquam mulctari: *Portia lex,* inquit, *virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit;* immo alio in loco ait, scelus esse verberare civem Romanum: erat enim infame hoc supplicii genus, utpote mancipiis, et latronibus consentaneum: maxime quidem si quadragenarium numerum flagellorum ictus attingeret. Unde cum d. Paulus flagellatus fuit, quadraginta una minus se accepisse fatetur: quia, ut ait Theophylactus, statutum erat apud Hebraeos, ut qui illo flagellorum numero verberaretur, infamis, et ex consequenti ad obeunda reipublicae officia prorsus inhabilis haberetur. Hebraei autem existimantes forsan Paulum ad eos reversurum, nolebant infamiae nota eum afficere. Unde Theodoretus (*quaest.* 39) ait: *Iudaei una minus inferebant, quia maior numerus vapulantem infamat.*

Quare autem lex praeciperet numerum illum quadragenarium flagellorum, non una est omnium sententia. Nam Glossa ibi rationem reddit, nempe quia elementa sunt quatuor, et lex decem praeceptis praescribitur; aequum autem est, ut homines ex quatuor elementis compacti, secundum numerum divinorum praeceptorum, quorum ipsi transgressores sunt, puniantur: Iudicium, ait Glossa, vel vindictam, in qua carnis peccatum plectitur, secundum praecepta ordinari. In idem recidit sententia Isidori, eo excepto, quod numerum quaternarium ad quatuor anni differentias refert; quasi dicens, dum in singulis illis quatuor homines carnis illecebris, et voluptatibus indulgeant, oportet ut singulis supplicia legis respondeant. Rupertus Abbas ait, quadraginta fuisse verberum numerum, quia propter vituli aurei sacrilegam adorationem Moyses, tantae noxae veniam a Deo impetraturus, per quadraginta dies ieiunavit. Ego autem existimaverim numerum quadragenarium numerum esse poenitentiae, afflictionis, et doloris, et ideo ad poenitentiam maxime aptum; quod ante nos plerosque Patres adnotasse comperio. Hi sunt Hieronymus (*cap.* 3. *Ioan.* ibi: *Adhuc* 40. *dies, et Ninive subvertetur*). S. Ambrosius (*serm.* 23. *et lib. de Arc. et Noe. cap.* 13), s. Leo (*ser.* 4. *de quadr.*), s. Augustinus (*lib.* 2. *de doctr. Chr. cap.* 16), Chrysostomus (*hom.* 25. *in Gen.*). Ideo diluvii aquae inundaverunt 40. diebus, et 40. noctibus: Ninivitis spatium indicitur ad poenitentiam 40. diebus; in solitudine vagatur populus 40. annis; Elias in fortitudine subcinericii panis ambulat 40. diebus, et 40. noctibus, antequam ad montem Dei Oreb deveniat; Christus ieiunat 40. diebus, et 40. noctibus. Ideo et Ecclesia ieiuniorum tempus quadragenario numero occludit: in elargiendis indulgentiis quadragenis spatiis utitur: ideo etiam Deus hoc numero 40. uti voluit iudices suos in ulciscendis delictis. Cur autem a numero illo quadragenario, si ictus unus non adimeretur, infamiae notam vapulans incurreret, diversi diversas causas assignant. Procopius ait rationem esse, quia numerus ille verberum poena Aegyptiorum erat: unde Deus volens punire filios Israel propter peccata, quae pravo Aegyptiorum exemplo didicerant, quadragenario annorum spatio illos punivit. Unde liquido constabit, quare ex numero verborum quadragenario unum adimeretur: *Propterea,* inquit Procopius, *arbitror Israelitam quadragenas praeter unam plagas accipere.* Infert porro lex: *Neque addas ictus plures, ne frater tuus decore contabescat.* Dedecus erat Israelitae, Terrae sanctae civi, numero Ægyptiorum puniri, aut certe eorum, qui execrabili veneratione vitulum aureum coluerunt. Si itaque flagellorum ictus quadraginta sustinuisse, publicae infamiae indicium erat; quid si dicam quadraginta

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

silio, et suasione eorum postularunt Barabbam sibi dari, et Christum Dominum occidi, ut non obscure significant verba Ieremiae, dicentis (c. 50): *Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos.* Subiungit deinde: *Reversi sunt ad iniquitates Patrum suorum:* nam sicut olim Patres eorum, postquam multis fuerant a Deo cumulati beneficiis in exitu de Aegypto, in columna nubis, et ignis per desertum eos ducente, in transitu maris rubri, in submersione inimicorum, in manna de coelo cadente, in petra aquam scaturiente: tandem his omnibus ingrati vitulum aureum in Deum suum erexerunt, verum, et immortalem Deum abnegantes: ita sane Iudaei illi reversi sunt ad pravos Patrum suorum mores imitandos, iniquitatem, et antiquam illam ingratitudinem instaurantes, dum Christo Domino neglecto, a quo pene infinita beneficia acceperant, Barabbam illi ignominiose praetulerunt (*Luc.* 23): *Tolle hunc dicentes, et dimitte nobis Barabbam.* Hoc ingens opprobrium, et improperium Christo Domino illatum praevidens Isaias, in persona Christi praedixit: *Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Conquerebatur olim Deus de quibusdam falsos Deos colentibus, quod simulacra quaedam sibi adoranda conficerent, dicens: *Cui assimilastis me et adaequastis, dicit Sanctus: Levate in excelsum oculos vestros, et videte, qui creavit haec.* Sed proh dolor: deterius, et ignominiosius nunc actum est cum Christo, cum Barabbae non assimilatus, sed postpositus fuerit. Nunc vere impletum est Isaiae vaticinium, dicentis: *Vidimus eum novissimum virorum,* hoc est, in novissimo, ac abiectissimo hominum loco constitutum. Sed sane hoc in maiorem Christi gloriam cessit, cum audierit, quod sedenti in ultimo convivii loco paterfamilias, dixit: *Amice ascende superius.* Et quia cum ex consuetudine Paschae aliquis maleficus liberandus foret, non poterat innocentissimus Christus, qui omni labe carebat, ex vi illius consuetudinis tanquam vere reus liberari.

Sed iam Ecclesiae Patres de hac praelatione Barabbae in contumeliam Christi facta mira dicentes attente audiamus. D. Augustinus (*tra.* 15. *supr. Ioan.*) ait: *O caecitas Iudaeorum, o furia phreneticorum. Noli dimittere hunc, sed Barabbam. Quid fuit hoc aliud dicere, quam occidatur ille, qui suscitat mortuos, et dimittatur latro, ut occidat vivos.* Eosdem etiam alloquens d. Leo Papa (*ser.* 3. *de Pas.*) in haec verba prorupit: *Inistis insanum cruentumque consilium tauri pingues, vituli multi, frementes bestiae, canes rabidi, ut morti auctorem vitae, et Dominum gloriae traderetis: et tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si eius sententia, qui provinciae vestrae praesidebat uteremini, vinctum Iesum ad Pilati iudicium adduxistis, ut clamoribus impiis trepido cognitore superato, interfectorem hominum eligeretis ad veniam, et Salvatorem mundi peteretis ad poenam;* hactenus eloquentissimus Leo. Quibus addo Euthymium docentem illud, quod in persona Christi regius Vates praedixerat (*Ps.* 21): *Vermis sum, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis,* in praelatione Barabbae impletum esse. Nam Christus Dominus merito propterea vermis appellatus, quia sicut vermis ex sola virtute solis gignitur, ita Christus ex terra virginea sine humano patre virtute Spiritus sancti progenitus est; et sicut vermis in escam piscibus dari solet, ita caro Christi, sub qua delitescebat divinitas, velut hamus occultus, instar vermis facta est esca in draconis, sive caeti perditionem, et in capturam nostri ad salutem; et sicut vermis per terram reptat, et absque ulla commiseratione moritur, non dissimiliter Christus Dominus, hostibus eius in eum insultantibus, pedibus conculcatus, et Barabbae postpositus, velut abiectissimus vermis despectus fuit. Hic ergo humilis vermiculus opprobrium factus est hominum, scilicet gentium, in illusionibus, quas ab illis pertulit, et abiectio plebis, scilicet gentis Iudaicae, quae Barabbam elegit, et Iesum a se ignominiose abiecit.

Videns tamen Pilatus Iudaeorum perfidiam, et incredibile odium, quo Christum Dominum prosequebantur, interrogavit eos: *Quid mali fecit?* d. Augustinus (*sup. quae verb.*) ait: *Interrogentur, et respondeant a spiritibus immundis liberati, languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, caeci videntes, mortui resurgentes, et, quod supra omnia, stulti sapientes;* hactenus Augustinus. Hi sane si interrogarentur, nihil aliud responderent, nisi illud: Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui. Bene quidem omnia fecit, aspectu suo consolatur, verbis docet, more instruit, sputo oris sui caecos illuminat, ventorum turbinem sedat, maris tumentes undas compescit, a daemoniis obsessos liberat, adulterae peccatrici benignus miseretur, mortuos ad vitam revocat, in oratione pernoctat, pro nobis orat, peccata remittit, gratiam largitur, ac tandem omnibus ac singulis suis operibus vitam aeternam nobis promeruit. Cum igitur bene omnia fecerit, merito interrogat Pilatus: *Quid mali fecit?* sed immerito quidem ipse iniquae eorum petitioni annuit: nam ut recte dixit Ambrosius (*serm.* 49), a quo etiam eadem verba mutuavit d. Augustinus (*sermon.* 118. *de tem.*): *Quid profuit testimonium perhibuisse innocentiae, et tradere criminosum? ipse enim iniquitatis suae testis est, qui ore absolvit, et ore condemnat.* Verum licet iniustus sit, et iniquus Pilatus, iniustiores, iniquiores Iudaei: ille enim institit quantum potuit, ut eum e manibus eorum liberaret; ipsi vere sanguinis illius sitientissimi, Barabbam seditiosum, homicidam, et latronem dimitti, et Christum sanctum et innocentem crucifigi enixe postularunt. Sed ob id iuste factum est, ut inciderint in seditiosos, homicidas, et latrones, qui eos execrandis homicidiis, ac seditiosis latrociniis a morte Christi, usque ad excidium urbis attriverunt, acriterque vexarunt, ut late prosequitur Iosephus (*de bell. Iudaic.*). Nam suis inter se seditionibus, ac latrociniis extremum sibi exitium pepererunt, Romanumque principem fortissimum divinae iniuriae ultorem reddiderunt. Unde optime Beda (*sup. Luc.*): *Haeret,* inquit, *Iudaeis usque hodie sua petitio, quam tanto labore impetraverunt. Quia enim data sibi optione, pro Iesu, latronem; pro Salvatore, interfectorem; pro datore vitae elegerunt ademptorem; merito salutem, vitamque perdiderunt, ac latrociniis se ac seditionibus in tantum subdiderunt, ut et patriam, regnumque suum, quod plus Christo amavere, perdiderint, et hactenus eam quam vendidere, animae, et corporis libertatem, recipere non meruerunt.*

Tandem illud non praetermittam dicere, persimiles esse in peccatum lethale labentes perfidis Iudaeis, cum non secus, ac illi Barabbam Christo Domino anteponentes illum spreverunt, ipsi lucrum vile, aut detestabilem carnis voluptatem Christo praeferentes, opere ipso illum despiciunt, et execrantur, quo nihil impudentius excogitari potest.



## HOMILIA XII.

*De acerba Christi Domini flagellatione, multiplici sacrae Scripturae, et Patrum eruditione copiose illustrata, in illa verba:* Tunc apprehendit illum Pilatus, et flagellavit *(Ioan.* 19. *Mat.* 27. *Mar.* 28).

Videns Pilatus, quod Iudaeorum commotioni, ac seditioni, nec per attestationem innocentiae Christi, nec per delegationem causae ad Herodem, nec per consuetudinem liberandi unum vinctum in Paschate, praevalere ulla ratione posset, ut Christum a morte liberaret, et utcumque votis eorum satisfaceret, publice eum flagellari iussit. Existimabat enim Pilatus, satiato illorum furore per flagellationem, posse illum vivum dimitti, ut aperte indicant verba illa (*Luc.* 23): *Corripiam eum, et dimittam.* Haec autem Pilati pietas, quam tamen verius impietatem dixerim, cum innocentem flagellare sit impium, et mala fieri non debeant, ut inde sequantur bona, ut ait Apostolus, in maiorem Christi cessit dolorem: nam vigente consuetudine, quod crucifigendus prius flagellaretur, cuius meminit divus Hieronymus (*in Matth. tom.* 9): *Leviora tunc erant flagella, si mori deberet; at si morti adiudicatus non erat, acerbiora multo infligebantur.* Cum ergo Pilatus vivum eum dimittere vellet, constat manifeste, acerbissimis flagellis Christum ab eo vapulasse. Sed antequam illorum acerbitatem prosequamur, de eorundem infamia nonnihil dicamus. Cicero testatur, nullum civem Romanum flagellis unquam mulctari: *Portia lex,* inquit, *virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit;* immo alio in loco ait, scelus esse verberare civem Romanum: erat enim infame hoc supplicii genus, utpote mancipiis, et latronibus consentaneum: maxime quidem si quadragenarium numerum flagellorum ictus attingeret. Unde cum d. Paulus flagellatus fuit, quadraginta una minus se accepisse fatetur: quia, ut ait Theophylactus, statutum erat apud Hebraeos, ut qui illo flagellorum numero verberaretur, infamis, et ex consequenti ad obeunda reipublicae officia prorsus inhabilis haberetur. Hebraei autem existimantes forsan Paulum ad eos reversurum, nolebant infamiae nota eum afficere. Unde Theodoretus (*quaest.* 39) ait: *Iudaei una minus inferebant, quia maior numerus vapulantem infamat.*

Quare autem lex praeciperet numerum illum quadragenarium flagellorum, non una est omnium sententia. Nam Glossa ibi rationem reddit, nempe quia elementa sunt quatuor, et lex decem praeceptis praescribitur; aequum autem est, ut homines ex quatuor elementis compacti, secundum numerum divinorum praeceptorum, quorum ipsi transgressores sunt, puniantur: Iudicium, ait Glossa, vel vindictam, in qua carnis peccatum plectitur, secundum praecepta ordinari. In idem recidit sententia Isidori, eo excepto, quod numerum quaternarium ad quatuor anni differentias refert; quasi dicens, dum in singulis illis quatuor homines carnis illecebris, et voluptatibus indulgeant, oportet ut singulis supplicia legis respondeant. Rupertus Abbas ait, quadraginta fuisse verberum numerum, quia propter vituli aurei sacrilegam adorationem Moyses, tantae noxae veniam a Deo impetraturus, per quadraginta dies ieiunavit. Ego autem existimaverim numerum quadragenarium numerum esse poenitentiae, afflictionis, et doloris, et ideo ad poenitentiam maxime aptum; quod ante nos plerosque Patres adnotasse comperio. Hi sunt Hieronymus (*cap.* 3. *Ioan.* ibi: *Adhuc* 40. *dies, et Ninive subvertetur*). S. Ambrosius (*serm.* 23. *et lib. de Arc. et Noe. cap.* 13), s. Leo (*ser.* 4. *de quadr.*), s. Augustinus (*lib.* 2. *de doctr. Chr. cap.* 16), Chrysostomus (*hom.* 25. *in Gen.*). Ideo diluvii aquae inundaverunt 40. diebus, et 40. noctibus: Ninivitis spatium indicitur ad poenitentiam 40. diebus; in solitudine vagatur populus 40. annis; Elias in fortitudine subcinericii panis ambulat 40. diebus, et 40. noctibus, antequam ad montem Dei Oreb deveniat; Christus ieiunat 40. diebus, et 40. noctibus. Ideo et Ecclesia ieiuniorum tempus quadragenario numero occludit: in elargiendis indulgentiis quadragenis spatiis utitur: ideo etiam Deus hoc numero 40. uti voluit iudices suos in ulciscendis delictis. Cur autem a numero illo quadragenario, si ictus unus non adimeretur, infamiae notam vapulans incurreret, diversi diversas causas assignant. Procopius ait rationem esse, quia numerus ille verberum poena Aegyptiorum erat: unde Deus volens punire filios Israel propter peccata, quae pravo Aegyptiorum exemplo didicerant, quadragenario annorum spatio illos punivit. Unde liquido constabit, quare ex numero verborum quadragenario unum adimeretur: *Propterea,* inquit Procopius, *arbitror Israelitam quadragenas praeter unam plagas accipere.* Infert porro lex: *Neque addas ictus plures, ne frater tuus decore contabescat.* Dedecus erat Israelitae, Terrae sanctae civi, numero Ægyptiorum puniri, aut certe eorum, qui execrabili veneratione vitulum aureum coluerunt. Si itaque flagellorum ictus quadraginta sustinuisse, publicae infamiae indicium erat; quid si dicam quadraginta

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aut quadringentos, sed plusquam quinque millia Christum pertulisse, ut graves referunt auctores? Qua in re carnificum immanitas se crudeliter ostentavit, qui cum Christum vellent infamiae genere afficere, idque per tria, aut quatuor verbera supra quadraginta sufficienter obtinuissent, tantum eorum crudelitas rigorem legis superavit, quantum numerus quinque millium quadragenarium superat, qui lege praescriptus erat.

Atque hinc de acerbitate huius flagellationis disserere exordiamur, quae tanta erat, ut Ulpianus (*lib. 8. de poen.*) dicat: *Ministrorum immunitate multos sub flagellis interiisse:* quod saepius accidisse, docet Caelius Rodiginus (*l.10. cap.5*). Unde Nicephorus (*lib. 1. cap. 3*) flagellatores vocavit sanguinarios carnifices. Martyres etiam flagellorum livore saepe animam efflasse, tradit Antonius Gallonius (*lib. de sanc. mart. cruciat.*). Expoliatus ergo fuit in primis Christus Dominus omnibus vestibus; et qui coelos stellis splendentibus ornat, terram pulcherrimis floribus induit, atque primorum parentum perizomata efficiens, nuditatem misericorditer operuit, ipse propriis indumentis absque pietate nudatur: et qui virginum corpora, ut Agnetis, ac Barbarae in opprobrium nudata miraculo grandi, caelesti lumine tegere voluit, seipsum non texit. Nudationem autem esse homini ingenuo ac liberali valde verecundam, et ingratam, ut alia omittam, illud unum satis ostendit, quod primo humani generis parenti accidit, qui post peccatum propriam videns nuditatem, ad folia ficus confugit. Si ergo Adam nudus apparere coram propria uxore Eva, quae nuda quoque incedebat, ita verecundatur; quid quaeso pudoris, et verecundiae Christus Dominus non pateretur, cum in publico Praetorio, et coram integra cohorte, quae mille, vel ad minimum sexcentis constabat militibus, nudus omnino, omnium illorum oculis obiiceretur, qui attente illum perlustrabant, ut indicant verba Davidis (*Psal 21*): *Consideraverunt, et inspexerunt in me.* Unde tanto verecundiae rubore veneranda Christi facies perfusa fuit, ut diceret (*Psal.43*): *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me.* Atque huc spectant verba illa Sponsae (*Cantic.5*): *Dilectus meus candidus, et rubicundus*, quae in hunc modum liceat mihi interpretari. Rubor non minus apte verecundiam, quam candor castitatem ac puritatem designat. Cum ergo Christus Dominus summa castitate, immo integerrima virginitate polleret, et rubor prae verecundia individuus sit comes virginitatis; hinc est, ob nuditatem, Virginum ducem, ac Sponsum incredibili pudoris rubore affectum fuisse: quod praevidens Sponsa, ut miram eius castimoniam cum summa verecundia coniunctam significaret, candidum pariter, et rubicundum appellavit. Adeo autem graviter pudor ille, et confusio Christum Dominum vexavit, ut regius Propheta in persona eius loquens dixerit (*Psal.32*): *Laetati sunt adversum me, et convenerunt, congregata sunt flagella, et ignoravi.* Quidam ex Hebraeo vertunt: *Congregati sunt super me flagellatores, et ignoravi:* unde sensum aiunt esse, flagellatus sum ab his, quos nunquam offendi, adeo ut nec faciem eorum unquam viderim. Scio etiam, retenta lectione editionis vulgatae, ignorantiam illam ab aliis exponi de meritis illius flagellationis; ita ut sensus sit, quod cum Christus Dominus omnis peccati expers esset, nullam prorsus agnoscebat ex parte sua flagellationis illius culpabilem causam, et ideo illam ait se ignorasse. Verum etsi hanc expositionem non inficiar, arbitror germanum sensum esse, verecundiam ex nuditate adeo Christum Dominum moerore affecisse, ut in huius vexationis, et tristitiae comparatione, levia valde sibi viderentur flagella, et quasi ea non perciperet, aiebat: *Et ignoravi:* tanta fuit illius publicae nuditatis Christi verecundia, ac virgineus pudor.

Postquam autem nudaverunt illum, ut melius ad verbera aptarent, quem tamen Pater prius aptaverat, ut ipse testatur: *Corpus autem aptasti mihi;* ad columnam, qui solvit compeditos, vincitur; unde: *Ligatur*, ait divus Bonaventura, *et diversimode flagellatur, stet nudus coram omnibus iuvenis elegans, et verecundus, speciosus forma prae filiis hominum, suscipit spurcissimorum flagella dura, et dolorosa: caro illa innocentissima, tenerrima, mundissima, flos omnis carnis, et humanae naturae repletur livoribus, et fracturis: fluit undique regius sanguis de omnibus partibus corporis; superadditur, reiteratur, et spissatur livor super livorem, et fractura super fracturam;* haec ille. Et beata Birgitta (*lib.4.c.70.et lib.1.c. 10*) ait, Christum sponte columnam amplectentem funibus ligatum; et doctissimus Echius (*tract. de passione Christi, art. 4.consid.4*) dicit, Christum manibus, pedibus, ac collo columnae adstrictum fuisse. Theophylus historicus dicit, Christum primo manibus post terga revinctum, mox vinculis illis solutis, brachiis adeo dire fuisse adstrictum, ut in brachiis excrescens tumor, sanguinem ex rupta sub unguibus cute exprimeret. Mos erat olim flagellandos ad columnam ligari; unde Aulus Gellius ait, ad id Romae ligna esse aptata in foro. Cui consonat illud Livii; *Lictor deliga ad palum.* Et Eusebius (*l. 8.hist.Eccl.*): *Alii*, ait, *ad columnas vultibus inter se diversis affigebantur;* et Gregorius Nazianzenus (*orat.1.in Iulianum*), Iulianum alloquens, immanitatem eius carpens, columnas obiicit cruoris plenas. In Actis etiam Apostolorum lictores testatur divus Lucas Paulum *loris* adstrinxisse, scilicet columnae, ut communiter docent interpretes ibi. Huic ergo consuetudini, tametsi Evangelistae id praeterierint, inservientes, Christum Dominum lapideae ac frigidae columnae alligaverunt, ut ait Prudentius:

Vinctus in his Dominus stetit aedibus, atque colum-
Annexus tergum dedit, ut servile flagellis (nis
Perstat adhuc, templumque gerit veneranda columna,
Nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

Id etiam testatur d. Hieronymus (*in Epitaphio Paulae ad Eustoch.*) dicens: *Ostendebatur ibi columna, Ecclesiae porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, et alligatus.* Et d. Gregorius Turonensis ad hanc columnam ait: *Multi fide pleni accedentes corrigias textiles faciunt, easque circumdant, quas rursus pro benedictionibus recipiunt, diversis infirmitatibus profuturas.* Venerabilis Beda, et insignis Magister historiarum, asserunt tantae molis fuisse hanc columnam, cuius modo, ut quidam putant, pars quaedam asservatur Romae in templo sanctae Praxedis, ut templum quoddam sustineret, quod postea super cacumen montis Sion creditur ab Helena erectum. Et Adricomius (*in theatro Terrae sanctae, in descriptione Hierusalem num.6*) docet, huius columnae partem nunc monstrari in monte Calvariae, aliam partem Constantinopolim translatam, et inde Romam. Ac tandem eidem sententiae consentiunt Paulinus (*epist.34*), Nicephorus (*lib.8. c. 30*), Burchardus in descriptione Terrae sanctae itinere 6.



### DE COLUMNA ET FLAGELLATIONE

Multum quidem me olim impulerat horum Doctorum auctoritas, ut sententiam illam amplecterer asserentem, columnam, quae Romae in templo sanctae Praxedis adservatur, partem esse illius columnae, quae sententia divi Hieronymi, et reliquorum, sacelli cuiusdam tectum sustinebat; at postquam legi inscriptionem, quae adest in cappella eiusdem columnae, non potui non illorum opinioni dissentire: verba illius haec sunt: *Columna, quae in hac sancta cappella reconditur, huic depictae omnino similis, non ea est, quae templi porticum sustinebat, ad quam Dominus Iesus Christus in suae passionis nocte alligatus, illusus, et cerberatus fuit, sed ea est, quae in Pilati praetorio pro fustigationis supplicio aderat, ad quam Dominus noster Iesus Christus, iubente Pilato, flagellatus est. Integra enim est, nec maior erat, ne posterior flagellandi hominis pars ab altiore columna tegeretur; quam Ioannes cardinalis Columna legatus Apostolicus in partibus orientalibus sub Honorio tertio, circa annum Domini 1223. huc asportavit.* Ex quibus verbis colligo, quod licet Lyranus (*in c.19.Ioa.*), Cornelius Iansenius (*2.part.concord.*), cardinalis Toletus (*in c. 19. Ioan.*), et Suarez (*3.par.tom 2. disp. 35. ser.2*), opinentur, unicam tantum fuisse Christi flagellationem, verius tamen esse, Christum Dominum bis fuisse flagellatum, ut docent Echyus (*de Passione Christi art.4 consideratione quinta*), Mallonius (*de Syndone Christi cap.6*), et Maldonatus (*in cap. 17. Matthaei num.23*). Primo fuit flagellatus innuente Pilato ad emendationem, ut indicant nonnulli ex praecitatis Doctoribus, et ut Mallonius vult, absque Pilati consensu: nam, ut ille ait: *Postquam Caiphas in cathedra pestilentiae sedens, cum consilio malignantium, impiam illam in Christi caput sententiam protulisset, dicens; reus est mortis, Christum impiis ministris tradidit, caute usque dum illucesceret custodiendum, gravissimisque ignominiis afficiendum, praecipiens eis, ut illum tuto custodirent: protinus turba satellitum Christum in teterrimum carcerem in eiusdem Caiphae palatio existentem, cuius adhuc dicuntur extare vestigia, coniiciunt: ibi ad lapideam columnam vinctis post terga manibus ligant, pugnis, calcibus, colaphis, alapis, loris, flagellis contundunt, lacerant, suamque in eum rabiem effundunt, adeoque crudeliter tractant, ut proximum morti vix non vita privent.* Haec autem, quamvis apud Evangelistas non legantur, ea tamen nobis tanquam indubitata gravium Doctorum auctoritas consignavit. Ita d. Bernardus (*in libro de convivio Iesu Christi crucifixi*), beatus Laurentius Iustinianus (*libro de triumph.ag.c.10*), sanctus Anselmus (*tract.de passione Dom.*), Bernardinus Bustus (*in Parasceve*), Landulphus (*de vita Christi*), Lanspergius (*in theorem. de pass. Christi*), Gulielmus Pipinus (*in stat. 3. Christi patient*).

Secundo fuit Christus Dominus flagellatus, ut Romanorum consuetudo servaretur, qui soliti erant, crucifigendos flagellis prius caedere. Unde Evangelistae, praecipue tamen Matthaeus, et Marcus dixerunt: *Iesum autem flagellis caesum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Nec mirandum est, quod quatuor sacri Christi historiographi hanc geminam flagellationem expresse non tradant: quia non omnia Dominicae passionis tormenta scripserunt, ut observarunt Ioannes Lanspergius (*in elucid.pass.*), Symeon Cassianus ibidem, Caesar Calderalius (*in libello, quem inscribit: Trophaeum Crucis*). Quod ea ratione factum reor, quia sacri Evangelistae tam vehementi dolore conficiebantur in describenda Christi passione, ut subortis lacrymis perfusi non valuerint omnia comprehendere: vel quia videntes, se non posse cunctos Christi dolores verbis exprimere, silentio potius exactius eos explicare indicarunt; exemplo Tymantis pictoris, qui cum Hyphigeniam Agamemnonis filiam pinxisset, ac circum eam plurimos eius necem dolentes, cum deinde patrem maiori, quam reliqui, dolore affectum depingere tentasset, idque minime penicillo exprimere posse animadverteret, patrem velo obtexit, ratus quidem melius, intensissimum eius dolorem velando quam lugentem pingendo detegere: ac tandem forsan id consulto factum est a Spiritu sancto, ut postea Ecclesia pia crudelitate suppleat, quae Evangelistae praetermisere, et ut etiam devotis occasio tribueretur meditandi varia tormentorum genera, quibus perfidi Iudaei, et immanissimi illi carnifices Christum Dominum oppresserunt. Ad rem ergo nostram rediens, cum duplex fuerit columna, in qua Christus Dominus bis ligatus, verbera passus est, praedicta inscriptio sacelli s. Praxedis contestatur, dicendum arbitror, alteram illarum fuisse altam, ut tradunt d. Hieronymus, et reliqui praecitati auctores, de qua verificatur, quod Nicephorus, et Ioannes Echius affirmant, Christum scilicet Dominum, non solum manibus, sed et collo, columnae fuisse adstrictum, ut sic nullatenus verbera posset vitare; hac enim ratione Gellius (*lib.12.c.3*) dixit, non solum manus ligari solitas columnae, sed etiam crura; quod etiam confirmat revelatio facta sanctae Birgittae, in qua habentur haec verba: *Christus sponte columnam amplectens, funibus ligatur.* Haec igitur columna fuit illa, in qua Christus Dominus non iussione Pilati, sed ex rabie suorum inimicorum, nocte illa in domo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Caiphae, ut cautius custodiretur, alligatus, immo et verberatus fuit. Secunda vero columna, non alta, sed humilis erat, trium palmorum dumtaxat longitudinis, in cuius summitate ferreus annulus erat, quo funis inserebatur ad alligandum patientem; consultoque sic parva erat, ut flagellandus undique commode vapulare potuisset, et haec aderat in domo ipsius Iudicis, et nunc adest, ut supra dixi, in Basilica s. Praxedis, asportata quidem in eum locum a cardinali Ioanne Columna illius Ecclesiae Titulari, ut tradit Raphael Volaterranus (*in antrop.lib.*22), et Alphonsus Ciaccon (*de vita et gestis summ.Pontif.*) necnon, et Honuphrius Panuinus (*tract. de septem Ecclesiis Urbis Romanae*), ubi ait: *In eodem proximo Oratorio sancti Zenonis extat columna, ad quam Dominus noster Iesus Christus tempore suae passionis alligatus fuisse dicitur, et verberatus, quam ante annos trecentos, et quinquaginta, Ioannes Columna Presbyter cardinalis huius tituli, sub Honorio tertio Orientis legatus, ex Hierosolymis Romam attulit, et in eo Oratorio locavit, super quam collocata sunt corpora sanctorum Valentini, et Zenonis.* Christo igitur Domino nudo iam, et alligato illi ingenti columnae, d. Hieronym., ut refert glossa ordinaria, ait accessisse carnifices sex iuvenes, et robustos, qui non omnes simul, sed bini illum flagellarunt. Testatur autem d. Chrysostomus (*hom.*23 *in Matth.tom.*2), et Eusebius Caesariensis (*in cap.*53.*Isai.*), expendentes verba illa Isaiae: *Disciplina pacis super eum*, trifariam fuisse hanc disciplinam, duram, quia virgis; duriorem, quia funibus; durissimam, quia ferreis catenis. Refert Polybius (*lib.*6.*hist.*), apud Romanos tria viguisse flagellorum genera, fustium, vitium, et funium. Unde Titus Livius de duce quodam ait: *Quem militem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, fustibus caecidit.* Illa autem verberatio, quam flagellatoriam vocitabant, tanquam durior, et vilior, graviorem pariebat infamiam. Unde Iurisconsultus (*in lib. servor ff. de poenis*): *Ex quibus*, inquit, *causis liber fustibus caeditur, ex his servus flagellis caedi, et domino reddi iubetur.* Consonat illud Terentii, qui admiratus valde, ingenuum hominem loris verberatum fuisse, interrogative asseruit, *loris liber?* quasi dicat, incredibilis audacia, ingens temeritas. Ut maiori igitur dolore, et infamia Christum Dominum afficerent, non fustibus, aut vitibus, sed funibus, et ferreis catenis, vel ut ait Euthymius (*cap.*67.*in Matt.*), flagello ex loris contexto; vel si credimus Historiae scholasticae, ex nervis boum conflato verberarunt. De numero autem ictuum, quot capita, tot video sententias. D. Vincentius Ferrer. (*ser.de pass.*) ait, iuxta communem medicorum, et anatomistarum sententiam, ducentis, et sexaginta ossibus compactum esse corpus humanum, et in singulis ossibus Christum Dominum tres ictus sustinuisse, iuxta triplicem illam flagellorum diversitatem a d. Hieronymo commemoratam: unde oportet omnes fuisse septingentos cum octuaginta. D. Bonaventura (*de pass.*) ait, quinque millia fuisse flagella: vulnera vero ab illis causata quinque millia super sexcenta septuaginta, et sex. Sancta Geltruda (*lib.*4.*divi.insinuat. cap.*35) ex revelatione sibi facta refert quinque millia fuisse super quadringenta. Alii, quinque millia super quingenta. Ioan. Aquilanus (*serm.de amara Christi pass.*) testatur, d. Bernardo fuisse revelatum, Christum Dominum sex millia, et sexaginta sex percussuras accepisse. Alii, quod mirabilius videbitur, centum quinque millia cum trecentis, et septuaginta. Alii, quod praedicta omnia superat, centum quinque millia super quadringenta, et nonaginta. Et quidem, si verum est, totam integram cohortem Christum Dominum flagellasse, ut non contemnendae auctoritatis Doctores tradiderunt, cum illa secundum veriorem sententiam mille, ut minimum constet militibus; non potuit non ingens esse ictuum numerus, singulis infligentibus quotquot sibi libebat. Id autem ita contigisse, praeter ardentem in Christum Dominum Iudaeorum rabiem, qua facile milites ad id crudelitatis genus stimulare potuisset, illud non exiguum indicium suspicor, quod lege Deuteronomii cautum erat, blasphemum manibus omnium audientium blasphemiam, plectendum fore: *Educ*, ait (*Deut.* 14), *blasphemum, et ponant omnes, qui audierunt, manum suam super eum.* Cum ergo Christus Dominus praesente tota cohorte dixisset se Filium Dei esse, idque cuncti audientes manifestam blasphemiam indicarent, omnes consequenter, et singuli, si non lapidibus, quia lapidationem in flagellationem commutarant, saltem verberibus manus in eum imponere decreverunt iuxta praescriptum legis contra blasphemum. Simile quid factitatum legimus apud Romanos, ut tradit Caelius Rhodiginus (*lib.antiq.*) de fustuaria castigatione: Si quis, inquit, damnatus erat, accepto fuste Tribunus vix tantum attingebat damnatum, quod ubi factum erat, omnes qui in castris inveniebantur, caedentes fustibus damnatum conficiebant. Non solum autem Tribunum cohortis, et milites eius, sed et ipsum Pilatum, *ut Iudaeis placeret*, Christum Dominum primum omnium flagellare coepisse, multi interpretum affirmant, vim facientes in verbo illo d. Ioannis: *Tunc apprehendit eum Pilatus, et flagellavit.* Videtur enim alludere ad metaphoram fabri ferrarii, qui forcipe candidum ferrum apprehendens, et super incudem apponens, primus omnium partem malleis concutiendam signans, illud percutit, deinde artifices ferreis martellis innumeris ictibus illud ipsum feriunt. Ita plane accidit Christo Domino, cuius corpus, quasi ferreum esset, primum Pilatus, deinde ministri acerrimis verberum ictibus immaniter omnes lacerarunt, adeo ut regius Vates in persona Christi praedixerit (*Ps.* 128): *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores:* ubi alia translatio habet, *araverunt peccatores:* quia sicut arantes vomeribus sulcos profundos in terra conficiunt; ita flagellatores illi sacrosanctum Christi corpus excarnificabant, ut quasi sulcos in eo efficerent. Unde extat revelatio s. Birgittae (*l.*2.*c.*10), asserentis adeo crudelem fuisse Christi flagellationem, ut costae ipsae viderentur, et ut ait d. Bonaventura (*de meditat.vitae Christi*), ossa alba detegerentur: quod et alii auctores affirmant. Licet autem sententia quorundam Doctorum vera non



sit, asserentium Christum Dominum ex sententia iudicis flagellatum, semel ad placandum Iudaeorum furorem: deinde, quia moris erat apud Romanos, ut tradit d. Hieronymus (*in Matt.tom.*9), damnatum ad mortem prius flagellari, ait enim doct. Augustinus (*de consen. Ev.* 9) semel tantum flagellatum fuisse, paulo ante sententiam mortis. Quod si postea Ioannes, et Marcus flagellationem commemorant, id per recapitulationem narrasse censet. Illud tamen verissimum putat idem Augustinus, quod postquam Christus Dominus a columna, cui ligatus erat, solutus fuit, quod, testante b. Birgitta ex divina revelatione, in hunc modum accidit. Quidam lictorum immanitatem aegre ferens dixit: *Numquid interficietis eum?* Et haec dicens, secuit ligamenta illa. Postquam inquam solutus fuit, putat d. Augustinus, quod in terram illum prostraverunt, et acerrime humi iacentem flagellaverunt, iuxta praescriptum legis, dicentis (*Deut.*25): *Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, et coram se facient verberari.* D. autem Bernardus, et d. Anselmus aiunt, quod solventes funes, quibus ad columnam ligatus stabat, videntesque partes pectoris, et ventris illi adhaerentes plagarum expertes, iterum tergo inhaerentem columnae illum ligarunt, ac innumeris flagellis dilacerarunt; adeo, ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla esset in eo sanitas. Haec autem prima facie diversae Patrum sententiae nulla ratione inter se pugnant, cum de efferata lictorum illorum saevitia haud difficile sit credere, utrumque hunc flagellationis modum in Christum exercuisse, et stantem, et prostratum illum verberantes. Iobum multis aerumnis, ac laboribus aegre affectum fuisse, sacra narrat historia; at licet omnibus aliis bonis privatus fuerit, propria tamen pelle numquam expoliatus est, ipso dicente (*Iob* 19): *Pelli meae consumptis carnibus adhaesit os meum;* at Christi Domini calamitas eo pervenit, ut flagellorum acerbitate undique excoriatus, et naturali pellis tunica nudatus fuerit, in cuius figuram in Genesi dicitur, quod nudaverunt Ioseph tunica sua. Unde Eusebius Caesariensis (*lib.*3.*histor.Ecclesiast.cap.* 6), et Iosephus Flavius (*lib.*6.*de bello Iudaico*) dicunt: vir ille plebeius, cui nomen Iesus, qui paulo ante Hierosolymitanum excidium Iudaeis inclamabat: vae, vae, et horribiles caedes Hierosolymitanis minitabatur, ad iudicem Romanum adducitur, apud quem flagris usque ad ossa dilaniatus, nec lacrymas, nec preces fudit. Nazianzen. (*in carmine de Christo pat.*) ait, Christum post flagellationem omni ex parte manasse sanguinem. Robertus Aquinas (*art.*2. *de pass. Christi*), prae debilitate ait nimia in terram cecidisse, et in sanguine suo se volutasse. Quod si vera est sententia Surii, asserentis b. Virginem huic dirae flagellationi adfuisse, quam ego verissimam autumo, quia illam testantur d. Augustin. (*lib.medit.cap.ult.*), Anselmus (*opusc. de passione*), et b. Birgitta (*lib.* 1. *cap.*10.*lib.*4.*cap.*70), ubi in persona beatissimae Virginis ait: *Ego quae adstabam, vidi corpus eius verberatum, et flagellatum usque ad costas*, putaverim equidem, et non immerito, dolorem Christi mirum in modum crevisse, ut qui iam non solum proprium corpus, sed et dilectissimae matris animam pariter secum verberari conspiceret: de qua sane non dubitabat, quin, prae amoris magnitudine graviora, et acriora flagella illa sibi viderentur, quam si haec eadem in se re ipsa sustineret.

Tandem acerbitatem flagellationis Christi, quae de illa et praefigurata, et praedicta fuere, apertissime attestantur; Hieremias, propterea quod urbis excidium vaticinatus fuerat, a sacerdote Phassure graviter percussus: et Iob, tot ac tam variis flagellationum generibus laceratus; et David in persona Christi loquens: *Fui flagellatus*, ait, *tota die.* Quod eapropter asseruit, quia gravis adeo, et acerba fuit illa flagellatio, ut integra die durasse videretur: et (*Ps.* 68): *Super dolorem*, inquit, *vulnerum meorum addiderunt*, et (*Iob* 16): *Conscidit me vulnere super vulnus.*

Fuit item praefigurata Christi Domini flagellatio in Achiore duce, et principe Ammonitarum, qui a militibus Holophernis ad arborem ligatus illusus, et percussus fuit: Achior fuit adstrictus funibus ligno, Christus lapideae columnae; Achior propter veritatem, quam affirmaverat, Christus propter veritatem, quam praedicaverat; Achior, quia quae grata erant Holopherni, dicere abnuerat, Christus, quia Iudaeos increpaverat; Achior, quia Dei gloriam magnificabat, Christus, quia pro Patris hic gloria tuenda viriliter pugnabat.

Haec omnia quid nisi illius verberationis immanitatem proclamant? Id tamen super omnia illam aperte ostentat, quod cum statutum sit a Deo, ut secundum mensuram delictorum sit et plagarum modus; certe cum Christus Dominus non ob unius delicti reatum, sed propter innumera, quae per totum orbem terrarum patranda erant, verberaretur, aperte efficitur, immensa fuisse perpessum flagella. Quamvis autem lex certum, ac praefixum ictuum numerum praescriberet, id sane erat pro his, qui ob sua crimina mulctabantur; Christus autem, cum non propriis delictis, quae nulla commiserat, verum nec commisisse potuerat, sed pro totius mundi peccatis verbera sustineret, quod iniquitates omnium nostrum posuerat Deus super ipsum, ut ait Isaias; noluit aeternus Pater praedictam legem cum illo observari, et ideo innumeris flagellis Agnus innocentissimus columnae alligatus vapulavit.

Sed iam huius sacrae columnae salutari Christi cruore rubricatae, et flagellationis, quam in ea pertulit, abdita mysteria reseremus. Sane Christi amor erga nos peccatores in flagellatione ad columnam mirum in modum innotescit. Sicut enim olim inexpugnabilis Hercules ad fines terrae perveniens columnam erexit cum hac inscriptione: *Non plus ultra*, ita sane fortissimus mundi et Inferni debellator Christus Dominus amoris fines ac metas non modo pertingens, sed transiliens, in trophaeum sui amoris sacram hanc columnam erexit, cum simili inscriptione: *Non plus ultra;* quia ultra flagellationem despectissimum supplicii genus, divinus amor ad abiectiorem gradum omnipotentis Dei maiestatem deprimere non potuit.

Columnam etiam marmoream fortitudinis indicium extitisse, praeterquam marmoris natura id praesefert, novimus tanquam fortitudinis symbolum illum usurpasse, qui columnam cum hac inscriptione depingebat, Frangar, non flectar. Desiderans ergo Christus eximiam sui amoris fortitudinem, quia fortis est, ut mors, dilectio, cunctis mortalibus detegere, ad robustissimam voluit vinciri columnam, non quidem ut eam e loco suo divelleret, et casu suo hostes interficeret, ut olim legitur fecisse Sampson, qui apprehendens utramque columnam domus, super Philistaeos illas corruere fecit, sed ut in ea pro nobis Deo Patri satisfaciens, verberaretur: id enim amoris fortitudinem mirum in modum commendat, quae tanta extitit, ut fortissimum leonem de tribu Iuda, immo et invictissimum Deum funibus alligarit, et gravissimis flagellis caeciderit. Deinde columnae huius firmitatem Ecclesiae catholicae, et doctrinae Evangelicae stabilitatem significare crediderim. Apparuerat quondam Deus in columna ignis, et columna nubis; at in marmorea nullibi, nisi hoc loco, apparuisse legimus. Cuius eam arbitror fuisse rationem, quia vetus illa Mosayca lex non duratura, sed abolenda erat, et ideo in columna flammae et nubis, quae facile evanescunt, tunc temporis apparebat; at quia Christus Dominus legem Evangelicam condere perpetuo duraturam satagebat, et firmissimum Ecclesiae aedificium, contra quod portae inferi praevaliturae non erant, erigere venerat, in columna marmorea, quae fortitudinis argumentum est, apparere elegit; unde a fortitudine huius columnae septem illas columnas, quas excidit Sapientia ad aedificandam domum, omnem suam fortitudinem mutuare minime dubitandum est. Atque hinc factum existimo, quod d. Ioannes commemorat: *Ad Iesum autem cum venissent, non fregerunt eius crura*: nam praeterquam ipse dixerat per Isaiam: *torcular calcavi solus;* ad calcandum autem torcular inepta essent crura confracta, praeter hoc inquam, cum crura illius, ut ait Sponsa, essent columnae marmoreae, super quas fundabatur Ecclesiae catholicae aedificium, ideo ad significandam miram eius stabilitatem, ac invincibilem constantiam, noluit crura eius confringi, sed solida permanere. In conspectu ergo huius venerandae columnae sileant, quotquot divina commemorant eloquia; sileat columna fumi, in signum victoriae data; sileant columnae de lignis Setim incorruptilibus confectae; sileant ligneae argento vestitae; sileant marmoreo lapide fabricatae; sileant aeneae ante fores templi positae; sileant quae portabant tentorium: sileant tandem columnae illae, quarum prima vocabatur *Iachin*, id est firma, secunda *Booz*, id est robur, quia harum firmitas, si cum firmitate huius sacrae columnae comparetur, infirmitas non immerito iudicabitur. Potest et alia flagellationis Christi Domini ratio assignari, quam acutissime excogitavit Rupertus (*libr.* 1. *de Trin. et eius operib. et in cap.* 22. *Deuter. cap.* 22. *et* 19). Existimat enim Christum Dominum verberatum ut gentilem Ecclesiam sibi desponsaret, nec eam repudiare amplius posset; dicitur enim (*Deut.* 22): *Si quis uxorem ducat, ac deinde odio illam habens, velit ei libellum dare repudii, dicens, non inveni eam virginem, nolo eam; afferent parentes puellae signa virginitatis eius coram senioribus, et accusabunt virum illum coram eis. Ipsi vero cognito quod malum nomen uxori imponere tentet, ut aliam ducat, faciant eum flagellari, et condemnent eum centum siclis argenti, habebitque eam uxorem, nec poterit dimittere eam omnibus diebus vitae suae.* Grande mysterium hic latet. Nam vir iste Christus erat, qui ineffabili Incarnationis mysterio gentilem sibi Ecclesiam desponsarat, pro ea carnem assumens: Sed eam fastidire, atque odisse videbatur, nomenque pessimum illi imponebat, dicens: *In viam gentium non abieritis, in civitatem Samaritanorum ne intraveritis*: et rursus: *Non est bonum sumere panem de manibus filiorum, et dare canibus.* Quid igitur? ecce coram senioribus accusatus est, et flagellis acerrime caesus, eam perpetuo sibi desponsatam habere praecipitur a Patre, omnibus diebus vitae suae.

Sed iam de principali fructu dirae Christi ad columnam flagellationis non nihil dicamus. Licet quidem verbera haec efferos Iudaeorum animos non pacaverint, neque eorum saevitiam quidquam lenierint, ut Pilatus desiderabat; id tamen certissime obtinuerunt, quod aeterni Patris dexteram contra genus humanum iustitiae hastam vibrantem cohibuerunt, et iratum eius animum velut iracundiae calore effervenlem penitus sedarunt. Sacra narrat historia, quod cum Achab rex divinam iram contra se provocaverat, poenitentia ductus, regalia sua scidit vestimenta, et placatus est Dominus adeo, ut diceret (3. *Reg.* 21): *Quia igitur humiliatus est Achab mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Tempore etiam Ionae, quando Deus voluit debito supplicio Ninivitas plectere, cum primum rex exuit se purpura, et induit se humili et abiecto sacco, Deus quoque ab inferendo supplicio se abstinuit. Si ergo respiciens Deus horum regum humilitatem, in regalium indumentorum scissione et expoliatione, minantem statim iram deposuit, et reconciliatus est: quomodo in faciem Christi sui respiciens, non solum veste, sed et carnis pelle ad columnam nudati, et ligati, iracundiae furor non pacabitur? *Ad quem*, inquit per Isaiam (*cap.*66), *respiciam, nisi ad humilem, et trementem sermones meos?* vel ut alia versio habet: *Ad quem inspiciam nisi ad flagellatum?* quasi dicat: Nihil tam mitigat divinae vindictae furorem, quam immanis Christi ad columnam flagellatio. Referunt Historici, in festis diebus, quos ob honorem deae Februae Gentiles colere consueverant, hac sacerdotes uti solitos caeremonia, ut omnes civitatis vicos, et plateas circumdantes, quotquot in via offendebant, flagellis percuterent; postquam autem universa plebs, vel maior eius pars hoc modo flagellabatur, attestabantur ipsi, iam Deos non amplius aversos, sed sibi omnino fore propitios. Cum igitur Deus in Christo, ut ait Isaias, nostras omnium iniquitates posuerit; manifestum est, quod Christum flagellans nostra flagellavit peccata, atque adeo illi non amplius contra nos fore irascendum, nisi denuo divinam contra nos provocemus iracundiam.



Sed iam ad nos ipsos parumper sermonem convertamus, ac fidei oculis Deum nostrum tanquam vile mancipium ad columnam acriter verberatum intuentes, non solum compatiamur, sed magnitudinem huius ignominiae admirantes clamemus cum Hieremia (*cap.* 2): *Obstupescite coeli super hoc, et portae eius desolamini: Angeli pacis flete, et omnes habitatores terrae ululate.* Quidam dicunt angelos tunc in corporibus assumptis flevisse. Dictum novimus apud Lucam (*cap.* 12): *Servus, qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis;* at Christus Dominus testatur de seipso (*Ioan.* 8): *Ea, quae placita sunt ei, facio semper: meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei:* itaque nunquam non fecit voluntatem Domini. Ut quid ergo multis vapulat? Dixerat David longe flagella a Deo abesse (*Psal.* 90): *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo;* nunc autem non flagellum tantum, sed innumera flagella tabernaculo eius appropiant, nempe humanitati eius, quam Dei tabernaculum Propheta appellavit (*Psalm.* 45): *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* haec omnia admiratione, immo et stupore digna nemo negabit. Contingit saepe apud eos, qui leones mansuetos reddere norunt, ut canem coram eo acerrime verberent, sic enim illi mitescunt. At inauditum est, nec in hominum cogitationem unquam cecidit, ut canem mansuefaciat, leonem verberare. Id autem tametsi adeo insolitum sit, nunc in praetorio Pilati videmus, ubi leonem de tribu Iuda acriter flagellat Pilatus, ut canes rabidi mansnescant, canes inquam illi, de quibus ipse per Prophetam dixerat (*Psal.* 21): *Circumdederunt me canes multi.* Si ergo eventus quo magis insolitus est, eo maiorem parit admirationem, miretur terra, mirentur coeli, in summam angeli admirationem rapiantur, hoc insolitum adeo atque tremendum spectaculum cernentes. Id tandem silentio non praeteribo, quod si olim oves Iacob aspectu virgarum, quae partim detractos cortices, variosque colores habebant, similes foetus concepisse, sacra narrat Geneseos historia: certe dum hanc, de qua dictum est (*Isai.* 11): *Egredietur virga de radice Iesse*, nudatam cortice intuemur virgam, pudere nos debet, si tales desideriorum foetus non concipiamus, qui et nos superfluis denudare compellant, et pro Christi amore, usque ad pellis expoliationem, patiendi cupiditatem non accendant.

Ut his autem sanctis desideriis, Fratres charissimi, inardescat animus noster, oportet attente perpendere, et devote meditari, quomodo Christus Dominus nudatur, qui lilia sic induit, ut nec Salomon in gloria sua ita vestitus fuerit; calcantur eius vestes, quarum fimbriae semel tactae sanguinis fluxum comprimebant; alligantur manus, quae panes multiplicabant, et impositione sua infirmis medebantur; vinciuntur pedes defatigati in quaerenda perdita ove; caeditur corpus virgineum, propter scelera nostra ieiunio, siti, ac multis vigiliis oppressum; verberatur regia caro Verbo divino hypostatice unita, idque tanta immanitate, ut nisi novas vires ad plura sufferenda divinitas suppeditasset, non dubito, quin respirationis inopia sanguinisque profluvio deficiens, inter lictorum manus vitam exhalasset. Idque mirabile est, quod cum solo nutu ab eorum manibus facile liberari posset, non solum eripi non tentat, sed vires flagellantibus praebet, eorum brachia movet, nec tamen ictus vult temperare suos, ut amori satisfaceret, austero, et exactissimo omnium creditori; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XIII.

*De regali purpura, qua per irrisionem Christus Dominus indutus fuit, in illa verba:* Et induit eum purpura (*Marc.*6).

Cum Christus Dominus se verum Messiam, atque adeo regem coeli, et terrae non diffiteretur, unde civitatem Hierusalem ingrediens, rex Israel, et filius David acclamari voluit; *Osanna filio David:* hinc per ludibrium, tanquam irrisorio regi, et qui fatue ad regni titulum aspiraret, regalia insignia ei imposuerunt, purpuram videlicet, coronam, et sceptrum, ut tradunt d. Ioannes, Matthaeus, et Marcus. Illusores fuerunt milites Romani, ministri Praesidis, ut qualis rector civitatis, tales ministri designentur: homines abiectissimi, et vilissimi, quo Christi illusio gravior redderetur. Et cum d. Matthaeus dicat, congregatam fuisse ad eum universam cohortem, aperte efficitur, mille, vel ut aliis placet, sexcentos fuisse illusores, cum his ut minimum constet cohors. Exuentes ergo eum propria veste, ut ait Origenes (*tract.* 25. *in Matth.*), purpura primo illum induerunt: non quidem splendida, ut decebat eum, qui vere erat *Rex regum, et Dominus dominantium*, sed vili satis, attrita, et sordida, ut vaticinatus fuerat Zacharias, dicens (*cap.* 13): *Vidi Iesum magnum Sacerdotem indutum vestibus sordidis.* Ex quo obiter inferre licet, Christum Dominum ter fuisse denudatum, in flagellatione, coronatione, et crucifixione, ut hac trina denudatione, damna, quae per expoliationem donorum supernaturalium peccatum primi parentis in tres animae potentias, intellectum, memoriam, et voluntatem intulerat, averteret, et ut nos triplicem Theologicam virtutem, fidem, spem, et charitatem divinitus indueremus. Coronam et purpuram semper fuisse regia insignia, nemo est qui ambigat. Unde ut rex Balthasar regio honore afficeret eum, qui scripturam sibi ostensam exponeret, purpuram illi daturum pollicitus est, ut Daniel commemorat; et propter eamdem honoris rationem Alexander misit Ionathae purpuram, et auream coronam. Purpuram autem, qua Christus Dominus indutus fuit, cum chlamydem coccineam vocet d. Matthaeus, non solum regale, sed imperiale indumentum fuisse colligere licet: nam, ut testatur Livius (*lib.* 2. *Bell. Punic.*), chlamys apud Macedones amictus Imperatorum e-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rat, sicut toga purpurea triumphantium apud Romanos, illaque primum usum fuisse Alexandrum Severum tradit Ælius Lampridius; immo ex Romanis regibus primum Numam, si credimus Suidae. Qua autem ratione vestis haec dicatur coccinea, cum constet hos colores esse distinctos? Nam coccus est rubens herbae granum, quod in Galatia, et Emerita Lusitaniae civitate, teste Plinio, praestantissimum nascitur; purpura autem genus piscis est, seu conchylii, quod dicitur murex, in cuius faucibus est succus ille rubricandis vestibus aptus. Unde sacra Scriptura de illis, tanquam de duabus rebus distinctis, loquitur (*Exod.* 26): *Tabernaculum ita facies, decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto.* Facile hanc difficultatem solvit d. Ambrosius (*lib.* 20. *in Luc.*), dicens ministros Pilati duplici veste Christum induisse; una coccinea, et altera purpurea: ut in ea martyrum palmas, in hac regiae potestatis insignia designarent. Cui sententiae video etiam assentiri Iuvencum (*in lib. Evangelicae historiae*) ubi ait:

Purpureamque illi tunicam, chlamydemque rubentem
Induerunt, spinisque caput cinxere cruentis. (tem

Verum, quia cum communi aliorum Patrum intelligentia haec pugnat opinio, facilius arbitror responderi posse, quod, ut docet d. Augustinus (*li.* 3. *de consen. Evan. c.* 9), quia purpura est cocco valde similis, propterea appellata est vestis illa, *coccinea:* quae etiam fuit sententia d. Athanasii (*ser. de cruce et passione*). Vel certe, quia erat *dibapha*, de qua Plinius, hoc est, bis tincta, semel colore coccineo, et iterum purpureo. Quod videtur praesignatum fuisse in veteri lege, dum sacerdos legalis, qui Christum summum sacerdotem repraesentabat, indui praecipitur superhumerali hyacinthino, purpura, et cocco bis tincto: ubi Originale legit: *vermiculo, et cocco.* Haec igitur purpurea vestis, tametsi ad decorem, et ornatum semper adhiberi consueverit, ut constat ex purpureo velo Sancti Sanctorum, et superhumerali sacerdotis, et ex tabernaculo Holophernis, quod purpura erat ornatum, et ex purpurea veste, qua honoris, et gloriae causa, iussu regis indutus fuit Daniel, et ex usu Romanorum, qui eis, quos ut reges salutabant, togam purpuream per nuntios mittebant, ut referunt Cornelius Tacitus (*l.* 4), Tullius (*orat.* 7), et Iosephus (*li.* 14. *Antiqu. c.* 5); Christo tamen Domino non ad splendorem, sed ad infamiam, et illusionem data est. In eo tamen purpura haec alias Regum, et Imperatorum longo intervallo antecedit, quod illae sanguine vermiculi muricis tinctae fuere; at purpuram hanc sacer illius sanguis tingebat, qui se vermiculum appellavit, tanquam tenerrimus ligni vermiculus: roseus enim cruor ex vulneribus capitis, ab acutissimis spinarum aculeis ei inflictis effluens, vestem illam rubricabat, et purpureo novi huius vermis succo non parum rubicundam reddebat. Unde Isaias (*c.* 63): *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum?* Quod de rubore a sanguine Christi mutuato intelligi debere, unanimis SS. Patrum intelligentia docet. D. Ambrosius (*lib.* 10), et Origenes (*cap.* 35. *in Matt.*) asserunt, quod quando Rahab per fenestram proiecit funes sericos, et coccineos, ut mortem fugeret, et Zaram filii Thamar digitus purpureo filo ligatus fuit, purpuream hanc Christi vestem praesignabant, qua nuditas filiorum Adam contegenda erat, et peccata omnium abolenda: rubro enim suo colore sacrum Christi sanguinis cruorem significante, emundat nos ab omni iniquitate. Accedit ad haec insignis alia huius coccineae chlamydis imago, a paucis notata, altare videlicet, quod cum ex uno loco ad alium portaretur, ex divino praecepto, purpura induebatur. Sacrosanctum Christi corpus altare quidem erat, ubi quotidie anima Christi libere se offerebat, et immolabat Deo Patri: et quidem cum tunc altare portatile esset, dum ex domo Caiphae ad domum Annae, et ex hac ab Herode ad Pilatum duceretur, veste purpurea indui voluit, ut figura figurato responderet. Divus Ambrosius (*sup. Psal.* 18. *ser.* 17) ait, Christum purpura indui voluisse, ut significaret se non solum roseo hoc sanguine per purpuram significato Sanctorum animas decorare; sed et principes, et reges facere: *Sanguis*, inquit, *Christi purpura est, qui efficit Sanctorum animas, non solum colore resplendentes, sed etiam potestate, quia reges facit, et meliores reges, quibus regnum donet aeternum;* haec ille. Unde et in Apocalypsi dicebant Christo sancti illi seniores (*Apoc.* 5): *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro regnum, et regnabimus super terram.* Audiens autem, *super terram*, ne intelligas terrestre regnum designari, nam in caelo regnantes super terram regnant. D. Augustinus (*ser.* 114), et Hilarius (*can.* 33) per hanc purpuram mystice intelligi volunt Martyres, proprio cruore purpureos, quibus Christus Dominus ad decorem induitur, ut praedixerat Isaias (*c.* 49): *His omnibus quasi ornamento vestieris.* Atque in simili sensu explicanda sunt verba illa Sponsae (*Cant.* 7): *Comae capitis tui sicut purpura regis, tincta canalibus.* Per *comas* capitis Christi, sanctos martyres, per *canales* vulnera Christi, per *purpuram*, quae olim non nisi ex sanguine cuiusdam conchylii marini fiebat, quae raro inveniebatur, et ideo solum reges purpura induebantur, sanguinem Christi intelligo, quo praedictae comae tinctae fuerunt, et cuius virtute proprium sanguinem martyres profuderunt, ut fortes facti in bello, sanguinem sanguine, quoad poterant, compensarent. Horum fortitudinem praevidens Nahum propheta praedixerat: *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus eius in coccinis:* Septuaginta vertunt, *arma potentiae eius ex hominibus:* Pagninus legit: *Clypeus eius rubefactus est.* Dicuntur Martyres *clypeus*, quia sicut clypeus non offendens, sed ictus patiens, et iacula in se recipiens protegit; ita sane ipsi non offendendo, sed patiendo se et Christi fidem defensarunt, ut canit Ecclesia:

Caeduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia,
Sed corde tacito mens bene conscia
Conservat patientiam.



Ad id egregie significandum apte Septuaginta transtulerunt: *Arma potentiae eius ex hominibus, qui cum infirmi, mortales, et passibiles sint, non aliter melius, quam pro Christo patientes fortitudinem ostentant.* Apte satis Pagninus vertit, *Clypeus eius rubefactus est* tradit enim Vegetius (*de re militari*), milites quondam indui consuevisse vestibus coccineis, ut, aspectu rubei coloris ad praelium incitarentur, sicut ad eundem finem sacra narrat historia, sanguinem uvae et mori ostendi solitum elephantibus, ad acuendos eos in praelium. Sacro ergo cruore Christi et martyrum eius nobis ostenso, accingimur et nos Christi milites ad pugnam contra eos, qui nos infestant, immanissimos hostes. Nec silentio hic praetermittam, quod ubi nostra vulgata legit praecitato loco: *viri exercitus*, Septuaginta *verterunt*, *viri fortes illudentes in igne;* quasi dixerint: tanquam ludum reputant voracissimo igne cremari. Unde d. Laurentium videmus, qui in ardenti craticula iacens, quasi ludens et illudens tyrannum iudicem, facete admodum dixit: *Assatum est iam, versa et manduca.* Hoc quid erat, nisi serio iocari, et religiose in igne ludere? Confirmant praedicta omnia egregia verba d. Athanasii (*ser. de cruce et passione*), in hunc modum loquentis: *Miraculum novum, et incredibile, quem per ludibrium subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderant ornamenta, coccineam chlamydem, coronam spineam et calamum. Nam tametsi ea quasi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen inde, ut ab eo latenter spoliarentur daemones. Cum enim sanguine terra per diabolum funestata, et multis undis cruoris esset imbuta, et ubique spinae ob execrationem miscerentur, et hoc chirographum nactus inimicus noster omnes incaderet, et tyrannidem in omnes, ut in subiectos sibi exerceret: ea de causa, cum eum omnibus spoliasset Dominus, hoc genere vestimenti indutus, ad mortem processit, ut ostenderet victoriam de morte non temere, sed pro nostra salute partam esse: gestabatque in coccinea chlamyde speciem sanguinis, spinasque in corona, et chirographum in calamo, quo instrumento iam olim nos diabolus aeri suo rationibusque inscriptos habebat; ut una cum morte etiam ista simul demoliretur, et rerum naturam ab istis malis purificaret, et pro spinis lignum vitae largiretur utendum, et pro sanguine peccatorum, suo sanguine et terram, et omnes emundaret. Ideo enim nostrum sanguinem gestans, in veste coccinea, suum omnino sanguinem in terram profudit; unde factum est, ut in ea pro spinis bona, et vita repullulascerent.*

## HOMILIA XIV.

*De corona spinea, venerando Christi Domini capiti imposita, quae permultis tam humanarum, quam divinarum litterarum monumentis pulchre illustratur.*

Christo purpura iam induto, immanissimi illi illusores acerbissimum ac inauditum dedecoris, et doloris genus excogitantes, et coronam spineam contexerunt, et venerando illi capiti, in quo omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei delitescebant, summa crudelitate infixerunt; adeo ut acutissimae spinarum cuspides et tempora perforarent, et totum caput, ultra quam dici possit, undequaque lacerarent. Coronam enim in formam pilei effecerunt, si credimus d. Bernardo, et Callisto Placentino, ut sic sacrosanctum illud caput spinarum aculeis undequaque obrueretur.

Coronam spineam, commentum fuisse Romanorum militum, his verbis tradit Tertullianus (*de cor. milit. c.* 9): *Illam impietatis contumeliosae coronam populus non conscivit, Romanorum militum commentum fuit ex usu rei saecularis.* Refert Titus Livius (*decade* 3. *lib.* 10), Romanos solitos esse variis caeremoniis uti in regum creatione: *Ibi*, inquit, *Masinissam primum regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, et scipione eburneo, toga picta, et palmata tunica donat.* Ad illudendum igitur contumeliosius Christum Dominum, multis ex his caeremoniis erga illum abusi sunt.

Circa materiam, ex qua haec fuit confecta corona, non est una omnium sententia. Nam d. Hieronymus (*in cap.* 3. *Abacuch, et in c.* 2. *Aggaei*), et alii, aiunt fuisse ex rhamno, plena sentibus et hericio simili. Quod si ita est, non vacat mysterio: tum quod ait Caelius Rodiginus (*lib.* 5. *lect. antiq. c.* 9), rhamnus est amuletum, seu antidotum contra phantasmata; tum quia, ut tradit Dioscorides (*c.* 102. *lib.* 2), fama est, ramos rhamni valvis, vel, ut alii tradunt, belluis impositos, veneficia depellere, unde ortum habuit adagium: *Progigne rhamnum malorum depulsorem.* Ita sane si huius rhamneae coronae Christi mirabilis virtus bellninis peccatoribus applicetur, veneficas antiqui serpentis incantationes, ac diabolica phantasmata penitus evanescere faciet. Atque huic Hieronymi sententiae innitendo facile erit, quod alias difficile esset, rationem reddere, quare cum inter arbores de regia dignitate altercaretur, soli rhamno illa delata est, omnibus aliis postpositis, foliorum aspectu, et fructus suavitate gratioribus multo. Ratio huius iuxta d. Hieronymi sententiam assignari posset, quod cum corona Christi ex rhamni materia contexenda foret, qua caput, suprema corporis Christi pars, redimiendum erat, inde tantam dignitatem contraxit, ut aliarum arborum caput et rex effici mereretur. Idque praevidens Spiritus sanctus, rhamnum regia dignitate prae ceteris donavit. Itaque regnum sibi delatum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rat, sicut toga purpurea triumphantium apud Romanos, illaque primum usum fuisse Alexandrum Severum tradit Ælius Lampridius; immo ex Romanis regibus primum Numam, si credimus Suidae. Qua autem ratione vestis haec dicatur coccinea, cum constet hos colores esse distinctos? Nam coccus est rubens herbae granum, quod in Galatia, et Emerita Lusitaniae civitate, teste Plinio, praestantissimum nascitur; purpura autem genus piscis est, seu conchylii, quod dicitur murex, in cuius faucibus est succus ille rubricandis vestibus aptus. Unde sacra Scriptura de illis, tanquam de duabus rebus distinctis, loquitur (*Exod.* 26): *Tabernaculum ita facies, decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto.* Facile hanc difficultatem solvit d. Ambrosius (*lib.* 20. *in Luc.*), dicens ministros Pilati duplici veste Christum induisse; una coccinea, et altera purpurea: ut in ea martyrum palmas, in hac regiae potestatis insignia designarent. Cui sententiae video etiam assentiri Iuvencum (*in lib. Evangelicae historiae*) ubi ait:

Purpureamque illi tunicam, chlamydemque rubentem
Induerunt, spinisque caput cinxere cruentis.

Verum, quia cum communi aliorum Patrum intelligentia haec pugnat opinio, facilius arbitror responderi posse, quod, ut docet d. Augustinus (*li.* 3. *de consen. Evan. c.* 9), quia purpura est cocco valde similis, propterea appellata est vestis illa, *coccinea:* quae etiam fuit sententia d. Athanasii (*ser. de cruce et passione*). Vel certe, quia erat *dibapha*, de qua Plinius, hoc est, bis tincta, semel colore coccineo, et iterum purpureo. Quod videtur praesignatum fuisse in veteri lege, dum sacerdos legalis, qui Christum summum sacerdotem repraesentabat, indui praecipitur superhumerali hyacinthino, purpura, et cocco bis tincto: ubi Originale legit: *vermiculo, et cocco.* Haec igitur purpurea vestis, tametsi ad decorem, et ornatum semper adhiberi consueverit, ut constat ex purpureo velo Sancti Sanctorum, et superhumerali sacerdotis, et ex tabernaculo Holophernis, quod purpura erat ornatum, et ex purpurea veste, qua honoris, et gloriae causa, iussu regis indutus fuit Daniel, et ex usu Romanorum, qui eis, quos ut reges salutabant, togam purpuream per nuntios mittebant, ut referunt Cornelius Tacitus (*l.* 4), Tullius (*orat.* 7), et Iosephus (*li.* 14. *Antiqu. c.* 5); Christo tamen Domino non ad splendorem, sed ad infamiam, et illusionem data est. In eo tamen purpura haec alias Regum, et Imperatorum longo intervallo antecedit, quod illae sanguine vermiculi muricis tinctae fuere; at purpuram hanc sacer illius sanguis tingebat, qui se vermiculum appellavit, tanquam tenerrimus ligni vermiculus: roseus enim cruor ex vulneribus capitis, ab acutissimis spinarum aculeis ei inflictis effluens, vestem illam rubricabat, et purpureo novi huius vermis succo non parum rubicundam reddebat. Unde Isaias (*c.* 63): *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum?* Quod de rubore a sanguine Christi mutuato intelligi debere, unanimis SS. Patrum intelligentia docet. D. Ambrosius (*lib.* 10), et Origenes (*cap.* 35. *in Matt.*) asserunt, quod quando Rahab per fenestram proiecit funes sericos, et coccineos, ut mortem fugeret, et Zaram filii Thamar digitus purpureo filo ligatus fuit, purpuream hanc Christi vestem praesignabant, qua nuditas filiorum Adam contegenda erat, et peccata omnium abolenda: rubro enim suo colore sacrum Christi sanguinis cruorem significante, emundat nos ab omni iniquitate. Accedit ad haec insignis alia huius coccineae chlamydis imago, a paucis notata, altare videlicet, quod cum ex uno loco ad alium portaretur, ex divino praecepto, purpura induebatur. Sacrosanctum Christi corpus altare quidem erat, ubi quotidie anima Christi libere se offerebat, et immolabat Deo Patri: et quidem cum tunc altare portatile esset, dum ex domo Caiphae ad domum Annae, et ex hac ab Herode ad Pilatum duceretur, veste purpurea indui voluit, ut figura figurato responderet. Divus Ambrosius (*sup. Psal.* 18. *ser.* 17) ait, Christum purpura indui voluisse, ut significaret se non solum roseo hoc sanguine per purpuram significato Sanctorum animas decorare; sed et principes, et reges facere: *Sanguis*, inquit, *Christi purpura est, qui efficit Sanctorum animas, non solum colore resplendentes, sed etiam potestate, quia reges facit, et meliores reges, quibus regnum donet aeternum;* haec ille. Unde et in Apocalypsi dicebant Christo sancti illi seniores (*Apoc.* 5): *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro regnum, et regnabimus super terram.* Audiens autem, *super terram*, ne intelligas terrestre regnum designari, nam in caelo regnantes super terram regnant. D. Augustinus (*ser.* 114), et Hilarius (*can.* 33) per hanc purpuram mystice intelligi volunt Martyres, proprio cruore purpureos, quibus Christus Dominus ad decorem induitur, ut praedixerat Isaias (*c.* 49): *His omnibus quasi ornamento vestieris.* Atque in simili sensu explicanda sunt verba illa Sponsae (*Cant.* 7): *Comae capitis tui sicut purpura regis, tincta canalibus.* Per *comas* capitis Christi, sanctos martyres, per *canales* vulnera Christi, per *purpuram*, quae olim non nisi ex sanguine cuiusdam conchylii marini fiebat, quae raro inveniebatur, et ideo solum reges purpura induebantur, sanguinem Christi intelligo, quo praedictae comae tinctae fuerunt, et cuius virtute proprium sanguinem martyres profuderunt, ut fortes facti in bello, sanguinem sanguine, quoad poterant, compensarent. Horum fortitudinem praevidens Nahum propheta praedixerat: *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus eius in coccinis:* Septuaginta vertunt, *arma potentiae eius ex hominibus:* Pagninus legit: *Clypeus eius rubefactus est.* Dicuntur Martyres *clypeus*, quia sicut clypeus non offendens, sed ictus patiens, et iacula in se recipiens protegit; ita sane ipsi non offendendo, sed patiendo se et Christi fidem defensarunt, ut canit Ecclesia:

Caeduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia,
Sed corde tacito mens bene conscia
Conservat patientiam.



Ad id egregie significandum apte Septuaginta transtulerunt: *Arma potentiae eius ex hominibus, qui cum infirmi, mortales, et passibiles sint, non aliter melius, quam pro Christo patientes fortitudinem ostentant.* Apte satis Pagninus vertit, *Clypeus eius rubefactus est* tradit enim Vegetius (*de re militari*), milites quondam indui consuevisse vestibus coccineis, ut, aspectu rubei coloris ad praelium incitarentur, sicut ad eundem finem sacra narrat historia, sanguinem uvae et mori ostendi solitum elephantibus, ad acuendos eos in praelium. Sacro ergo cruore Christi et martyrum eius nobis ostenso, accingimur et nos Christi milites ad pugnam contra eos, qui nos infestant, immanissimos hostes. Nec silentio hic praetermittam, quod ubi nostra vulgata legit praecitato loco: *viri exercitus*, Septuaginta *verterunt*, *viri fortes illudentes in igne;* quasi dixerint: tanquam ludum reputant voracissimo igne cremari. Unde d. Laurentium videmus, qui in ardenti craticula iacens, quasi ludens et illudens tyrannum iudicem, facete admodum dixit: *Assatum est iam, versa et manduca.* Hoc quid erat, nisi serio iocari, et religiose in igne ludere? Confirmant praedicta omnia egregia verba d. Athanasii (*ser. de cruce et passione*), in hunc modum loquentis: *Miraculum novum, et incredibile, quem per ludibrium subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderant ornamenta, coccineam chlamydem, coronam spineam et calamum. Nam tametsi ea quasi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen inde, ut ab eo latenter spoliarentur daemones. Cum enim sanguine terra per diabolum funestata, et multis undis cruoris esset imbuta, et ubique spinae ob execrationem miscerentur, et hoc chirographum nactus inimicus noster omnes incaderet, et tyrannidem in omnes, ut in subiectos sibi exerceret: ea de causa, cum eum omnibus spoliasset Dominus, hoc genere vestimenti indutus, ad mortem processit, ut ostenderet victoriam de morte non temere, sed pro nostra salute partam esse: gestabatque in coccinea chlamyde speciem sanguinis, spinasque in corona, et chirographum in calamo, quo instrumento iam olim nos diabolus aeri suo rationibusque inscriptos habebat; ut una cum morte etiam ista simul demoliretur, et rerum naturam ab istis malis purificaret, et pro spinis lignum vitae largiretur utendum, et pro sanguine peccatorum, suo sanguine et terram, et omnes emundaret. Ideo enim nostrum sanguinem gestans, in veste coccinea, suum omnino sanguinem in terram profudit; unde factum est, ut in ea pro spinis bona, et vita repullulascerent.*

## HOMILIA XIV.

*De corona spinea, venerando Christi Domini capiti imposita, quae permultis tam humanarum, quam divinarum litterarum monumentis pulchre illustratur.*

Christo purpura iam induto, immanissimi illi illusores acerbissimum ac inauditum dedecoris, et doloris genus excogitantes, et coronam spineam contexerunt, et venerando illi capiti, in quo omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei delitescebant, summa crudelitate infixerunt; adeo ut acutissimae spinarum cuspides et tempora perforarent, et totum caput, ultra quam dici possit, undequaque lacerarent. Coronam enim in formam pilei effecerunt, si credimus d. Bernardo, et Callisto Placentino, ut sic sacrosanctum illud caput spinarum aculeis undequaque obrueretur.

Coronam spineam, commentum fuisse Romanorum militum, his verbis tradit Tertullianus (*de cor. milit. c.* 9): *Illam impietatis contumeliosae coronam populus non consciverit, Romanorum militum commentum fuit ex usu rei saecularis.* Refert Titus Livius (*decade* 3. *lib.* 10), Romanos solitos esse variis caeremoniis uti in regum creatione: *Ibi*, inquit, *Masinissam primum regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, et scipione eburneo, toga picta, et palmata tunica donat.* Ad illudendum igitur contumeliosius Christum Dominum, multis ex his caeremoniis erga illum abusi sunt.

Circa materiam, ex qua haec fuit confecta corona, non est una omnium sententia. Nam d. Hieronymus (*in cap.* 3. *Abacuch, et in c.* 2. *Aggaei*), et alii, aiunt fuisse ex rhamno, plena sentibus et hericio simili. Quod si ita est, non vacat mysterio: tum quod ait Caelius Rodiginus (*lib.* 5. *lect. antiq. c.* 9), rhamnus est amuletum, seu antidotum contra phantasmata; tum quia, ut tradit Dioscorides (*c.* 102. *lib.* 2), fama est, ramos rhamni valvis, vel, ut alii tradunt, belluis impositos, veneficia depellere, unde ortum habuit adagium: *Progigne rhamnum malorum depulsorem.* Ita sane si huius rhamneae coronae Christi mirabilis virtus belluinis peccatoribus applicetur, veneficas antiqui serpentis incantationes, ac diabolica phantasmata penitus evanescere faciet. Atque huic Hieronymi sententiae innitendo facile erit, quod alias difficile esset, rationem reddere, quare cum inter arbores de regia dignitate altercaretur, soli rhamno illa delata est, omnibus aliis postpositis, foliorum aspectu, et fructus suavitate gratioribus multo. Ratio huius iuxta d. Hieronymi sententiam assignari posset, quod cum corona Christi ex rhamni materia contexenda foret, qua caput, suprema corporis Christi pars, redimiendum erat, inde tantam dignitatem contraxit, ut aliarum arborum caput et rex effici mereretur. Idque praevidens Spiritus sanctus, rhamnum regia dignitate prae ceteris donavit. Itaque regnum sibi delatum

fuit non sine futuri mysterii tacita insinuatione: dixerant enim omnia ligna ad rhamnum: *Veni, et impera super nos. Quae respondit eis: Si me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite:* ita Christus: adeste, ait, sub capite vestro, quod rhamno aculeata coronatum cernitis: quaerite requiem animabus vestris; non sub rosis, ut illi, qui olim dicebant: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant. Si autem non vultis*, inquit rhamnus, *quiescere sub umbra mea, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.* Proh dolor! quot sunt, qui cum sub corona Domini, et rhamno requiescere noluissent, penitus consumpti sunt? quibus ut crux, corona spinarum stultitia fuit, et scandalum. E contra certe accidit illis, qui spinosis aculeis minime absterriti, ad Christum rhamno coronatum, ut ad regem suum confugiunt, iis enim spinae istae flores sunt. Unde d. Clemens Alexandrinus (*l.2. paedag c.8*) ait: *Haec corona flos est eorum, qui crediderunt in eum, qui fuit glorificatus; cruentat autem, et castigat eos, qui non crediderunt; tunc autem acerbior haec erit castigatio, cum de rhamno egredietur ignis, ignis inquam ille, de quo Christus: Ite in ignem aeternum.*

Alii putarunt coronam ex quibusdam crespini sentibus, quas spinas sanctas vocant, confectam, quarum singulae tribus spinulis constant; ea ducti ratione, quod ad manus facile haberentur, quippe quae in monte Oliveti frequentes admodum essent. Quod si haec sententia vera est, merito hoc spinarum genere Christi corona confecta fuit; tum quia cum Christus, qui est ipsa sanctitas per essentiam, coronandus esset, rationi magis consentaneum erat, spinis, quas sanctas vocabant, coronaretur: tum quia illo trino veprium nexu quasi insinuabatur, unam sanctissimae Trinitatis personam corona ex hac materia plexa rediniendam fore: tum etiam, quod cum ipse hoc acerbissimo capitis dolore insano nostro capiti mederi contenderet, triplici illo morbo laboranti, cuius meminit Ioannes (*c. 2*): *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae*, merito quidem tricuspidibus spinis coronari voluit.

Alii tandem cum d. Augustino, et haec est communior et celebrior sententia, asserunt, coronam Christi Domini ex iuncis marinis compactam fuisse, quibus Syria, et vicina Aegyptus scatent, acutissimasque cuspides habent, dicente Poeta:

> Et acuta cuspide iunci:

Et alibi:

> Et carice pastus acuta.

Idem enim pollet, *Iuncus*, quod *carex, scirpus*, aut *papyrus*, ut colligitur ex Plinio; unde mare rubrum apud Hebraeos mare caricosum nuncupatur, eo quod illis litora eius abundent, testaturque Gulielmus Durantes (*lib.6. rational. diu. offic. cap. de Parasceve*), se propriis oculis vidisse coronam spineam, et ex marinis iuncis esse compactam: vidit autem illam in thesauro regis Francorum: nam ut refert Genebrardus (*lib. 4. suae chronol.*): *S. Ludovicus rex Galliae a Graecis redemit coronam spineam, eamque Lutetiam asportari praecepit, cui ipse obviam comitantibus Episcopis, et regni proceribus venit multis cum lacrymis et suspiriis, nudis pedibus, undique affluente, et in genua procumbente populo.* Ex dictis haud difficile erit deprehendere magnitudinem, et acerbitatem doloris, quem sacrosanctum Christi caput pertulit: nam praeterquam Chrysostomus ait, mille puncturis caput eius laceratum fuisse, si minima spinula pede calcata adeo vehementem dolorem incutit, ut pastor ille apud Theocritum dicat: *Quantula est punctura spinae, et quantum hominem domat?* quid quaeso doloris tot durissimi, et acutissimi iuncorum aculei, tenerrima Christi tempora, et delicatissimum eius cerebrum terebrantes non inferrent?

Extant in sacra Scriptura huius coronationis Christi tres praecipuae imagines, mirabili quadam ratione illam adumbrantes. Prima est illa satis ab omnibus decantata, qua Moyses longe videns Deum in rubo existentem, spinis, ac sentibus circumdatum, dixit (*Exod. 3*): *Vadam, et videbo visionem hanc magnam.* Ubi animadversione dignum occurrit, quod si visionem illam magnam, ac mirabilem arbitratus est Moyses, mirabiliorem sane hanc iudicaret, intuens Christum spinis coronatum; quia in rubo etsi Deum ambirent spinae, sed non pungebant; hic autem et ambientes pungunt, et pungentes undique ambiunt, et graviter affligunt. Et sicut ibi sacer textus refert, dixisse Deum se inter spinas rubi sedere propter oppressionem filiorum Israel: *Vidi afflictionem eorum, qua ab Aegyptiis opprimuntur*; oppressio autem erat, ut adnotant Doctores Hebraei, quod flagellis ex spinis, et tribulis confectis ab eis vapulabant: ita sane Christus Dominus, videns nos peccatorum spinis suffocari, et opprimi, voluit spinis circumdari, ut ab innumeris flagitiorum nostrorum pungentibus tribulis, et spinis nos misericorditer liberaret. Ponderatione etiam dignum arbitror hoc loco, quod iussit Deus Moysi, ut solveret calceamenta de pedibus suis; quasi diceret: Oportet, ut spinae te pungant, si vis accedere ad me spinis circumdatum. *Pudeat ergo*, ait divus Bernardus, *sub spinoso capite delicatum corpus gerere.* Illud tamen mirabilius est, quod cum Deus undique tribulis et spinis vallatus sit, solum postulat a Moyse, ut pedes tantum discalceatos illis exponat: quo aperte nobis significatur, Christum Dominum dolores absque mensura sibi sumpsisse; nobis tamen cum summa moderatione impendisse.

Secundam reperio huius mysterii imaginem in Genesi, quando *Abraham vidit arietem vepribus haerentem.* Certe sicut aries ille victima fuit ei ad sacrificium loco Isaac, quem mactandum decreverat, solusque aries veprium puncturas sensit; ita Christus pro nobis, qui mortem merebamur, factus est Deo Patri victima, solusque spinarum stimulis, quibus merito nos pungendi eramus, ne nos pungerent, acriter ipse punctus est. Et hinc est, quod licet Symmachus dicat, *vepres*, quibus aries haerebat, ad illud spinarum genus pertinuisse,



quae seipsis intextae, quasi rete quoddam conficiunt: et divus Hieronymus arborem silvestrem asserat; Septuaginta vero Interpretes virgultum putaverint; ac tandem Procopius genus dixerit fuisse cuiusdam fruticis: Catena tamen sanctorum Graecorum (*sup. Pentateuchum*) nomen plantae illius misericordiam ait significare: et merito quidem, cum ex ea Christi corona conficienda foret, per quam tantam Dei misericordiam experimur, ut pungentes spinas peccatis nostris debitas declinaverit, et capiti Christi superposuerit, ut condigne pro nobis ipse satisfaceret. Satisfecit quidem, et libentissime, ut non obscure indicant praedicta verba: *Vidit arietem vepribus haerentem.* Cum enim rem nobis charam videmus, pergratum est illi continuo adhaerere: unde David (*Psal. 72*): *Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Et de filio illo prodigo d. Lucas tradit, quod adhaesit uni civium illius regionis. Arietis ergo illius, cum non lana, ut quandoque accidit, sed caput ipsum vepribus haeserit, ac ipse videns se illis involverit, aperte nobis innuit, quam Christus libens, ac promptus, pro singulari eius erga nos benevolentia, et amore, caput spinis perforandum supposuerit; adeo ut praedicta verba Davidis non incongrue usurpare potuisset: *Mihi autem spinis adhaerere bonum est:* bonum sane, quia praeterquam hac spinea corona essentialem gloriae lauream filiis suis comparavit, plures alias accidentales sibi promeruit. Quod ut clarius innotescat, varia coronarum genera, quibus quondam veteres utebantur, ex Aulo Gellio (*noct. attic. lib. 3 c. 6*), et aliorum auctorum monumentis continuo in medium proferamus. Permultae fuerunt apud Romanos coronae. *Triumphalis*, quae Imperatoribus post victoriam ad Urbem redeuntibus, ad triumphum mittebatur. Haec antiquitus ex lauro fiebat, postea etiam ex purissimo auro fieri coepit. *Obsidionalis*, quam liberati ab obsidione dabant ei, qui ipsos liberaverat. *Civica*, quam civis civi, a quo servatus erat in praelio, testem vitae salutisque perceptae dabat: et haec primo fuit iligna, postea ex quercu, eo quod ante inventas fruges, huius arboris glandibus homines victitarent. *Muralis* erat, quae donabatur ab Imperatore ei qui primus murum ascendisset, et in hostium oppidum venisset. *Vallaris*, quae et *Castrensis* dicitur, similiter aurea, habebat insigne valli, et ea donabatur, qui primus hostium castra pugnando introisset. *Navalis* quoque aurea, quibusdam quasi rostris navium insignita, quae dari consueverat ei, qui primus maritimo praelio in navem hostium transiliisset. *Ovalis* myrtea erat, qua utebantur Imperatores, cum ovantes introibant. Ovantes autem ingrediebantur, cum bellum cum iusto hoste gestum non erat, utpote pirata, servo, aut alio quovis humili hoste. Erat et *laurea* corona, qua Poetas honorari ob praeclaram carminum compositionem, antiquissimus usus obtinuerat. Alia tandem, quam exploratoriam vocat Pierius, eaque usum refert Caium Caligulam, solis, lunae, et stellarum figura conspicua, ut vigilantiam, quam die ac nocte adhibebat, significaret. Apud Hebraeos etiam, licet Tertullianus (*lib. de cor. mil.*) neget, usum coronarum viguisse constat. Fallitur enim cum in sacra Scriptura legatur (*Sap. 2*): *Coronemus nos rosis, antequam marcescant:* et Isaias (*c. 61*) ait: *Ut darem coronam pro cinere:* et alibi saepe in sacra Scriptura similia leguntur. Christus ergo Dominus corona sua spinea omnia ista coronarum genera mirifice promeruit. Dignus enim fuit corona *Triumphali*, qui tot immanissimos hostes devicerat, *triumphans illos in semetipso*, ut Pauli (*ad Col. 2*) verbis utar: dignus *Obsidionali*, qui a daemonum obsidione nos graviter infestante eripuit: dignus *civica*, qui nos in praelio saepe ab hoste incolumes servavit, ipso dicente: *Pater quos dedisti mihi, ego servabam eos:* dignus *Murali*, qui primus inimicorum castra, hoc est, inferos ingressus, primus Acheronta perrupit, et gloriosis trophaeis expoliavit: dignus *Vallari*, seu *Castrensi*, qui in deserto cum communi humani generis hoste congrediens, primus omnium atrium eius devastavit, arma conquassavit, spolia eius divisit, Christo ipso testante (*Luc. 12*): *Cum fortis armatus custodit atrium suum, si fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, et spolia eius distribuet:* dignus *Navali*, qui hanc mundi navem ingrediens, celerem suae in infernum navigationis cursum comprimens, illum debellavit: unde ipse dixit (*Ioan. 16*): *Confidite, quia ego vici mundum:* dignus *Ovali*, quippe qui cum diabolo infamissimo, ac abiectissimo hoste pugnaverat, unde non evaginato ense, sed Crucis fuste, illum foras eiecit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras:* dignus *Laurea*, quia pleraque divinae laudis cantica composuit, et quidem quaedam cantavit: nam divus Marcus refert, Christum Dominum paulo ante passionem hymnum dixisse, et ubi nostra vulgata legit: *Hymno dicto*, Graecus Interpres vertit, *Hymno cantato:* dignus tandem *exploratoria corona*, cum velut alter Iacob pro custodiendo grege insomnes noctes transigeret, dicente Marco, quod *erat pernoctans in oratione.*

Tertiam, eamque singularem huius coronationis imaginem, sub illis verbis delitescentem reperio (*Cant. 8*): *Sub arbore malo suscitavi te.* In cuius loci expositionem noster Nicolaus de Lyra (*in cap. 6. Marc.*), iuxta Hebraicam lectionem vertit: *Sub arbore malo granato suscitavi te.* Sane cum inter omnes arbores solum malum granatum fructum edat coronatum, apte satis adumbrat crucis arborem, cuius purpureus, ac rubicundus fructus, nempe Christus Dominus, corona spinea coronatus ab ea pependit. Ac tandem praeter Sibyllam Erytraeam dicentem:

> Nam veniet sanctis aeterna e vepre corona
> Sectis dum calamo compungent lilia, legis
> More suae, ex calamo etenim quos contulit aura
> Ad lites animi sese ira vindice vertit.

Praeter Sibyllam inquam, Sponsa praevidens hanc spineam coronam, dixit (*Cant. 3*): *Videte Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Quae verba elucidans divus Bernardus, triplicem in hac spinea considerat coronam, quia *tiara* summi Pontificis erat, quae

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex tribus coronis coalescit: *Videant*, ait, *eum filiae Sion, animae affectuosae, in corona misericordiae, et imitentur: videbunt eum impii in corona iustitiae, et peribunt: videbunt eum sancti in corona gloriae, et gaudebunt;* haec ille. Spinea enim corona una existens triplex erat, iustitiae Christo, misericordiae nobis, gloriae beatis, quorum coronas ipsa promeruit. Non me latet, Hebraeos haec verba interpretari de ipso Salomone, quia cum mater eius, inquiunt, ingrediens ad Davidem morti proximum, ut filium suum regni haeredem declararet, idque suis precibus ab eo obtineret, ideo dicitur eam regio diademate coronasse: sed advertisse debuerant verba sequentia: *In die desponsationis suae:* nam cum Salomon non fuerit eo die desponsatus, commentitia omnino redditur praedicta interpretatio. Quare alii ex iisdem Hebraeis dixere, matrem Salomonis eodem die, quo ille filiam Pharaonis in uxorem accepit, coronam capiti eius imposuisse; at hoc eorum marte confictum eo aperte convincitur; tum quod facti huius nec in sacris litteris, nec probato quopiam auctore vestigium aliquod reperiatur; tum quod canticum illud sublimius est, quam ut de Salomonis amoribus, et nuptiis intelligi debeat. Unde quidam alii Hebraei, nomine Salomonis Deum, Synagogam vero nomine matris significari dicunt, iuxta illud (*Isai.* 51): *Attendite ad me popule meus, et mater mea auscultate me.* Sic enim ipsi legunt, pro eo quod nos vertimus: *Tribus mea audite eum.* Itaque tanquam regem suum illum agnoscens, cum ab eo suscepit legem in monte Sinai, ipsum coronavit. Ita etiam explicavit Rabbi Eleazar, quaesitus a Rabbi Simeone; sed non est apta explicatio, quia Synagoga non potuit mater Dei appellari. Nec locus Isaiae ab eis productus quidquam favet, quia verbum illud non matrem, sed tribum significat, ut vertit d. Hieronymus. Scio etiam quosdam Patres, d. Gregorium videlicet (*in Cant.*), d. Ambrosium (*l. de Isaac cap.* 5), immo et d. Bernardum (*ser.* 1. *in Epiph.*), nomine coronae divinitatem Christi accipere, qua illum coronavit Deipara Virgo in die desponsationis cum Verbo divino: cui addit Adrianus Finus (*lib.* 2. *de flagell. cap.* 5), in eo quod humanitas Christi corona vocatur, latere mysterium Assumptionis carnis ex Virgine, integritate eius semper conservata. Ideo etiam coronam regiam appellari putat, quia propter novum conceptionis modum, quo Christus omnes homines longe antecellit, diadema gestare meretur. Ceterum quamvis hanc expositionem non inficiemur, aliam tamen Theodoreti, et Bernardi sequentes, asserimus nomine sapientissimi, et pacifici Salomonis, Christum intelligi sapientiam Patris, et pacis auctorem; Iudaeorum autem Synagogam matrem eius appellat, quia ex matre de tribu Iuda ortus erat. Illum ergo spineo diademate coronavit in die desponsationis suae, quando spinea corona redimitus, in solio crucis existens, Ecclesiam in sponsam sibi accepit.

Atque has, et alias spineae coronae Christi Domini figuras, et tropos eruditus auctor Chlitovaeus in suo elucidatorio Ecclesiastico hoc hymno complexus est:

Sacrae Christi celebremus
  Coronae solemnia:
  Et ipsius revocemus
  Ad mentem praeconia;
  Ut impleta comprobemus
  Legis vaticinia.
Inter vepres demonstratur
  Vervex haerens cornibus,
  In quo Christus figuratur
  Coronandus sentibus.
  Deus vivit: immolatur
  Homo pro hominibus.
Syna rubus inflammatur,
  Nec tamen comburitur.
  Ignis spinis coronatur,
  Quo culpa consumitur:
  Nec laeditur, sed sacratur
  Spina, dum sic tangitur.
Arcam, mensam, et altare
  Sertum ambit aureum,
  Et sculptura cingit mare
  Sacerdotum aeneum:
  Quae nunc Christi signant clare
  Diadema spineum.
Sponsum serto decoratum
  Isaias meminit
  Ad videndum coronatum
  Invitans rex cecinit.
  Hoc Sybilla coronatum
  Serto, vates cecinit.

Sed iam varias commemoremus causas, ob quas Christus Dominus coronari voluit. Prima, quia cydaris ornamentum capitis erat, quo Sacerdotes sacrificium oblaturi capita ornabant, ut auctor est Iosephus (*lib.* 3. *antiqu. cap.* 8), ad quod allusisse videtur Zacharias, dum ait: *Ponite cydarim mundam in capite eius.* Oblaturus ergo summus sacerdos Christus Dominus mirabile mortis suae sacrificium, super sacram crucis aram, prius spinea cydari caput eius ornari voluit.

Secunda, quia cum Christus Dominus, tanquam rex, crucis thronum ascensurus erat, dicente David (*Psal.* 99): *Regnavit a ligno Deus:* ideo prius tanquam Rex corona insigniri voluit; immo ut regnum eius aeternum ostenderet, quia ut praedixerat angelus (*Luc.* 1): *Regni eius non erit finis*, coronam voluit sibi firmiter adeo infigi, ut nullo quantumcumque rapido vento flante divelli ulla ratione posset, sed firma, et stabilis semper maneret, ne unquam diceret illud Iob (*cap.* 15): *Cecidit corona capitis mei.* Quod si, ut refert Ovidius (*in fast.*), antiquis mos erat primo die Ianuarii, coronam impletum annum significantem, ad Imperialis domus fores appendentes illi congratulari, dicentes:

Augeat imperium nostri Ducis, augeat annos.
  Protegat, et nostras querna corona fores.

Potiori iure nobis ex crucis throno coronam spineam suspendentibus, Christo immortali regi congratulando fas erit inclamare: *Augeat imperium nostri ducis, augeat annos*, vel melius cum Paulo (*ad Heb.* 2): *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum.*

Tertia causa fuit, ut non homo tantum, sed verus Deus re ipsa ostenderetur: sicut enim ridentem dicere verum nihil vetat, ita ludentem verum significare, si non ex proposito, saltem ex mysterio nihil prorsus prohibet: quod sane militibus illis accidit, qui corona caput Christi redimientes, non modo Christi regiam dignitatem, sed et divinitatem, quamvis ignari, demonstrarunt. Moris enim fuit non modo regibus, sed et Deo coronas in templo suspensas consecrare, quod praeter ceteros olim fecisse Sosium, dum Antigonum ultimum Iudaicae stirpis regem Iudaeorum vinctum Hierosolymis duxit ad Antonium, antiquissimus Iosephus refert. Immo Plinius testatur, Deos pulcherrimis iuncorum floribus solitos fuisse coronari, eo quod, ut tradit Clemens Alexandrinus (*lib.* 2. *pedag. cap.* 8), numquam marcescunt, sed semper virorem conservant. Cum ergo corona divinitatis sit index; quidni corona ista Christi, qua nulla unquam fuit pretiosior, nulla quantumvis gemmis, et auro praefulgido splendidior? Unde Clemens Alexandrinus: *Quem Iudaei*, inquit, *exacerbarunt, ut se Deum ostenderet, hoc de eo in altum sublato testati sunt*, Christum videlicet Deum esse, diadema iustitiae ei super omne nomen exaltato appendentes, per spinam semper florentem. Ita eximia Dei sapientia id disponente factum est, ut illusores illi vellent, nollent, Christum Dominum coronantes, quem alioquin Filium Dei abnegarant, re ipsa Deum esse profiterentur.

Quarta, quia inter instrumenta nostri Redemptoris corona spinea digniorem obtinuit locum: clavi manibus, ac pedibus, spongia ori, lancea pectori, corona vero ad caput adhaesit. Ut ergo significaret Christus Dominus, quam libenter pro nobis passus est, spinas acerbiorem illi dolorem illaturas praecognoscens, velut rem pretiosissimam super caput, tanquam in digniori loco, constituit. Refert Valerius (*lib.* 13), Idolorum cultores religionis causa solitos fuisse ex pretiosissimis metallis Deorum suorum capita redimire. Iupiter vero praecipuus eorum Deus, non ex alia, quam ex olivae materia sibi coronam confici voluit, eo quod inter arbores fructuosior, et utilior sibi esset. At Christus Dominus, quasi propriae utilitatis immemor, doloris autem avidissimus, ut pro nobis copiosissime satisfaceret, ex iunceis voluit suam texi coronam, quae quanto sibi acerbior, tanto nobis fructuosior extitit. Cum etiam inter humana corporis membra caput, et cor digniora sint, utrumque perforari voluit, illud acutis spinis, hoc dira lancea; illud ut sapientiae thesaurus pateret, istud ut ardens divini amoris ignis ad nos scintillaret, et gelida corda inflammaret.

Sed iam quintam causam proferamus. Spinea corona Dominus redimiri voluit, ut nos aurea redimiremur: nobis quidem, qui nocentes eramus, spinea corona debebatur, ut Deus ipse praedixerat (*Genes.* 3): *Spinas, et tribulos germinabit tibi;* Christo autem innocenti, non spinea, sed aurea, ut praeviderat Ioannes (*Apoc.* 3): *Vidi similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream.* At ipse prae amoris erga nos magnitudine spineam accipit, auream renuit, ut illam nobis imponat: illa pungebat, non ornabat, et hanc assumpsit; haec ornat, non pungit, et hanc nobis donavit. Unde Ezechiel (*cap.* 18): *Non erit ultra deinceps spina dolorem inferens.* Sed quomodo Propheta spina aculeos habens non punget, nec dolorem inferet? Certe, quia iam spinae capiti Christi infixae aciem amiserant, et acrimoniam: sicut enim gladius acutus, petram scindere tentans, hebetudinem contrahit, et aciem amittit; sic cum Christus petra esset, Paulo dicente (1. *Cor.* 10): *Petra autem erat Christus*, spinarum aculei capiti eius inhaerentes aciem amiserunt, ac Sanctis gratae, et suaves redditae sunt, adeo ut delicatissimae virgines atrocissimis tormentis excarnificatae *divinas laudes cum summo iubilo* Deo decantarent. Et hinc est illud Baruch (*c.*6): *In horto spina alba, supra quam avis sedet.* Certe si spina pungeret, apta ad sedendum non erat; at quia iam aculeo caret, recte in ea sederi potest. Narrant doctissimi quidam Hebraeorum Rabbini, exteriorem templi Salomonis supremam partem circumdatam fuisse quibusdam quasi aureis spinis, versus coelum cuspides elevatas habentibus, ne illic sedentes aves demorari possent, et loci illius munditiem foedarent; at e contra contigit in hoc sacro templo corporis Christi Domini, cuius suprema pars, nempe caput, quamquam spinis circumdata sit, eius tamen cuspides, non coelum versus, sed internas capitis partes introspiciebant. Igitur o anima, spinarum huius coronae aculeos te punctores minime pertimescens, sede secura, et requiesce in illa, tanquam in nidulo, et dicet tibi David, quod ipsi Deo (*Psalm.* 90): *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum.* Sicut enim, quae spinae lilium circumdant, protegunt, ita spinae istae te cingentes custodient: et sicut tribuli hortum ambientes, ingressum invasoribus, et feris praepediunt, ita sacrae istae spinae ab hostium infestatione te illaesum servabunt. Itaque ut ad id, unde nonnihil digressi sumus, revertamur, voluit Christus doloris, et angoris coronam sibi imponi, ut nobis laetitiae, et gloriae laurea imponeretur. Illa enim hanc nobis promeruit, ut aperte indicat visio Ioannis, cum se vidisse testatur copiosam sanctorum multitudinem, qui coronas capitibus impositas deponebant, et ante pedes Agni illas offerebant; quasi dicerent: Has coronas aureas, tanquam a te donatas, et tanquam tuae spinae coronae legitimos partus, tibi ipsi deferimus. Illud tamen mirabile est, quod Sancti in coelo pedes Christi aureis coronis decorent, in terra autem perfidi carnifices caput illius spinis coronent.

Sextam causam coronationis Christi dicamus fuisse, quod olim inveterata vigebat consuetudo, non solum apud Romanos, sed etiam Hebraeos, victimas coronatas immolari. Testantur id Plinius (*libr.* 16. *cap.* 4), et Virgilius (*lib.* 2. *Aeneid.*), quibus consonant, quae narrat divus Lucas in Actis Apostolorum, ubi Lystrenses Barnabae, et Paulo, tanquam Diis sacrificare satagentes, secum duxerunt sacerdotem, tauros, et coronas, quibus immolandae victimae coronandae erant. Christus igitur sacrificium oblaturus, humanitatem, velut vaccam rufam, tanquam victimam crucis Deo Patri coronatam immolare voluit. Non solum





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

autem veterum consuetudo obtinuit, ut victimae oblatae, sed et offerentes illas coronati existerent, per hoc significare volentes, ut tradit Plato (*in Synop.*), Diis nihil mutilum, sed perfecta omnia, atque integra esse offerenda: Idque sibi vult sphaerica coronae figura, quae symbolum perfectionis est, utpote principium cum fine coniungens. Igitur, quoniam Christus Dominus tanquam summus sacerdos victimam omnium perfectissimam sacrificaturus venerat, coronatus crucem ascendit, ut nos qui, ut dixit Iacobus (*c.* 1), *initium sumus aliquod creaturae eius*, cum Deo, supremo, ac ultimo fine nostro coniungeret.

Septimam, eamque certissimam causam subiiciamus, quod corona symbolum victoriae semper extitit. Unde Incognitus in illud: *Scuto bonae voluntatis coronasti nos*, refert quondam apud Romanos consuetudinem viguisse, cum revertebantur victores de bello, in signum victoriae, tanquam coronam, et diadema, scutum rotundum super capita portare; ad cuius imitationem mos in Ecclesia inolevit, sanctorum capitibus, in signum victoriae, pro corona scutum rotundum superimponi, quod diadema vocitamus. Mos etiam fuit, ut tradit Isidorus, eosdem victores, cum ad propria remeabant, lauro coronari; et ideo ait laurum a laude dici, quia cum laude, et gloria revertebantur. Apte autem lauri corona donabantur: quia sicut, teste Plinio (*lib.* 15. *c.* 30), laurus est arbor invincibilis, innatam habens virtutem fulminibus resistendi, ita victores hostium fulmina superarunt, et ab eis vinci non potuerunt, et ideo merito lauro coronantur. Ac tandem Aristoteles (*lib.* 1. *Ethic.*) testatur eos, qui in olympiacis ludis vincebant, solitos fuisse coronari: etenim corona symbolum est eius, quod ad finem usque perducitur, et inde arbitror coepisse in signum victoriae, aut insignis alicuius gesti coronam dari, cuius figura, quia rotunda est, principium, ut supra dicebam, cum fine connectit. Iesus ergo antequam moriatur, corona donatur, ut futuram mortis victoriam praesignet (*Apoc.*6): *Data est ei corona*, ut dixit d. Ioannes, *et exivit vincens, ut vinceret*. Unde d. Isidorus (*lib.* 1. *Epi.*95): *Tanquam victor*, ait, *Christus spinis redimitus est, quemadmodum clari, et celebres victores faciunt, qui hoc ipsum telum, cuius ope victoriam consecuti sunt, in templum gestant*. Huius victoriae extat apud antiquissimum Aristiam sacrum quoddam arcanum. Asserit, si credimus Gulielmo Amero, regem Salomonem digito annulum portare solitum, qui duplicem coronam, unam spineam, alteram auream et regiam ad invicem inter se contextas habebat, eique ex una parte illa inerat inscriptio, *Victoria amoris;* ex alia vero haec, *Amoris cognita fortitudo*. Ignorans autem regina Saba, quid sibi vellent coronae istae, et inscriptiones earum, deprecata est regem Salomonem, ut qui clavem scientiae haberet, utriusque illius coronae abditum sacramentum reseraret. Respondit ille, coronam regiam Christi esse, quatenus Deus erat; spineam eiusdem, quatenus homo. Spineam tamen, quam divinus amor contexuit, victoriam de regia reportasse, idque sibi velle praedictam subscriptionem, *Amoris cognita fortitudo:* haec enim contra Deum praepotens adeo fuit, ut Verbum divinum expugnans in terram deiecerit. Et cum semen sit Verbum Dei, Pater aeternus mittens illud in terram, de qua ipse praedixerat: *Spinas, et tribulos germinabit tibi: ascenderunt spinae, et suffocaverunt illud*. Fructum tamen terrae neutiquam impediverant, sed adiuvarunt potius, Christo ipso dicente (*Ioan.*12): *Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert:* multum quidem nobis, parvum sibi, quia nobis gloriam essentialem, sibi solum accidentalem promeruit. Unde impletum arbitror, quod solum putarim opus Dei esse, de spinis collegit uvas, et de tribulis ficos. Atque hinc evidenti illatione collige, quod si spinea corona contra Deum adeo praevaluit; multo magis contra diabolum valentior erit, ut alias dictum fuit ad Iacob (*Gen.*32): *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis?* Est enim evidens consequentia, si vinco vincentem te, a fortiori vincam te. Ut tamen huius spineae coronae virtutem ac fortitudinem adversus antiqui serpentis potentiam nonnihil detegamus, meminisse iuvabit fabulosae illius narrationis, quam nonnulli referunt de Paeone, seu Æsculapio, quem solis filium antiqui fingebant. Hic die quadam videns pastorem quibusbam herbis coronatum, cum basilisco dimicantem, et nec flatu, nec sibilo, ab eo quidquam noceri posse, suspicatus alicuius herbae latente virtute, ex qua contexta erat praedicta corona, praeservatum iri, ut certior redderetur, extenta lancea coronam pastori subtraxit, et continuo a basilisco superatus, mortuus in terram concidit; sed mox tamen illam capiti restituens vivus resurrexit, nec a basilisco ulla ratione vinci potuit. Haec profana, et fabulosa, si ad sacra convertamus, ut moris est apud Patres, corona haec mirabiles Christi coronae spinas satis ad vivum exprimit: dum enim quis consideratione, et imitatione spineam istam coronam super caput gestaverit, flatu antiqui serpentis neutiquam inficietur, aut a lethalis peccati basilisco superabitur; quin potius, ut ait David (*Psal.*90): *Super aspidem, et basiliscum ambulabit, et conculcabit leonem, et draconem*. Si e contra coronam hanc spineam deponat, hoc est pro Christo adversa, et amara sustinere recuset, facile ab his omnibus immanissimis hostibus devincetur, et plangens dicere compelletur illud Iob (*c.*20): *Expoliavit me*, id est diabolus, *gloriae meae coronam abstulit de capite meo, destruxit me undique, et pereo*.

Octavam praeterea, eamque egregiam eiusdem facti causam subiungamus. Moris extitit olim apud veteres, victores hostium arma in gloriam suam gestare, ut tradit divus Cyprianus: unde persuasi hostis scutum, vincentis debere esse coronam, adversariorum scuta pro corona gestabant, cum triumphantes urbem ingrediebantur, ut supra retulimus. David etiam gigantis Goliath arma, tanquam inimici spolia sibi assumpsisse, sacra narrat Scriptura. Arma satanae, contra quem Christus Dominus pugnavit, peccata nostra esse nemo ignorat,



nullus inficiatur; spinas autem symbolum esse peccatorum, praeter Tertullianum (*lib.*4), id disertis verbis docet David (*Psal.*38): *Quoniam gravata est super me manus tua, dum configitur spina*, id est peccatum, ut communis Patrum sententia interpretatur. Spinis ergo coronari voluit Christus Dominus, quia arma inimici ad triumphum, et gloriam suam super caput gestare volebat, non secus, ac veteres ante relati, qui hostium scuta capitibus imponebant.

Nonam deinde causam praecedenti valde affinem minime praeteribo. Peccatores per spinas praesignari, et sacra volumina, et sancti Patres contestantur; unde ait (2. *Reg.* 23): *Praevaricatores quasi spinae evellentur:* et d. Augustinus (*in Psal.*103): *Spinae*, inquit, *quid significant nisi peccatores, qui quasi hericii spinis peccatorum cooperti sunt?* Hos igitur peccatores tam ardenti Christus prosecutus est amore, tanto illos honore donavit, ut ex eis spineam coronam sibi contexuerit, et venerando suo capiti adaptarit: corona enim circumstans est in orbem populus, ut recte adnotavit Lactantius (*lib.* 4. *divi. Inst.*): unde si discipuli a d. Paulo edocti, corona Pauli nuncupabantur, ipso dicente: *Corona mea vos estis:* quanto potiori iure peccatores Christi merito iustificati, tanquam coronae, caput Christi cingent, cum corona meritis respondeat? unde tam docte, quam eleganter praecitato loco Lactantius ait: Nos, qui ante cognitionem Dei fuimus spinae, id est, iniusti, mali, et nocentes eramus, electi ex dumis, et sentibus, sanctum Dei caput cingimus, quia convocati ab ipso, et circumfusi undique, magistro, ac doctori Deo assistimus, regemque illum mundi, et omnium viventium Dominum coronamus. Ecce Christus tam singulari amore nos dilexit, ut et nos peccatores veluti coronam capiti suo imposuerit.

Decimam causam inferiorem locum tenere minime arbitror, quod propterea Christus Dominus spineam coronam elegerit, ut nos florida diademata, roseasque coronas, quibus redimiri desiderabant, qui canebant (*Sap.*2): *Coronemus nos rosis, antequam marcescant*, omnino detestemur. Hanc plane noverunt causam pristini illi Christiani, qui, ut refert Clemens Alexandrinus, ob reverentiam spineae coronae Christi Domini, coronis contextis floribus, tempora ornare exhorrebant. Cui valde consonat, quod Tertullianus (*lib. de corona mil.*) late prosequitur, ubi narrat, quod cum donativum militibus imperatorum iussu daretur, morisque esset, ut illud accepturi ob Caesarum solemnia coronis redimiti *incederent, contigit Christianum militem castrensem coronam manu tenere, qui interrogatus, cur capiti coronam non imponeret, pie, et religiose respondit, se religione prohiberi, quod Christus spinis coronatus fuisset. Unde dictus Clemens Alexandrinus (*lib.* 2. *pedag. c.* 8) non incongrue ait: *A ratione alienum est, ut qui audierimus Dominum fuisse spinis coronatum, ipsi venerabilem Domini passionem per ludum insultantes, habeamus capita redimita floribus*. Memoriae prodidit antiquissimus Iosephus (*lib.* 8. *c.* 2), Salomonis equites aureo pulvere caesariem conspersisse, ut ad solarium radiorum contactum fulgor a capitibus eorum reflecteretur, et sic nitidior appareret. Christus autem hac sua corona commonere ministros suos voluit, quem capitis ornatum ab ipsis requirat, videlicet non illum, quem profani illi equites usurpabant, sed novam humilitatis notam, quam praeter ceteros tonsura sua repraesentant sacerdotes, et monachi: nam, ut inquit Beda (*lib.* 5. *histor. Anglica. cap.* 33): *Nos passionis Domini signum in vertice gestamus, nec ob id tantum in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est, sed quia Petrus in memoriam Dominicae passionis ita attonsus fuit; et ideo, qui per eandem passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice gestamus*. Quibus consonant s. Germani patriarchae Constantinopolitani verba: *Tonsura capitis, vice coronae est spineae*.

Decimam item causam ex parte illusorum, nemo sanae mentis ambiget eam proculdubio fuisse, ut Christum Dominum, tanquam ridiculum Regulum illuderent. Nam cum moris esset, teste Plinio (*lib.* 13. *c.* 11. *Mactheol. in Diosc. cap.* 47), pulcherrimis iuncorum floribus Deos coronari, eo quod, ut tradit Clemens Alexandrinus (*lib.* 2. *ped. c.* 8), nunquam marcescunt, sed semper virorem conservant; ipsi tamen ob contemptum, non iuncorum floribus, sed eorum cuspidibus coronam contexuerunt, quo pariter illuderent, et premerent, eo vel maxime, ut refert Blondus, quod antiqui servos corona redimitos vendere consueverant, significantes, quod sicut corona symbolum legis praefert; unde Pythagorae proverbium erat: *Coronam ne scindas*, id est legem ne rumpas: ita lex Domini, tanquam corona, undique circumdare debet servum. Et hinc est, quod cum Christus Dominus, tanquam vile mancipium, triginta argenteis venditus fuerat, ideo infamiae causa corona caput eius redimierunt: cumque etiam illusores illi Christum Dominum, tanquam latronem reputarent, tum quod rapinam arbitrarentur, se praedicare aequalem Deo; tum quod furti crimen commisisse putarent, se regem Iudaeorum profitentem, Regiamque dignitatem usurpantem; ideo, sicut mos inolevit apud varias nationes, ad collum latronum materiam furto habitam appendere, propterea illi coronam, quae regiae dignitatis insigne est, capiti eius imposuerunt, quasi ei sui latrocinii materiam appendentes. Recte Christus tunc dicere potuisset, quod personam eius referens praedixerat David (*Psal.*67): *Quae non rapui, tunc exolvebam*.

## HOMILIA XV.

*Verba illa Ioannis* : Milites plectentes coronam de spinis , *imposuerunt capiti eius, iterum elucidantur, ac varia multiplicique, tam sacrae Scripturae, quam SS. Patrum eruditione locupletantur.*

Quamvis spinarum aculeis , non dicam involvi, sed ab illis parumper contingi molestissimus sit; inter spinas tamen Christi volutari, et continua meditatione eas contrectare , non modo non ingratum, et molestum, sed gratissimum mihi est. Cum enim Christus Dominus *lilium sit inter spinas,* tanta est odoriferi huius lilii suaveolentia , ut illius fruendi gratia spinarum aculeos, atque puncturas minime animus exhorrescat. Quod si eapropter quispiam iure me carpendum censuerit, quod Christum Dominum lilium inter spinas vocaverim, cum verba illa de Sponsa intelligantur, cui Sponsus alloquens dixit (*Cant.*2): *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, non recte iudicabit: nam praeterquam de humanitate Christi, quae Sponsa est Verbi aeterni, apte intelligi possunt, neminem tametsi in sacra Scriptura parum versatum ignorare arbitror , lilii significationem multiplicem esse. Ecclesia enim lilium dicitur, ut adnotarunt d. Augustinus (*epi.* 48), Ambrosius (*in Ps.*118), Hieronymus (*in c.* 32. *Isai.*), et Rupertus (*in c.* 2. *Cant.*). Anima etiam lilium appellatur, ut testantur d. Gregorius, et Origenes. Virgines tandem ob castitatis candorem lilia vocari , docent d. Basilius (*in Ps.* 44), Hieronymus (*lib. cont. Iovinianu.*), et Bernardus (*Hom.* 70. *et* 71. *in Cantica*): et Ecclesia catholica id usurpat, dum canit :

> Qui pascis inter lilia
> Septus choreis virginum.

Congruitque illud Poetae elogium: *Castos dant lilia somnos.* Sed praeter haec Christus Dominus per antonomasiam lilium dicitur, ipso id attestante, dum ait (*Can.*2): *Ego flos campi, et lilium convallium.* Idque frequenter docent Patres , praesertim Basilius, Hieronymus, et Bernardus. Quamvis autem verum sit omnia haec lilia inter spinas versari, diversimode tamen singula. Anima enim tropologice lilium dicitur , dum charitatis pignus inter vitiorum puncturas servat illaesum. Ecclesia allegorice lilium vocatur inter spinas, dum veritatis candorem inter haeresum sentes perpetuo retinet illibatum. Virginibus liliorum nomen aptatur, quia integritatis decus inter libidinum incentiva diligenter custodiunt. Christus vero non solum anagogice, sed plane , et ad litteram lilium inter spinas est, dum pretiosum eius caput, qui candor est lucis aeternae, spinarum aculeis undique redimitur. Mirabile sane mysterium , in eo suam difficultatem non parum ostentans, quod cum spinae non pungere, nec laedere lilium , sed praeservare potius soleant , e contra vero hic accidat: pungunt enim, et acriter laedunt, non praeservant. Verum quanto difficilius est huius tractationis argumentum , et quanto pauciora scriptores in eo illustrando effuderunt , tanto pluribus sacrae Scripturae , et sanctorum Patrum monumentis illud exornare conabimur. In primis ergo, ut a materia, ex qua compactum fuit sacrum hoc Christi diadema, exordiar , quamvis ex iuncis marinis contextum , tradant Hugo cardinalis, et Toletus (*ibid. cap.* 19. *anno.* 2), cum multis recentioribus ; communis tamen Patrum doctrina docet, ex spinis fuisse, non ex iuncis marinis : idque solidissima ratione corroborari potest. Nam disertis verbis Ioannes ait, ex spinis fuisse contextum, dum dicit: *Plectentes coronam de spinis;* longe autem diversa ratio est iuncorum marinorum, et spinarum. Cum igitur, ut docet d. Augustinus , verba sacrae Scripturae , prout sonant , sint intelligenda , cum ad litteram explicata , nec fidei sinceritati, nec morum honestati reluctentur: unde d. Basilius (*hom.* 3 *et* 9. *in Hexameron*) dixit : *Ego cum audio Moysem dicentem, coelum, terram, aquam , pisces , foenum , nihil aliud intelligo , nisi coelum , terram, aquam, pisces, foenum, si enim aliter dicere voluisset, aliis verbis explicasset ;* manifeste efficitur, quod cum Ioannes dicat de spinis fuisse coronam Christi compactam, nulla ratione dicendum, ex iuncis marinis fuisse contextam ; maxime quod Hierosolyma longe a mari distat, tam mortuo, quam mediterraneo, et Tiberiadis; non igitur potuerunt ita in promptu esse marini iunci ad contexendum ex illis diadema. Unde egregie cardinalis Baronius (*to.* 1. *ann. Christi* 34. *nu.* 86) ait: *Nullatenus audiendos puto qui ex iunco marino Domino contextam coronam fuisse edixere , cum certum sit, et Lucae, et Ioannis Evangelistarum assertione, ex spinis esse compactam , ambobus ita dicentibus, plectentes coronam de spinis.*

Sed iam quibus sacrae Scripturae locis haec spinea corona praesignata fuerit , indicemus. David eam praevidens dixit (*Psal.* 31): *Conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.* Quem locum divus Prosper (*lib. promissionum prom.* 20) adducit , tanquam vaticinium coronationis Christi ex spinis. Ezechiel : *En* , ait (*cap.* 28), *spinam doloris:* et (*cap.* 24): *Corona tua circumligata sit tibi.* Isaias (*cap.* 22): *Coronans coronavit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam , et spatiosam , ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae.* Quem locum in sensu allegorico explicatum Archiepiscopus Palaeottus vocat illustre coronae spineae vaticinium, qua Christus redimitus in cruce, quae triumphalis illius currus fuit, mortem obivit atrocissimam. Iob deinde (*c.*16): *Tenuit cervicem meum, et confregit me.* Ioannes in sua Apocalypsi : *Data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.*

His praelibatis, ad mysteria, quae in Christi coronatione latuerunt reseranda , nostra dirigatur oratio. Observatione in primis dignissimum esse reor, quod ex d. Chrysostomo apud auream d. Thomae catenam lego , dicentem : *Non hoc Pilatus iussit , sed milites Iudaeis pecuniarum gratia gratificantes omnia audebant.* Ut enim sapienter adnotavit piissimus pariter, et sapientissimus Lanspergius (*Ho.*95. *de Pas.*); *Admirabatur Pilatus , si iam Christus obiisset. Ex quo indicatur, Christo multas poenas fuisse irrogatas , quas Pilatus nesciisset. Si enim omnia, quae Christus est passus, didicisset, quomodo admiraretur ipsum esse mortuum ?* Fuisse vero milites a Iudaeis pecunia corruptos, ut Christo vehementius insultarent , testatur ipse Pilatus in epistola , quam ad Tiberium Imperatorem scripsit: et supplicium coronae, quod inusitatum, et inauditum erat, satis credibile id reddit. Unde atrocissimum tormenti genus , quod crudelitas non excogitaverat, pecuniae cupiditas contra Christum auctorem vitae adinvenit.

Quam autem acerbum dolorem venerandum Christi caput ob spinarum transfixionem sustinuerit, praeter multa alia illud satis comprobat, quod ubi vulgata nostra legit: *Milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius* , Graecus interpres transtulit : *Et milites plicantes coronam ex acribus spinis imposuerunt ipsius capiti.* Unde beata Birgitta ait: *Corona spinea capiti eius arctissime fuit imposita, quae ad medium frontis descendebat , plurimis rivis sanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem eius, et crines, et oculos, et barbam replentibus , ut quasi nihil nisi sanguis totum videretur:* et divus Vincentius Ferrer. (*de Pas.*): *Quis, ait , satis cogitare potest , quantus dolor venerandum illud caput tot aculeis confixum affecerit, cum nos , vel ad unius spinae puncturam fere intolerabili dolore vexemur?* D. Bernardus (*serm. de Pass. Do.*) : *Ipsa corona cruciatus est illi , et mille puncturis speciosum eius caput divulnerat.* D. Laurentius Iustinianus (*lib. de triumph. Agone cap.* 14): *Hic parumper anima mea considerationis tuae gressus fige, et Redemptoris tui intolerabilem dolorem attende, capitis delicati sensibilitatem considera, spinarum punctiones cerebrum perforantes mirare , sicque sanguinem decurrentem lacrymarum inundatione absterge.* Modum vero imponendi coronam hanc sacro illi capiti , disertis verbis tradit d. Anselmus (*dialog. de Pass.*) dicens : *Hanc coronam cum lancea percutientes capiti eius imprimere conabantur.* Cum etiam, postquam d. Matthaeus dixisset, impositam esse illi coronam, subiungat: *Et arundine percutiebant caput eius;* consequens fit , arundinis quoque ictibus altius illi fuisse coronam impressam: quae omnia ad doloris augmentum mirum in modum iuvisse, nemo negabit. Atque hinc factum est, ut spinarum punctiones cerebrum perforarent, ut tradit d. Laurentius Iustinianus (*de triumph. Christi Ag.*), ubi subiungit: *Debuit plane mori, tanto dolore transfixus; se tamen reservavit ad vitam, ut his etiam graviora perferret.* Hactenus dicta ad dolorem pertinent: perge nunc, quae ad dedecus, et irrisionem spectant, enucleare. Huc mirifice facit electio illa arborum , cum rhamnum in regem suum exaltarunt, dicentes ei (*Iud.* 9): *Veni , et impera nobis.* De quo testimonio licet nonnulla dixerim in praecedenti homilia, viam aliam nunc ingressus, non ingratam, ni fallor , expositionem , huic argumento valde consentaneam, subiiciam. Pro qua observandum est , Ioathan in praedicto loco , ut insipientium quorundam hominum detestandam electionem execraretur, fabulam illam arborum usurpasse, quae imprudenter rhamnum sentibus plenam in regem suum extulerunt. Renovantes ergo milites fictionem illam , spinis Christi caput redimierunt, quasi fictum, et fabulosum regem protestantes , et electionem eius, si qua fuisset, ad regiam dignitatem non minus fatuam, ac iniquam, quam illam arborum indicantes. Quod si rhamni significationem altius contemplemur, quam haec fuerit gravis Christo irrogata iniuria, clarius detegemus. Legimus apud Iob, quod cum Eliu execrandam blasphemiam imponeret Iob, dixit (*c.* 34): *Qui ait regi apostata:* ubi Vatablus , et cardinalis Caietanus legunt : *Qui dicit regi Belial.* Adnotavit autem sapientissimus Arias Montanus, idem significare Belial , quod rhamnus , aut spina. Belial vero significat iniustum, impium , perversum, bonorum dissipatorem, ac tyrannum. His ergo omnibus conviciis, et contumeliis ut Christum Dominum afficerent , rhamno , seu spinis illum coronarunt.

Ceterum id, quod apud eruditissimum Abulensem (*q.* 14. *in c.* 9. *lib.* 4. *Reg.*) lego, varias nimirum caeremonias in coronatione regum observari solitas , non parum propositum argumentum locupletabit. Illas omnes in unum collegit Amon. Alexandrinus in continuatione quatuor Evangelistarum. Prima erat, quod educebatur extra urbem, ad fontem , aut ad arborem, et ibi ungebatur, fundendo oleum super caput eius. Certe Christus, ut ait Apostolus, extra portam passus est, ductusque ad crucis arborem, ubi pretioso sanguinis sui oleo inunctum fuit caput eius , uberiori longe copia , quam unguentum , quod descendit in barbam Aaron. Secunda erat , quod unctio per sacerdotes fieri debebat; quod hic etiam adimpletum fuit: nam si milites caput Christi sanguine suo inunxerunt, id sacerdotum , et satraparum suasione effecere : immo et ab eis pecunia corrupti , ut docuit Claudius (*in cap.* 19. *Ioan.*). Sacerdotes igitur, et Pharisaei manibus militum, velut instrumentis, caput Christi sanguine purpurarunt. Tertia erat caeremonia, quod postquam rex unctionem acceperat, clamabat populus, *Vivat rex;* ita etiam coronato Christo illum salutabant, *Ave rex Iudaeorum.* Quarta, recens electus rex in regni throno collocabatur. Thronus Christi lapis quidam marmoreus fuit, cui insidens spineo diademata coronatus extitit. Meminit huius lapidis Adricomius (*in descrip. Ierus.*), atque Romae servari in Ecclesia sanctae crucis. Quinta erat, quod liber legis regi tradebatur, quam ipse servare deberet. Liber Christo datus non est, quia ipse est sapientia Patris, cui a vero tramite deviare impossibile erat; positus tamen fuit ei titulus iuxta caput, qui cum nomine Iesu insignitus esset, totam legem virtute sua continebat, quia solus Iesus novae legis gratiae auctor extitit. Ultima tandem caeremonia erat, ut rex diademate coronatus pactum cum populo iniret de modo, quo se cum illo gerere deberet. Simile pactum inter Christum, et fideles haud difficile erit reperire, cum omnes norint Christum dixisse: si quis confessus fuerit me coram hominibus , confitebor et ego eum coram Patre

meo. Ecce pactionem Christi cum fidelibus.

Porro ut graviora alia abdita mysteria in hac spinea corona involuta clarius delegamus, varias causas, ob quas Christus Dominus spineo diademate coronari voluerit, diligenter investigemus: quod fateor, tanto difficilius erit praestare, quanto plures in superiori homilia huius rei causas et rationes indagavimus, et, ni fallor, invenimus. Divino tamen Spiritu afflante, ut afflaturum spero, qui linguas infantium facit disertas, permultas alias scitu dignissimas proferemus. Inter quas haec primum locum teneat, quod placuit Christo Domino hanc sibi coronam contexi in signum et argumentum spontaneae voluntatis, et laeti animi, quo pro nobis mortem obibat. Coronam enim laetitiae symbolum fuisse, testantur verba Ezechielis (*c.* 24): *Mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi.* Quem locum licet aliter exposuerimus, sequentes tamen nunc communiorem eius interpretationem, in hunc modum explico, ut sensus sit: Deum summo sacerdoti praecepisse, ne ob alicuius mortem lacrymaretur, aut tristitiae indicium quodpiam exhiberet, quinimmo in signum alacritatis caput corona redimiret. D. Augustinus (*in commentario Ps.* 87), versans verba illa: *Aestimatus sum cum descendentibus in lacum*, ait, Christum Dominum his verbis conqueri, quod gravem ei intulerint iniuriam, existimantes non spontaneum, sed coactum, velut aliis ad mortem damnatis consuevit, tanta mala pati, et mortem obire. At continuo calumniam hanc infringens, subdit: *Factus sum sicut inter mortuos liber;* quasi dicens, licet alii morti iam addicti, non libere, sed coacte moriantur, ego tamen spontanee, et libere morior, ut praedixerat Isaias: *Oblatus est, quia ipse voluit.*

Pro cuius loci exacta intelligentia adnoto cum peritis linguae sanctae, quod vox Hebraea, *Negas*, quae correspondet huic Latinae, *Oblatus*, secundum diversam puncti positionem diversam parit significationem: nam si in littera *Sin*, quae est una, ex quibus dictio illa coalescit, apponatur a parte sinistra punctus *Sibolet*, significat vim, coactionem, seu violentiam, qua creditor, vel exactor a debitore debitum extorquere solet. Unde fit quod exactor in Exodo vocatur Noges, et ubi vulgata nostra transfert, exactoribus, originale Hebraeum similiter habet, Noges. Si vero punctus ille a parte dextera collocetur, significat dictio illa approximationem et accessum, qui voluntatem se moventis ad operationem gratia aliquid consequendi praesefert. Cum ergo hoc secundo modo scribatur in praecitato loco Isaiae, aperte efficitur Christum Dominum non invito et reluctanti animo, sed valde spontaneo et libero mortem pertulisse. Hoc idem mysterium propalare desiderans propheta Abacuch dixit (*cap.* 3): *Cornua in manibus eius.* Omnes ferme interpretes, et praesertim d. Hieronymus, d. Cyprianus, Remigius, Eusebius, et Hugo cardinalis unanimi consensu praedicta verba exponentes, intelligunt per cornua brachia crucis. Sed revera si abditum hic non lateret arcanum, potius dicendum erat, manus Christi esse in brachiis crucis, cum in illis clavis affixae essent, quam e contra brachia crucis esse in manibus Christi. Ut tamen Propheta ostenderet, libere, et non coacta voluntate crucis brachiis affixum fuisse, consulto dixit brachia crucis, per cornua significata, in manibus eius esse; alludens proculdubio ad familiarem loquendi modum, quo cum aliquid a nostra voluntate dependere significamus, asserimus, hoc in manu mea est. Quo genere loquendi usus videtur David, cum dixit (*Psal.* 118): *Anima mea in manibus meis semper*, quia bene vel male operari a libera animae voluntate dependet, iuxta expositionem Incogniti (*in Ps.*117). Christus igitur, ut ad id, unde nonnihil digressi sumus, revertamur, voluit coronari, ut cum corona laetitiae symbolum sit, quam ipse libenti, quam spontanea et libera voluntate tam dira tormenta perferret, externo signo demonstraret.

Secunda causa sit, quod quamvis Christus Dominus Nazareous vocaretur, quod idem pollet, ac floridus, ea propter non florum, sed spinarum corona circumdari elegit, ut regni sui perennitatem praesignaret. Plinius enim tametsi gentilis, nulloque fidei lumine illustratus, observavit coronam, qua quondam reges coronari consueverant, floribus esse contextam, ut inde addiscerent, regiae dignitatis gloriam, honoris splendorem, ac universam mundi pompam non secus ac flores marcescere, et in stercus abire, ac repente penitus evanescere. Spinae vero, quia diuturnitatis maximae sunt, et propter eximiam earum siccitatem longissimo tempore incorruptae, et illaesae conservantur, ideo ut regni Christi diuturnitas palam omnibus fieret, voluit, regium eius diadema, quo insignitus regnavit, a ligno, non ex floribus, sed ex perennibus spinis esse compactum. Praedixit id David, cum cecinit (*Psal.* 131): *Illuc producam cornu David*, id est fortitudinem regni eius prolongabo, et in aeternum dilatabo: et subiungit: *Super ipsum efflorebit sanctificatio mea*, d. Hieronymus vertit: *Efflorebit diadema eius;* quasi dicat: non coronastis Christum floribus, ut apud vos solitum erat, cum iuxta vestram opinionem veros Deos coronabatis, sed pungentibus spinarum aculeis, tanquam falsum Deum caput eius redimistis; at ego splendidum, ac florens diadema capiti eius tanquam vero Regi imponam, quod proinde semper durabit, quia non floridum solum, sed virens et florens semper erit. Unde Isaias, ut hanc indicaret perennitatem: *Multiplicabitur*, inquit, *imperium eius;* in Hebraeo legitur, ut periti Hebraici idiomatis observant, *Lemarbe, ad multiplicandum;* nonnulli vero Hebraeorum Rabbini, quin etiam et catholici legunt, *Zerbe*, quod spinas significat. Unde sensus erit: Imperium regis corona spinea redimitum in aeternum, et ultra durabit. Unde ad confusionem inimicorum Christi censet Hippolytus martyr, Christum Dominum, in extremo die iudicii spineo diademate redimitum, ab omnibus conspiciendum esse.

Tertiam causam ex doctrina d. Hieronymi eruamus, dicentis Iesum coronari voluisse, ut regni diadema nobis compararet. Experientia quidem compertum est, agros quosdam adeo



foecundos, ut cum hordeum a seminatore susceperint, vice quidem hordei pulcherrimum frumentum referant. Sane qui pungentes spinas plantaret, dulces inde fructus colligendi nullam prorsus spem haberet: nam ut dixit Dominus per Matthaeum (*cap.* 7): *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* At haec est mirabilis Christi foecunditas, ut steriles, ingratae, ac mordaces spinae in eo satae ac radicatae, dulces Martyrum, Virginum, Doctorum, ac Sanctorum omnium coronas, tanquam germanum fructum pepererint. Fructus huius coronae fuit illa de qua Ecclesiasticus (*Ec.*42): *Corona aurea super caput eius:* fructus illius est illa alia Davidis (*Ps.*20): *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso:* fructus tandem eius ille, cuius meminit Isaias (*c.*28): *Corona gaudii, et sertum exultationis.*

Quartam causam colligo ex eodem d. Hieronymo, qui per spinas ait peccatores praesignificari, qui scelerum suorum sentibus caput Christi pungere non dubitant. Placuit ergo Christo Domino has spinas capiti suo inseri, licet alioquin Plinius (*lib.* 15. *cap.* 15) spinarum insertionem detestabilem esse doceat, ut oleastri contra naturam in bonam olivam inserti, sacri illius capitis cruore humectati, fructum possent legis afferre, ut eleganter adnotavit d. Ambrosius (*in comment. sup. Epist. ad Rom.*).

Quintam causam dicamus fuisse, quia voluit Christus Dominus velut alter Salomon in die desponsationis suae coronari, ut iustorum animas in sponsas acciperet: nam, ut refert Plinius, moris erat apud antiquos, cum sponsalitia celebrabant, ut sponsi coronis redimiti incederent. Inter has vero coronas, ut idem Plinius (*lib.* 16. *cap.* 18) testatur, principem locum tenebat spinea: *Nam spina*, inquit, *facibus nuptiarum erat auspicatissima, quoniam inde fecerint Pastores, qui rapuerunt Sabinas.* Volens igitur Christus Dominus tanquam verus animarum Sponsus spiritualia cum eis sponsalitia celebrare, egreditur spineo diademate coronatus, ut et ipsae etiam egrediantur ad videndum Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, id est, Synagoga, in die desponsationis suae.

Sextam tandem, ac ultimam causam subiiciamus fuisse, ut admoneret nos, quod si vitae aeternae miram dulcedinem, ac suavitatem degustare cupiamus, opus est, ut viam incedamus spinis consitam. Quod si inquiras, quaenam sit haec via, Christus Dominus respondet (*Ioan.* 14): *Ego sum via:* et cum spinis sit circumdatus, plane via erit spinosa. Hac ergo via nobis eundum est: nam qui ab ea declinaverit, in aeternae mortis barathrum prolabi necesse erit.

Unde recte Innocentius Tertius (*sermone primo de uno martyre*) dixit: *Corona spinea, ipsa quidem est poenitentia circumponenda capiti, idest menti*, de qua dicit Psalmista: *Conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.* Haec corona de tribus spinis complectitur, scilicet, contritione, confessione, et satisfactione; prima pungit cor propter vanam cogitationem; secunda pungit os propter vanam locutionem; tertia pungit manum propter iniquam operationem: prima pungit per dolorem; secunda per pudorem; tertia per laborem, quem propter Christum patienter sustinere, dignetur nobis concedere, qui dignatus est nobis illum donare.

## HOMILIA XVI.

*De arundine loco sceptri in dextera manu Christi per ludibrium posita, in illa verba:* Posuerunt arundinem in manu eius.

Silentio minime praeterire licet inusitatum illud irrisionis genus, quo arundinem pro sceptro in dextera manu Christi imposuerunt. Mirabile proculdubio est, quod cum Prophetae alia plura tam tormentorum, quam irrisionum Christi genera praesignari soliti fuerint, huius tamen arundinis nullibi meminerint. Sane si comprehenditur, iam praedictum fuerat per Hieremiam: *Captus est in peccatis nostris:* si alapa percutitur (*Thren.* 3): *Dabit percutientibus se maxillam:* si flagellis afficitur (*Isa.*22): *Fui flagellatus tota die:* si spinis coronatur: *Egredimini filiae Sion, et videte regem Salomonem cum corona, qua coronavit eum mater sua:* si clavis confoditur (*Ps.* 72): *Foderunt manus meas, et pedes meos:* si inter latrones crucifigitur: *Et cum iniquis reputatus est:* si felle et aceto potatur (*Ps.*68): *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto:* si tandem lancea transfigitur (*Ioa.* 19): *Videbunt in quem transfixerunt.* Illusorium autem arundinis sceptrum silentio divini Vates omnino praeterierunt. Arbitror sane silentii huius causam fuisse, quod ut significaret Deus inusitatum valde ac inauditum fuisse hoc irrisionis genus, ipsos etiam Prophetas pleraque alia praevidentes penitus latere voluerit. Gravitatem eius si venari cupimus, arundinis naturam contemplemur. Arundo vacua, levis, mobilis, fragilis est. Per vacuitatem significare voluerunt, quod sicut arundo medulla, ac nucleo caret; ita Christus sensu et intellectu, qui alias sapientia Patris erat. Per levitatem, animi eius inconstantiam, et opinionum volubilitatem praesignabant. Per mobilitatem, quod sicut arundo quocumque flante vento in hanc et illam partem flectitur; ita Christus, quacunque vanitatis aura flante, commoveretur. Per fragilitatem, quod regnum eius caducum, omnis firmitatis et soliditatis penitus expers esset, atque adeo facile arescere deberet, non secus ac arundo, quae propterea ab arendo dicitur, ut adnotat d. Isidorus. Arbitror etiam, hanc ei arundineam virgam in manu ponentes, indicare voluisse, miracula eius non vera extitisse, veluti illa, quae olim per virgam Moysis facta sunt, sed falsa et necromantica, qualia illa Magorum extiterunt tempore eiusdem Moysis, ut sacra narrat historia Geneseos. Verum divina sapientia alio tendebat, ut egregie adnotant Patres: nam d. Hieronymus (*in cap.* 27. *Mat.*) ait: *Quod quia calamus arundineus instrumen-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*tum erat multis ad scribendum, propterea Christus calamum manu tenere voluit, quo sacrilegium Iudaeorum litteris mandaret.* Docet insuper, arundinem siccam et vacuam in manu Christi veterem legem praesignasse, quae vacua erat, utpote umbra futurorum, in cuius figura altare non solidum, sed vacuum fieri praecipiebatur; hanc autem veteris illius legis vacuitatem Christus implevit, ipso testante (*Matth.* 5): *Non veni solvere legem, sed adimplere:* non enim umbrosa illa praecepta solvebat, sed ipsa rei veritate implebat: et d. Athanasius (*tom.* 3. *in Evang. de Pass. et cruc. Dom.*) arundinem in manu Christum accepisse ait, ut antiquum serpentem interficeret: verba Athanasii sunt: *Hinc rursum est, quod arundinem accepit cum illi a diabolo porrigeretur ignaro, quod contra seipsum gladium acueret; dicitur enim arundo serpentibus lethalis esse, atque inde potissimum interfici:* et paucis interpositis subdit: *Quale quid David in Golia designarit, qui sumpto adversarii gladio eo ipso illius caput praecidit, idem quoque Servator fecit, sumens arundinem ab illis, ut nos non solum liberaret a versutia serpentis, sed ut illum serpentem tolleret, et mortuum exhiberet.* His addamus et nos, tum quod olim ex arundine sagittae fiebant, ut constat ex Virgilio:

actaque multo
Perque uterum sonitu, perque illa venit arundo:

unde diabolus, et Iudaei arundinem in manu Christi ponentes, sagittarum contra se materiam illi subministrabant: sagittarum inquam earum, quarum meminit David (*Psal.* 7): *Arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit:* tum quod licet inter saeculi viros, et praesertim sanguinis claritate conspicuos virga percuti, magna censeatur iniuria, maior tamen et gravior sibi videtur, si illa arundinea sit. Diabolus ergo futurae suae calamitatis nescius, arundinem Christo porrexit, sed in caput suum, quia dum hac eadem illum percutiens foras eiicitur (*Ioan.* 12): *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, graviori diabolus iniuria, deteriorisque infamiae nota manet lacessitus, cum non ense velut nobilis, aut solido fuste, instar mancipii, sed tanquam contemptibilis canis arundine percutiatur, et abigatur.

Tandem in eo, quod sceptrum istud arundineum fuerit, hoc morale arbitror latere mysterium, quod per illud significatur, sceptra, regna, mundi pompam, ac saeculi honores, vana, infirma, ac caduca esse, non secus ac arundo fragilis, et vacua est. Egregie id exprimit visio Zachariae, qui postquam viderat quatuor quadrigas, quarum equi quidam erant rufi, quidam nigri, quidam albi, alii varii, per quae quatuor imperia mundi significabantur, Assyriorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, interrogavit angelum: *Quid sunt haec domine?* qui respondit: *Hi sunt quatuor venti.* In quo non obscure ostendit, tantam esse eorum imbecillitatem, ut velut venti flatus facile evanescant: unde recte Iob (*c.*20): *Hoc scio quod laus impiorum brevis sit. Si ascenderit usque ad caelum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant, dicent, ubi est? velut somnium avolans non invenietur.* Duplici apta satis metaphora Iob temporalis regni, et mundani honoris caducitatem edisserit. Prima est sterquilinii, in quod tandem potentissimi Principes, morte nemini parcente, convertentur. Unde de Alexandro Magno omnium Principum maximo postquam sacra Scriptura dixerat (1. *Mach.* 1): *Pertransiit usque ad fines terrae, et accepit spolia multitudinis gentium, et siluit terra in conspectu eius*, tandem commemorant Historici, propinato sibi veneno interiisse, et in terram conversum nemo ambigit. Et hinc est, quod ut narrat Paradinus, postquam Romulus Urbem Romanam, mundi metropolim condiderat, loco stemmatum non aliud insigne assumpsit, quam foeni fasciculum ex lancea pendentem: hoc symbolo significare volens, se, et omnia sua non secus ac vile foenum in faeces sterquilinii tandem convertenda esse. Secundam subiunxit Daniel metaphoram a somno mutuatam. Viderat Nabuchodonosor statuam ex auro, argento, et aere conflatam, quae praedicta etiam imperia praesignabant, tamen proculdubio, nec aurum, nec argentum verum erat, sed somniatum et commentitium; quo aperte innuitur, omnem mundi gloriam quasi somnium esse. Vidit etiam Daniel perexiguum lapidem ex monte descendentem statuam confregisse, ac penitus destruxisse. Ita sane accidit principi Aman, quem unius solum Mardochaei irreverentia ita contristabat, ut nihil sibi habere videretur, dum solus Mardochaeus ante illum genu flectere recusabat. Hoc quid erat, nisi exiguum lapidem ingentem statuam in minutissimas particulas conterere? Ac tandem, sicut arundo inter omnes plantas mobilior est, et ideo quocumque vento facile agitatur; ita sane regnorum, dignitatum, honoris, et gloriae summa est instabilitas, incredibilis inconstantia, Paulo attestante (*R.S*): *Mutationi subiecta est omnis creatura.* Terra tremoribus concutitur, et varios terrae motus patitur, adeo ut quasi os aperiens, superbissima aedificia devoraverit, ac fortissimas arces absumpserit. Mare continuis augmentis et decrementis non parcit, innumerisque procellis commovetur. Aer ventorum turbine adeo agitari solet, ut altissimas quasque arbores penitus eradicet. Coeli continuis circulationibus in orbem moventur. Sol et luna eclipsim quandoque sustinent. Quid de potentissimis civitatibus dicam? Nulla civium multitudine insignior Ninive; nulla militum fortitudine, et bellandi arte Carthagine praestantior; nulla litterarum studiis, ac multiplici doctrinae eruditione Athenis magis conspicua; nulla pyramidum, et columnarum artificiosa structura mirabilior quam Memphis: ex his tamen omnibus nihil superfuisse videmus, nisi exigua quaedam aedificiorum vestigia, in quibus nidificare corvi consueverunt. Assyrii mille super quingentos annos regni sceptrum tenuere, sed a Medis devicti fuerunt; Medi a Persis; Persae a fumo, in quem tandem ipsi evanerunt, quia ex illorum numero erant, de quibus praedixerat David (*Psal.* 36): *Mox* **ut** *honorificati fuerint, et exaltati, quemadmodum fumus deficient.* Denique Israeliticum regnum, quod ob suam firmitatem clavo fortunae rotam fixisse videbatur, pene infinitis mutationibus inversum videmus: ita ut non immerito iusserit Deus Ezechieli urbem Hierusalem in luteo latere describere, a quo exigua aqua decidente, exarata urbis figura facile deleri posset: quia, ut dixit d. Paulus (1. *Cor.* 7): *Praeterit figura huius mundi.* Quibus verbis alludere videtur Apostolus ad regum et imperatorum figuras, quas comici in theatris assumere consuevere; comica tamen scaena peracta continuo eas deponunt.



## HOMILIA XVII.

*De variis illusionibus, quas Christus Dominus pertulit regalibus insignibus indutus, in illa verba* (*Marci* 9): *Coeperunt conspuere, et velâre faciem, et colaphis caedere, et dicere:* Prophetiza, quis est, qui te percussit, *et illa alia:* Ecce Homo (*Ioann.*19).

Adeo Iudaeorum rabies in Christum Dominum efferbuit, ut non satis sibi videretur suppliciis ac iniuriis illuc usque illatis illum affecisse: et ideo alia nova, nunquamque excogitata ignominiae ac dedecoris genera ipsi excogitarunt. Et quidem in primis, ut ostenderent, falso et arroganter Prophetae nomen sibi usurpasse, velantes eius faciem, diras alapas ei impingebant, dicentes: *Prophetiza, quis est qui te percussit:* quod cum neutiquam efficies, fatearis invitus opus erit, te non esse verum, sed falsum et mendacem Prophetam: loco etiam genu flectentes, hac salutatione tanquam fictitium et irrisorium regem illudebant: *Ave Rex Iudaeorum*, ut enim testatur Martialis, hoc salutationis genus solitum erat potentioribus exhiberi:

Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus ave.

Et Lampridius refert, Alexandrum Severum imperatorem, in hunc modum salutari consuevisse: *Ave Alexander.* Memini Alcibiadem, teste Plutarcho (*in Alcibiade*), dixisse: *Testor Deos immortales, me exilium in Laconia non sensisse, nec proscriptionem bonorum, nec vulnera corporis, quantum verbum illusionis, quo me Ctesiphon in facie illusit.* Consonant his verba Senecae in quadam sua epistola: *Nullus maior labor, quam ferre illusiones:* unde Saul de vita iam desperans, cuidam militi dixit (1. *Reg.* 31): *Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me illudentes.* Romani etiam quidam nobiles tempore Neronis, ab illo vocati, praesagientes ignominioso, ac illusorio supplicio eos velle mulctare, ipsi accersito carnifice ab illo privatim iugulati sunt. Si ergo illusio gravissimum omnium tormentorum reputatur; quot putamus Christum Dominum atrocissima tormenta subiisse, cum tot ac tam varias pertulerit illusiones? Sacra narrat historia, Davidem a rege Achis illusum, ac tanquam fatuum reputatum fuisse; Samsonem a Philistaeis derisum, et oculis privatum; a rege Hanon ministros Davidis ad illum missos eam sustinuisse irrisionem, quod medias barbas abraserit; gravis etiam fuit olim puerorum illusio adversus Elisaeum: *Descende calve: Descende calve*, repetentes; gravior illa Cham erga parentem suum Noe, quod ebrius nudo corpore iaceret, irridentis. Ceterum irrisiones hae, si cum Christi irrisionibus conferantur, irrisiones neutiquam dici possunt: nam cum gravior sit illusio, quo dignior et excellentior est persona illusa; certo cum Christi hypostasis esset divina, atque adeo nulla dignior et sublimior ea, aperte efficitur, quantum praestat excellentia et dignitate creator creaturis, tantundem debita servata proportione irrisionem creatoris creaturarum irrisionem gravitate excedere. Illud tamen Christi mansuetudinem non parum commendat, quod cum supra enarratas Noe, Elisaei, Samsonis, Davidis illusiones acerrime ipse vindicaverit; proprias tamen, tanquam agnus mansuetus obmutescens, absque vindicta sustinuerit. Sed iam singularum gravitatem, ut coepimus, attente contemplemur. Velamine faciem Christi operuerunt, velut olim testamenti arcam pellibus vilibus et impolitis: tum quasi indignam arbitrantes ab hominibus videri; tum alludere volentes ad velamen, quo olim facies Moysis cooperta fuit, eo quod prae nimio splendore illam immediate Israelitae intueri non possent. Cum enim Christi facies tunc esset colaphorum livore denigrata, et cruore sanguinis e capite decidentis deturpata, illusionis et ioci gratia, quasi adeo splendentem, et irradiantem faciem haberet, ut in eam oculorum aciem intendere non possent, velamine instar Moysis cooperuerunt; et qui Moyse velamine cooperto, inferiorem montis partem prae timore et reverentia attingere non audebant, verticem huius excelsi montis, nempe supremam Christi partem caput et faciem palmis acriter percutientibus contingere non verecundantur.

Aliter philosophatur de hoc illusionis genere d. Hieronymus (*sup. Matthaeum*). Ait enim faciem Christi Domini tot ex se splendoris et fulgoris radios emittere, ut aegre ac moleste eam intuerentur, et ab inferendis colaphis quodammodo retardarentur: et ideo ut licentiosius eum percuterent, vultum eius velasse. Sane Christi facies praeter innatam pulchritudinem, qua speciosus prae filiis hominum erat, illam conspicientes adeo exhilarabat, ut, teste beata Birgitta ex revelatione ei facta, familiaris hic sermo esset Hebraeis maestitia affectis: *Eamus ad intuendum filium Mariae, ut hilares reddamur.* Hinc immanitas horum illusorum manifestius apparet, qui faciem illam, in quam desiderant angeli videre, et quae solo intuitu



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*tum erat multis ad scribendum, propterea Christus calamum manu tenere voluit, quo sacrilegium Iudaeorum litteris mandaret.* Docet insuper, arundinem siccam et vacuam in manu Christi veterem legem praesignasse, quae vacua erat, utpote umbra futurorum, in cuius figura altare non solidum, sed vacuum fieri praecipiebatur; hanc autem veteris illius legis vacuitatem Christus implevit, ipso testante (*Matth.* 5): *Non veni solvere legem, sed adimplere:* non enim umbrosa illa praecepta solvebat, sed ipsa rei veritate implebat: et d. Athanasius (*tom.* 3. *in Evang. de Pass. et cruc. Dom.*) arundinem in manu Christum accepisse ait, ut antiquum serpentem interficeret: verba Athanasii sunt: *Hinc rursum est, quod arundinem accepit cum illi a diabolo porrigeretur ignaro, quod contra seipsum gladium acueret; dicitur enim arundo serpentibus lethalis esse, atque inde potissimum interfici:* et paucis interpositis subdit: *Quale quid David in Golia designarit, qui sumpto adversarii gladio eo ipso illius caput praecidit, idem quoque Servator fecit, sumens arundinem ab illis, ut nos non solum liberaret a versutia serpentis, sed ut illum serpentem tolleret, et mortuum exhiberet.* His addamus et nos, tum quod olim ex arundine sagittae fiebant, ut constat ex Virgilio:

actaque multo
Perque uterum sonitu, perque illa venit arundo:

unde diabolus, et Iudaei arundinem in manu Christi ponentes, sagittarum contra se materiam illi subministrabant: sagittarum inquam earum, quarum meminit David (*Psal.* 7): *Arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit:* tum quod licet inter saeculi viros, et praesertim sanguinis claritate conspicuos virga percuti, magna censeatur iniuria, maior tamen et gravior sibi videtur, si illa arundinea sit. Diabolus ergo futurae suae calamitatis nescius, arundinem Christo porrexit, sed in caput suum, quia dum hac eadem illum percutiens foras eiicitur (*Ioan.* 12): *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, graviori diabolus iniuria, deterioris que infamiae nota manet lacessitus, cum non ense velut nobilis, aut solido fuste, instar mancipii, sed tanquam contemptibilis canis arundine percutiatur, et abigatur.

Tandem in eo, quod sceptrum istud arundineum fuerit, hoc morale arbitror latere mysterium, quod per illud significatur, sceptra, regna, mundi pompam, ac saeculi honores, vana, infirma, ac caduca esse, non secus ac arundo fragilis, et vacua est. Egregie id exprimit visio Zachariae, qui postquam viderat quatuor quadrigas, quarum equi quidam erant rufi, quidam nigri, quidam albi, alii varii, per quae quatuor imperia mundi significabantur, Assyriorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, interrogavit angelum: *Quid sunt haec domine?* qui respondit: *Hi sunt quatuor venti.* In quo non obscure ostendit, tantam esse eorum imbecillitatem, ut velut venti flatus facile evanescant: unde recte Iob (*c.*20): *Hoc scio quod laus impiorum brevis sit. Si ascenderit usque ad caelum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant, dicent, ubi est? velut somnium avolans non invenietur.* Duplici apta satis metaphora Iob temporalis regni, et mundani honoris caducitatem edisserit. Prima est sterquilinii, in quod tandem potentissimi Principes, morte nemini parcente, convertentur. Unde de Alexandro Magno omnium Principum maximo postquam sacra Scriptura dixerat (1. *Mach.* 1): *Pertransiit usque ad fines terrae, et accepit spolia multitudinis gentium, et siluit terra in conspectu eius*, tandem commemorant Historici, propinato sibi veneno interiisse, et in terram conversum nemo ambigit. Et hinc est, quod ut narrat Paradinus, postquam Romulus Urbem Romanam, mundi metropolim condiderat, loco stemmatum non aliud insigne assumpsit, quam foeni fasciculum ex lancea pendentem: hoc symbolo significare volens, se, et omnia sua non secus ac vile foenum in faeces sterquilinii tandem convertenda esse. Secundam subiunxit Daniel metaphoram a somno mutuatam. Viderat Nabuchodonosor statuam ex auro, argento, et aere conflatam, quae praedicta etiam imperia praesignabant, tamen proculdubio, nec aurum, nec argentum verum erat, sed somniatum et commentitium; quo aperte innuitur, omnem mundi gloriam quasi somnium esse. Vidit etiam Daniel perexiguum lapidem ex monte descendentem statuam confregisse, ac penitus destruxisse. Ita sane accidit principi Aman, quem unius solum Mardochaei irreverentia ita contristabat, ut nihil sibi habere videretur, dum solus Mardochaeus ante illum genu flectere recusabat. Hoc quid erat, nisi exiguum lapidem ingentem statuam in minutissimas particulas conterere? Ac tandem, sicut arundo inter omnes plantas mobilior est, et ideo quocumque vento facile agitatur; ita sane regnorum, dignitatum, honoris, et gloriae summa est instabilitas, incredibilis inconstantia, Paulo attestante (*R.*8): *Mutationi subiecta est omnis creatura.* Terra tremoribus concutitur, et varios terrae motus patitur, adeo ut quasi os aperiens, superbissima aedificia devoraverit, ac fortissimas arces absumpserit. Mare continuis augmentis et decrementis non parcit, innumerisque procellis commovetur. Aer ventorum turbine adeo agitari solet, ut altissimas quasque arbores penitus eradicet. Coeli continuis circulationibus in orbem moventur. Sol et luna eclipsim quandoque sustinent. Quid de potentissimis civitatibus dicam? Nulla civium multitudine insignior Ninive; nulla militum fortitudine, et bellandi arte Carthagine praestantior; nulla litterarum studiis, ac multiplici doctrinae eruditione Athenis magis conspicua; nulla pyramidum, et columnarum artificiosa structura mirabilior quam Memphis: ex his tamen omnibus nihil superfuisse videmus, nisi exigua quaedam aedificiorum vestigia, in quibus nidificare corvi consueverunt. Assyrii mille super quingentos annos regni sceptrum tenuere, sed a Medis devicti fuerunt; Medi a Persis; Persae a fumo, in quem tandem ipsi evanerunt, quia ex illorum numero erant, de quibus praedixerat David (*Psal.* 36): *Mox ut honorificati fuerint, et exaltati, quemadmodum fumus deficient.* Denique Israeliticum regnum, quod ob suam firmitatem clavo fortunae rotam fixisse videbatur, pene infinitis mutationibus inversum videmus: ita ut non immerito iusserit Deus Ezechieli urbem Hierusalem in luteo latere describere, a quo exigua aqua decidente, exarata urbis figura facile deleri posset: quia, ut dixit d. Paulus (1. *Cor.* 7): *Praeterit figura huius mundi.* Quibus verbis alludere videtur Apostolus ad regum et imperatorum figuras, quas comici in theatris assumere consuevere; comica tamen scaena peracta continuo eas deponunt.



## HOMILIA XVII.

*De variis illusionibus, quas Christus Dominus pertulit regalibus insignibus indutus, in illa verba* (*Marci* 9): *Coeperunt conspuere, et velare faciem, et colaphis caedere, et dicere:* Prophetiza, quis est, qui te percussit, *et illa alia:* Ecce Homo (*Ioann.*19).

Adeo Iudaeorum rabies in Christum Dominum efferbuit, ut non satis sibi videretur suppliciis ac iniuriis illuc usque illatis illum affecisse: et ideo alia nova, nunquamque excogitata ignominiae ac dedecoris genera ipsi excogitarunt. Et quidem in primis, ut ostenderent, falso et arroganter Prophetae nomen sibi usurpasse, velantes eius faciem, diras alapas ei impingebant, dicentes: *Prophetiza, quis est qui te percussit:* quod cum neutiquam efficies, fatearis invitus opus erit, te non esse verum, sed falsum et mendacem Prophetam: loco etiam genu flectentes, hac salutatione tanquam fictitium et irrisorium regem illudebant: *Ave Rex Iudaeorum*, ut enim testatur Martialis, hoc salutationis genus solitum erat potentioribus exhiberi:

Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus ave.

Et Lampridius refert, Alexandrum Severum imperatorem, in hunc modum salutari consuevisse: *Ave Alexander.* Memini Alcibiadem, teste Plutarcho (*in Alcibiade*), dixisse: *Testor Deos immortales, me exilium in Laconia non sensisse, nec proscriptionem bonorum, nec vulnera corporis, quantum verbum illusionis, quo me Ctesiphon in facie illusit.* Consonant his verba Senecae in quadam sua epistola: *Nullus maior labor, quam ferre illusiones:* unde Saul de vita iam desperans, cuidam militi dixit (1. *Reg.* 31): *Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me illudentes.* Romani etiam quidam nobiles tempore Neronis, ab illo vocati, praesagientes ignominioso, ac illusorio supplicio eos velle mulctare, ipsi accersito carnifice ab illo privatim iugulati sunt. Si ergo illusio gravissimum omnium tormentorum reputatur; quot putamus Christum Dominum atrocissima tormenta subiisse, cum tot ac tam varias pertulerit illusiones? Sacra narrat historia, Davidem a rege Achis illusum, ac tanquam fatuum reputatum fuisse; Samsonem a Philistaeis derisum, et oculis privatum; a rege Hanon ministros Davidis ad illum missos eam sustinuisse irrisionem, quod medias barbas abraserit; gravis etiam fuit olim puerorum illusio adversus Elisaeum: *Descende calve: Descende calve*, repetentes; gravior illa Cham erga parentem suum Noe, quod ebrius nudo corpore iaceret, irridentis. Ceterum irrisiones hae, si cum Christi irrisionibus conferantur, irrisiones neutiquam dici possunt: nam cum gravior sit illusio, quo dignior et excellentior est persona illusa; certo cum Christi hypostasis esset divina, atque adeo nulla dignior et sublimior ea, aperte efficitur, quantum praestat excellentia et dignitate creator creaturis, tantundem debita servata proportione irrisionem creatoris creaturarum irrisionem gravitate excedere. Illud tamen Christi mansuetudinem non parum commendat, quod cum supra enarratas Noe, Elisaei, Samsonis, Davidis illusiones acerrime ipse vindicaverit; proprias tamen, tanquam agnus mansuetus obmutescens, absque vindicta sustinuerit. Sed iam singularum gravitatem, ut coepimus, attente contemplemur. Velamine faciem Christi operuerunt, velut olim testamenti arcam pellibus vilibus et impolitis: tum quasi indignam arbitrantes ab hominibus videri; tum alludere volentes ad velamen, quo olim facies Moysis cooperta fuit, eo quod prae nimio splendore illam immediate Israelitae intueri non possent. Cum enim Christi facies tunc esset colaphorum livore denigrata, et cruore sanguinis e capite decidentis deturpata, illusionis et loci gratia, quasi adeo splendentem, et irradiantem faciem haberet, ut in eam oculorum aciem intendere non possent, velamine instar Moysis cooperuerunt; et qui Moyse velamine cooperto, inferiorem montis partem prae timore et reverentia attingere non audebant, verticem huius excelsi montis, nempe supremam Christi partem caput et faciem palmis acriter percutientibus contingere non verecundantur.

Aliter philosophatur de hoc illusionis genere d. Hieronymus (*sup. Matthaeum*). Ait enim faciem Christi Domini tot ex se splendoris et fulgoris radios emittere, ut aegre ac moleste eam intuerentur, et ab inferendis colaphis quodammodo retardarentur: et ideo ut licentiosius eum percuterent, vultum eius velasse. Sane Christi facies praeter innatam pulchritudinem, qua speciosus prae filiis hominum erat, illam conspicientes adeo exhilarabat, ut, teste beata Birgitta ex revelatione ei facta, familiaris hic sermo esset Hebraeis maestitia affectis: *Eamus ad intuendum filium Mariae, ut hilares reddamur.* Hinc immanitas horum illusorum manifestius apparet, qui faciem illam, in quam desiderant angeli videre, et quae solo intuitu

suo animos videntium recreabat, ac singulari hilaritate donabat, acriter adeo lacerare non dubitarent. Velamen honoris aut religionis gratia semper adhiberi solitum, satis superque omnibus compertum esse arbitror. Sancta sanctorum velo cooperiebantur. Sarae mille argenteos a rege Gerarae datos, ut faceret sibi velamen, in Genesi memorantur. Pulchras imagines intra et extra templa velo religiose contegi frequentissimum est. At licet honoris, aut religionis praetextu velamina adhiberi consueverint, pulchro tamen ac venerando Christi vultui illusores illi, *quasi velamen habentes malitiae libertatem*, ut ait d. Petrus, non mundum in honorem, sed sordidissimum velamen in contumeliam inverecunde imposuerunt. Verum si quis me interroget, quare Christus Dominus voluerit modestissimos suos oculos velari, arbitror responderi posse, quia inordinate illos olim aperuerant primi parentes, in pulchritudinem pomi sibi vetiti intendentes: *Vidit*, ait Moyses (*Gen.*4), *mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit; deditque viro suo, qui et comedit, et aperti sunt ocu i amborum.* Arbitror etiam Christum Dominum in eo, quod oculis velari voluerit, ardentissimum suum erga nos amore significasse: sicut enim Deum amoris velatis oculis antiqui depingebant, ut ostenderent, amorem ita amantem excaecare, ut rei amatae defectus non videat, nec advertat; ita hodie Christus Dominus, cum Deus sit, et Deum charitatem vocet d. Ioannes, dicens: *Deus charitas est*, consequens fit, Christum charitatem esse. Unde tanquam Deus amoris et pulchrae dilectionis faciem velari vult, quasi a nostris peccatis oculos avertens, ut praedixerat Isaias (*c.*38): *Proiecisti post tergum omnia peccata mea.* Quo metaphorico loquendi more aperte indicat, Deum peccata poenitentium, quasi non videndo non imputare, cum id quod a tergo existit, minime videatur.

Postquam autem duo illa caelestia oculorum Christi luminaria indecoro velamine eclipsaverant, coeperunt virulenti illi irrisores faciem, quam sibi ostendi Sponsa deprecabatur, dicens (*Cant.* 2): *Ostende mihi faciem tuam*, spurcissimis sputis deturpare; et cum ad proiicienda sputa abiectus locus, aut humilis angulus quaeri soleat, nullus alius abiectior ipsis visus est, quam veneranda facies eius, de quo Psalmista (*Psal.*117): *Qui factus est in caput anguli.* Plinius (*lib.* 28. *cap.* 4) ut ostenderet quantum morborum contagium veteres illi execrarentur, ait: *Despuimus comitiales morbos.* Illud tamen turpitudinem huius ignominiae non parum ostentat, quod cum Iob (c.30) de se loquens, dicat: *Faciem meam conspuere non verentur*, gravissimi Ecclesiae Patres sibi persuaserint, ausum fuisse neminem in Iobi faciem salivam proiicere, quam alioquin iuvenes, et senes mirum in modum suspiciebant, et venerabantur. Unde divus Gregorius Papa (*super cap.* 3. *Iob*) praecitata verba Iobi explicans ait: *In eorum contumeliis fluxa verba, quasi defluentes salivas emittunt*: et Nicetas (*in orat. tertia de Christi Nativ.*): *Sputa*, inquit, *et alapae contumeliae illae dici possunt, quae palam et velut in faciem infliguntur.* Sputa ergo, et salivas, quas incredibile putant sapientes in faciem Iobi proiectas fuisse, in sacrum Christi vultum immissas fides catholica docet: et ut Isaias (*cap.*50) multo ante vaticinatus fuerat in persona illius loquens: *Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.* Salivae in faciem proiectio, infamiae simul, et rabidae iracundiae certissimum indicium semper extitit. Unde sacra Numerorum narrat historia, quod cum Maria Moysis soror illi detraxit, et lepra divina virtute ei immissa graviter afficeretur, orante Moyse pro eius sanitate, Dominus respondit: *Si pater eius spuisset in faciem eius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi?* Si ergo a proprio parente filiam conspui tanta reputatur iniuria, adeoque foedat, et inhonestat; quanto gravior haec erit, quam Christus Dominus patitur, qui cum communis sit omnium parens, et Deus, ab immundissimis et abiectissimis nebulonibus conspuitur? In Levitico salivam eius, qui immundus erat, adeo turpem, et immundam iudicavit Deus, ut si ille in eum, qui mundus esset, eam proiecisset, vestimenta essent lavanda, et usque ad vesperum immundus deberet reputari. Non absimile est, quod in hoc tremendo spectaculo videmus. Immundi, et squallentes homunciones salivam in Christi faciem proiiciunt, et inde non solum vestimenta eius, sed totus ipse Christus sputorum squallore foedatus hominum conspectui immundus redditur. Praeceperat olim Deus in lege veteri, quod frater, qui ad suscitandum semen fratris sui defuncti non vellet uxorem eius in coniugem accipere, ipsa in faciem eius spueret, dicens (*Deut.*25): *Sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui.* Cum ergo Christus Dominus Moysis semen, hoc est eius legem, quoad caeremonialia, suscitare non vellet, sed potius supprimere, repudiavit omnino Synagogam in contrarium nitentem, nec eam in coniugem accipere voluit, et ideo ipsa in eum excandescens, expuit in faciem, quasi dicens: *Sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui.* Fefellit tamen illam haec sua falsa opinio, quia Christus Dominus non venerat solvere legem, sed implere, et veritatis praesentia futurorum umbram fugare. Apud Ioannem legimus, Christum Dominum expuisse in terram, et ex pulvere, et oris sui sputo collyrium fecisse, quo caeci nati oculos illuminavit; at e contra hic accidit: nam sputum illud expuentium in faciem Christi virtutem illuminandi minime habebat, sed obscurandi, sed obnubilandi, sed caecandi, et quasi crassis quibusdam cataractis superpositis, operationem potentiae visivae penitus impediendi. Non solum autem sputis perfidi illi ministri Christum inhonorabant, sed simul etiam accipientes arundinem de manu eius, percutiebant caput: caput inquam hominum, et angelorum, et ipsis inferorum potestatibus tremendum. Unde factum, ut spinarum aculei et verticem, et tempora profundius penetrarent, et dolorem mirum in modum augerent. Addebant ad haec colaphos, quibus graviter velatam faciem per-



cutiebant, dicentes (*Marc.*4): *Prophetiza, quis est qui te percussit.* Sane eum, qui sapientia erat Patris, et cuius oculis omnia sunt nuda, et aperta, percussores latere non poterant; sed neque nos etiam latent, tametsi prophetiae dono non gaudemus, cum Deus ipse per Isaiam id revelaverit, dicens (*Isa.*53): *Propter scelus populi mei percussi eum.* Postulavit olim rex Babylonis ab ariolis suis, et prophetis, ut interpretarentur ei somnium, quod somniaverat, cuius tamen erat oblitus. Ipsi autem responderunt, minime id praestare posse, nisi ipse rex prius somnium indicasset. At huic petitioni: *Prophetiza, quis est qui te percussit*, non solum Christo, qui sapientia Patris est, sed et nobis non ita difficile esset satisfacere, cum omnium nostrum peccata, nullo dempto, percussores illius sacri vultus, immanesque laceratores fuisse Isaias testetur, dicens: *Propter scelus populi mei percussi eum.*

Illud etiam doloris, et dedecoris genus minime decet oblivioni tradere, cuius Isaias minime oblitus est, in persona Christi dicens: *Genas meas dedi vellentibus.* Quibus verbis aperte indicat, maxillarum, ac barbae capillos audacter evulsos fuisse, ut recte adnotarunt archiepiscopus Palaeottus, et Laspergius, secuti d. Bernardum dicentem (*tract. de Pass. c.* 38): *Tertia sanguinis effusio fuit in vellicatione genarum, cuius testimonium habemus, dicente ex persona ipsius crucifixi Propheta: Genas meas dedi vellentibus: quod quidam exponunt de laceratione maxillarum, facta unguibus impiorum Iudaeorum; quidam autem de contrectatione barbae Domini. Video sacrilegas manus etiam ad genarum ipsius vellicationem exarsisse.* Ut melius tamen huius iniuriae gravitatem percipiamus, varias causas in medium producamus, unde opprobrium in barbae convulsione excrescit. Et quidem in primis cum barba virorum ornamentum sit, qui viro barbam eripit, effeminati hominis notam irrogat; et cum barba prolixa indicium extiterit probi viri, adeo ut apophthegmata Laconica tradant, Laconem quendam interrogatum cur barbam gestaret longiorem? respondisse: *Ut canos meos aspiciens, nihil illis indignum admittam.* Unde Plutarchus (*in vit. Phocionis*) refert, quod cum Alcibiades quidam Laconistam prolixam barbam portans publice mentiretur, audivit haec a Phocione, eius barbam apprehendente: *Quam decuerat hanc barbam, et indumenta boni viri indicia, priusquam mentireris, deposuisse.* Qui igitur barbam evellit, candidatae probitatis testimonium aufert. Pulchritudinem deinde barbam conferre nemo est qui non videat: unde divus Augustinus (*lib.* 11. *de Civi. Dei c.* 24): *Sunt*, ait, *quaedam ita posita in corpore, ut tantummodo decorem habeant, non autem usum, sicut habet pectus virile mamillas, sicut facies barbam*: et Cicero (3. *de fin.*): *Quaedam*, inquit, *ad nullam utilitatem, sed solum ad ornatum quendam a natura esse concessa, ut caudam pavoni, plumas versicolores columbis, viris mammas, et barbam.* Adeo autem pulchritudinem a multis expetitam novimus, ut teste d. Augustino (*lib.* 6. *de Civit. Dei c.* 1) veteres illi barbatae fortunae templum erexerint, ut pulchram ipsis barbam conferret. Qui ergo barbam vellicat, pulchritudinem foedare satagit. Barbam item venerandum hominem reddere Theocritus testatur, venerabilem illam vocans, atque venustam: unde qui pilos barbae imminuit, venerationem imminuere conatur. Ac tandem praeter gravissimum dolorem, quem vellicatio barbae infert, non minus iniuriae, et vituperii affert. Unde auctore Caelio Rhodigino (*lib.* 4. *lecti. antiq. c.* 2), cum primus omnium barbam penitus abraderet, multis lacessitus fuit iniuriis: immo in Levitico praecepit Dominus: *Nec barbam radetis.* Et cum ipse gravi flagello Iudaeos percutere minaretur, calvitium super omnes se inducturum praedixit: calvitio enim in luctu solum utebantur, ut indicat Isaias (*c.* 3): *Et pro crispante crine calvitium.* Et ut uno verbo multa perstringam, adeo id opprobrio habitum est, ut non solum sibi convelli barbam quispiam permittat, sed ne tangi quidem, aut alienis manibus attrectari. Cuius insigne monumentum tradunt Titus Livius, et Plutarchus in vita Camilli, asserentes Papirium maximam sibi iniuriam illatam censuisse, quod sibi barbam Gallus attrectasset, et ideo acrem huiusmodi iniuriae vindictam expostulasse. Volentes igitur Iudaei non solum dolorem inferre, sed virilitatem, fortitudinem, probitatem, prudentiam, ac venustatem commaculare, capillos venerandae eius barbae evulserunt. Illud tamen silentio praetereundum non est, quod praeter ceteras poenas, ob praedicta scelera in Christum commissa, quibus Deus mulctare voluit Iudaeos, mirabili Dei iudicio accidit, ut sicut Christo Domino, tanquam ridiculo regi, loco tributi sputa, et alapas impenderunt, simili irrisione Agrippa rex Iudaeorum ignominiose delusus fuerit, ut tradit Philo (*in Flacco*). Miratur tamen ipse huiusmodi contumelias in regem Agrippam cognomento Herodem a Flacco coercitas non fuisse; sed mirari desinet, si attendat eum, qui vindicem habet oculum, prohibuisse Flaccum, ne id impeditum iret, ut sicut rex caeli, et terrae Iudaeis applaudentibus praedictis contumeliis irrisus fuerat, ita ipsorum rex ipsis frementibus simili ludibrio, et irrisione afficeretur.

Post haec autem tot, ac tam gravia opprobria decrevit Pilatus, Christum Dominum flagellis caesum, spinis coronatum, et irrisoriae vestis amictu indutum persequentium conspectui ostentari, ut ultra iam crederent non persequendum, quem tantis modis intuebantur afflictum. Unde per amplam, et oblongam fenestram eorum oculis illum obiecit, dicens (*Ioan.*19): *Ecce homo.* Quod perinde fuit, ac si dixisset illud Davidis (*Psal.* 61): *Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato, et maceriae depulsae?* Sed sane sicut Pilatus, *Ecce homo*, clamavit, non minus vere, *Ecce Deus*, cum Isaia proclamare potuisset; verum cum in illo deitatem nullam agnoscerent: *Ecce homo* dixit illis, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis, et qui in eodem statu non permanet; *Ecce homo*, qui se Filium Dei praedicabat. Certe sicut olim Alexander sagitta graviter percussus, cogno-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

vit se non esse filium Iovis, prout illi milites sui adulabantur; ita sane videns se sic plagis vulneratum, omni se deitate carere fatebitur; *Ecce homo*, qui si ad regalem purpuram regiamque coronam anhelabat, iam magis curandum erit ei de funere et sepulcro, in quo iaceat, quam de regno et throno, quo sedeat: *Ecce homo*, cuius si vindictam desideratis, tot ac tantis vulneribus affectus est, ut a planta pedis usque ad verticem capitis non sit sanitas in eo. Unde ad illum tanquam hominem cognoscendum oportet dicere: *Ecce homo*, quia speciem hominis non habet: adeo ut Hieremias secundum lectionem septuaginta Interpretum dixerit: *Homo est, et quis cognoscet eum?* Ita enim eius facies deformata erat, ut vix ipse Isaias illum agnosceret, et ideo dixit (*c.* 53): *Quasi absconditus vultus eius, et despectus, unde nec reputavimus eum.* Immo et Christus sibi ipsi quodammodo incognitus, non homo videbatur (*Psal.* 21): *Vermis sum*, dicens, *et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Quid plura? *Ecce homo.* Contemplamini illum, quia caro vestra et frater est, non lapis, aut ferrum, aut despectibilis canis, sed magister, qui vos docuit, medicus, qui infirmos vestros curavit, energumenos a daemonum tyrannide liberavit, mortuos ad vitam revocavit, et pene infinita alia beneficia in rempublicam vestram contulit. *Ecce* iterum *homo*, in quo tametsi nullam invenio causam; ut tamen vestris omnium votis satisfacerem, flagellatum, coronatum, sputis coopertum, lividum produco, adeo ut adamantina etiam corda ad miserationem commoveat: parcite iam, siquidem non minus honorificum est parcere subiectis, quam debellare superbos. Ut tamen ad compassionem eos incitaret Pilatus, praecepit, ut tradunt quidam doctores, ut ipso, *Ecce homo*, dicente, ministri vestem Christi elevarent, quemadmodum sacerdoti thurificanti, aut hostiam elevanti, ut sic lacerum, sanguinolentum, ac laniatum corpus omnibus pateret. Mos inolevit apud Romanos oratores, cum causam alicuius rei defenderent, illum afflictum macilenta facie, oblonga barba, coram iudicibus in medium producere, ut ad pietatem illos commoverent. Strenui etiam duces vestes rumpebant in publico senatorum conspectu, ut vulnera pro reipublicae defensione accepta ostentarent. Unde Quintilianus (*lib.* 6.*instit.cap.*1) ait: *Ingens plerumque vis est, et populum Romanum egit in furorem praetexta Caii Caesaris prolata in foro cruenta*: ibidemque testatur se vidisse tabulas in Senatum adferri, ubi ad vivum expressa erant illa eadem, quae verbis satis expressa oratores non poterant, ut sic propriam sententiam iudicibus efficacius persuaderent. Non absimili modo Pilatus, non valens verbis Iudaeorum rabiem placare, cruenta vulnera Christi eorum conspectui obiecit, ut non ultra affligendum persuaderet, quem afflictum adeo conspiciebant: ut non incongrue illa Virgilii carmina (2.*Aen.*) ei adaptari possint:

Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo,
Squallentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quae circum plurima tulit.

Divus Augustinus praedicta verba Pilati, *Ecce homo*, elucidans, ait: *Ecce homo, non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Si regi invidetis, iam parcite, quia deiectum conspicitis: flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, conviciis illusus est, alapis caesus est, fervet ignominia, frigescat invidia.* Sed proh dolor, non refrixit, sed amplius accensa inarsit; non tepuit, sed magis efferbuit *crucifige* proclamantibus; *tolle, tolle* dicentibus. Id sane praedixerat Dominus per Hieremiam prophetam (*c.* 12): *Facta est mihi haereditas mea, quasi leo in silva. Dedit contra me vocem suam*, vocem proculdubio illam, *crucifige; tolle, tolle.* De leone ferunt naturales historici, cum ad capiendam praedam iam iam proximus est, in vehementem prosilire rugitum, quo audito animalia prae stuporis magnitudine contabescunt, et in terram vi clamoris concidunt. Facta ergo fuit crudelis Synagoga Christo Domino tanquam leo in silva, quia licet non manibus, vocibus tamen, clamoribus, et lingua, ut ait d. Augustinus, Christum interfecerunt, *Crucifige*, importune postulantes. Nonne o Iudaei hic est, pro quo patres vestri et vos clamastis (*Isai.* 64): *Emitte Domine agnum dominatorem terrae? Utinam dirumperes coelos, et descenderes. Mitte quem missurus es?* Quomodo ergo, qui absentem desiderabatis, praesentem despicitis, et *tolle, tolle* proclamatis? Narrant rerum naturalium auctores, cum primum reliqua animalia pantherae odorem praesentiunt, continuo ad illam properare, visa tamen deformi ac foeda facie retrocedere, et fugam arripere. Ita sane contigit Hebraeis, qui suavem odorem Christi praesentientes, de quo Sponsa (*Cant.* 1): *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, ad illum confluebant; in passione tamen faciem eius videntes adeo deformem, ut Isaias dicat (*c.* 53): *Non erat ei species, neque decor*, oculos ab eo avertebant, et *tolle, tolle* clamabant. Unde quemadmodum cum sol eclipsim patitur, nocivum iudicant medici in illum oculorum aciem intendere; ita abiectissimi illi Iudaei Solem iustitiae prae multitudine sputorum, et sacri cruoris e vulneribus capitis in maxillas defluentis, quodammodo eclipsim patientem, et omnis pulchritudinis expertem esse videntes; nocivum sibi iudicabant intentis oculis illum intueri, et eum *tolle, tolle* enixe postulabant. Quod multo antea praevidens Salomon, in persona eorum praedixerat (*Sap.* 2): *Gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Verum in hoc ipso aperte ostenderunt, se a vero Israelitarum genere degeneres esse: nam cum Israelita videns Deum interpretetur, hoc ipso quod illis grave et molestum erat Christum verum Deum Israel videre, re ipsa fatebantur se veros Israelitas non esse; maxime quod cum olim Deus veris Israelitis promiserat, *Et erunt oculi vestri videntes praeceptorem suum;* qui fieri potest, ut qui ita moleste tulerint illum videre, ut *tolle, tolle* proclamarint, veri Israelitae essent? potius sane in eorum numerum duxerim referendos, de quibus dixit David (*Psal.* 33): *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*



Hucusque audivimus Praesidem Iudaeae Pilatum proferentem, *Ecce homo*; auscultemus iam Praesidem caeli et terrae, Patrem scilicet aeternum, eadem verba usurpantem. *Ecce*, inquit, *homo*, qui ut hominem ad pristinam Dei imaginem restituat, hominis imaginem perdidit. *Ecce homo, qui natus et datus est vobis*, ut iam nemini quantumcumque paralytico liceat dicere, *hominem non habeo. Ecce, homo*, nomine isto adeo dignus, ut neutiquam dicere valeat Hieremias, quod et aliquando in foro hominibus pleno dixisse fertur Diogenes, se nullum prorsus invenire hominem: *Intuitus sum, et non erat homo.* Postquam enim Deus homo factus est, iam adest homo: homo quidem per excellentiam et antonomasiam, *cui nec similem visus est, nec habere sequentem. Ecce* ergo *homo* omnium virtutum exemplar. Contemplare igitur superbe humilem; ambitiose intuere despectum; avare respice liberalem usque ad pretiosi sanguinis effusionem; iniuriarum vindex immanis disce huius agni mansuetudinem; voluptatum amator dolores Christi considerans coerce libidinem, extingue cupidinis flammas. *Ecce homo*, in quo tanquam limpido speculo agnoscere poteris peccati gravitatem. Si tales solvit poenas, qui non transgressor, sed tuarum transgressionum fideiussor erat, conice (*Lucae* 23): *Si haec fiunt in ligno viridi, quid fiet in arido? Ecce homo*, a quo dictum est per Isaiam prophetam (*c.* 2): *Cavete ab homine, cuius spiritus in naribus eius:* nam tametsi nunc taceat, sileat, patiens sit, tandem tanquam parturiens loquetur, et tanto beneficio ingrati ingrata patientur.

Sed iam si placet Pater aeterne, audi nos eadem verba, *Ecce homo*, usurpantes. *Ecce homo*, quem ad satisfaciendum pro hominibus misisti: si homo purus peccavit, homo Deus satisfacit. Cesset ergo deinceps indignatio tua, siquidem *ubi abundavit delictum, superabundavit* satisfactionis *gratia*, ita ut incomparabiliter solutio debitum excedat. *Ecce* tandem *homo* Filius tuus o sacratissima Deipara, ecce divinus *Silenus*, antiqui illius Alcibiadis Silenos longe superans: nam si illi sub horribilis colubri figura pulchram imaginem latentem continebant: *Ecce homo*, in quo sub similitudine venenosi serpentis, quia venit in similitudinem peccati, ut ait divus Paulus (*ad Phi.* 2), pulchra Dei Patris imago, *et figura substantiae* eius delitescit. Sed proh dolor beatissima Virgo, adeo abscondita, ut nulla eius indicia extrinsecus compareant. Nam si candor et rubor signa eius antea extiterant, ut tu ipsa testata es, dicens (*Cant.* 5): *Dilectus meus candidus, et rubicundus:* iam haec quaerenda non sunt, cum leprosum, et absque decore praeviderit eum Isaias, dicens (*c.* 53): *Vidimus eum quasi leprosum;* nisi velis ex candore sputorum, et rubore sanguinis maxillis inhaerentium candidum et rubicundum illum vocitare. Sed haec *Sileni* figuram adstruunt: nam exterior eius facies sputis ac sanguine deformis, infinitam Dei pulchritudinem intra se continens, adamantina quaeque corda ad miserationem compellere deberet. Si enim rex Benadad in praelio victus ab Achab rege Israel, ut placaret illum, hac usus est industria; misit familiares suos ad Achab succinctos saccis, et cum funiculis in capitibus suis, ut pro ipso Benadad misericordiam deprecarentur: quo facto motus misericordia rex Achab pepercit illi. Si ergo humilitas illa et amictus ciliciaus, et funes in capite non domini, sed famulorum, emollire potuerunt saxeum cor regis iniqui et crudelis; cuiusnam cor etsi aeneum non emolliat Christi Domini submissio, amictus ludibrio purpureus, corpus undique laceratum, et caput pungentibus spinis transfixum? Sane reprobationis indicium putaverim, ad haec tanta hominem Christianum non commoveri, maxime Christo clamante (*Iob* 19): *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.* Si enim Pilatus Christum Dominum tanto dedecore ac dolore afflictum iudicavit, ut crederet solum eius aspectum sufficientem fore ad lenienda ferrea ac obstinata Iudaeorum corda: qui fieri potest, ut Christianorum viscera, nisi reprobi sint, dum Deum Creatorem ac Redemptorem suum tam diris tormentis oppressum intuentur, ad internam saltem compassionem non moveantur? Si enim Sapiens dixit tempus esse flendi; nullum sane ad id opportunius isto inveniri poterit, in quo ob nostra omnium delicta, auctor vitae, et multis doloribus afficitur, et variis conviciis exprobratur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum.

## HOMILIA XVIII.

*De falsis accusationibus adversus Christum Dominum productis, ac de iniquissima mortis sententia ad instantiam perfidae gentis Iudaicae contra auctorem vitae a Pilato latam, ac de tenore illius, nec non de lotione manuum, per quam ille se, a tanto scelere liberum falso sibi blandiebatur, in illa verba:* Innocens ego sum a sanguine iusti huius, *et illa:* Tunc tradidit eis illum ut crucifigeretur.

Egregie Salomon in persona Iudaeorum loquens, omnium accusationum tela in Christum ab eis proiicienda, his verbis compendiose perstrinxit (*Sap.*2): *Circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viae eius. Tamquam nugaces aestimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris, tamquam ab immunditiis, et praefert novissima iustorum, et gloria-*

*tur Patrem se habere Deum.* Ad haec Salomonis verba plane allusisse videtur Isaias propheta (c.3) iuxta 70. Interpretum versionem, ut citant Patres, praesertim vero Cyprianus (*in exposit.Symb.*), Iustinus Martyr (*in Dialogo contra Tryph.*), et Ambrosius (*in lib. de benedict.Patriarc. cap.* 2): *Vae*, inquit, *animae ipsorum, propterea quod pravum consilium ceperunt adversus se ipsos, dicentes, vinciamus iustum, quoniam inutilis est nobis.* Quae verba Iudaeorum consilio de vinciendo Christo, et praesentando ante Pilatum mirifice quadrant. Quibus addere licet Clementis Alexandrini (*l.* 5.*stromat. tom.*2) verba alia, qui loquens de Platone ait: Scripturae, quae dicit, tollamus a nobis iustum illum, quoniam inutilis nobis est, Plato (*lib.*2.*de Republica*) perquam similia memorat: *Ad hunc modum*, inquit, *animatus iustus ille flagris caedetur, excruciabitur, vincietur, postremoque mala omnia perpessus in crucem agetur.* Refert etiam hanc sententiam Eusebius Caesariensis (*lib.* 13. *de praedic.Ec.*), dicens Christo Domino per antonomasiam vocabulum iusti recte convenire, cum ipse pro gloria Patris propugnanda, et fidei veritate tuenda, tamquam iustus, flagris caesus est, excruciatus pluribus modis, saepe alligatus, et oculis velatus, ita ut dicerent ei (*Luc.*13): *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit:* mala et indigna multa passus, et tandem in crucem actus, et extinctus. Sed iam singulas accusationes discutiamus.

Prima, quam Christo obiiciunt, est, quod sit inutilis, sive ut graecus interpres vertit, iniucundus. Ut arbor, quae fructus non facit, inutilis censetur, ac proinde meretur excidi, ut de ficu per triennium expectata dicebat Dominus (*Luc.* 14): *Ut quid terram occupat?* cui simile est illud Homeri, *Telluris est inutile pondus.*Sed quam falso calumniam hanc effutierint, illud Apoc. comprobat, ubi Christus comparatur ligno vitae, afferenti duodecim fructus per singulos menses, ut inde intelligamus, nihil unquam ipso utilius, ac fructuosius in mundo extitisse. Omnia et singula, quaecumque in Christo contemplemur, utilitate referta inveniemus, nihil enim in eo infructuosum, aut inutile est. Verba eius fructuosa, *verba vitae aeternae habes:* daemonia, venti, et mare imperio eius obediebant, et omnipotentia verbi eius omnia cedebant; manus fructuosae, cum solo tactu a lepra mundarent; digiti fructuosi, qui missi in aurem surdo auditum restituerunt; oculi utiles valde: siquidem elevans illos in caelum, Lazarum a mortuis evocavit, turbam famelicam satiavit, Petrum aversum ad se convertit; saliva etiam fructifera, cum velut collyrio inuncti oculi caeci nati lumen receperint. Quid plura? vestimenta eius salutaria et fructuosa erant, ut sanitas, quam haemorrhoissa fluxum sanguinis patiens solo fimbriae illius tactu recepit, manifeste attestatur. Quid ergo infructuosum, et inutile excogitari potest in Christo nostro? Num sanguis? at illo abluti sumus a peccatis nostris. Num respiratio? at insufflans dixit (*Ioan.* 10): *Accipite Spiritum sanctum.* Num vita? at tota in beneficentiam corporum, et animorum nostrorum insumpta est. Num mors? at illa immortalitatis spem certissimam contulit. Calumniosa igitur est haec prima accusatio.

Sed secundam adiungo, quod potissimum bonum reipublicae sit pax, qui perturbat illam, reus est mortis. Iesus autem, obiectabant, adeo capitalem pacis hostem se exhibuit, ut diceret (*Matt.* 10): *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam.* Insuper etiam docuit odio habendos esse patrem, et matrem, et filios, et uxorem, ut quis eius discipulus esset. Sed quam haec sit cavillosa accusatio, non erit difficile ostendere: nam Christus venit pacem falsam, quam homines cum peccatis contraxerant, dissolvere, pacem vero conscientiae cum Deo resarcire. Unde Christus natus est tempore pacis Augusti, de qua Propheta dixerat (*Ps.*77): *Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis.* Praedicavit pacem, ut ait Apostolus (*ad Eph.*2): *His qui longe fuerant, et pacem his, qui prope.* Discipulos ad praedicandum mittens pacem commendavit, et ut primum dicerent (*Ioan.* 14): *Pax huic domui.* In testamento pacem legavit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Suscitatus a mortuis, primum pacem obtulit, dicens (*Ioan.*20): *Pax vobis.* Ac tandem (*ad Eph.*1): *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Itaque venit excommunicare pacem mundi, pacem inquam illam, de qua propheta Hieremias (*c.*6): *Pax pax, et non erat pax.* Huic paci bellum indixit, quia sine bello adversus falsam pacem vera pax haberi non potest.

Tertiam subiungunt accusationem, quod improperabat illis peccata contra legem; improperare autem vitiosum est, et valde affine peccato condendi libellos famosos, aut satyras pungentes. Fundamentum huius accusationis fuit, quod dixerat eis (*Matt.* 23): *Vae vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae, qui decimatis mentam, et anethum, et cyminum, et reliquitis, quae graviora sunt legis, iudicium, misericordiam, et fidem.*At haec obiectio ardentem Christi Domini zelum detegit, qui transgressores divinae legis acriter increpabat, iuxta illud Isaiae (*c.* 18): *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuncia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum.* Quia tamen obsequium amicos, veritas odium parit, ideo in Christum insurgebant.

Quartam obiectionem ei opponebant: *Diffamat in nos peccata disciplinae nostrae,* vocans nos violatores divinorum praeceptorum (*Matt.* 15):*Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* At mentiti sunt, quod Christus eos infamaverit, cum falsa eorum doctrina non occulta, sed omnibus patula esset: immo eos saepe honoraverat, dicens (*Matt.*22): *Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei: omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate, et facite:* et alibi (*Mat.* 23), infirmos mittebat ad sacerdotes: *Ostende te sacerdoti, et offer munus tuum.*

Quintam arrogantiae obiectionem proponunt: *Promittit se scientiam Dei habere.* Dixerat enim Iesus (*Ioan.* 7): *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me:* et rursus (*ibi.*): *Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Sed futilis satis est haec obiectio: nam quid frequentius noverant apud Prophetas proferri, quam, *Haec dicit Dominus?* Nihil ergo mirandum, si Christus, de quo praedixerat Moyses (*Deut.*18): *Ponam verba mea in ore eius*, scientiam Dei se habere profiteatur.



Sextam adducunt cavillationem, quod blasphemaverat, Filium Dei se faciens: *Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.*At cavillus hic non aliter, quam verbis Christi Domini refutandus est (*Ioan.* 10): *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* Non ergo blasphemus fuit, qui quod re ipsa erat, operibus comprobabat: nec enim Deus ad tot miraculosa opera concurreret in testimonium, quod Filius Dei erat, si id mendacium fuisset.

Septimam obiectionem adducunt: *Factus est nobis in traductionem animarum nostrarum.* Arbitror vocare traductionem propalationem eius quod erat occultum, et cedebat in dehonestationem eorum. Unde alii vertunt: *Hic cogitationum nostrarum index extitit.* Ubi arguunt illum de secretorum revelatione, quasi dicerent: qui occulta consilia revelat, proditor est, et fraudulentus, iuxta illud Salomonis (*Prov.* 11): *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana.*Verum in hac obiectione manifeste insipientiam suam indicarunt: nam si proprium solius Dei est cogitationes cordium percallere, iuxta illud Psalmistae (*Ps.*7):*Scrutans corda et renes Deus:* et iterum (*Psal.* 93): *Dominus scit cogitationes hominum:* certe cum Christus Dominus eis obiiciebat (*Matth.* 9): *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* debuissent inde colligere, Christum Dominum verum Filium Dei esse.

Octavam obiectionem afferunt, *gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viae eius.* His verbis singularitatem obiectabant Christo Domino. Quicumque autem studet singulari vitae ab aliis longe dissentienti, videtur esse schismaticus in republica; maxime si legem novam condat, et doceat. Verum cum haec singularitas Christi Domini in eo sita fuerit, quod ipsi in peccatis progeniti, Christus sine peccato conceptus; ipsi multis sceleribus contaminati, Christus nulla nec levi peccati labe infectus fuerit: potius id ad summam Christi venerationem impellere debuisset. Dissimilitudo ergo in moribus, vita, et doctrina, quibus omnibus Iesus conspicuus, ac praeexcellens erat, odii causa extitit: sicut Neroni contigit, qui, ut tradit Cornelius Tacitus (*lib.*16. *iuxta finem*), Thraseam magnum senatorem, et omni virtutum genere clarissimum, impudentissime occidit, non ob aliam causam, nisi quod eius vita studiosa vitiosae illius dissimilis omnino esset. Quod vero novam legem tulisset, id veri Messiae indicium erat, iuxta illud Hieremiae (*c.* 31): *Feriam domui Israel, et domui Iuda foedus novum;* et illud aliud Isaiae (*c.* 42): *Legem eius insulae expectabunt.*

Nonam obiectionem in hunc modum excogitarunt, tanquam *nugaces aestimati sumus ab illo*, sive ut alii vertunt, *tanquam adulterini habiti sumus ab eo:* in faciem enim nostram ait (*Ioan.* 18): *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo:* et alibi (*Matt.* 12. *et* 16) inquit: *Generatio mala et adultera signum quaerit:* ac tandem (*Ioan.* 8): *Vos ex patre diabolo estis.* At haec obiectio in eos facile retorqueri potest: nam ipsi gloriabantur patrem habere Abraham, et tamen morum et vitae integritate miram in modum ab eo degenerabant: adulterini ergo filii erant; ad magistrum autem spectabat discipulorum errata liberius corrigere, quantumcumque ipsi contra stimulum calcitrarent.

Decimam proponunt obiectionem iis verbis: *Abstinet se a viis nostris, tanquam ab immunditiis;* quasi dicerent, ad conventicula divertit, et secretas confoederationes pertractat, quod exitiale reipublicae nocumentum infert. Sed oporteret eos distinguere de segregatione, et separatione Christi a viis eorum: segregabat se quidem ab eis dissimilitudine morum, et vitae puritate, non tamen ab eos docendo abstinebat, sed frequenter ad ipsorum templum veniebat, et dies festos in cousortio eorum colebat.

Undecimam obiectionem producunt, dicentes: *Et praefert novissima iustorum:* vel ut alii vertunt, *Extrema iustorum praedicat beata:* quod Lazari, et divitis Epulonis exemplo confirmavit.Alii aliter intelligunt hunc locum, ut praeferre novissima iustorum, sit, quod gentem Paganam Hebraeorum genti anteponeret: immo Ninivitas, Reginam Austri, et quod magis est, ipsos Sodomae cives, dicens (*Matt.* 11): *Terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi.* Sed et haec obiectio nullius prorsus roboris est: nec enim legi contraria erat illa doctrina; tum quod in lege Moysi, et naturae plerique, quo sanctiores, graviores sustinuerunt aerumnas, novissima autem eorum fuerunt felicissima, ut exempla Iobi, Tobiae, et Prophetarum contestantur; tum quod scriptum esset (*Isai.* 54): *Lauda sterilis, quae non paris.*

Tandem videntes gravissimam omnium obiectionum esse, quod Filium Dei se fecerat, illam iterum inculcant, et exaggerant, dicentes: *Et gloriatur Patrem se habere Deum;* quasi dicerent, Lex extat Levitici, blasphemum lapidari, et morte affici iubens; hic autem blasphemus est in Deum, quia cum miser homuncio, qualem vides, sit, filium se confinxit Altissimi. At fefellit proculdubio eos opinio, et astutia sua: nam si prius innocentia Christi a damnationis sententia ferenda Pilatum retardabat, nunc divinitatis origo asserta magis deterruit: unde quod perpetrare antea timebat propter iniustitiam, nunc horrere incoepit propter impietatem. Cum enim Pilatus, ut adno-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tavit divus Cyrillus (*lib.* 12. *in Io. c.* 20), plures falsos Deos coleret, timuit, ne si forte Christus alicuius eorum filius esset, Deorum iram contra se concitaret, ut vindictam provocaret. Unde timens, ut advertit d. Ioannes, statim quaesivit a Christo: *Unde es tu?* id est quae est origo tua? quibus es progenitus parentibus? et ut ait idem Ioannes, *exinde quaerebat dimittere eum.* At Iudaei cognita hac Pilati voluntate, novam aliam adduxerunt accusationem, quae etiam Pilatum tangebat: *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris: omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari;* quasi dicerent, cum hoc sit crimen Caesareae Maiestatis laesae, si illum dimittis, tu etiam reus efficieris apud Caesarem, cum eum tuearis, qui Caesari adversatur. Succubuit Pilatus huic obiectioni, et quem timor innocentiae, et divinitatis ab eius damnatione illuc usque retraxerat, inanis mundi timor impulit, ut magis eorum pravae voluntati acquiesceret, quam Deum sanctum revereretur. Prius tamen, quam mortis sententiam proferret, lavit manus suas dicens (*Matt.* 27): *Innocens ego sum a sanguine Iusti huius.* In cuius caeremoniae usu, tametsi multa sit inter auctores controversia, Iudaica ne esset, vel gentilis, et an imitatus fuerit in ea Pilatus Romanos, vel Iudaeos; mihi dubium non est, inter utrosque hanc viguisse caeremoniam: nam licet, ut auctor est d. Clemens Papa (*lib.* 2. *const. Apost. cap.* 52), loquens de iudicibus Romanis: *Qui sententiam mortis in reum pronunciaturus erat, sublatis manibus adversus solem, se innocentem ab illius sanguine contestabatur;* fuisse tamen apud illos lotiones et lustrationes ad protestandam suam innocentiam in damnatione mortis, tradit Dionysius Halicarnasseus (*lib.* 5), cuius haec sunt verba: *Iussit Horatium expiari iis lustrationibus, quas involuntariae caedi praescripserunt.* Plutarchus etiam (*emb.* 113), refert Romanos, post quamcumque etiam iustam sententiam, mortis iudices inquinatos censere, et purgationum piaculis indiguisse: ex quorum more Æneae regresso, penatesque tangere recusanti, hoc tribuit Virgilius (2. *Aeneid.*):

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates;
Me bello e tanto digressum, et caede recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Tertullianus (*lib. de Bap. cap.* 5) ait: *Aqua expiant passim, idque se in impunitatem periuriorum suorum agere praesumunt.* Et penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatoria aqua se expiabat. Triclinius Sophoclis interpres: *Veteribus,* inquit, *mos erat in hominum caede, aliisque mactationibus aqua abluere manus expiationis causa.*

Ægyptii etiam, ut refert Hor. Apollo, ignem, et aqua pingunt, quod his elementis lustratio fiat, atque expiatio. Lotionem autem manuum caeremoniam etiam fuisse Iudaicam, in argumentum innocentiae, colligo primo ex verbis Deuteronomii: nam loquens de cadavere, cuius caedis reus ignorabatur, ait (*Deut.* 21). *Et venient omnes maiores natu civitatis illius, et lavabunt manus suas super vitulum, et dicent: Manus nostrae non effuderunt sanguinem hunc.* David etiam haud obscure id indicavit, dicens (*Psal.* 25): *Lavabo inter innocentes manus meas.* More ergo, tam Gentili, quam Iudaico, Pilatus lavit manus. Fateor tamen Origenem (*tract.* 25. *in Matth.*), et Theophylactum (*in Psal.* 25) huic secundae sententiae omnino adhaerere: sic enim Origenes: *Pilatus videns, quod nihil proficeret, Iudaico usus est more, volens illos de Christi innocentia non solum verbo, sed etiam ipso facto placare, faciens non secundum aliquam consuetudinem Romanorum;* haec ille. Eandem sententiam his verbis sequutus est Euthymius (*in eod. Ps.*): *Manus aqua purgavit, ostendens, quod purus esset, et non particeps caedis: nam id Iudaici moris erat, hoc modo protestari eos, qui nollent alicui caedi communicare.* Ceterum quidquid sit de more, quem in lotione Pilatus imitari satagebat, id certum est, lavisse manus in signum publicum innocentiae Iesu, et exonerationis propriae conscientiae, et reiectionis culpae in Iudaeos. Existimo autem huius protestationis figuram fuisse illam, quam ediderunt nautae, cum Ionam figuram Christi Domini proiecturi essent in mare, tempestatis sedandae gratia. Hanc historiam ita eleganter interpretatur divus Hieronymus, ut nihil ab explicatione eius demendum, vel subiungendum videatur: verba eius sunt haec: *Clamaverunt, enim,* inquit Scriptura, *ad Dominum, et dixerunt, Ne des super nos sanguinem innocentem, sive, ut Septuaginta interpretes habent, sanguinem iustum, quia tu Domine, sicut voluisti fecisti: et tulerunt Ionam, et miserunt in mare. Contestantur Dominum, ut quodcumque facturi sunt, non sibi reputetur, et quodammodo dicunt: Nolumus interficere Prophetam tuum, sed iram tuam, et ipse confessus est, et tempestas loquitur, quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti. Nonne vobis videtur nautarum vox Pilati esse confessio, qui lavat manus suas, et dicit, mundus sum ego a sanguine viri huius? Nolunt Christum perire gentes, innocentem sanguinem protestantur, et Iudaei dicunt: Sanguis eius super nos, et super filios nostros: et ideo si levaverint manus, non exaudientur, quia plenae sunt sanguine.*

Conscendens igitur Pilatus in locum eminentem, nomine Lithostratos, unde iudices, ut ab hominibus viderentur, alta voce sententiam pronunciabant, eratque locus ille sedes pulchra nimis, duabus columnis innixa, e cuius dextera parte duo pendebant Romanorum vexilla, a sinistra vero aquila quaedam erat magnarum alarum, Caesaream dignitatem praeseferens: ex hoc inquam loco pro tribunali sedens, contra Christum Dominum capitalem sententiam promulgavit. Quae autem fuerit damnationis formula, nec sacra volumina tradunt, nec una est omnium auctorum sententia. Nam d. Anselmus (*lib. de Pass.*) hanc assignat: *Iesum Nazarenum adiudico morti ignominiosae Crucis.* S. Vincentius hanc adducit: *Iesum seducentem populum, blasphemantem Deum, dicentem, se Christum regem Iudaeorum esse, Cruci affigendum condemno, et adiudico.*



Lanspergius aliam scribit: *Iesum Nazarenum, qui contra decretum Imperatoris, Filium Dei, et regem se nominavit Iudaeorum, iussimus extra civitatem duci, et cruci affigi.* Guliel. (*Statione* 6. *Christi patientis*) hanc exhibet: *Iesu Nazarene, gens tua te accusavit, quod volueris usurpare regnum Iudaeorum in iniuriam Imperatoris Romani, propter quod praecipio te flagellari primum secundum principum nostrorum statuta, deinde in cruce levari, et ibi mori.* Verum existimo hos Doctores meditationis gratia, sicut alia multa, has sententiae formulas excogitasse. Tres ergo reperio auctores, formulas tres huius damnationis referentes, quae maiorem praeseferre videntur veritatis speciem. Primam refert Evangelium Nicodemi, qualiscumque fides ei sit adhibenda, dicens: *Genus tuum comprobavit te regem; propter quod ego Pilatus praecipio flagellari te, secundum statuta piorum Principum, et in eo loco ubi tentus es, crucifigi, et duos malignos tecum, quorum nomina sunt Desmas, et Gessas.* Secundam Semproniensis (*de recta Paschae celebr. lib.* 19. *c. ult.*) tradit in haec verba: *Nos Pilatus, et Deorum immortalium voluntate, et Romanorum Principum, ac Senatus auctoritate, Praeses Iudaeorum provinciae constituti, cupientes provinciam fidei nostrae creditam vacare malis hominibus, quemadmodum et gravis Praesidis interest, omni vi, omnique industria Romano Imperio propagando, et paci perpetuae servandae consulere gestimus. Verum quia in praesentiarum Iesum Nazarenum, hominem seditiosum, atque seductorem invenimus, qui usque adeo in sua temeritate confisus est, ut non sit veritus contra fas, legesque Imperiales regnum sibi adsciscere Iudaeorum, eundem tanquam hominem factiosum, et bonorum vitae, ac pacis moribus insidiantem ultimis suppliciis deputamus, ne vel ipse audeat tale aliquid post hac, et ceteri sint ad incidenda imperia tardiores. Sed quia turpissime degentes turpissimo sunt afficiendi supplicio; nefarium hominem, quasi latronem, et factiosorum principem, patibulo crucis addicimus. Romanorum vero, atque divi Caesaris imperium precamur maneat semper, et Deorum immortalium pietate, et bonorum Principum aequitate servatum.* Tertiam tandem alii assignant, quam ex annalibus antiquis Iudaeorum (*cap.* 8) acceptam dicunt, et Hierosolymis inventam, quam Christianus Adricomius (*in descript. Hierusalem* 115) maxime approbat: tenor eius est: *Nos Pontius Pilatus, sacri Romani imperii Praeses, adiudicamus Christum reum mortis, eo quod voluerit regnum Iudaeorum usurpare, ut multipliciter comprobatum est testimonio Pontificum maiorum civitatis Hierusalem; et quia contra decretum Principum fecisti, volens te facere Regem, propterea iudico te, et sentio primo elevari in cruce, extra civitatem Hierusalem in loco, qui dicitur Golgotha, id est Calvariae, donec complete morieris, per quam mortem respublica Iudaeorum salva fiet. Similiter tecum pariter duos latrones crucifigi convictos in sceleribus suis, qui sunt Dismas, et Gismas, a dextris, et sinistris, tu vero tanquam rex, in medio ipsorum in cruce residens. Lata est sententia in Hierosolymis, in loco qui dicitur Lithostrotos, Parasceve Paschae, hora quasi sexta.* Quamvis autem haec, quae nulla Ecclesiae auctoritate constabilita sunt, certam fidem non faciant, illud tametsi d. Chrysostomus refellat, omnino certum arbitror, Pilatum non solum permisisse Christi damnationem, sed formalem, ut ita loquar, mortis sententiam contra Christum Dominum tulisse: verba Chrysostomi (*in* 1. *Cor. ser. ult. de eleem.*) sunt: *Quod Romanis subditi fuerint Iudaei, non pauca sunt argumenta. Similiter manifestum, quod propriis usi sunt legibus. Stephanum autem lapidarunt, nondum ad tribunal ductum; Iacobum fratrem Domini occiderunt; Christum ipsum crucifixerunt, quamvis permittente Praeside, qui illorum accusationem refutabat; nam ea de causa et manus lavit, dicens: Innocens sum a sanguine iusti huius; et quia valde urgentes videbat, ipse quidem sententiam non tulit, sed tradendo eum, permisit illos sua uti tyrannide.* Sed bona venia sancti Patris, ac celeberrimi Ecclesiae doctoris dixerim, oppositum aperte colligi ex Evangelica lectione. Primum, quia *sedit pro tribunali,* ut ait d. Ioannes: tribunal vero locus erat iudiciis ferendis deputatus; ad quid autem sedit, nisi ad ferendam sententiam, quam Iudaei maxime urgebant, et ab Ipso extorquere moliebantur insanis illis clamoribus: *Tolle tolle, crucifige eum?* Notanter etiam Evangelista dixit Pilatum sedisse, ut indicaret morem Romanorum iudicum, cuius testes sunt Gellius (*lib.* 7. *c.* 1), Plinius (*epi. lib.* 5. *ep. ult.*), et Ulpianus (*lib. ult. ff quin. ordo in possess.*), et alii, adeo ut in iure dicatur, sententiam a iudice stando, non sedendo prolatam nullius momenti esse. Quod ea propter statutum arbitror, ut externa corporis quies, atque tranquillitas pacatum, ac serenum iudicis animum praeseferret, pariterque indicaret, quod non malevolo, aut praecipiti consilio ad ferendam sententiam duceretur. Secundo id constat ex illis verbis (*Ioan.* 19): *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur:* haec enim non solum permissionem, sed positivam sententiam, et iudicium redolent. Unde d. Lucas (*c.* 23) id explicatius referens dixit: *Et Pilatus adiudicavit fieri petitionem eorum.* Tulit ergo iudicium, et sententiam. Tertio, quia Iudaei dixerant: *Nobis non licet interficere quenquam,* quod verissimum erat absque sententia iudicis, ut erudite ostendit cardinalis Toletus (*c.* 18. *in Ioan. adnot.* 23). Cum ergo interfecerint, praecessit absque dubio interfectionis sententia: unde d. Cyrillus (*catech.* 23) ait: *Ille,* scilicet Pilatus, *dixit in eum sententiam, et iussit eum crucifigi:* et s. Cyprianus (*de coen. Do.*) innuit sententiam mortis in Christum fuisse dictatam: *Feriebat,* inquit, *pius magister cum iam damnationis suae dictaretur sententia, et prope esset, ut figeretur in cruce:* et Addo de s. Savin: *Praefectus,* inquit, *dictavit sententiam.* Apud Romanos etiam, ut auctor est d. Augustinus (3. *de Tri.*), praeco non aliam sententiam alta voce promulgabat, quam Iudex pronunciaverat: sic enim ait: *Verba Iudicis praeco pronunciat, non scribitur in gestis; ille praeco dixit, sed ille Iudex.* Quo autem idiomate sententia haec Pilati ab eo pronunciata fuerit, non omnes inter se consentiunt. Quidam enim asse-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

runt, sicut crucis titulum Hebraice, Graece, et Latine scriptum, ita et sententiam latam fuisse: alii, quia Pilatus Hebraeorum genti praeerat, arbitrantur Hebraeo idiomate usum: alii tandem, quorum sententiae subscribo, latino tantum idiomate illam protulisse autumant. Romani enim toti orbi dominantes, ubique tamen latino tantum sermone ad maiorem pompam, ac latini nominis maiestatem conservandam utebantur; sicuti aperte testatur Valerius Maximus (*lib. 2. cap. 2*) dicens: *Magistratus vero prisci, quantopere suam, populique Romani maiestatem retinentes, se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cetera obtinendae gravitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Graecis unquam nisi latine responsa darent. Quin etiam ipsa linguae volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebantur, non in Urbe tantum nostra, sed etiam in Graecia, et Asia, quo scilicet latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur.* Quin etiam, refert Svetonius (*in Tiberio*), quod quamvis sermone graeco optime excultus esset, ipse tamen adeo graeco sermone praecipue in senatu abstinuit, ut cum quadam vice monopolion nominare vocum inopia compelleretur, veniam postularet. Idem ibidem testatur, eundum Tiberium, cum in quodam decreto Patrum legeretur, emblema, praecepisse eam mutari vocem, et aliam patriam, et latinam vocem innovandam; sin minus, eius vocis vim verborum circuitione exprimendam. Cum igitur tanti fieret a Romanis latina locutio, credi vix potest Pilatum in actu iudiciali, in quo pro tribunali sedebat, alio quam latino sermone esse locutum.

Sed iam iniustitiae, et iniquitatis huius sententiae praecipua capita indicemus. Primum, quia ex publica fama integritas vitae Christi constabat, dicente d. Matthaeo (*cap.10*): *Exiit fama haec per universam terram illam: Propheta magnus surrexit in nobis. Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent.* Ipsi etiam Hebraei saepe eius sanctitatem attestati sunt (*Ioan.9*): *Scimus, quia a Deo venisti. Hic si peccator esset, non posset aperire oculos caeci nati.* Uxor Pilati: *Nihil tibi, et iusto illi.* Alii: *Bene omnia fecit.* Ipsa etiam daemonia e corporibus virtute eius expulsa audierant dicentia: *Quid nobis, et tibi Iesu Fili Dei?* et alibi: *Ut quid venisti perdere nos?* Ac tandem Pilatus ipse Christi innocentiam ingenue confessus, dixit: *Ego in eo nullam invenio causam. Quid mali fecit? Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* Et scribens ad Tiberium teste Tertulliano (*Apologetico adv. gentes cap. 21*), sanctitatis eius multis testimonium praebet, quorum tenorem refert Sixtus Senensis (*lib. 2. Biblioth. Sanctae*); inter alia vero haec scribit: principes vero sacerdotum aemulatione et livore instructi, adversabantur illi, captumque illum mihi tradiderunt, ementitis sceleribus eum reum facientes, Magum appellabant, atque legis desertorem, et contradictorem. Quibus persuasionibus seductus ipse, fidem querelis eorum adhibui, flagellatumque ipsis tradidi, ut pro arbitrio in eum animadverterent. Proditor item Iudas paulo ante suspendium clamavit: *Peccavi tradens sanguinem iusti.* Haec omnia commemorata verba sunt hostium Christi, ut impleretur illud (*Deut. 32*): *Et inimici nostri sunt iudices.* Secundo non solum Christus Dominus innocens erat de facto, ut loquuntur Iurisperiti, quia secundum rei veritatem crimen nullum commiserat, immo nec committere poterat, sed etiam erat innocens de iure, quatenus crimina obiecta iuridice probari minime potuerunt. Tertio, quia iidem accusatorum pariter, et testium munere contra omne ius usi sunt, ipsique ultro, et non vocati ad testificandum accessere, contra leg. unius. ff. de quaest. ubi dicitur: *Testi ultro accedenti non est credendum.* Quarto, quia nullus iudex in quemcunque sententiam pronunciare potest, nisi aut sponte confessus, aut per testes fide dignos, omnique exceptione maiores accusatus, aut per facti evidentiam fuerit convictus. At Christus Dominus nec scelus aliquod confessus, nec per testes fide dignos, sed per infames, et capitales eius hostes in iudicium ductus, nec tandem de aliquo malo opere convictus unquam fuit. Quinto, quia Iudex si iustitiae tramites non transiliat, debet testes, si propter antiquas inimicitias contra reum deponant, ipso iure praecipiente repellere, ut cavetur (*c. testes, q. 3*). Constabat autem Pilato, Iudaeos esse Christi hostes capitales, d. Matthaeo attestante (*c.27*): *Sciebat, quod per invidiam tradidissent eum.* Sexto fuit sententia iniqua ex defectu iurisdictionis, quia cum Christus Dominus esset Summus Pontifex Ecclesiae, nullius iudicio subiacere poterat, etiam in quantum homo, et maxime Iudicis saecularis, qualis erat Pilatus. Unde potestas, quam habuit in Christum, fuit potestas tenebrarum, permissa tantum desuper, ut alibi latius discussimus. Nec excusari ulla ratione potest, si quis dicat iudicem debere ferre sententiam iuxta allegata, et probata, ut habetur (*capit. Si Sacerdos de officio iudicis ordinarii*): nam, ut Angelicus Doctor (*2.2. q. 64. a.9. solutione ad 3*) ait: *Iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, ut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere iudicandum. Si autem hoc non potest, non peccat secundum allegata sententiam ferens, quia ipse non occidit, sed illi, qui eum asserunt nocentem.* Pilatus vero aliter fecit, cum nec testes diligenter examinarit, ut Daniel fecit, nec causam ad superiorem suum remiserit, hoc est ad Imperatorem, nec tandem iudicaverit secundum allegata, et probata, sed secundum allegata tantum: nam, ut ait d. Marcus, non erant convenientia testimonia eorum, unde nihil idonee, et iuridice contra Christum Dominum probare potuerunt, irrefragabili semper manente testimonio eius: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* id est quis me convincet peccati reum? Unde recte divus Ambrosius (*ser. 11. in Ps. 118*) loquens de Pilato ait: *Manus lavit, sed cor suum lavare non potuit: mansit scelere pollutus, quamvis manus suas aquae in-*



*fusione lavisset.* Licet etiam Iudaei, vel ipse Iudex aequissimam tulissent sententiam de Christo crucifigendo, quae proculdubio fuit iniquissima, omnibusque legibus adversa, executionem tamen sententhae ad decem saltem dies dilatam oportuit. Recens enim erat Senatusconsultum Tiberianum a Tiberio imperatore editum, quo mandabatur, ut supplicia damnatorum in decimum diem differrentur, ut testatur Svetonius. Quo Senatusconsulto omnem Iudaeorum furorem Pilatus coercere poterat. De eodem edicto Tacitus (*3. Annal.*): *Factum Senatusconsultum, ne decreta Patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur, idque vitae spatium damnatis prorogaretur.* Quare Sidonius (*lib. 2. Epistolar.*), vel lapsus est memoria, vel codex corruptus est, qui nominat triginta dies: *Nunc*, inquit, *ex vetere S. C. Tiberiano triginta, vitam post sententiam trahit.*

Huius iniquae sententiae Pilati adversum Christum Dominum egregiam reperio figuram, eam scilicet sententiam, quae instante Iezabel contra innocentem Naboth prolata fuit. Cupiebat Rex Achab adnectere horto suo pulchram Naboth vineam illi vicinam; illo tamem venditionem eius a rege saepe rogato renuente, Iezabel regis uxor adversus eum ira percita, duos falsos induxit testes, qui illum contra Deum, et regem blasphemum, atque adeo in divinae, et humanae laesae maiestatis crimen prolapsum fuisse contestarentur: qui cum ad iudicem deferretur, mortis supplicio eum damnavit, et populus, ut regi congratularetur, saxis illum cooperiens occidit. Ecce imaginem ad vivum iniquam Pilati sententiam exprimentem. Naboth, qui interpretatur *homo fructificans*, Christum Dominum adumbrat (*Matt.13*): *Qui exiit seminare semen suum;* et qui discipulis dixit (*Ioan. 15*): *Elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis.* Unde d. Paulus (*Philip. 2*) de illo ait: *Qui dedit velle:* ecce semen: *dabit et perficere:* ecce fructum. Vinea Naboth Christi Ecclesiam nobis ob oculos ponit, quae *extendit palmites suos usque ad mare*, et de qua Dominus per Hierem. praedixerat: *Ego te plantavi vineam electam, et quid ultra potui facere vineae meae?* Achab, ut docet Arias Montanus (*in Apparatu*) *patrem fratris mei significans*, daemonem optime designat, patrem Iudaei, qui Christi secundum carnem frater erat: unde ipse eos increpans dixit (*Ioan.8*): *Vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri vultis perficere. Ille homicida fuit a principio.* Iezabel, quae *insula stercoraria* interpretatur, apte satis Iudaeorum Synagogam bonorum temporalium stercore se volutantem repraesentat. Daemon igitur tyrannice praedominari volens, sibique usurpare dilectam Christi Ecclesiae vineam, certe cum id obtinere non posset, falsos contra Christum adhibuit testes, crimen divinae, et humanae maiestatis laesae illi imponens, quod scilicet Filium Dei se confinxerat, et Caesari tributa pendere prohibuerat. Quibus auditis impia Synagoga mortem eius importune expostulante, infami crucis supplicio iniquus iudex Pilatus plectendum duxit. Tamen sicut inverecunda Iezabel debitas tanti sceleris poenas persolvit, rabidis canibus in carnes eius irruentibus, qui non solum lacerarunt, sed partim devorarunt; ita divino consilio factum est, ut Titus, et Vespasianus, velut immanissimi canes in Iudaicam gentem invadentes, non solum lacerarent, sed discerperent, et quasi penitus extinguerent. Ceterum illud nobis excutiendum est, utpote quod non modicam pariat admirationem; qua ratione si Pilati sententia iniusta, atque iniqua adeo fuit, aeternus Pater illam confirmavit, et dirae mortis supplicio innocenti Filio infligendo non invitus consensit. Sicut enim de Pilato ait d. Ioannes (*c.22*), *tradidit illum, ut crucifigeretur;* ita d. Paulus de aeterno Patre, inquit, *qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ast licet uterque tradiderit, aliter tamen Pater, quam Pilatus, hic velut iniquum, et iniustum acclamatum: Pater vero tanquam iustum, et sanctum, iuxta illud (*Sapient. 12*): *Cum sis iustus, iuste omnia disponis. Eum quoque, qui non debet puniri, condemnas, et exterum aestimas a tua virtute.* Cuius loci difficultatem, ex quo velut ex cruce multorum ingenia pependerunt, d. Gregorius Papa de Christo Domino illum intelligens penitus evacuavit, in haec verba loquens: *Pensandum est, quomodo iustus sit, et omnia iuste disponat, si eum, qui non debet puniri, condemnet. Mediator si quidem noster puniri pro semetipso non debuit, quia nullum culpae contagium perpetravit; sed si ipse indebitam mortem non susciperet, numquam nos a debita morte liberaret. Pater ergo cum iustus sit, iustum puniens omnia iuste disponit, quia per hoc cuncta iustificat, quod eum, qui sine peccato est pro peccatoribus damnat, ut eo electa omnia ad culmen iustitiae surgerent, quo is, qui est super omnia, damna iniustitiae nostrae sustineret.*

## HOMILIA XIX.

*De gravi, ac molesta crucis baiulatione super humerum, qua onustus Christus Dominus perrexit ad montem Calvarium, ubi etiam de materia, ac magnitudine Dominicae crucis multiplici eruditione disseritur.*

Priusquam de crucis baiulatione ad locum supplicii sermonem instituam, operae pretium duxi, ex quo ligni genere Dominica crux confecta fuerit, diligenter examinare: inde enim, quam Christo molesta, ac difficilis fuerit, facile deprehendetur. Scio Nicolaum de Lyra ex hist. Scholast. et ex antiquissimis Hebraeis tradere quaedam, quibus minime gentium assentior, sic enim ait: *Dicitur in historia, quod regina Saba vidit in domo saltus Libani Salomonis quoddam lignum, de quo vidit in spiritu, quod in illo pateretur ille, propter quem deficeret regnum Israel. Quod cum significasset Salomoni, ipse volens servare durabilitatem regni, fecit poni illud lignum in profundo terrae iux-*

*ta templum ubi postea in superficie terrae facta est illa piscina: et ideo postea ibi illud lignum apparuit modo praedicto. In quadam vero historia sanctae crucis dicitur, quod Seth filius Adae ex praecepto patris ivit ad paradisum voluptatis, unde eiectus fuerat, et petiit ab angelo custodiente locum illum, de oleo misericordiae: qui acceptis tribus granis arboris ligni vetiti, dedit ea Seth: et ipse plantavit super sepulcrum patris sui Adae, et inde ortae sunt tres virgulae, quae postea in unam arborem sunt coniunctae. Postea tempore Salomonis illa arbor fuit secta, quia videbatur aedificationi templi necessaria; verumtamen quando applicabatur ad opus, semper erat nimis curta, vel nimis longa, et ideo tanquam inutilis ad hoc dimissa fuit iuxta templum in atrio quodam. Homines autem venientes ad templum, illi ligno coeperunt facere quandam reverentiam instinctu divino, de quo dolentes sacerdotes, fecerunt illud proiici intra piscinam, quae erat prope templum, quod descendens ad fundam, ibi diu latuit; postea vero imminente passione apparuit modo praedicto;* haec ille. Godefredus Viterbiensis (*in sua Chronica*) de filio quodam Noe, cui nomen Hionto, haec quae sequuntur, scribit: *In paradisum intromissus, surculos palmae, abietis, et cupressi decerpsit, variisque in locis plantavit: ex quibus mirabili modo in unum concretis extitit arbor trium illarum naturam referens, ex qua postea Crux Domini fuit compacta.* Quaedam alia his similia reperit Iacobus Greiserus (*in codice bibliothecae Augustinianae*), ubi habetur, Abrahamum tres surculos, nempe pinus, cupressi, et cedri panxisse; eosque postea unam in arborem coaluisse, distinctis tamen radicibus, et verticibus; hanc una cum aliis ad fabricam templi a Salomone succisam, nullique loco aut aptam fuisse, aut aptari potuisse, eaque de causa a Salomone destinatam, ut nescio in qua templi parte sedilis vice fungeretur: eo adductam Sibyllam, considere noluisse, sed Spiritu Dei plenam praedixisse, quis in eo ligno venientibus saeculis mortem oppetiturus esset. Salomonem hoc oraculo permotum lignum ad Orientem solem erectum constituisse, et triginta argenteis crucibus cinxisse, idque eo loco usque ad tempus passionis Domini permansisse. Verum quia haec omnia fabularum figmenta redolent, solidisque testimoniis destituta sunt, iam ea, quae maiorem probabilitatis speciem praeseferre videntur, subiiciamus. Quidam putant, cum Christi crux victoriae illius trophaeum extiterit, ex eisdem lignis confectam, quibus Hierosolymam ingrediens quasi post victoriam reversus triumphavit; haec autem palmas fuisse, et olivam, usus Ecclesiae comprobat, in Dominica Palmarum illa solum arborum genera benedicens. Alii opinati sunt, crucem Christi ex taxo fabricatam fuisse, Hieremiae verbis innitentes: *Mittamus lignum in panem eius:* nomine enim ligni taxum, quae arbor est venenosa, intelligi debere auctor est Lyra in eundem locum. Per panem vero Glossa, et Patres, corpus Christi significare velle satis exploratum est, unde perinde aiunt fuisse dicere, *Mittamus lignum in panem eius,* ac si dixisset, affigamus corpus eius, quod ipse panem vocitat, venenoso, et execrando taxi ligno. Alii tandem in ea fuerunt sententia, ut putarent materiam Dominicae crucis fuisse fraxinum, de qua Virgilius (*Eclog.7*): *Fraxinus in silvis pulcherrima.* Qaod si quae sententia, quam tamen nulla ratione video fulciri, vera esset, praeclaram sane mysticam intelligentiam sustineret: fraxinus enim arbor est procera, et ad fabricandas hastas optima: unde Isidorus ait, Achillis hastam ex ea confectam fuisse. Haec etiam arbor adeo serpentibus est ingrata, ut facilius in ignem se immittant, quam inter eius folia se involvant, ut auctor est Plinius (*lib.* 19. *cap.* 14), unde non solum illam, sed et umbram eius adeo execrantur, ut nulla ratione eam attingant. Est etiam haec arbor variis infirmitatibus utilis valde, et humanae naturae mirum in modum benigna: nam priusquam serpentes prodeant, flores emittit, folia vero eius non decidunt, quousque serpentes aufugerint. Persimilis sane videtur huic arbori crux Dominica. Hac enim tanquam hasta usus est Christus ad daemones superandos, ipsisque adeo semper infesta, atque invisa extitit, ut non tam molestum Inferni ignem, quam eius umbram, folia, aut fructus sustinere sibi videantur. Christi etiam crucem naturae humanae utilem valde ac benignam fuisse, cum praecipuum humanae reparationis Christo instrumentum fuerit, nullus catholicus ambiget. Bellonius autem, qui Terram sanctam, totumque Orientem peragravit, de Palaestinae arboribus verba faciens ait: Fructiferae istic arbores proveniunt, ficus, oleae, punica malus, ziripha, prunus. Cum vero lignarii mercatores in urbibus varia lignorum genera adservare soleant in suis aedibus, et fabrorum tabernis, vix suspicari licet, ex altero, quam supra memoratarum arborum ligno, crucem fabricatam fuisse. Anastasius vero Sinaita (*lib.*5) Christum ait recubuisse, et obdormisse in ligno crucis ex tribus arboribus confectae, quibus intelligit cypressum, pinum, et cedrum: quod et Ioannes Cantacuzenus Imperator Constantinopolitanus (*in suis assertionibus contra Mahometanos*) tradidit. Eidem sententiae adstipulantur divus Chrysostomus (*orat. de venerat. Crucis*), Alexander Monachus, et Beda (*in collectaneis*), ubi ait: *Crux Domini de quatuor lignis facta est, quae vocantur cypressus, cedrus, pinus, et buxus: sed buxus non fuit in Cruce, nisi tabula de illo ligno super frontem Christi, in qua conscripserunt Iudaei titulum: cypressus fuit in terra usque ad tabulam, cedrus in transversum, pinus sursum.* Eandem sententiam amplectitur d. Bernardus (*de Passione Do. c.*36), dum versans verba illa: *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius: Quid est,* inquit, *in palmam? In crucem, cuius una pars de arbore palmae dicitur facta fuisse: de quatuor enim generibus arborum facta fuisse refertur, de cypresso, de cedro, de oliva, de palma. Cypressus in profundo, cedrus in longo, oliva in alto, palma in lato. Unde dicit Apostolus, ut possimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum. Profundum vero in cruce vocatur illud lignum, quod*



*infixum erat terrae, in qua stabat lignum erectum, et cui dorsum crucifixi Domini applicandum fuerat, quod est crucis longitudo. Lignum vero ex transverso illi appositum, cui manus erant affixae, latitudo crucis nominatur. Illud autem, quod a Pilato fuit positum, in quo titulus triumphalis fuit scriptus, altitudo nuncupatur;* haec ille. Quae omnia non parum videntur illustrari, et confirmari ex Isaia, secundum editionem 70. Interpretum: *In cupresso, pinu, et cedro simul locum sanctum celebrat.* Quem locum in huius rei probationem adducit d. Chrysostomus supra relatus. Sed et verba nostrae vulgatae editionis non parum eidem sententiae favere videntur: *Gloria Libani ad te veniet, abies etiam, buxus, et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meae, et locum pedum meorum glorificabo.* Hunc locum intelligunt nonnulli crucem Christi, cui affixi fuerunt pedes eius, quam adeo sua passione glorificavit, ut Apostolus dicat (*Gal.* 2): *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Hunc ergo locum, id est crucem, ait Isaias ornandum esse abiete, buxo, et pinu, quia his arboribus constare debebat. Sed non est germana interpretatio, quia per locum illum sancti Patres, ut tradunt Aymon (*sup. c.* 60. *Isa.*), Glossa, et Lyra (*sup. idem cap.*), sanctam Ecclesiam intelligunt, ad eum modum, quo dicitur: *Caelum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum.* Per varietatem autem illarum arborum diversitatem gentium, aut ordinum Ecclesiae significari aiunt, ex quibus ipsa construitur Ecclesia, miro decore distincta. Tandem eidem sententiae suffragatur Glossa (*in Clementina prima de Trin.*), ubi hoc carmine suam, et aliorum de materia crucis sententiam significat:

Ligna crucis palma, cedrus, cupressus, oliva.

Ponit vero cedrum in stipite, palmam in palo per longum, cupressum in ligno ex transverso, olivam in tabula super crucem. Eademque de numero lignorum tradit Vincentius (*lib.* 7. *spec. hist. c.* 24), et Innocentius (*ser.*1. *de uno martyre*), dum ait: *Fuerunt in cruce Dominica ligna quatuor, stipes erectus, et lignum transversum, truncus suppositus, et titulus suppositus.* Quod si haec tantorum Doctorum sententia de diversitate arborum, ex quibus compactam aiunt crucem Dominicam, vera est, arbitror sub illis specialia delitescere sacramenta. Palma enim apud omnes nationes victoriam exprimit, quam per crucem habemus (1. *Cor.* 15): *Qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum.* Cypressus honorifici sepulcri symbolum est, propter suam incorruptibilitatem, et gratum odorem. Tale fuit sepulcrum Christi, dicente Isaia (*c.*11): *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Cedrus fugandi, immo et occidendi venenosos angues innatam vim habet, quam etiam Apostolus agnovit in Christo Cruci affixo, dum ait, quod *de peccato damnavit peccatum.* Oliva denique pacis argumentum semper fuit, quam etiam ex ligno crucis impartitus est Dominus, ut ait Paulus (*ad Colos.* 1): *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt.* D. Bernardus (*lib. suo de pass.*) aliam harum arborum mysticam, ac mellifluam intelligentiam his verbis tradit: *Habent autem horum lignorum singula suas mysticas significationes, secundum naturas suas. Cypressus enim timorem, sive humilitatem significat, ubi est radix crucis, per quam non solum situs humilis, sed natura eius exprimitur: quia, ut dicitur, fugat odore serpentes, idest diabolos, quorum proprius character superbia, quae ab humilitatis virtute fugatur. Cedrus arbor longitudine praestans aliis arboribus, longitudinem crucis, idest perseverantiam significat, sive sapientiam: naturali enim sua virtute approbatur, quia est valde durabilis, et corrumpi ex natura non potest. Oliva vero, arbor oleum effundens, per quam misericordiae opera significantur, charitatem significat: quae arbor bene latitudinem habet crucis, quia lata est charitas, quae etiam ad inimicos extendi praecipitur. Palma porro arbor victoriam significans, altitudinem crucis optime refert spem de supernis habendam, non ad infima deprimendam. Haec arbor habet in se titulum triumphalem scriptum, in quo invenitur fructus crucis. Prima enim dictio est Iesus, per quam intelligitur Salvatio, quae idem est quod redemptio. Ecce fructus crucis. Propterea enim Christus crucifixus est, ut redimeret hominem;* hactenus Bernardus.

Fateor tamen mihi non omnino probari hanc sententiam, tum quod non facile mihi persuadeam, inimicos Christi diligentes fuisse in exquirendis lignis alioquin pretiosis, ad compingendam Christi crucem, quam tanquam infamem, et maledictam execrabantur. Unde d. Gregorius Nyssenus (*orat. de Baptis.*) ait: *Lignum Crucis omnibus hominibus salutare est; licet sit pars, ut audio, arboris vilis, contemptiorisque, quam aliae multae sint:* tum quia si his compacta fuerat Dominica crux, certe cum ab Helena Imperatoris Constantini matre tres cruces repertae fuere, facile fuisset discernere, quaenam illarum Christi esset; quod tamen non nisi divina virtute innotuit, ut tradunt Rufinus (*lib.* 1. *c.* 7. *et* 8), et Sozomenus (*lib.* 2. *c.* 1), et communis Patrum sententia. Dicere autem cruces etiam latronum eadem arborum diversitate, et decore distinctas esse, et ideo non facile a Christi cruce discerni potuisse, nullus sanae mentis credibile iudicabit. Ac tandem, quia ex dictis Patrum, quae mystice ipsi acceperunt, nihil certum de materia crucis deprehendi potest: alias ex eo, quod Sponsus loquens de cruce: *Ascendam*, ait, *in palmam*, et quia d. Ambrosius (*lib. de Ioseph c.* 9. *et* 10), vocat illam nucem, cuius testa durior, et fructus tenerior, d. Augustinus (*serm.* 8. *de verb. Apost.*) sycomorum, ad quam ascendit Zachaeus, liceret certo statui, ex materia harum arborum confectam fuisse Dominicam crucem.

In re igitur ambigua valde, et incerta id sane consultius eligendum arbitror, quod cum sacra Scriptura, et ratione magis consentit, quantumvis scriptores multi refragentur. Hoc autem esse reor, quercum crucis Dominicae materiam fuisse, ut olim Faltonia femina cla-

rissima cecinit his versibus:

Tollitur in coelum clamor, cunctique repente
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituunt:

unde Eucherius (*in Genesi lib.*3.*c.* 2) ait: *Quercus vero, sub qua Debbora sepulta esse pronunciatur, crux intelligenda est Domini, quae ob hoc quercus est appellata fletus, quia in ea suspensa est vita, quae Iudaeis incredulis perpetuum intulit luctum.* Idemque plane praedixisse videtur Isaias, dum ait: *Longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur, quae derelicta fuerat in medio terrae, et adhuc in ea decimatio: et convertetur, et erit in ostensionem sicut terebinthus, et quercus, quae expandit ramos suos: semen sanctum erit, quod steterit in ea.* Quibus verbis Isaias praedicit, partem populi Iudaici indurandam, partem vero divino lumine illustrandam; vastandos item Iudaeos a Romanis, atque decimandos, reliquias vero servandas per crucem quernam, ex qua semen benedictum, hoc est Christus Dominus, pependit. Quercum deinde figuram crucis extitisse ex verbis (2. *Reg.* 18) haud difficile erit deprehendere: *Adhaesit*, ait Scriptura, *caput eius quercui, et illo suspenso inter coelum, et terram, mulus, cui insederat, pertransivit. Vidit autem hoc quispiam, et nunciavit Ioab: vidi Absalon pendere de quercu. Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalon; cumque adhuc palpitaret, haerens in quercu.* Quercus haec crucis imaginem gessit, sicut et Absalon in illa pendens Christum figuravit; in hoc dissimilis, quod ille pependit patri honorem erepturus, hic patri redditurus, personam nostram sustinens, qui instar Absalonis contra Regem regum, Patrem nostrum rebelles insurrexeramus, ut recte observavit d. Greg. Nyss. qui elucidans inscriptionem Psalmi tertii, quae est huiusmodi: *Psalmus David cum fugeret a facie Absalon filii sui*, ait: *Absalonem, hoc est malitiam, quando contra nos insurgit, opprimi posse tribus telis, seu lanceis auxilio ligni illius, in quo pependit nostra salus:* et subdit d. Gregorius: *Perspicuum vero tibi est illud per historiam ostensum aenigma, quale sit lignum illud, cui affixa est malitiae coma, quam Apostolus chirographum peccatorum vocat, prout ait: Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, hoc est ligno;* hactenus ille. Quercus igitur illa, in qua malitia Absalonis pependit, figura fuit nostrae crucis, in qua pependit ille, qui cum insons esset, nostri tamen causa *peccatum, et maledictum factus est*, ut ait Apostolus (*Galat.* 3). Ad haec accedit, quod nulla sit arbor religiosa magis, quam quercus, et nulla tot mysteriis vel a Deo, vel ab angelis celebrata, ut propter hanc etiam rationem ab Ecclesia vocetur, *Arbor una nobilis:* subter illam namque, quae erat in Mambre, pepigit Deus foedus cum Abraham; ibi promissiones divinae sobolis factae; ibi Isaac ipsi, et Sarae coniugi annunciatus; Dominus Peregrini habitu visus; angeli hospitio excepti: ac tandem ibi circumcisionis praeceptum percepit; ita ut omnium ferme arcanorum glandifera haec quercus conscia testis, et velut a secretis fuerit. Iacob etiam patriarcha subter aliam quercum in Sichem Idola cum inauribus defodit, ut idololatriae cultum aboleret: nam licet latinus interpres vertat, *sub terebinthum*, originale Hebraeum legit, *subter quercum.* Iosue foedus inter Deum, et populum Hebraeorum denuo innovavit, quo unanimes polliciti fuerunt, non ultra Diis alienis servituros, in cuius testimonium posuit sub praedicta quercu ingentem lapidem: sic enim ait sacer textus (*Gen.* 35): *Tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quae erat in sanctuario Domini.* Ac tandem insignis illa femina Debbora sepulta fuit sub quercu: et (*c.* 6) habetur: *Venit angelus Domini, et sedebat sub quercu.* Crediderim non alia ratione Deum quondam adeo quercum honorasse, nisi quia ex querna arbore crucem Dominicam conficiendam fore praeviderat. Rationes etiam probabiles eandem sententiam non parum corroborant.

Prima, quia hac arbore nulla magis obvia, ac frequens in Iudaea.

Secunda, quia particulae crucis, quae multis in locis asservantur, et religiose coluntur, cum ligno quercino mirum in modum conveniunt forma, et colore, fortitudine, et soliditate; quae maxime quaeri debuit ad fixuram.

Tertia, quia quercus annosa, et perennis valde est: unde cum crucis fragmenta sine carie, et teredine perseverent, probabile est ex quercu crucem fuisse fabricatam.

Quarta, quia praeterquam quercus propter fortitudinem, et soliditatem suam aptior erat ad tenacius retinendum clavos, et grave sustinendum corporis pondus; certe, cum Christi carnifices, qui eum crucifixerunt, ministri essent Romani, ut recte observavit Goropius (*lib.* 50. *Galli.*), verosimilius est, non ex alio ligni genere Christi crucem fabrefecisse, quam ex illo, quo ad similem effectum apud Romanos uti consueverat. Hoc autem fuisse quercum, seu robur, egregia, quae cecinit Silius Italicus, carmina probant:

Ore excellentem, et spectatum fortibus ausis
Antiqua de stirpe Iacum, superumque hominumque
Immemor, erecto suffixum robore moestis,
Ostentabat ovans populis, sine funere regem:

et paucis interpositis subdit:

Quem postquam diro suspensum robore vidit.

Addit etiam, ut id obiter dicam, Goropius nuper citato loco, lignum vitae in Paradiso consitum, quae arboris crucis figuram praetulit, quercum fuisse; id tamen nullo fundamento fulciri posse video.

Quinta, ex singulari quadam coniectura deduci potest. Quia Caesar Augustus prope Christi Domini nativitatem, ut tradit eruditus auctor Iacobus Bosius (*de triumphante Cruce lib.*1. *cap.* 6), argenteam imaginem cudi fecit, quae non aliud continebat, quam quernam coronam cum hac inscriptione: *Salus generis humani:* licet enim per hanc imaginem, et inscriptio-



nem superbus ille Imperator salutem illam humani generis sibi stolide arrogaret, cuius meminit Plinius (*lib.* 17. *cap.* 4) dicens: *Dedit hanc Augustus coronam Agrippae, sed civicam a genere humano accepit ipse;* divino tamen consilio aliud longe diversum, quam ipse intendebat, per illam significabatur imaginem, nimirum in querno ligno operandam fore a Christo Domino humani generis salutem. Sanctus Cyprianus, vel quicumque alius est auctor illius hymni, qui inter eius opera reperitur, quernam fuisse, seu ex robore confectam Dominicam crucem his versibus tradit:

Est locus ex omni, medium, quem credimus orbe,
Golgotha Iudaei patrio cognomine dicunt,
His ergo de sterili succiso robore, lignum
Plantatum, memini fructus genuisse salubres.

Sextam addo mysticam rationem: nam olim quercus Iovi dicata erat, dicente Virg. (3. *Geor.*): *Sic ubi magna Iovis antiquo robore quercus:* immo, ut quidam tradunt, antiqui ipsum Iovem quernum vocabant, quia sicut quercus olim victum hominibus dabat, ita Dei proprium esset omnibus alimenta praestare: et cum, ut ait Isidorus (*lib.* 17), quercus dicatur a quaerendo, quia in eis responsa daemonum quaerebantur; unde Oseas de idolorum cultoribus agens: *Ascenderunt*, inquit, *thymiamata sub quercu* immo, et Isaias (*c.* 44) testatur quandoque illos ex quercu sibi fabricasse sculptilia; inde sane efficitur, quod ut diabolus in eodem genere ligni, in quo vincebat, vinceretur, congruum fuit Dominicam crucem ex quercu fabricari, ut hac etiam ratione in maiorem diaboli ignominiam, et Christi gloriam crucis lignum cederet. Quod si antiqui etiam, ut securitatem significarent, aquilam super quercum depingebant cum hac inscriptione, *Requies tutissima;* apte satis ex quercu Dominicam crucem confici voluit divina sapientia, imponens super illam regiam Aquilam, Christum scilicet Dominum, de quo dictum est (*Deut.* 23): *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos;* et cum inscriptione illa, *Iesus Nazarenus*, quae cum Salvatorem significet, perinde fuit, ac si illam aliam apposuisset, *Requies tutissima*, quia proprium est Salvatoris tutari, et requiem oppressis exhibere. Unde corona civica, quae olim dabatur civi, a quo alius civis in praelio servatus fuisset, ex quercu confici consuevit, ut tradunt Aulus Gellius (*lib.* 1. *noct. Attic. c.* 6), et Alexander ab Alexandro. Ad rem igitur nostram, ob cuius gratiam praesentem excitavimus quaestionem, revertentes, cum Dominica crux ex querna arbore confecta fuerit, quae instar ferri gravissima, et solidissima est; cumque tantae magnitudinis fuerit, ut trabem erectam quindecim pedum fuisse, transversum vero lignum palmorum octo, vetus traditio habeat, cui temere contradicere non licet, cum publico, et inveterato consensu roborata sit: facile inde inferre licet, quantopere defatigatum illud Christi corpus et ex verberibus exangue, tam ingenti ponderis gravitate oppressum fuerit, maxime quod, ut tradunt non infimi nominis auctores, ob nimiam ligni longitudinem opus fuit, ut reptantem crucem portaret, et in singulis obviantibus saxis offenderet, et saepe in terram decideret; unde in sinistro humero molestum adeo vulnus contraxit, ut inter omnia eius vulnera hoc gravissimum omnium extiterit. Sed, proh dolor, licet crucis sarcina magni ponderis fuerit, aliam tamen graviorem portabat innocentissimus Agnus, quae pressius illum angebat. Haec fuit peccatorum nostrorum intolerabile, ac molestissimum onus, ut testatur divus Petrus (1. *Petr.* 2): *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Memini Ecclesiasticum dixisse, inter omnia gravia pondera omnium gravissimum esse fatuum, et imprudentem, intellige peccatorem, quia nulla deterior fatuitas, et imprudentia excogitari potest, quam hominem in peccatum prolabi: *Arenam*, ait, *et salem, et massam ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem, et fatuum, et impium:* immo si Iobum, et Zachariam consulamus, peccatorem maioris ponderis, et gravitatis, quam salem, arenam, et ferrum indicabimus: ille enim ait: *Cor eius indurabitur tamquam lapis*, ecce maiorem gravitatem quam salis, et arenae: *et stringetur quasi malleatoris incus, quae propter maiorem partium compressionem ex ictibus contractam ferro gravior redditur:* ecce ferrea gravitate maiorem. Zacharias autem plumbo, quod gravius est, impietatem his verbis comparavit: *Et ecce mulier una sedens in medio amphorae, et dixit, haec est impietas, et misit massam plumbeam in os eius:* atque hinc est, quod Isaias singula peccata onus per antonomasiam vocat: *Onus*, ait (*c.* 13. *usque ad cap.* 25), *Babylonis*, hoc est superborum, qui in altiora dignitatum cacumina, quam fuerit turris Babel, conscendere anhelant. *Onus Moab*, parentum scilicet, qui ob locupletandos filios graviter conscientiam sauciant. *Onus Damasci*, eorum, qui pauperum sanguinem sugunt. *Onus in Arabia insidiantium*, nimirum, quia Arabia insidians interpretatur, eorum inquam, qui ferarum more inimicorum vindictam mille modis tentant. *Onus tandem vallis*, hoc est, libidinose luxuriantium, qui per valles capropter significantur, quia sicut in valles decidunt sordes, et longius a coelo distant, ita ad libidinis morbo laborantes iniquitatum faeces confluunt, et a regno coelesti longe absunt, ut ait Apostolus: *Tales non possidebunt regnum Dei.* Regius propheta horum onerum, hoc est iniquitatum gravitatem considerans, conquerebatur, dicens (*Psal.* 15): *Sicut onus grave gravatae sunt super me.* Aiunt Philosophi cum Aristotele, elementa in propriis locis non gravitare, secus extra illa. Unde est, quod cum quis natans, quantumvis sub altissimis aquis se submergat, aquarum pondus illi molestum non est; si tamen e fluvio egrediatur, neutiquam quartam partem illarum super dorsum sustinere poterit: quia cum aqua sit extra proprium locum, valde gravitat. Peccatum pondus esse testatur Apostolus (*ad Hebraeos* 12): *Deponentes omne pondus, et circumstans peccatum;* tamen cum in proprio loco adest, hoc est in ipso peccatore, parum quidem ponderat, quia velut elementum in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

proprio loco non gravitat. At idem peccatum in Christo, ut in fideiussore nostro existens, aderat tunc extra locum suum, et ideo velut elementum e proprio loco dimotum gravitare coepit vehementer in corpore Christi, graviterque illum angere. Duo etiam alia intolerabile peccati pondus, et summam eius gravitatem apertissime indicant. Primum est, quod unicum peccatum superbiae angelorum ponderavit adeo, ut coeli firmiores, ac solidiores, quam si aenei essent, ingentem eius molem sustinere non potuerint. Unde angeli multi compulsi sunt in inferni barathrum misere prolabi. Secundum est, quod si lapis in centrum descendens, quo brevius illuc pervenit, tanto maiori pondere pollet: unde Philosophi dixere, quod si in instanti descenderet lapis, opus fuisset infinitam ponderis gravitatem habere: manifeste efficitur, quod cum peccator in mortali decedit, in puncto temporis in gehennam deveniat, Iobo id attestante (*c.* 21): *Et in puncto ad inferna descendunt;* apertum inquam fit, summae, immo infinitae gravitatis esse peccati pondus, et onus. Cum igitur Christus Dominus praeter externam crucis sarcinam, internam ac ingentem peccatorum omnium nostrorum molem super humerum sustineret, dicente Isaia (*c.* 53), quod *Deus posuit in eo iniquitates omnium:* haud difficile erit deprehendere, quam grave, ac molestum pondus portaverit, et quam acerbe sacrosanctum illud corpus pariter cum anima vexaverit. Contemplemur parumper ad id Isaiae verba (*c.*9): *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius principatus super humerum eius.* Nomine *parvuli* humanitatem intelligit: nomine vero *filii*, divinum suppositum Verbi innuit, ut ex originali Hebraeo aperte constat: nam ubi editio vulgata legit *Parvulus*, Hebraea habet *Verbum*, ut Montanus observavit quod filium ex matre absque patre ortum significat: *Verbum* etiam, cui correspondet *natus*, in Hebraeo idem quod *obediens, praeceptor, aut Dominus:* quae quam apte Christo homini conveniant, nemo est qui non videat. Ubi deinde eadem vulgata lectio vertit, *filius datus est nobis:* in Hebraeo est *Verbum*, quod ab aedificando derivatur, ut linguae sanctae periti adnotant. Est autem usitata satis sacrae Scripturae phrasis, ut cum Deus filios promiserit, aedificare domum dicatur: unde in Exodo (*c.* 1) cum dicitur: *Aedificavit Dominus domos obstetricibus*, unanimi consensu omnes interpretantur filiorum sobolem eis dedisse, eo quod filios Hebraeorum indemnes servavissent: et regius Propheta postquam dixerat (*Psal.* 126): *Nisi Dominus aedificaverit domum*, statim subdit, quid hoc loquendi genere sibi voluerit, dicens: *Ecce haereditas Domini filii, merces fructus ventris.* Ait ergo Propheta Christum Dominum Deum verum, et hominem, principatum, hoc est Crucem, super humerum baiulasse. Ita interpretantur hunc locum D. Ambrosius (*lib.* 3. *de fid. c.* 4), Iustinus Martyr (*Apolog.*2), Theophylactus (*c.* 23. *Luc.*), Cyrillus (*in Isai. c.* 9), Cyprianus (*lib.* 2. *test. advers. Iudaeos c.* 2.), et d. Augustinus (*c.* 1. *Ioan. ser.* 17. *et ser.* 71. *de temp.*), dum ait: *Tunc Christus principatum super humeros eius habuit, quando crucem suam admirabili humilitate portavit:* et alibi: *Non incongrue crux Christi significat principatum, nam per ipsam diabolus vincitur, et totus mundus ad Christi notitiam, et gratiam revocatur:* et Tertullianus (*advers.Marcion. lib.*3): *Quis*, inquit, *regum insigne potestatis suae humero praefert, et non aut capite diadema, aut manu sceptrum? solus novus rex Christus novae gloriae potestatem humero extulit, crucem scilicet.* Scio quosdam expositores cum d. Ambrosio (*lib. de fid. cap.* 4), ubi vulgata habet *principatum*, legere *principium*, quia Hebraea vox significat utrumque; sed recte haec duo ei adaptantur: fuit enim crux principatus, quia a throno crucis regnare coepit Christus, ut praedixerat David, secundum 70. Interpretum versionem: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno.* Fuit etiam crux principium, quia initium salutis, et reparationis humanae extitit, et prima clavis, quae obseratas regni coelestis ianuas aperuit: unde Isaias: *Dabo clavem domus David super humerum eius.* Ecce crucem vocat clavem, qua clausum paradisum aperuit; quia tamen gravis erat ad portandum, non ex cingulo pendentem, sed super humerum, ait illam portare. Clavis enim potestatis iurisdictionem, et animarum gubernationem significat, quae super humeros portari debent, ut olim significavit Deus, iubens summo Sacerdoti, ut nomina filiorum Israel portaret insculpta in utroque latere superhumeralis: *Portavit*, inquit (*Exod.*19), *Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum:* ita sane summus sacerdos Christus non solum crucem, sed et nos omnes super humeros, et super brachia summo dolore confectus portavit, ut non obscure indicant verba Moysis (*Deut.* 32): *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit humeris suis:* et illa alia Oseae (*c.* 4): *Quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos.* Huc etiam pertinere arbitror, quod de Issachar dicitur (*Gen.* 49): *Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum.* Super quae verba d. Ambrosius (*de benedictione Patriarcharum cap.* 6) ait: *Subiecit humerum suum ad portandum, subiiciens se cruci, ut nostra peccata portaret.* Refert Iosephus histor. morem fuisse regibus armo arietis vesci, vocatumque fuisse regium cibum: unde (*in libro* 1. *Regum*) sacra narrat historia, quod cum Samuel invitasset ad prandium Saulem, postquam ex praecepto Domini unxerat illum in regem, apposuit ei edendum armum, dicens (1. *Reg.* 9): *Comede, quia de industria tibi servatum est*, vel ut 70. vertunt, *in testimonium:* quae verba elucidans Theodoretus (*q.* 21. *in* 1. *lib. Regum*) ait: *Apposuit Samuel armum ante Saulem in regni indicium: nam sicut haec cum sint breviora aliis membris animalis, portant totam molem compacti corporis, et firmiter suffulciunt; ita etiam regium robur, etiamsi ad unum virum contrahatur, sustinet totum.* Cum ergo Christus Dominus unctus fuerit a Patre in regem, ut ipse testatur (*Psal.* 1): *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, opus fuit humerum supponere ad ingentem illam internae, et externae crucis molem sustinendam. Sed dices, non ita mirandum, quod tam ingens pondus portarit, cum non homo tantum, sed Deus pariter esset, de quo Isaiam novimus praedixisse (*c.* 40): *Qui appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera.* Verum non recte philosopharis: falleris enim, existimans fortitudinem Verbi divini humanitatem Christi refecisse, aut consolationis suae visitatione vires novas addidisse, ut minus pateretur; qui potius adeo solatio eam destituit, ut filiali quodam affectu clamans conquereretur (*Matt.* 27. *et Ps.* 21): *Deus meus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quare non potuit tantae sarcinae pondus defessum illud, et plusquam quinque mille vulneribus dilaniatum corpus non vehementer deprimere. Liceat mihi, o Domine Iesu, te alloqui, quamvis sim pulvis, et cinis: indica mihi quaeso, quo vadis tanto crucis pondere pressus, aridi ligni pondere praegravatus? Ac quid portas? Quove plantabis illud? Locus, quo duceris, saxosus est. Quomodo plantabis? Quis irrigabit? Aridum est, radices non habet, ex quibus ex terra sumptus humor ascendat in ramos. Terra sitiens est, damnatorum, et interfectorum locus, nunquam virgulta fuerunt in ea, ligna consueverunt esse confixa in supplicium damnatorum. Adulterinae plantationes non dant radices altas, non collocant stabile fundamentum, non extendunt ramos ad fructum, sed ad tormentum: non habent folia pulchritudinis, sed despectionis, atque dedecoris: non habent fructus ad esum utiles, sed ad vescendum prae doloribus insuaves: non maturescunt ad usum, sed ut vitam extinguant, penitus indurescunt. Quare igitur defers Domine hanc lignorum sarcinam? Nonne nosti quod affigeris in eis, ut affigaris in omnibus membris corporis? En cruciaberis in eis, ut fias omni populo in derisum: demum expirabis in eis. Sed porto poenale lignum, te audio bone Iesu dicere, propter prohibitum lignum, et vetitum pomum. Porto lignum, ut vincam in ligno invincibilem hostem, qui olim vicit in ligno. Porto lignum, ut ex ipso faciam gradus ascensionis in caelum. Porto lignum suspendendus in illo, *ut omnia traham* penitus *ad me ipsum.* Porto tandem lignum mortis et vitae, mortis inquam damnum mihi inferens, vobis vitae emolumentum largiens.



## HOMILIA XX.

*De potioribus circumstantiis baiulationem Crucis concomitantibus, in illa verba;* Susceperunt autem Iesum, et adduxerunt, (*Ioan.* 19.), et induerunt eum vestimentis suis, (*Marc.*15), et angariaverunt Simonem Cyrenaeum, ut tolleret crucem eius, *ibidem: et illa alia:* Nolite flere super me (*Lucae* 23).

Spectaculum sane angelis, et hominibus mirandum, unigenitus Dei Filius, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus, baiulans super humerum Crucis patibulum, ut in eo patiatur: spectaculum certe adeo mirabile, ut non immerito d. Augustinus (*tract.* 119. *in Ioann.*) proclamarit: *Grande spectaculum, sed si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium: si spectet impietas, grande ignominiae documentum; si pietas, grande fidei munimentum: si spectet impietas, videt regem pro virga regni lignum sui portare supplicii; si pietas, videt regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum: in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum. Dicturo enim Paulo: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, ipsam Crucem suo gestans humero, commendabat, et lucernae arsurae, quae sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat;* haec d. Augustinus. Qui merito mirabile hoc vocitavit spectaculum: in eo enim Christus Dominus, velut alter Abel, ducitur in campum a fratre suo Cain, ut occidat eum; velut Noe, a diluvio peccati mundum servans, fabricat arcam ex lignis; velut Isaac portans lignum pergit ad holocaustum, quo immolari debebat; velut Iacob vidit scalam coelo innixam, et terram tangentem; sed illam dormiens vidit Iacob, Christus vigilans; velut baculus eiusdem, quo Iordanem transivit, aliter tamen quam ille: quia baculus itineris laborem levabat, crux vero augebat; baculus portanti vigorem dabat, hic portans cruci virtutem praebet; velut alter Beniamin in Ægyptum conductus, ut fratres liberaret; velut alter Iosue, scutum in altum erigit contra rebellem urbem Hai; velut filius Iesse fundam arripit, ut Goliath, id est diabolum, interficiat (1.*Reg.* 17), velut alter David a filio suo Absalone a civitate, et regno exclusus magna cum comitiva plangente (2. *Reg.* 25); velut innocens Naboth extra urbem mittitur, ut occidatur (3.*Reg.*21); velut Esau arcum sustinet in manu, ut patri obediat, cum hoc tamen discrimine, quod arcus levis, crux pondere suo premebat; velut Moyses extendit virgam, ut viam sternat securam populo Hebraeo, et Pharaonem, diabolum scilicet, in profundum barathri demergat; velut hircus emissarius, qui universis mortalium omnium culpis onustus extra civitatem ducebatur immolandus: ac tan-

dem velut strenuus miles ferebat crucem in humeris, tanquam lanceam qua devicturus erat adversarium. Sed iam huius baiulationis peculiares circumstantias contemplemur. Quamvis, ut Plutarchus (*de sera numinis vind.*) refert, moris esset, crucifigendum in locum supplicii crucem deportare: *Quemadmodum*, inquit, *facinorosus quisque ultimo afficiendus supplicio corpore suo propriam fert crucem, ita improbitas in se ipsa supplicium sibi ipsi struit*: et idem in vita Coriolani: *Maxima*, ait, *haec peccanti servo inferebatur poena, ut plaustri lignum, cui temo affigitur, spectante vicinia ferens circumageretur, quod ubi factum erat, infidus a domesticis, et vicinis existimatus, furcifer appellabatur*. Ipsi tamen immanissimi lictores ad poenam pariter, et illusionem crucis patibulum Christi humero portandum imposuerunt. Unde d. Leo (*serm. 8. de Pass.*): *Ad irrisionem*, ait, *regiae dignitatis iussus est supplicii sui esse gestator*. Vetus obtinuit consuetudo, ut qui capitali supplicio plectendi essent, prius oculi eorum velarentur, ne mortis instrumentum, hoc est ancipitem gladium videntes, quo interficiendi erant, novo animi dolore conficerentur; crucis autem supplicium ita crudele erat, ut non solum illam oculis conspiciendam proponerent, sed et humeris portandam cogerent. Ait ergo sacer textus, *susceperunt eum*, scilicet milites, et Iudaei, sed non ea susceptione, de qua ipse (*Matt.* 25): *Hospes eram, et suscepistis me*; sed ea, de qua David (*Ps.* 16): *Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam*. Super quem locum d. Augustinus (*sup. Ps.* 16) ait: *Susceperunt me sicut ille adversarius circumiens quaerens quem devoret*. Crudelitati autem leonis apte satis comparavit Propheta crudelitatem Iudaeorum: nam sicut leo famelicus summa celeritate excoriat, dilaniat, ac devorat agnum; sic Iudaei in Christum saevientes, variis eum suppliciorum generibus brevi tempore excruciarunt: et neque contenti, ut ait Incognitus, illum interficere, crudeliori morte crucis eum occidere satagerunt. Unde cum Pilatus diceret eis (*Ioan.* 18): *Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate*: et ipsi responderunt: *Nobis non licet occidere quenquam*; in hunc modum intelligendum putat d. Chrysostomus (*sup. c. 19. Ioan.*), quod crudeles Iudaei crucifigere eum cupiebant, ut sic infami, et abiecto mortis supplicio illum afficerent; ipsis autem per Romanos ablata erat potestas aliquem crucifigere propter summum huius mortis opprobrium, qua solum proditores imperii, et latrones occidebantur; solique Praesidi licebat hoc supplicii genere plectere reum: et hoc Pilato persuadere moliti sunt, et obtinuerunt: quod ut executioni mandarent, purpura denudarunt, *et vestimentis suis illum induerunt*, ut ait d. Marcus, et praedixerat Michaeas: *Vadam spoliatus, et nudus faciam planctum*, spoliatus inquam, et nudus purpura, qua prius fueram indutus. Quamvis enim apud Graecos moris esset, si credimus Platoni (*lib. 11. de leg.*), ut malefici ad crucem nudi raperentur; unde referente Iosepho histor. (*li. 19. antiq. c.* 4), cum lupus detracta veste ad supplicium mortis duceretur, et de nimio frigore conquereretur, Chaereas socius eius, qui in eadem damnatione erat, cavillose illudens dixit: *Lupum nunquam offendi frigore*. Et quamvis etiam interdum apud Iudaeos, cum ad crucis mortem damnati ducebantur, nudi incederent, quia saepe in via verberabantur; tamen qui prius flagellis caesi fuerant, ut Christo accidit, induti pergebant ad supplicii locum. Unde d. Athanasius (*serm. de cruce*) eleganter dixit: *Induerunt eum vestimentis eius, et duxerunt eum, ut crucifigerent. Resumpsit simul cum trophaeo crucis vestimenta sua ab illis, abiturus ad mortem, ut ea simul cum morte exueret*: et d. Ambrosius (*lib. 10. in Luc. cap.* 99): *Ascensurus*, inquit, *crucem regalia ponit vestimenta, ut scias quasi hominem passum esse, non ut Deum: ut enim Deus erat, regiae maiestatis splendorem deponere non poterat; induerunt autem eum vestimentis suis, quo melius ab omnibus agnosceretur, quia cum facies esset cruenta, ac deformata, nec ei antiquus inesset aspectus, et decor, non poterat inter duos latrones cruces etiam ferentes facile ab omnibus dignosci*. Non potuit autem purpureo vestimento expoliari, et proprio indui absque nova ulcerum renovatione, ob sanguinem congelatum vesti adhaerentem. In eo autem, quod purpuram deponens propriis induitur vestibus, innuitur nobis, in exitu vitae nihil nos posse educere nobiscum, nisi quae vere sunt propria, hoc est nostra bona opera, sicut sapiens ille philosophus Bias dixit in communi totius civitatis incendio: *Omnia bona mea mecum porto*. Indutus igitur Christus Dominus suis vestimentis, et ad collum iniecto fune, ex quo ducebatur, et comitante illum integra cohorte cum ingenti Iudaeorum caterva manibus plaudente, et victoriam suam concrepante, praeco ante illum valenter clamare coepit, ut mortis illius causam evulgans, cunctis innotesceret. Licet enim sacri Evangelistae praeconis vocem praeterierint, buccinatorem, et praeconem antecessisse, ex eo non parum verisimile efficitur, quod, ut tradit Vegetius (*lib. 2. de re mil. cap.* 22), cornicines insonabant, cum miles ad portam Decumanam morte plectendus ducebatur. Classicum inquit appellatur, quod buccinatores pro cornu dicunt: hoc insigne videtur imperii, quia classicum canitur Imperatore praesente, vel cum in militem capitaliter animadvertitur; et Tacitus (2. *Annalium*) etiam tradit, quod cum Romae civis Romanus plectebatur, deducebatur per portam Exquilinam, et carnifices buccinas inflabant. Ac tandem Seneca: *Ascendit*, ait, *Praetor tribunal inspectante provincia, noxiae post terga ligantur manus, statim intento ac tristi omnium vultu fit a praecone silentium*; adhibentur deinde legitima verba; immo, ut narrat clarissimus Faber (*lib. 2. semest. cap.* 8), et tintinnabula pulsare consueverant, ut eorum sonitu admoniti a fortuito etiam carnificis, et damnati hominis contactu abstinerent, ne incauti pollurentur. Quid autem praeco alta voce clamaverit, id certe putaverim, quod eapropter Christus Dominus in crucem ageretur, quod seductor, blasphemus, et necromanticus, falsorum dogmatum doctor, ac promulgator extitisset, et quod tandem se



Filium Dei, verum Messiam, et regem Israel confinxisset. Dissimilis valde proclamatio huius praeconis ab ea, quam sacra Geneseos narrat historia. Iosephus regalibus vestibus indutus per vias civitatis ingenti nobilium stipante caterva incedebat praecone clamante, ut omnes coram Ioseph genu flecterent: haec enim proclamatio in honorem erat, illa in opprobrium; haec ad gloriae splendorem, illa ad ignominiae turpitudinem. Apud Iosue legimus, quod cum duceretur testamenti Arca per viam, praecones transibant per media castra, clamantes: *Quando videritis Arcam foederis Domini Dei vestri, et sacerdotes stirpis Leviticae portantes eam, vos quoque consurgite, et sequimini praecedentes; sitque inter vos, et Arcam spatium cubitorum duorum millium, et cavete ne appropinquetis ad Arcam*. Absimilis etiam haec proclamatio ab illa: haec namque appropinquantium audaciam coercebat, et reverentiam ab eis desiderabat; illa vero ad execrandum Christum, immo et in illum irruendum non dicam vocitabat, sed provocabat, sed trahebat, immo et compellebat. Unde in illo itinere Christum Dominum varias vexationes, et iniurias pertulisse indicant satis verba d. Cypriani (*de Pas. Dom.*) dicentis: *Tu ipse patibuli tui baculus haerebas ligno, quod tuleras, erectionis, et passionis anxietates sustinens, et labores*. Immo et Iudaeos stimulis urgentes, eundem defatigasse, ut non vane pictores quidam exprimunt, praeter eorum efferatam in Christum rabiem, probabile satis Plauti carmina reddunt:

> O carnificinum cribrum, quod credo fore,
> Ita te forabunt patibulatum per vias
> Stimulis, si noster huc reveneril senex.

Quaedam tamen religiosa femina nomine Veronica, quae inter alias sequentes Christum aderat tunc, intuens eius vultum nimio sudore confectum, pia miseratione commota, propius accedens, capitis velo, quo operiebatur, detracto, ut quidam dicunt, vel sudario, ut aliis placet, ac triplicato, illum abstersit, ac tres Christi vultus imagines in eo ad vivum expressae remanserunt, ut praeter Christianam traditionem referunt Methodius, et multi graves Doctores: quarum una Romae, altera in Gienensi Hispaniae civitate, tertia Hierosolymis esse fertur, quae certis, et statutis temporibus cunctis Catholicis, religionis gratia illuc confugientibus, summa veneratione spectanda proponitur. An autem haec femina fuerit illa, quam a sanguinis fluxu Christus Dominus curavit, ut refert d. Matthaeus: illam enim vocat Veronicam Nicodemus (*in sua histor. Evangelica*), hactenus compertum, et exploratum non est. Silentio tamen non praeteribo, simile quidpiam accidisse d. Paulo, prout commemorat Linus in martyrio illius, dum ait, quod cum ad supplicium duceretur, videns Plautillam, in hunc modum eam est allocuta: *Plautilla, sive Perpetua aeternae salutis filia commoda mihi pannum quo caput tegis, ligabo enim mihi oculos vice sudarii, et devotioni tuae amoris mei pro Christi nomine pignus ad illum pergens relinquam*. Illa sudarium porrexit, quod postea roseo d. Pauli sanguine perfusum non sine magna reverentia custodiebat.

Hoc eodem tempore, quo Christus Dominus crucem baiulabat, non pauci recentiores doctores cum divo Bonaventura existimant d. Ioannem Evangelistam accersivisse beatam Virginem, ne in articulo mortis Christi a crucis lectulo abesset, eique meditantur dixisse illud Psalmi: *Tribulatio proxima est, et non est qui adiuvet*. Ipsam autem respondisse, surgam, et circuibo civitatem (*Cant.* 3): *Quaeram quem diligit anima mea*. Quodque, dum per viam incederet, adiuro vos proclamasse, filiae Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo; quae Virginem interrogarunt, qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum, quia sic adiurasti nos? dilectus meus, inquit ipsa, candidus, et rubicundus. Sane responderunt: si haec sunt signa, et notae filii tui, ille, qui baiulat crucem, non videtur filius tuus, vidimus enim eum, et non erat aspectus, non est ei species, neque color, et quasi absconditus vultus eius, unde nec reputavimus eum. Sed verosimilius arbitror, et cum ardenti Virginis amore coniunctum magis, vel ipsam omnibus Christi tormentis praesentem adfuisse, ut Simon Methaphrastes, et Surius tradunt: vel, ut testatur d. Bernardus, inter eas mulieres, quae lamentantes sequebantur Christum, Beatam Virginem interfuisse, atque adeo a Ioanne tunc accersitam minime fuisse. Meditantur quidam, idque satis verisimile est, Christum Dominum crucem gestantem, vel etiam, ut alii putant, dum prae magnitudine ponderis illius subtus crucem in terram decideret, Beatam Virginem illum aspexisse, et ab eo conspectam fuisse, ex quo mutuo intuitu doloris gladius, quem praesagierat Simeon, eius animam petransivit. Quod si, ut astrologi tradunt, idque certissimum est, cum luna respicit solem, ipse eclipsim patitur; non dubito, quin cum Christum iustitiae Solem aspexit Maria, quam lunam Sponsus compellat, summum conceperit dolorem. Itaque mater, et filius prae magnitudine amoris in illo mutuo aspectu se excruciarunt, ut iam non solum immanissimi lictores, sed et mater filii dolores, et filius matris angustias vicissim augeret.

Contigit autem, ut ait Evangelista, ut dum Christus crucem baiularet, mulieres sequentes illum lamentarentur, quibus ille conversus dixit (*Luc.* 22): *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete*. Quae verba licet haeretici cavillis quibusdam calumnientur, inferentes ex illis Christi mortem lacrymandam non esse, sed exultandum potius, cum humanae redemptionis causa extiterit; longe tamen alia est sana, et catholica horum verborum intelligentia. Unde prima expositio sit, quod feminae plorabant Christum, quasi invito, et reluctanti animo pateretur, et quasi ad mala illa avertenda infirmus, et impotens esset: et huiusmodi lacrymationem execrans Christus, ait: *Nolite flere super me, sed super vos ipsas, et super filios vestros*, quippe excidia, strages, et superventuras in vos calamitates vitare minime valebitis. Secunda expositio: *Nolite*, ait, *flere su-*

*per me*, quia illae flebant non ex motione Spiritus sancti, sed ex affectu quodam mere naturali compassionis, non secus, ac si quempiam alium adeo afflictum intuerentur. Itaque voluit Christus fleri, non ut purus homo, sed ut homo Deus, et non ex affectu carnis, sed spiritus. Hanc expositionem innuunt satis verba d. Leonis (10. *de pas. ante medium*): *Solet sexus infirmior etiam pro his, qui morte sunt digni, in lacrymas commoveri, et damnatorum exiliis pro naturae communis consideratione misereri*, sed iustum sibi planctum Dominus Iesus dedignatur. Tertia expositio, quod putabant necem Christi in morte sistendam esse, non in gloria, et resurrectione; unde ipse ait (*Ioan.* 11): *Nolite flere super me*, hac falsa imaginatione apprehensa, quia *infirmitas haec non est ad mortem* diuturnam, sed pro gloria Dei, *ut glorificetur Filius Dei per illam; sed super vos flete*, quorum mors, nisi peccata vestra deploraveritis, in aeternum supplicium sistet. Quarta interpretatio, quod multae ex illis feminis non plorabant sua peccata, nec illorum verum dolorem concipientes, lacrymabantur dolores Christi; ipse autem dixit eis: *Nolite flere super me, sed super vos*, innuens haec duo: primum, quod non est ei gratus dolor compassionis ortus ex corde, quod peccata sua prius non dolet: secundum, quod si ad invicem compararentur hae duae flendi causae, Christi dolores, et peccata nostra, fortius haec nos ad contritionem compellere debent, quam illi ad compassionem. Insuper etiam ostendit, affectum illum contritionis prae isto compassionis nobis utiliorem, et Deo multo gratiorem esse, et ideo non hunc exercendum, illum praetermittendo, prout feminae illae omittebant. Quinta expositio, ut sensus istorum verborum sit iuxta illud (*Eph.* 6): *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et potestates;* hoc est, nostra colluctatio non sistit in impugnatione carnis, sed tendit ulterius ad expugnandos daemones; ita dum ait: *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete*, sensus est: fletus vester, ut mihi gratus sit, non sistat in me, prout vos revera sistitis, sed pergat ulterius ad vestras plangendas iniquitates, ob quas tot vobis imminent mala, quae si ob id omnino non auferenda sint, saltem ex Dei benignitate minuentur. Sexta expositio sit, Christum Dominum harum feminarum pium fletum minime sprevisse, sed approbasse potius; voluit tamen eas, ut bonus praeceptor instruere, quomodo fletus, et fructuosior illis, et gratior sibi esset: cum enim illae ob id super Christum Dominum flerent, quod ingenti crucis pondere oppressum intuerentur, perinde fuit dicere, *flete super vos ipsas*, ac si dixisset, nulla alia ratione aptius, et facilius intolerabile hoc onus alleviabitis, quam vestra peccata plangentes: sic enim magnam huius ponderis gravitatem ab humeris detrahetis, cum me gravius peccatorum sarcina, quam crucis pondus premat. Septima expositio sit, quod sicut Christus apud Lucam matris viduae filium ad vitam revocaturus dixit, *noli flere*, non quod fletum illum reprobaret, sed quia statim filius erat suscitandus; ita nunc ait, *nolite flere super me innocente*, et mox ad vitam immortalem revocando: *Ego enim ad Patrem vado: super vos flete*, nam nisi *poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis:* ita Beda (*super Lucam*). Ultima expositio est divi Bonaventurae, dicentis, quod non reprehenduntur a Christo Domino mulieres illae, quod ei compaterentur, sed quia contristabantur ex mentis deiectione, contra quos dixit Apostolus (1. *Tess.* 4): *Non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent.*

Restant iam nobis duae dumtaxat huius baiulationis circumstantiae elucidandae. Prima est duorum latronum, inter quos medium ducebant Christum Dominum, tanquam insigniorem illis; utpote, quem divinitatem sibi usurpasse falso arbitrarentur, cum tamen Paulus dicat (*Phil.* 2), *qui non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo: ducebantur*, ait Evangelista, *alii duo nequam cum illo:* Christus enim Dominus tanquam nequam reputatus est, et propterea divus Lucas, *alii duo nequam* dixit, non quia Christus nequam esset, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*, sed quia tanquam nequam habebatur. Mysteria, quae in hoc facto latent, reserat praeclare seraphicus noster Bonaventura (*sup. Luc. c.* 23), his aureis verbis: *Cum sceleratis reputatus est: tum propter exemplum humilitatis, ratione cuius dicitur in Psalmo: Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis: et desideravimus eum despectum, et novissimum virorum: tum etiam propter mysterium significationis: nam per duos latrones, secundum allegoriam, intelliguntur duo populi, inter quos, et pro quibus passus est Christus, unus scilicet Iudaeorum, et alter gentium: qui recte latrones dicuntur, quia utrique Deo per superbiam in Adam voluerunt praeripere dignitatem propriam. Unde super istud: Non rapinam arbitratus esse se aequalem Deo, dicit Glossa: Adam, et Eva voluerunt rapere divinitatem, et amiserunt felicitatem. Propter hoc datum fuit signum circumcisionis in remedium: quod esset quasi cauterium latronum, et crux etiam Christi in medio latronum, ut per illam a poena latronum liberemur. Sed populus Iudaicus tanquam latro sinister adhuc blasphemat; gentilis autem confitetur, et orat. Secundum Augustinum autem per duos latrones signatur totum genus humanum, in cruce tribulationis, et miseriae affixum: altera pars a dextris, ut illi qui pro coelesti gloria; altera a sinistris, ut illi qui pro temporali gloria patiuntur. Et in hoc execrabilis est profecto impietas Iudaeorum, quae quasi latronem affixit cruci omnium Redemptorem. Bonus tamen in mysterio latro Christus, qui insidiatur diabolo, ut vasa eius auferret. Ideo Iob: In oculis eius quasi homo capit eum. Propter quod Dominus comparat se furi; Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, etc.*

Tandem ultimam, eamque non mediocri consideratione dignam circumstantiam contemplemur, quod angariaverunt Simonem quendam Cyrenaeum, ut portaret crucem post Iesum. Verba Divi Matthaei attente ponderanda sunt: *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenaeum nomine Simonem*, quae aperte indicant



Christum Dominum ex praetorio crucem baiulasse per civitatem. Sed cum primum ab ea egressi sunt, occurrit eis Simon Cyrenaeus veniens de villa: ipsi autem non pia Christi commiseratione permoti, sed prae timore ne deficeret in via, quia non semel ceciderat, et sic crucis mortem evaderet, quam tamen valde cupiebant ei inferre, ut indicant verba apud Sapientem, *Morte turpissima condemnemus eum;* mors autem crucis omnium erat abiectissima, compulerunt illum Simonem, ut gravem, ac ignominiosam crucis sarcinam portaret: non solus tamen eam tulit, sed post Iesum, ne Simon ipse videretur crucifigendus, ut opinatur cardinalis Caietanus (*in Evang.*), et imaginum picturae confirmant. Vel, ut divus Hieronymus, Euthymius, et alii verius arbitrantur, solus illam gestavit, Iesu praeeunte, ut aperte indicant verba illa: *Et imposuerunt illi crucem portare post Iesum*, quod perinde est, ac si dixisset, ex humero Christi transtulerunt crucem ad humerum Simonis, ut post Iesum illam portaret. Multa sane hic observatione digna occurrunt. In primis hanc Simonis sortem, quam Iudaei execrabantur, quia perpendentes verba Deuteronomii: *Maledictus qui pendet in ligno*, crucis tactum recusabant, ego felicissimam arbitror, et honorificentissimam. Nam si crux labarum, et vexillum est, quod omnes Christo militantes sequuntur, Simon certe vexillifer est: et si crucem clavem vocat Isaias, qua coeli ianuae reserantur, ipse claviger coeli erit; et si gladius David est ad iugulandum Goliath, diabolum exprimentem, armigeri Christi officio fungetur. In eo tamen feliciorem reor Simonis sortem, quod tametsi a principio ad ferendam Christi crucem coactus, et invitus processerit; postea tamen a Deo per viam illuminatus, crucis mysterium agnoscens, invitus crucem deposuit, adeo ut non immerito exclamare possimus, felix necessitas quae ad meliora compellit. Nec silentio praetermittam, tanta vitae integritate clarum extitisse, ut in consortio d. Pauli in Hispaniam venerit, ibique in Episcopum creatus fuerit, ut tradunt non contemnendae auctoritatis Historiographi. Hanc optimam, ac felicissimam sortem, filios Alexandrum, et Rufum patri suo Simoni promeruisse tradit d. Hieronymus his verbis: *Alii per merita patrum suorum commemorantur, alii per merita filiorum suorum. Hic autem Simon, qui crucem in angaria portat, meritis filiorum suorum, qui erant discipuli, commemoratur;* haec ille. Venerabilis Beda (*sup. Marcum*), ordinem huius mysterii contemplatus, sic ait: *Crux primo a Domino portata, deinde Simoni, quem exeuntes forte obviam habuerunt, portanda imposita est.* Et hoc congruo satis ordine mysterii, quia nimirum, *ipse passus est pro nobis relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius.* Et quia Simon iste non Hierosolymita, sed Cyrenaeus esse perhibetur, Cyrene enim Libyae civitas est, ut in Actibus Apostolorum legimus; recte per eum populi gentium designantur, qui quondam peregrini, et hospites testamentorum, nunc obediendo cives sunt, et domestici Dei, et sicut alibi dicitur (*Rom.* 8): *Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* Unde apte Simon obediens, Cyrene haeres interpretatur. Nec praetereundum, quod idem Simon de villa venisse refertur: villa enim Graece pagos dicitur, unde paganos appellamus eos, quos a civitate Dei alienos, et quasi urbanae conversationis videmus esse expertes. Sed e pago Simon egrediens crucem portat post Iesum, cum populus nationum paganis ritibus derelictis vestigia Dominicae passionis obedienter amplectitur. D. Hilarius (*can.* 23) in eo, quod Simon Gentilis esset, non Iudaeus, illud arbitratur mysterium latere, quod quia Iudaei crucis Christi indignos se reddiderant, servata fuit gentilibus, qui eam libenter amplexuri erant. Unde d. Hieronymus (*ep. ad Gal. q. in fi. t.* 3), ait Simonem portasse crucem in figura eorum, qui in Christum credituri, et cum eo crucifigendi erant, ea videlicet crucifixione qua Martyres; vel illa, de qua divus Paulus: *Christo confixus sum cruci.* In eo etiam, quod coactus Simon, Christus vero libens, et sponte crucem gestaverit, non incongrue putaverim fideles significari, qui naturali quadam carnis aversione crucem fastidientes, divina tamen virtute vim sibi inferentes, illam obedientes suis humeris imponunt: est enim in quovis homine Iesus, et Simon, hoc est spiritus, et caro: *ille quidem promptus, caro autem infirma*, cui crucis asperitas semper infesta fuit. Unde Dominus ad Petrum dixit (*Ioan.* 11): *Cum senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet, quo tu non vis.* Quid autem Simon ad baiulandam crucem conductus praeseferat, explicat divus Gregorius (*lib.* 8. *Moral. cap.* 20), dum ait significare illos, qui non Christi amore, sed ob mercedem, et temporale praemium crucis sarcinam, hoc est labores aliquos, sustinent. Origenes autem (*tra.* 35. *in Matt.*) aliam ingressus viam ait, quod cum crucem naturaliter abhorreat lasciviens nostra caro, oportet ante oculos praemium laboris proponi, ut saltem amore eius crucem amplectatur, ut contigit David dicenti (*Psal.* 118): *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Ac tandem in eo, quod Christus Dominus praecesserit baiulans sibi crucem, deinde post illum eandem Simon gestaverit, illud sacramentum delitescit, quod saepe Patres commemorant, nimirum, quod si Christus prior pro nobis passus non esset, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius, non ita viriliter sancti Confessores, ac tenellae Virgines pro veritate decertassent, nec Martyres pro Christi fide sanguinem profudissent: ut optime d. Ambrosius: *Bonus*, inquit, *ordo nostri profectus est, ut prius crucis suae trophaeum ipse erigeret, deinde martyribus traderet.* Si autem verum est, ut quidam autumant, quod crucis pondus simul Christus, et Simon baiularunt, pulchrum id mysticum sensum habet: docemur enim nec Christum solum sine nobis, hoc est sine liberi arbitrii nostri cooperatione, nec nos sine Christi adiuvante, et cooperante gratia, salutem nostram esse operaturos, et vitam aeternam consecuturos.

## HOMILIA XXI.

*De immani crucifixione Christi Domini, ac de variis circumstantiis, in illa verba:* Et crucifixerunt eum, (*Lucae* 23).

Legimus (4. *Reg. cap.* 3), quod cum hostes regis Moab acriter contra illum pugnassent, tandem fugam arripere compulerunt: qui civitatem ingressus fortissimis muris munitam, ut ab infestante impugnatione hostes avocaret, hac usus est industria. Filium suum primogenitum, ac unicum regni haeredem occisum, e moenibus civitatis suspensum omnium oculis ostentavit, quo lacrymando spectaculo non parum inimici permoti, qui urbem obsederant, contra se ipsos indignantes, quod innocentis filii mortis importuna sua impugnatione patri occasionem dedissent, tandem a pugna, et obsidione, ad propria revertentes, destiterunt. Unde postquam sacer textus dixerat: *Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super muro*, continuo subnectit: *Facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, et reversi sunt.* Non absimile est, quod Deo nostro accidisse veritas catholica docet. Peccatores enim velut armati hostes propriis sceleribus bellum Deo indicere, immo et contra illum gerere non sunt veriti: Deus tametsi nulla necessitate coactus, misericordia tamen compulsus, ut aversos peccatorum animos ad se converteret, ab inexpugnabili crucis muro filium primogenitum suspendit; quod mortalium corda adeo permovit, ut de sceleratis eius inimicis id spectantibus beatus Lucas dicat: *Et omnis turba eorum, qui aderant ad spectaculum istud, et videbant, quae fiebant, revertebantur percutientes pectora sua.* Unde non solum ab incepta impugnatione, inchoatoque adversus Deum bello se coercuerunt, immo et impugnare coepisse, pectoris tunsionibus contra se indignantes vehementer dolebant.

Sed pergo iam modum huius suspensionis ex invictissimo crucis muro, variasque eius circumstantias non solum commemorare, sed multis pariter illustrare, et exornare. Qua in re executionis ordini insistens, illud ante omnia observandum reor, ad loci circumstantiam conferens, quod ut diligentissimus Terrae sanctae scrutator Adricomius in urbis Hierusalem descriptione tradit, a Pilati palatio usque ad locum, ubi crux rupi infixa fuit, sunt gressus mille terceni viginti et unus, sive alia supputatione, pedes tres mille terceni et tres. Hinc non obscure colligitur, ex longitudine tanti itineris exanguis et exulcerati corporis Christi crucem baiulantis dolores non parum incrementi suscepisse. Adverto tamen ex eodem Adricomio, quartam partem pedis, cuius hic mentio facta est, hac linea designari.

Locum autem deputatum ad Christum in cruce erigendum esse medium terrae, communis est Doctorum sententia, ex testimonio Davidis (*Psal.* 73): *Operatus est salutem in medio terrae.* Sed in modo id explicandi non est una omnium sententia: nam d. Augustinus (*ser.* 71. *de temp.*), et Beda (*de locis Sanctis c.* 2), putant dici medium terrae locum illum ex privilegio, quia scilicet urbs Hierusalem tot tantisque privilegiis a Deo fuit condecorata, ut merito terrae medium dici debeat: ibi enim Abraham, Isaac immolaturus, Deo arietem obtulit; ibi templum illud toto terrarum orbe celeberrimum extitit; ibi Christus miracula fecit, praedicavit, et tandem cruci affixus est. Alii cum Mallonio (*de vuln. lat. Christi c.* 20), viro nostra tempestate eruditissimo in tantum aiunt Christum dici a Propheta operatum fuisse salutem in medio terrae, in quantum salutem, et liberationem animabus Patrum attulit, qui in medio terrae, scilicet in limbo, detinebantur. Alii, quos sequitur Gretserus (*de cruce Christi*), nempe Iosephus (*l.* 3. *de bello Iud. c.* 2), et antiquissimus Aristeas (*lib. de* 70. *Interpretibus*), existimant locum Davidis non esse intelligendum de medio terrae Mathematicorum more: unde ipse ait: *Non est medium terrae, nec fortassis medium terrae habitabilis, sed medium terrae accipit morali hominum existimatione, qui illud nonnunquam medium appellant, unde respectu sui ad alios facilis est transmissio, et cum iisdem commoda communicatio.* Dicunt ergo praedicti auctores locum illum esse medium terrae, quia Hierusalem media erat non totius terrae, sed tantum Palaestinae; et ad hoc medium aiunt respexisse Davidem, dum ait, Deum operatum esse salutem in medio terrae. Potestque horum Doctorum sententia ex eo valde stabiliri, cum constet Hierusalem non esse constitutam sub Æquatore, sed ne intra tropicos quidem, quippe quae longitudinis obtineat gradus sexaginta sex, latitudinis vero triginta et unum, ut tradit Ptolomaeus (*lib.* 5. *Geogra.*). Nec iuvat etiam dicere, quod aliis placuit, esse in medio terrae, quia a mari aeque distat: hoc enim falsum est, cum a mediterraneo mari distet solum spatio milliarium septem. Verum etsi difficillimum sit mundum metiri, quod nec Romanorum Senatus potuit, et certam de medio terrae rationem geometricam dare; tamen propter illud Davidicum testimonium (*Psal.* 73): *Operatus est salutem in medio terrae*, et quia communis Patrum sententia id docet, facile in eam trahor sententiam, medium illud non esse limitandum ad medium Palaestinae, sed vere esse medium orbis. Unde Beda de locis sanctis ex Victorino Pataviensi dixit:

Est locus ex omni medio quem credimus orbe,
Golgotha Iudaei patrio cognomine dicunt.

Et ante illum Eudoxia Theodosii uxor in Homeri centonibus:

In medio terraeque et coeli siderei
Tempore in verno cum dies longi existunt
Ut diu vivus existens graves dolores patiatur.

Consentit Hieronymus (*in illa verba Ezechielis*): *Haec dicit Dominus Deus: Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu eius terras*, sic scribit: *Hierusalem in medio mundi sitam hic idem Propheta testatur, umbilicum terrae esse demonstrans*: et infra subdit: *Operatus est salutem in medio terrae; a parte enim Orientis cingitur plaga, quae dicitur Asia; a partibus Occidentis ea quae appellatur Europa; a Meridie, et Austro Libya; et a Septentrione Scythia, Armenia, atque Perside, et cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium posita est*; hactenus ille. Divus Cyrillus (*cat.* 13), et divus Hilarius (*in Matth. c.* 33) aiunt, medium terrae est hic Golgotha, non meus est hic sermo, Propheta dicit: *Operatus est salutem in medio terrae.* Et antiquissimus Tertullianus (*lib.* 2. *con. Mar.*) cecinit:

Golgotha locus est capitis. Calvaria quondam
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit.
Hic medium terrae est, hic est victoria signum.

Idem tandem docet sanctus Germanus (*in theo. rer. Ecclesiar.*), immo et d. Augustinus (*in comment. Psal.* 73), et communi consensu interpretes ibi, a quo absque temeritate recedi non potest.

Duo etiam circa eundem locum crucifixionis observatione digna silentio minime praeteribo. Primum est, Christum Dominum crucifixum fuisse in eodem monte nomine Moria, quo olim Abraham filium suum Isaac immolare a Deo iussus est, ut tradit d. Augustinus (*ser.* 71. *de temp.*), confirmans id auctoritate divi Hieronymi, et testatur itidem Beda in loco illo montis, ubi Abraham altare construxerat, ut filium immolaret, fuisse mensam ligneam non parvam, in qua pauperum eleemosynae solitae fuerant a populo deferri. Secundum est, locum illum Calvariae a calvaria Adami nominatum, quia, ut gravissimi Patres tradunt ex antiquissima traditione, ibi sepultus erat humani generis parens Adam: ita divus Athanasius (*ser. de Cruce Domini*): *Non alibi patitur, neque in alio loco crucifigitur, quam in calvariae loco, quem magister Hebraeorum dicit esse sedem sepulchri Adae, ibi enim post maledictionem eum humatum esse asseverat. Quod si ita se res habet, miror eius loci naturam et proprietatem. Congruum enim erat Dominum, cum vellet revocare primum Adam, in eo loco pati, ut illius abolito peccato, ab universo eius genere illud profligaret. Iam vero, quia audierat, de terra es, et in terram reverteris, ideo illic denuo positus est, ut Adamum inibi inventum a maledictione liberaret, et pro istis verbis, terra es, et in terram reverteris, eidem diceret, excitare, qui dormis, et surge ex mortuis, et illuminabit te Christus*: et deinde d. Basilius (*c.* 5. *Isa.*): *Obtinuit fama quandam in Ecclesia memoriam conservans, non quidem scripto proditam, quae talis est, quod prima utique Iudaea hominem habebat accolam, nimirum Adam, simul atque excidit deliciis paradisi, in hac terra collocatum ad mitigandam iacturam bonorum, quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui et illic eam, cui addictus erat, sententiam condemnationis plene est executus. Itaque insolens, ac novum videbatur illius aetatis hominibus spectaculum, os capitis defluente carne nudum; at illi recondentes cranium, loco illi indiderunt nomen cranium, id est calvariam. Probabili ratione poterat Noe non ignorasse sepulcrum Principis huius, et mortalium omnium primogeniti: siquidem de hac re fama a diluvio mox per orbem propagata est ab ipso, et dimanavit, eoque Dominus excussa origine humanae mortis in calvariae loco est passus.* Addit Origenes: *Locus calvariae dicitur non qualemcumque dispensationem habere, ut illic, qui pro hominibus fuerat moriturus moreretur: venit ad me traditio quaedam talis, quod corpus Adae primi hominis ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus.* Additque Origenes (*tra.* 35. *in Matt.*) causam huius rei: *Ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur, et in loco illo, qui dicitur Calvariae locus, id est locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris, qui ibi passus est, et resurrexit.* Unde Tertullianus (*lib.* 2. *cont. Marcion.*) loquens de Golgotha:

Os magnum hic veteres nostri docuere repertum,
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.

Accedit ad haec insigne testimonium divi Augustini, sic loquentis (*ser. de temp.*): *Vere fratres non incongrue creditur, quia erectus sit medicus, ubi iacebat aegrotus, et dignum erat, ut ubi ceciderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia, et sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.* Idem etiam habet divus Augustinus (*ser. de Oblat. Isaac*), et divus Cyprianus: *Creditur*, inquit, *Adam in calvario qui sub loco, quo crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis.* Eidem tandem sententiae adstipulantur Anastasius Sinaita, Euthymius, et Theophylactus, Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, Chrysostomus, cardinales Baronius, et Bellarminus. Scio huic sententiae refragari insigne testimonium divi Hieronymi: *Magno*, inquit, *applausu populi pia explicatio suscepta est, non tamen vera, cum neque Adam in calvariae monte sepultus sit, ubi enim sepultus sit Adam, testatur liber Iosue* (*c.* 14), *dicens, ibi Adam maximus inter filios Enachin sepultus est: neque etiam calvariae mons ab Adae capite, sed a calvariis eorum, qui in eo monte capite plectebantur, sic appellatus fuit.* Docuit etiam hanc sententiam divus Isidorus, et sequuti sunt illam Rupertus, Nicolaus de Lyra, Iansenius; immo et divus Thomas, qui id ea congruentia confirmat, quod Christus non debuerat supra Adae sepulcrum mori, ne pro solo Ada mori videretur. Sed sane fundamentum divi Hieronymi, ut praecitati Doctores recte adnotant, firmum est: nam cum Iosue 14. dicitur Adam maximus inter filios Enachin sepultus, non est sermo de primo parente, Adam enim non est nomen solum personale primi hominis, sed et commune, quia Adam significat hominem; unde sensus est, quod ibi sepultus est vir maximus inter filios Enachin; vel ut egregie observavit cardinalis Baronius,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Enac gigas fuit, et parens gigantum, ut (*lib. Numerorum*) legitur, et Enac stirpem Enachin ipsos gigantes sacra Scriptura nominare consuevit. Quod igitur ibi Adam maximus inter filios Enachin sepultus dicitur, non de alio, quam de uno ex illorum gigantum numero, qui ceterorum maximus esset, et Adam sit appellatus, accipiendum est, si velimus Adam nomen esse personale, non commune. Quare divus Hieronymus non solum recessit a communiori, et receptiori expositione illius loci, sed etiam a sua propria sententia: nam in epistola, quam nomine Paulae, et Eustochii scripsit ad Marcellam, in haec verba contrariam opinionem tuetur: *In hac urbe, immo in hoc tunc loco et habitasse dicitur, et mortuus esse Adam, unde et locus in quo crucifixus est Dominus noster, calvaria appellatur, scilicet, quod ibi sit antiqui hominis calvaria condita, ut secundi Adam, id est Christi sanguis de cruce stillans primi Adam, et iacentis protoplasti peccata dilueret, et tunc sermo ille Apostoli compleretur: Excitare, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus:* et (*super epis. ad Ephesios cap.* 5) tradit a quodam cum applausu populi praedicatum, quod Christus crucifixus super sepulcrum Adae dixerit, Adam surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et continget te Christus: neque id damnat, immo typum quoque illum veritate compleri asserit, quando Elisaeus mortuus mortuum suscitavit.

Sed iam veniamus ad vinum Christo Domino propinatum antequam crucifigeretur, quod non modicam praesefert difficultatem, cum d. Matthaeus de illo loquens, dicat (*Matt.* 27): *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, et cum gustasset, noluit bibere;* Marcus vero asserat: *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, et non accepit.* Haec duo loca non videntur inter se cohaerere: nam si gustavit, accepit; si autem accepit, quomodo Marcus dixit, non accepit? divus Augustinus (*lib. de consensu Evang. cap.* 11) existimat unum poculum fuisse aceti cum felle, ac myrrha simul admistis, aut fel posuisse pro amaritudine, et ob id dictum esse a Marco myrrhatum vivum, idest amarissimum. Hoc autem vinum in hac sententia, quam sequuntur Hieronymus, Beda, Anselmus, et communis Patrum expositio, Christus non accepit, ut Marcus dixit, quia licet illud degustaret, ut Matthaeus refert, non tamen illud ebibit, in stomachum illud traiiciens. Euthymius tamen (*cap.* 67. *in Matth.*), et Theophylactus (*in Marcum*), quos sequutus est cardinalis Baronius (*in annal. anno* 24), existimant duo pocula Christo Domino fuisse oblata, antequam crucis patibulum ascenderet, alterum quidem vini myrrhati, alterum vero vini cum felle, quorum separatim quisque Evangelista meminit. Illa autem fuisse distincta pocula duo, si rem sincere perpendamus, facile persuadent. Primum est, quod de vino cum felle misto, seu ut plures codices Graeci habent, aceto, seu ut alii volunt, vino acetoso dicitur, quod *cum gustasset, noluit bibere:* de vino vero myrrhato legitur, quod *dabant ei bibere myrrhatum vinum, et non accepit;* longe autem diversum est, *non accepit*, ab eo quod dicitur, *cum gustasset, noluit bibere.* Alterum est, quod apud Hebraeos mos inolevit, ut damnatis ad mortem vinum aliquod eos confortans propinaretur, ut non obscure colligitur ex illo Proverbiorum (*c.* 11): *Date siceram moerentibus, et vinum his, qui amaro sunt animo.* Hic autem mos ab Ægyptiis ad filios Israel cum eis diu versatos pervenit, quia, ut tradit Eusebius Caesariensis ex Homero, Helena potionem dedit Telemacho apud Menelaum hospitem, quod factum est, ut calamitatum suarum oblivisceretur: et Poeta ait, hoc accepisse Helenam a Polymnestre quadam Thanais regis Ægypti uxore. Frequens etiam viguit fere apud omnes nationes consuetudo, ut moribundis potus aliquis vini praestantis porrigatur ad confortandum illos. Hac ergo usis caeremonia Hebraeis, manifestum diversum esse poculum vini myrrhati ab eo, quod erat felle permistum: illud enim consolationis, et confortationis gratia impertiebatur ab illis, ad quos huius ritus observatio spectabat, haec enim est virtus myrrhae, licet aliunde amaritudinem aliquam ingerat, illud vero ab infestissimis Christi inimicis porrectum fuisse nemo dubitabit. Posset tamen hanc sententiam labefactare, quod in persona Christi regius Vates conqueratur (*Psal.* 78): *Consolantem me quaesivi, et non inveni;* et statim subdit: *Dederunt in escam meam fel.* Si autem quispiam ei propinasset potum suavem, confortandi virtutem habentem, iam consolantem invenisset, et non solum meminisset vini felle misti, sed et myrrhati, quod suave, et pergratum erat. Respondet Incognitus (*in exposit. huius loci*) in haec verba: *Christus hic loquitur secundum modum loquendi, quo dicitur nullus adest, ubi pauci sunt, comparative, sicut dicitur nullus est in ecclesia, vel in foro, quia pauci sunt, secundum quod deberent, vel consueverunt esse.* Secundo etiam respondet in praedictis verbis, Christum Dominum locutum fuisse de persecutoribus, qui mortem Christi diligenter machinati sunt, et alacriter exequuti.

In fine autem, et scopo, ad quem respiciebant, dantes praedictum poculum myrrhatum, non est una omnium sententia: nam religiosissimus, pariterque doctissimus Alphonsus Salmeron (*tract.* 35. *de crucif.*) existimat, in mandatis Hebraeorum affirmativis contineri, ut damnatis ad mortem daretur thuris, et myrrhae granum, ut surriperetur eis usus rationis, quatenus semiebrii ex vaporibus myrrhae, et vini minus dolorem sentirent: et inde ait, Christum Dominum non voluisse illud bibere, ne ebrius pati, et loqui in cruce iudicaretur. Ceterum haec sententia mihi non probatur: tantum enim abest, ut myrrhatum vinum a mente alienaret, ut potius ab ebrietate praeservaret, et surgentes vapores absumeret, ut constat ex insigni testimonio Aristotelis apud Athenaeum (*lib.* 11. *c.* 20), dicentis: *Ollulae etiam, quae Rhodiacae dicuntur, tum ob voluptatem inferuntur in convivia, tum quia cum vinum calefaciant, minus ebrietatem inferri patiuntur:* nam si myrrha, mastiche, resque huiusmodi in aquam iniectae coquantur, ac mox vino misceantur, minus qui bibunt fiunt ebrii. Alii, quorum sententiae subscribo, asserunt



myrrhatum vinum solitum esse dari damnatis ad mortem in consolationem, et confortationem, ut inter catholicos etiam consuevit vinum illis propinari perquam optimum, cuius antiquae consuetudinis meminit Amos, dicens (c. 2): *Vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.* Constat hoc ex eo, quod myrrhatum vinum suave, iucundum, et pergratum erat, non amarum, et insipidum, sic enim nominabatur, quod in vasis myrrhynis ad saporem, odoremque quaerendum, vinum calidum infundebatur, indeque mirificum saporem contrahebat, erantque vasa illa myrrhina apud antiquos magno pretio habita. Meminit huius vini Plinius, dum ait (*nat. histor. lib.* 14. *c.* 12): *Lautissima apud priscos vina erant myrrhae odore condita, ut apparet in Plauti fabula quae Persa inscribitur, quamquam in ea et calamum addi iubet: ideo quidam aromaticis delectatos maxime credunt, sed Fabius Porsenus his verbis decernit:*

Mittebant vinum pulchrum murrhinam.
Panem, et polentam vinum murrhinam.

*Scaevolam quoque, et Laelium, et Atteium Capitonem in eadem sententia fuisse video, quoniam in Pseudulo sit:*

Quod si opus est, ut dulce promat
Indidem, ecquid habet? rogas?
Murrhinam, passum, defrutum, mella.

*Quibus apparet, non inter vina modo murrhinam, sed inter dulcia quoque nominatum;* hactenus Plinius. Eiusdem vini mentionem fecit Martialis (*lib.* 14. *suor. epigr.*) dicens:

Si calidum potas ardenti myrrha Falerno,
Convenit, et melior fit sapor inde mero.

Advertere tamen oportet, vinum hoc myrrhatum non esse illud idem, quod Nonius Marcellus, Murrhinum, vel Myrinum vocat, non a myrrha, sed a myro, quod est odoramentum quoddam. Vinum hoc dulce erat, et aromatibus conditum, quo Romanae mulieres, ut auctor est Gellius, plurimum delectabantur. Quod si quispiam quaerat, quare Christus Dominus vinum illud myrrhatum non biberit, sed potius, ut olim David potum ex aqua cisternae Bethleem sibi propinatum, renuerit, ex dictis facile erit respondere: quia cum vinum illud esset dulce, et suave, noluit illud bibere, ut omnem consolationem omnino respueret; vel certe noluit tunc extinguere sitim, ut vehementius eam in cruce pateretur, et sic impleretur prophetia, quae de Christi siti praedixerat: *In siti mea potaverunt me aceto.* Alii dicunt litteralem rationem esse, quia forte tunc non indigebat potu, et cum temperatissimus esset, noluit bibere sine causa. Divus Hieronymus (*in hunc locum*) ad sensum mysticum recurrens, ait gustasse, sed non bibisse, ut significaret se mortem gustaturum, non tamen in ea permansurum. Theophylactus (*in hunc locum*) de vino felle mixto ait, fuisse mortiferum, et veneno infectum, et quia Christus elegerat mortem crucis, et non aliam, noluisse illud bibere.

Sed iam tempus est, ut de nudatione Christi sermonem instituamus, quam inter praecipuas crucifixionis circumstantias connumerandam esse censeo. Illam adamussim praefiguravit nuditas Noe, qui figura fuit Christi, ut egregie prosequuntur d. Augustinus (*lib.* 12. *con. Faust.*), d. Ambrosius (*lib. de Noe et Arca*), d. Gregorius (*lib.* 1. *mor. c.* 12), Origenes (*hom.* 22. *in Gen.*), Rupertus (*in c.* 7. *Gen.*). Noe quidem arca mundum servat, Christus cruce mundum redimit; Noe vineam plantat, Christus Ecclesiam; Noe vino ebrius dormit, Christus amore saucius; somnum ducit ille in tabernaculo, hic in cruce; ille nudus, hic vestibus expoliatus; nuditatem Noe ridet Cam, nuditatem Christi rident Iudaei; Iaphet, et Sem verenda patris tegunt, Christiani Christi crucem, et opprobria adorantes honorant; dum ea agerentur, dormiebat Noe, sed postea e somno expergefactus benedixit Sem, et Iaphet, et maledixit Cam, ita Christus in fine mundi, quasi potens crapulatus a vino excitabitur, ut praedixit David, benedicetque filiis suis, *venite benedicti Patris mei.* Illi vero, qui eius nuditatem irriserunt, maledictionem eius audient: *Ite maledicti in ignem aeternum.* Ecce impletum illud (*Thren.* 4): *Ad te quoque perveniet calix: inebriaberis, atque nudaberis.* Michaeas quoque eandem denudationem praedixerat: *Vadam*, inquit (*c.* 1) *spoliatus, et nudus faciam planctum.* Illamque aperte ostendit, quod sacer Evangelista refert, milites sortem misisse super vestimenta Christi. Unde divus Hieronymus ait: *Nudus Iesus nudos quaerit amicos, et sponsos.* Est tamen non modica concertatio inter Doctores, an Christus Dominus ita nudatus sit, ut neque verenda tegere permissus fuerit. Plerique recentiores tamquam omnino probabiliorem sententiam venditant, omni ex parte Christum Dominum nudum extitisse, neque ullo modo permissum a militibus, ut quae natura texit, ipse velaret. Moventur primo, quia sic melius respondet figuratum figurae: nam Noe in sua ebrietate omnino nudatus extitit, ita ut et verenda paterent. Adducunt duo testimonia Patrum, alterum divi Ambrosii, asserentis (*l.* 10. *in Lucam et Ps.* 43): *Refert considerare qualis ascendat: nudum video, talis ascendit, quales nos auctore Deo natura formavit: qualis in paradiso homo primus habitaverat, talis ad paradisum homo secundus intravit.* Alterum divi Athanasii (*serm. de cruce*), ubi ait: *Exuebat vestimenta sua: decebat enim cum hominem introduceret in paradisum, exuere tunicas, quas Adam accepit cum e paradiso eiiceretur.* Tertio variis rationibus id ipsum stabiliri potest: quia si, ut d. Augustinus (16. *de Civit.* 2. *et* 12. *con. Faus.*) refert, mos erat apud Romanos, et alias gentes cruci damnatos omnino nudos suspendere, manifestum est immanissimos illos carnifices hoc eodem rigore usos fuisse erga Christum Dominum, ne aliquid solaminis ei impendere viderentur. Deinde, quia certum est in circumcisione omnino nudum extitisse: nihil ergo obstat, quo minus etiam nudus extiterit tempore crucifixionis. Ac tandem, quia



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

quamvis beata Virgo, Ioannes, et Magdalena, qui spectaculo illi aderant, voluissent illo tempore linteolum porrigere ad contegenda, quae natura contexit, verisimile non est infestissimos Christi inimicos id permisisse, qui maiorem Christi confusionem diligentissime quaeritabant. Neque huic sententiae aiunt repugnare communem et consuetum modum pingendi Christum Dominum cruci affixum, linteo praecinctum, quia non opus est, ut eo modo fidelium oculis subiiciatur, quo crucifixus est, ab iis quos Psalmista canes vocat.

Haec tamen omnia, quae quandam probabilitatis speciem praeseferre videntur, apud me nullam prorsus probabilitatem habent. Moveor ad hoc primo, quia si de figuris agamus, sicut nudus David, indutus tamen ephod lineo, et saltans coram Arca derisus est ab uxore Michol; ita et Christus nudus, licet linteolo praecinctus, cum nos Patri reconciliaret, delusus fuit. Noe etiam, ut figuram ab eis adductam in eosdem retorqueam, licet nudatus fuerit, continuo tamen pallio coopertus est a filiis. Eodem ergo modo licet a militibus penitus denudatus fuerit Christus, ab aliis vero ex benevolentia adhibitum fuit linteolum ad pudorem velandum: quod adeo verum putat d. Anselmus (*de pass.*), ut non dubitarit dicere, beatam Virginem hoc obsequium ei impendisse proprii capitis linteolo detracto. Ducor secundo in eandem sententiam ex testimonio revelationis b. Birgittae facto, in qua beata Virgo locuta est in hunc modum: *Stante Filio meo, sicut natus erat, nudo corpore, unus tunc accurrens opportavit sibi velamen, quo ipse exultans intime velabat verenda sua.* Similia ait (*libr.* 4. *capit.* 7). Nec haec revelatio pugnat cum testimonio nuper citato divi Anselmi, cum facile potuerit duplex linteolum a beata Virgine, et ab aliquo pio viro ei donari. Tertio trahor ad hanc sententiam: nam Aquisgrani summa veneratione colitur linteum asservatum, quo Christus e cruce suspensus coopertus fuit, quod septimo quoque anno fidelibus devotionis causa ostenditur, extra quod tempus, teste Leone reginae Boemiae fratre, in suo Itinerario, Caesari diadematis gratia eo venienti detegitur. In Bavariae etiam Monte sancto de eodem linteolo aliquid asservari omnes illius provinciae norunt. Quarto idem mihi persuadet efficacissima ratio, quia verendorum nuditas post Adae lapsum indecentiam quandam praesefert honestati repugnantem; nulla ergo ratione admitti debet in Christo totius pudicitiae, et honestatis speculo, qui facile illam vitare potuisset. Unde si, ut refert divus Gregorius Turonensis (*lib.* 1. *de gloria Mart. c.* 23), quidam sacerdos divinitus monitus fuit, ut nudam imaginem Christi crucifixi in templo existentem linteo vestiret, ne nuditas aspiceretur: quanto maiori cura divinam providentiam nuditati ipsius Christi occurrisse credemus, ne ab omnibus conspiceretur? Incredibile etiam est, quod quidam alias graves viri, et nonnullae etiam honestissimae feminae, quae ibi aderant, Christum Dominum omni ex parte nudum aspexissent. Ac tandem accedit ad haec non contemnenda coniectura: nam in sacra sindone, qua sepultus fuit Christus Dominus, et a Iosepho ab Arimathea involutus, quae hodie Thurini ostenditur, habetur exarata, seu impressa Christi figura, in qua tam pars exterior, quam posterior corporis Christi, huius linteoli pudorem cooperientis, manifesta signa ostendit. Communem etiam, et receptissimum universalis Ecclesiae depingendi modum huic sententiae opitulari evidentissimum est, cum nunquam Christi imago in cruce depingatur, nisi linteo eius pudorem velante. Unde Abulensis (*p.* 4. *d.* 5. *c.* 42), loquens de denudatione verendorum, ait: *Nemo namque tam durus foret, et immemor humanae verecundiae, qui tam detestanda aggredi ausus foret; et si quis ausus fuisset hoc, Christus passurus non esset.* Contrarium autem huius nec somniasse arbitror Ambrosium, et Athanasium supra citatos: duplex enim illa, qua utuntur, comparatio solum comprobat, quod quemadmodum primus homo nullis vestibus erat indutus, ita et Christus omnibus suis vestibus fuit spoliatus; linteolum autem illud pudorem cooperiens, nomine vestis nulla ratione venit intelligendum. Ad consuetudinem vero illam Romanorum dicendum est, vel tunc temporis iam esse abolitam propter turpitudinem, quam praeseferebat, et quia aspicientibus crucifixos non poterat non esse ingrata; vel si illa tunc vigebat, facilius persuadebor speciali Dei providentia ob eximiam Christi pudicitiam factum esse, ut pudorem velare permitterent, sicut eadem ratione, licet multa, ac detestanda falsa testimonia adversus Christum Dominum obiectabant, nullum tamen adversus purissimam eius castitatem hostes eius effutire permissi sunt. Nec tandem quidpiam refert, quod in circumcisione Christus Dominus nudatus omnino fuerit, quia in infantulis puderis denudatio non eam praesefert indecentiam, quam in viris; maxime cum tunc pro circumcisionis sacramento ministrando necessaria omnino esset.

Porro cum de modo crucifigendi Dominum nihil clare et perspicue tradat sacra Scriptura: num cruci in altum erectae affixus fuerit, an adhuc in terra iacenti; difficile admodum est certo definire, utra istarum opinionum verior sit: nam locus ille Ioannis (*c.* 3): *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*, non magis unam, quam aliam stabilit opinionem. Duplicem ergo celebrem sententiam reperio. Prima est eorum, qui dicunt crucem prius fuisse erectam, et postea Christum in eam elevatum scalis, et funibus: ita divus Gregorius, dum ait: *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius, quia in cruce suspensus fructum vitae apprehendit, iuxta illud: Ad praedam fili mi ascendisti.* Divus Bernardus (*trac. de Passio. Do. c.* 5): *Exaltato in crucem perforantur manus, et pedes viri optimi benigni Iesus.* Divus Cyprianus (*ser. de pas. Dom.*): *Ascendisti*, ait, *Domine palmam, quia illud crucis tuae lignum portendebat triumphum de diabolo, erantque in manibus tuis duo cornua, in quibus erat fortitudo tua abscondita:* et d. Augustinus (2. *ad Catech.*): *Ascendat sponsus noster thalami sui lignum:* et d. Chrysostomus ait (*in* 1. *Cor.* 3), *conscendisse in crucem.*



Eandemque sententiam sequuti sunt divus Gregorius Nazianzenus (*trag. Christi patient. c.* 7), et d. Bonaventura (*fasciculo c.* 3. *et li. med. vita Christi c.* 78), cardinalis Toletus (*in c.* 19. *Ioan. adnot. c.* 4), et multi recentiores, quos longum esset percensere. Praecipuum fundamentum huius sententiae praeter auctoritatem tantorum Doctorum desumitur ex revelatione facta d. Birgittae, in qua haec verba habentur: *Crux eius a Iudaeis figebatur, et firmabatur fortiter in foramine petrae montis cum lignis, confixis cum malleo validissime circumquaque, ut crux solidius staret, ne caderet. Cum igitur crux ita solide firmata esset, ibidem statim adaptabantur tabulae ligneae in circuitu stipitis crucis, per modum graduum, usque ad locum, ubi pedes eius crucifigi debebant, ut possent per illos gradus tabularum, tam ipse, quam crucifixores ascendere, et super tabulas illas aptiori modo stare ad crucifigendum eum.* Secunda sententia est aliorum Patrum, asserentium Christum Dominum humi iacenti cruci affixum fuisse. Ita d. Hieronymus, quem sequuti sunt d. Anselmus (*lib. de pas. circa finem*), d. Antoninus (1. *p. hist. tit.* 5. *c.* 6. *ant. med.*), et b. Laurentius Iustinianus (*ser. de pass. Dom.*) dicens: *Ibi nudatur vestibus, solo supinus extenditur, configitur, configitur stipiti, elevatur in aera.* His Patribus libenter adhaerent multi moderni, fulciririque potest duplici ratione. Prima, quia modus hic crucifigendi facilior, et expeditior est; ille autem valde difficilis, et molestus etiam crucifixoribus. Secunda, quia in terra sancta specialis crucifixionis locus demonstratur, qui sane distat per aliquos passus a loco, quo crux fuit terrae infixa. Verum haec sententia licet rationi consentanea videatur, ego maiorem fidem adhibeo revelationi factae b. Birgittae. Quidquid autem sit de hoc modo crucifixionis, in eo conveniunt fere omnes praecitati Doctores cum b. Birgitta, quod arreptam eius manum dextram prius affigere tentarunt, quoniam ex parte cordis erat, ut citius, et magis doleret; itaque dextrae manus volam ea parte, qua crassior est, tanta acrimonia confixerunt, ut clavus, qui pollicis crassitudinem aequabat, et tantae erat longitudinis, ut ultra crucis stipitem non parum protenderetur, partem carnis intra foramen raperet, ut non tam affixam, quam ferruminatam crederes. Pari postea immanitate ad sinistram processerunt, quae cum longius distaret a foramine propter nervos contractiores redditos, idcirco aliis saevitiae instrumentis contendunt, ut funibus hinc inde ligatis, alii dextram manum vinculis retinerent, ne discerperetur, alii vero sinistram trahebant, donec loco perforato, ac parato accommodari posset. Existimatque divus Bonaventura, quod sicut ante crucifixionem ferro terebrante, viam ad ingressum clavi in ligno parabant, id ipsum ante crucifixionem in manibus, et pedibus praestiterunt. Hanc manuum crucifixionem considerans divus Gregorius Nazianzenus, ait: *Christi manum adversus manum positam esse arbitror, manus scilicet Christi cruci affixas contra manum incontinenter extensam.* Manum quidem Adae vocat incontinenter extensam, dum ad vetitum cibum capiendum ex intemperantiae vitio pariter, et superbiae illam extendit; manus vero Adae primo incontinenter extensa manus dextera fuit, quia, ut docet Aristoteles (*lib.* 2. *de Hist. animal. c.* 1), et cum eo communiter Philosophi, a dextra incipit motus: ob quod aliqui dicunt dexteram Christi manum prius fuisse cruci affixam, ut ex b. Birgitta supra retulimus. Dum autem ex confixione manuum corpus mirum in modum contraheretur, factum est, ut pedes non possent attingere ad locum designatum clavorum; quare immanes ministri funem per humeros circumducentes valido corpus alligarant, ut pedes, et crura, quoad possent, extenderent, ita tamen, ut manus iam confixae non disrumperentur, impletumque est illud (*Psalm.* 21): *Dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Acerbitatem doloris, quem Christus in hac clavi fixione manuum, et pedum sustinuit, ex eo probat Angelicus Doctor (3. *p. q.* 46. *a.* 6), quod in locis nervosis Christus Dominus fuerit transfixus: hic enim dolor adeo vehemens esse solet, ut multis spasmum causaverit, aliis membrorum stuporem, et mentis alienationem immiserit. Unde doctissimus Eckius (*de pass. Dom. a.* 5. *consi.* 3), hanc dolorum acerbitatem explicans, ait: *Manus altera obtuso clavo, ut gravior esset dolor, cruci affixa est, altera vero, quando iam foramen attingere poterat, funibus sic extensa est, ut venae disrumperentur.* Non aliter ergo extensum est Christi corpus, quam soleat extendi tympanum, ita ut omnia Christi membra, nervi omnes, venae quoque, atque arteriae velut chordae extenderentur. Quare Landulphus (*de pass.*) revelatum asserit pio cuidam viro, Christum Dominum nullam maiorem sustinuisse poenam, quam huiusmodi transfixionem, facileque id, sicut et huc usque praenarrata vera esse constat ex revelationibus b. Birgittae. Unde d. Augustinus non immerito dixit: *Clavi, et lancea clamant.* Quod si quispiam interroget, quid clamant? D. Bernardus respondet: *Clamat clavus, clamat vulnus, quod in Christo sit Deus, reconcilians mundum sibi.* Quid ergo obstrepit Simon impurus ille magus, dicens, fictum hominem crucifixum, Christum vero callide elapsum, si vulnus, si clavus clamat, quod in homine Deus sibi mundum reconcilians patiebatur? quid blaterat Mahometes impius, non Christum, sed Simonem Cyrenaeum fuisse crucifixum delirans, si clamat vulnus, si clamat clavus, quod in homine Deus patiens mundum sibi reconciliat? ut quid garrit Cherinthus, fingens Iesum fuisse purum hominem? Ac tandem si vulnus clamat, si clamat clavus Christum Dominum summo dolore confectum, quid Manichaei commentantur corpus Christi non verum, sed phantasticum fuisse? Sed et aliam egregiam divi Iustiniani responsionem eidem interrogationi adhibere placet: *Clamant*, inquit, *sputa, clavi, lancea, irrisiones, et verbera, ut ipse toto corde, totisque visceribus diligatur, qui pro dilectione nostra talia, ac tanta pati dignatus est.*

Sed liceat mihi in vulneribus Domini mei Iesu Christi tantisper immorari, antequam ad reliquas crucifixionis eius circumstantias illu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

strandas procedamus: *Foderunt*, ait divinus Vates, *manus meas, et pedes meos.* Nova sane metaphora, et observatione digna valde: quis non miretur effossas manus, effossos pedes dici? fodere enim proprie est ruderibus egestis fossas excavare: quomodo ergo consentaneum erit carnifices manus, et pedes Christi effodisse? Respondet egregie Hugo cardinalis in haec verba: non dixit transfixerunt, sed foderunt, quia ex profunda hac excavatione ad instar fossae exprimitur fructus, qui inde prosiliit: fossis enim agros circumdamus, ut ex iis fructus copiosos exhauriamus, sicut quidam cecinit:

Fossa parit tellus optato tempore fructus:
Fossa caro Christi caelica regna dedit.

Fossis igitur Christi corpus excavatum est, ut fructum aeternae beatitudinis nobis referret: vel certe ideo effossum est, quia arbor vitae est, et ut nos in eo insereremur, oportebat prius scissuras, et foramina in eo excavari. Refert sacra Scriptura (3. *Reg.* 6), Salomonem fecisse in templo fenestras obliquas, quarum etiam meminit Ezechiel propheta (*cap.* 40. *et* 41). Varii sunt Doctores, et inter se dissentientes in expositione huius loci. Sanctes Pagninus vertit fenestras latas extrinsecus, intrinsecus angustas. Caietanus (*sup.* 3. *Reg.* 6) adnotat in textu Hebraico legi: *Fecit fenestras respicientes clausas.* Rupertus (*l. de Trin. et eius oper.*) dicit esse fenestras pene occultas, quae lumen non ferunt, quia Deus templum inhabitans lux est, nullo externo egens lumine. Idem etiam (*sup. Ezechielem*) fenestrae inquit obliquae, quasi sagittae dicuntur, eo quod instar sagittarum angustum in aedes lumen referant: quod ante ipsum docuerat prius d. Hieronymus. Septuaginta Interpretes legunt fenestras absconditas. Communior sententia nostro argumento accommodatior est, quod fenestrae illae obliquae dicantur, quia extrinsecus angustae, intrinsecus latae essent, mystice enim vulnera Christi Domini apte significant. Scio Glossam per huiusmodi fenestras Doctores intelligere, qui dum ea quae in occulto vident, publice pandunt, quasi suscepto solis lumine cuncta templi penetralia replent. Scio etiam Incognitum tropologice fenestras obliquas exponere, quod anima, quae est templum Dei, debeat affectiones voluntatis exterius habere angustas respectu temporalium, et latas interius respectu spiritualium. Sed non infimum locum habet expositio, quod de vulneribus Christi mystice intelligatur: nam praeterquam, sicut fenestrae sunt parietis foramina, ita Christi vulnera sunt corporis orificia; certe sicut fenestrae ad contuendum, ita quoque plagae ad prospiciendum sunt aptae: in his enim prospicimus in coelum, ut quanta sit beatorum gloria intueamur, quae tanto pretio empta fuit: in his prospicimus in infernum, ut quanta debeat esse peccatorum ultio, cognoscamus, quandoquidem tantum Deo cruciatum intulerunt: in his excessum divinae charitatis admiramur, quae eo usque pervenit, ut animam suam daret, non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis: in his misericordiam Dei spectamus, qui proprio sanguine nos redemit: in his antiqui serpentis versutias detegimus, caelestiaque praesidia contemplamus. Sunt autem vulnera ista fenestrae obliquae, quia respectu amoris interni, qui amplissimus erat in Christo, externae plagae exiguae, et augustae sibi videbantur; tum quia, cum a clavis versus basim grossioribus, versus cuspidem subtilioribus sint inflictae, necessario una ex parte angustiores, altera ex parte laxiores esse debebant: tum quod corpus contristantes maiorem in animam inferebant tristitiam, et dolorem: tum tandem, quia extrinsecus quidem augustae videntur, si solum hominem pati intueamur; intrinsecus autem in infinitum ampliores, si non purum hominem, sed Deum hominem pati, vulnerari, et crucifigi perpendamus. Id etiam quod divus Hieronymus (*cap.* 41. *in Ezech.*) ait, fenestras illas obliquas fuisse in medum retis, instar cancellorum, non incongrue Christi vulneribus adaptatur: nam sicut per huiusmodi cancellos non plene res videntur, sed subobscure, ita quae in vulneribus Christi delitescunt sacramenta, nemo clara, et evidenti cognitione perspicere, aut attentare debet: quia cum mysteria fidei sint, atque adeo non clara, et evidentia, sub obscura, et aenigmatica notitia sunt agnoscenda. Id quod satis indicant verba illa Sponsi (*Cant.* 6): *Averte oculos tuos a me*, ne me clare cognoscere tentent, ut explicat Glossa ordinaria. Laudans Sponsa minutim pulchritudinem omnium, et singularum partium corporis Christi, considerans manus, dixit: *Manus eius, manus tornatiles, plenae hyacinthis.* De cuius loci expositione, licet alibi multa dixerimus, diversa quaedam hoc loco subtexemus. Rupertus (*sup. c.* 5. *Can.*) in tornatilibus manibus agilitatem ad miracula perpetranda intelligit: nam quae torno fabricantur, maxima agilitate huc illucque efferuntur. D. Gregorius (*in cap.* 5. *Can. cap.* 6) tornatiles exponit manus Christi, quia sicut quod tornatur, in sua rotunditate sine obstaculo volvitur; sic Christi opera in rectitudinis rotunditate volvebantur, ut nulla ei peccati macula obsisteret. Hugo cardinalis (*sup. cap.* 5. *Cant.*) in eundem locum interpretatur manus tornatiles, artificiose opera Christi, ac summa prudentia fuisse executioni mandata: opera namque torno confecta artificiose elaborata sunt.

His expositionibus aliam novam adhibuit eruditissimus Mallonius (*de plag. man. Christ. c.* 16) in haec verba: *Manus Christi dicuntur tornatiles, quia eius manus rotunda plaga fuerunt exornatae: clavus rotundus rotundam in Christo figuram impressit. Vel si manus cum infixis clavis simul sumantur, tornatiles dicentur, quia clavi tornatiles erant, eodem elocutionis artificio, quo Poeta cecinit:*

Pulsabit buccina buccas

*Non enim buccina buccam, sed bucca buccinam pulsat; ita tornatiles manus propter tornatiles infixos clavos dicentur.* Quod autem ait Sponsa manus hyacinthis constipatas, varie Doctores interpretantur. Arethas (*in cant.*) in manibus Christi admiranda eius opera; in hyacinthis mysticos sensus reconditaque mysteriorum arcana, quibus opera Christi scatent, contemplatur. Rupertus manus hyacinthis plenas ait propter coelestem retributionem aeternae felicitatis. Ego vero non incongrue putaverim, si ideo Christi tornatiles manus dixerim plenas esse hyacinthis in cruce, quia guttis sanguinis velut coelestibus gemmis sunt refertae.



Sed iam de vulneribus pedum aliquid dicentes, huic homiliae ultimam manum imponamus. Arbitror plures ob causas easque gravissimas voluisse pedes eius adeo graviter vulnerari, ut sapientissimus Lanspergius referat, triginta et sex mallei ictibus fuisse cruci affixos. Divus Gregorius (4. *Mor. c.* 40) ait, quod *in pedibus denotantur desideria, et affectus, quos ut ostendat cruci semper debere esse confixos, proprios pedes configi permisit.* Beda (*in c.* 7. *Gen.*): *Fixos habere voluit pedes in cruce, ut in eadem nos pedes figamus.* Glossa interlinearis, ut ostendat pedes Christi, hoc est praedicatores cruci haerere perpetuo debere, iuxta illud divi Pauli (1. *Cor.* 9): *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Divus Hilarius (*in Matth. cap.* 2) ait, quod Christus torcular calcavit solus, et ideo pedes ut calcantium in torculari sanguine rubent. Mallonius (*de ped. Chri. cap.* 19) duas assignavit causas his verbis: *Ideo Christus pedes suos ferro voluit commisceri, donec lapis sine manibus hominum abscissus Nabuchodonosor statuam tangeret et contereret, ipse vero cresceret in montem magnum. Statua enim illa naturam designat humanam, sicut optime Anselmus in opusculo de somnio Nabuchodonosor, quae primo caput aureum habuit in statu innocentiae; pectus, et brachia argentea in Patriarchis Abraham, Isaac, et Iacob, et ceterorum; crura aenea in David, et Salomone, et reliquis; ferreas tibias in Sedechia, Zorobabel, et aliis; pedes partim ferreos; partim luteos in Machabaeis, qui commisceri non poterant. Ideo Christi anima velut lapillus sine manibus abscissa est, dum corpus penderet in cruce, et tetigit statuam in pedes, et in nihilum redactus est noster homo vetus:* et immediate post haec aliter figuram eandem explicans ait: *Ipse Christus est statua illa mirabilis: ipse enim habet caput aureum in divinitate; brachia ac pectus argentea in Abele, et Enoch, Noe, et Patriarchis; ventrem ac crura aenea in Abraham; tibias ferreas in Machabaeis; pedes partim luteos, id est mortales, partim ferreos in cruce, quae licet commisceri nequeant, humana tamen impietate iunguntur: ideo lapillus, qui est Christus sine manibus abscissus, quia cum vult, animam ponit, statuam hanc corporis sui in pedibus tetigit, et in morte contricit: ipse vero crevit in montem maximum, et replens orbem, dominatur a mari usque ad mare.* His omnibus causis alias non contemnendas subiungamus. Sephora uxor Moysis sanguine filii sui tetigit, et linivit pedes eius dicens (*Exod.* 4): *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Christus igitur ut nobis sponsus sanguinum fieret, pedes clavis transfigi, et roseo sanguinis colore tingi voluit. Serpenti dixit olim Deus, et tu insidiaberis calcaneo eius. Ut ergo immunes simus a morsu eius, calcaneos suos cruci haerere Christus voluit. Nisi dicamus id voluisse, ut ostenderet carnes nostras timore esse configendas, iuxta illud Ambrosii (*in Psal.* 118): *Confige timore velut clavis carnes meas*: ubi aperte desumit metaphoram cum Davide ab iis, qui clavo confixi sunt, qui nec in unam, nec in alteram partem se flectere audent, ne cruciatu maiore torqueantur. Vel tandem dicamus, quia speciosi debent esse pedes *evangelizantium pacem, evangelizantium bona*: ideo pedes suos voluit proprio sanguine purpurari; vel quia cum esset summus Pontifex, potestate excellentiae conspicuus, pedes eius ungendi erant non oleo, ut dexter Romani Pontificis pes, sed proprio sanguine, e venis eius defluente.

## HOMILIA XXII.

*Prosequimur circumstantias crucifixionis Christi Domini, alias plures scitu dignissimas tradentes, et elucidantes.*

Eas quae restant explicandae circumstantias crucifixionis Christi, exordiri placet a numero clavorum, quibus executioni mandata fuit. Sunt enim gravissimi Doctores, asserentes tribus tantum clavis Christum Dominum crucifixum: putant enim pedes uno tantum clavo terebratos fuisse. Ita d. Gregorius Nazianzenus (*de Christ. patient.*), d. Anselmus (*dial. de Pass. Christ.*), d. Bonaventura (*lib. medit. vit. Christ. c.* 78), d. Ambrosius (*de obit. Theod.*), Rufinus (*l.* 2. *c.* 8), Nicephorus (*l.* 8. *c.* 29), Ioannes Zonoras (*c.* 3. *annal.*), Sigonius (*de occid. imp. l.* 3. *n.* 328), Eutropius (*l.* 2. *Hist. trip. l.* 1), et multi moderni, quorum sententia probari potest. Primo ex Absalonis figura, qui tribus lanceis confossus fuit, et ex littera Tau, quae crucis figuram gessit, in qua tria solum latera reperiuntur. Secundo, quia si duobus clavis pedes fuissent transfixi, certe cum aequalis essent magnitudinis, non fuisset maius vulnus unius pedis quam alterius; in sacra autem Sindone Thurini asservata constat unius pedis vulnus latius esse alterius vulnere, et ipsorum pedum alterum altero magis dilaceratum, quod ea ratione factum est, quia pedibus uno clavo confixis oportebat vel clavum esse grossiorem, vel secundum partem grossiorem magis infigi, et pedem alteri superpositum crudelius et latius perforari, quod non parum dolorem Christi augeret. Tertio, quia ut refert Isidorus Mosconius, in corde s. Clarae de monte Falcone visi sunt tres nervicoli, ex quibus tres clavi dependebant, duo quidem minores, et tertius maior, quos idem auctor saepe vidisse testatur. Quarto, quia praecitati Patres, et maxime d. Ambrosius, et Nazianzenus cum reliquis enarratis, clavos a regina Helena inventos solum commemorant tres: primum galeae Imperatoris Constantini impositum: secundum fre-

no equi illius interfextum: tertium, cuius meminit Gregorius Turonensis (*lib. 6. histor.*), in mare Adriaticum immissum ad tumentes eius fluctus comprimendos, et frequentes tempestates sedandas. Ac tandem eandem sententiam stabilit communis et receptissimus pingendi modus Ecclesiae, quae non consuevit Christi crucifixi imagines quatuor clavis depingere, sed tribus tantum.

Ceterum ego magis inclinor in oppositam sententiam, asserentem quatuor clavis manus, et pedes Christi perforatos fuisse in cruce. Moveor primo ad id auctoritate gravissimorum Doctorum: nam in primis Gregorius Turonensis (*in hist. de glor. Sanctor.*): *Unum*, inquit, *ex quatuor clavis deponi iubet Constantinus in pelago:* et (*de glor. Martyr. lib. 2. cap. 6*) ait: *Clavorum ergo dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, haec est ratio: duo sunt affixi in palmis, et duo in plantis.* D. Cyprianus (*ser. de pass.*) clavis sacros pedes Domini terebratos fuisse tradit, ex quo evidenter colligitur quatuor esse sensisse, cum duobus aliis manus Christi fuerint confixae. D. Augustinus (*libr. Medit.*) ait: *Immaculata Christi vestigia diris confixa clavis*, et infra subdit: *violari clavis pedes, et manus plasmatoris.* Innocentius III. (*serm. 1. de uno Mart.*): *Quatuor*, inquit, *clavi sunt quatuor principales virtutes cardinales.* Accedit Gulielmus Lyndanus Episcopus (*in sua panopl. lib. 14. cap. 97*) ubi ait: *Christum Dominum una nostri causa crucifixum, non tribus fuisse clavis fixum, ut hodie vulgo habent imagines, sed quatuor. Verius crediderim non vetustissimis tantum Lovanii, Parisii, et per Germaniam imaginibus, sed tabellis etiam antiquissimis in Graecia iampridem fabrefactis rem hanc firmari.*

In Caemeteriis etiam sanctorum Martyrum, quae extra muros urbis subtus terram reperiuntur, permultae sunt inventae imagines Christi Domini, quatuor clavis crucifixi, quae mihi non leve argumentum faciunt, ut multo veriorem hanc iudicem sententiam, cum a primordiis Ecclesiae hanc consuetudinem Christum depingendi quatuor clavis observatum esse constet. Toletus deinde, et Nonnus ((*in cap. 19. Ioan.*), et multi alii eidem sententiae adstipulantur. Secundo moveor ex revelatione facta b. Birgittae: nam (*lib. 1*) haec scribit: *Deinde dextrum pedem crucifixerunt, et super hunc sinistrum duobus clavis:* et (*lib. 4*) ait: *Et pedes similiter ad foramina sua distenduntur, cancellatique, et quasi infra a tibiis disiuncti duobus clavis ad crucis stipitem configuntur:* et alibi, *pedes deorsum tracti, et duobus clavis perfossi.* Tertio, quia antiquae picturae imaginum Crucifixi eidem sententiae valde opitulantur, ut patet in imagine argentea antiquissima Christi crucifixi, quae habetur Romae apud s. Petrum, et in Crucifixo apud s. Ioannem Lateranensem, et in statua Crucifixi per Nicodemum condita, quae colitur Lucae, quae civitas est Italiae, et in altera Lovanii in ecclesia s. Michaelis, ac tandem in altera ecclesiae Burgensis in Hispania, et in aliis quamplurimis aliarum provinciarum. Quarto subscribo huic sententiae: quia, ut adnotavit cardinalis Toletus, quatuor fuerunt crucifixores Christi, quorum singulos singulos clavos infixisse verisimile est: maxime quod Seneca (*lib. de beata vita*), loquens de illis, qui noxios crucifigebant, ait: *Unusquisque vestrum clavos tuos ipse adegit.* Tandem id mihi persuadeo, quia difficillimum fuisset, duos pedes stantis uno clavo configere. Quam difficultatem agnoscens d. Bonaventura (*in medit.*), coactus est dicere: *Praeacuta sude prius Christi pedes perforatos, ut facilior clavo configenti pateret aditus.* Rationes autem in contrarium non multum urgent. Non prima ex figura Absalonis desumpta, quia non oportet in omnibus, et per omnia figuratum respondere figurae: constat enim venditionem Iosephi umbram fuisse venditionis Christi Domini, et tamen compertum habemus ex sacra Scriptura, illum viginti, Christum vero triginta argenteis venditum fuisse. Non secunda, quia ex multiplici alia causa, quam ex unitate clavi, potuit vulnus unius pedis esse latius, quam alterius; vel quod clavus grossior esset; vel si aequalis magnitudinis, potuit unus profundius infigi, et latius vulnus causare. Non tertia, quia cum frequens esset, et valde usitatus modus pingendi Christum crucifixum unico clavo, sicut et modo viget, eundem crucifixionis modum corde impressum s. Clara recepit, quae multoties corde meditata fuerat. Non quarta, quia multi illorum Doctorum nec tres clavos retulerunt, sed duos tantum, ut ex illa computatione firmum argumentum colligi non possit. Non ultima tandem, quia si de auctoritate imaginum quantum ad modum pingendi agatur, antiquioribus maior fides adhibenda est quam recentioribus; constat autem ex dictis, antiquiores Christi crucifixi imagines duobus clavis pedes perforantibus depingi consuevisse.

Hinc facile erit deprehendere, omnino relegandam esse eorum opinionem, qui putarunt Christum Dominum crucifixum fuisse clavis octo, ut refert Iacobus Bosius (*lib. 1. de triump. cruce cap. 15*), eo Plauti testimonio fulti, quod olim moris erat, octo clavis malefactores cruci affigere, sic enim ille ait: *Ego dabo et talentum, primus, qui in crucem excurrerit, sed ea lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia:* quo etiam modo non pauci martyres fuerunt crucifixi: nam de Agricola, insigni Christi Martyre, d. Ambrosius (*in adhorat. ad Virg.*) inquit: *Nos legimus, martyres, clavos, et multos quidem, et plura fuerunt vulnera, quam membra;* et in eius vita sub die quarta Novembr. legimus: *Agricolam vero plurimis clavis cruci affigentes, interemerunt.* Verum licet haec vera sint, opinio tamen, octo Christi clavos adstruens, praeterquam nullum gravem habet auctorem, est contra communem sensum Ecclesiae. Unde recte cardinalis Baronius dixit: *Quod vero clavi, quibus suffixus est Christus, plures in diversis locis hodie reperiri dicantur, nihil est, quod pluribus quam tribus, vel ad summum quatuor Christi manus, et pedes confixos putemus.* Cuius rei ego eam putaverim rationem esse, quod nonnulli ex praedictis clavis, qui in diversis locis ostenduntur, devotionis causa facti sunt, partim ex materia alicuius ex quatuor clavis,



quibus Christus Dominus fuit affixus: partim ex communi ferri massa: nonnulli etiam fabrefacti sunt, absque ulla verorum clavorum Christi particula eis permixta; ad normam, et exemplar illorum, ut in illis fideles, tanquam in imagine eos, quibus Christus revera fuit confixus, religioso cultu adorarent.

De corona autem spinea, an in crucifixione detracta fuerit, duplicem contrariam invenio sententiam, quam facile in concordiam redigam. B. enim Birgitta (*lib. 7. rev. cap. 15*) ait: *Quo facto coronam de spinis, quam deposuerant de capite eius, cum crucifigeretur, iterum imposuerunt, et aptaverunt capiti suo sacratissimo.* Causam autem cur coronam Christo crucifigendo detraxerint, eam fuisse autumant communiter Doctores, quod inconsutilem tunicam detrahere non poterant, nisi corona detracta. Origenes tamen (*tract. 35. in Matt.*) contrariam sententiam his verbis stabilit: *Quomodo denuo spoliaverunt eum chlamyde coccinea? de corona autem spinea nihil tale scripserunt Evangelistae, propterea quod et nos quaerere voluerunt exitum rei de corona semel imposita, et nunquam detracta.* Ita etiam docet Tertullianus (*lib. cont. Iud. cap. 13*) his verbis: *Isaac cum ligno reservatus esset, ariete oblato in vepre cornibus haerente, et Christus suis temporibus lignum humeris suis portavit inhaerens cornibus crucis.* Sed haec quae pugnantia videntur, facile conciliari possunt, si dicamus non omnino indicandum esse detractam coronam, quae statim maiori cum dolore fuerat imprimenda: non enim dimissum dicitur, quod statim erat assumendum, ut constat ex (*l. dicor. ff. de dic.*). Fuit ergo Christus Dominus corona redimitus cruci affixus, ut praeter testimonia adducta confirmat divus Cyprianus (*de Pas. Dom.*) his verbis: *Consideravi opera tua, et expavi clavis sacros pedes terebrantibus, fossisque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrum caput pungentibus non quereris, sed satagis, ut innotescat posteris, quare derelictus a Deo videaris, expositus contumeliis, et Iudaeorum ludibriis.* Et ratio ipsa ad idem non parum favet: tum quia iterum imponentes coronam capiti Christi, magis, et magis illum lacerabant, cum oporteret aliis diversis partibus capitis spinas infigi denuo: tum quia cum Christum Dominum crucifixerant sub praetextu quod regnum affectaverat, id quod et eius titulus attestabatur, manifestum est, ad eundem finem, vel non detraxisse illi coronam, vel detractam iterato imposuisse, ut ea redimitus crucifigeretur. Quare non est audiendus Euthymius (*cap. 67. in Matth.*), asserens Christum Dominum crucifixioni proximum omnia regalia ornamenta deposuisse, atque adeo chlamydem coccineam, et coronam: non enim est eadem ratio de corona, et de chlamyde: nam chlamydem exuerunt carnifices, quia secundum consuetudinem damnatorum ad crucem nudus crucifigi debebat, et quia ipsi chlamydis lucrum quaerebant. Quae rationes respectu coronae nullius momenti sunt.

Illud praeterea in hoc genere argumenti observatione dignum iudico, quod non pauci Patres adnotarunt, Christum Dominum facie ad Occidentem conversa in cruce pependisse. Unde s. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus dixit (*in theor. reru. Eccles.*): *Christus cruci affixus ad Occidentem erat intuens, eius vero venerandarum manuum altera in Meridiem, altera in Septentrionem erat extensa.* D. Damascenus (*Orthod. fidei lib. 4. cap. 13*) inquit: *Cum in cruce penderet, ad occasum prospiciebat.* Beda (*in c. 23. Lucae*) ex Sedulio haec quae sequuntur carmina profert:

Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous
Occiduo sacrae lambuntur sidere plantae.
Arcton dextra tenet, medium laeva erigit axem.

Certe si dextram ad Septentrionem extensam habuit, et sinistram ad Meridiem, consequens fit necessario, convertisse faciem suam ad occasum: quemadmodum enim sol oriens Occidentem intuetur, ita Sol iustitiae, de quo Zacharias (*c. 6*): *Ecce vir oriens nomen eius*, in cruce existens Occidentem aspicere voluit, ut significaret eos qui in tenebris, et umbra mortis sedent, suo splendore illuminaturum: quod et praedixisse mihi videtur Malachias, dum in persona Dei loquentis promiserat: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae, et sanitas in pennis eius.* Pennas has interpretor sacratissima Iesu brachia esse in cruce expansa, et salutifero sanguine manantia. Apte autem dixit, *et sanitas in pennis eius*, ut significet, quanta velocitate Christus Dominus sanitatem impertiatur iis, qui toto corde illam exquirunt. Atque hinc elicio solutionem illius nodi, quem his verbis proposuit Origenes (*in lib. Num. hom. 3*): *Quod ex omnibus coeli plagis ad solam Orientis partem conversi orationem fundimus, non facile cuique puto ratione compertum.* Respondet enim Ioannes Damascenus (*Orthod. fidei lib. 4*), *quod cum Dominus in cruce penderet, ad occasum prospiciebat, et propterea ad Orientem adoramus, quasi faciem eius intuentes.* Eandem responsionem tradit Clemens Alexandrinus (*7. Strom. 4*) in haec verba: *Iis, qui versabantur in ignoratione, exortus est dies cognitionis veritatis. Ea ratione ad orientem solem fiunt orationes.* Atque ab hac orandi consuetudine, quae antiquissima est, et ab Apostolis tradita, ut testantur s. Athanasius (*quaes. ad Antio. 16. quaest.*), Clemens Romanus (*2. constit. cap. 57*), Clemens Alexandrinus (*7. st. 4*), Dionysius Areopagita (*de Eccl. hier. lib. 2. p. 2. cap. 2*), Cyrillus (*Mystag. 1*), Ioannes Damascenus (*Orthod. fidei lib. 4. c. 13*), et alii, qui eius consuetudinis plures referunt causas, ortum habuit, quod hodie templa aedificari consuevere Orientem versus, in quibus imago Christi de cruce pendentis Occidentem spectat. Unde d. Clemens Papa (*2. constit. c. 57. d. Io. cap. 19*) ait: *Oportet enim stare in ecclesia sapienter, sobrie, et vigilanter auribus ad verbum Domini intentis, deinde cuncti pariter consurgentes, et in Orientem spectantes precentur Deum.*

Cum autem d. Ioannes dicat, Christum Dominum crucifixum fuisse inter duos reos, circumstantiam hanc silentio praeterire non licet.

Circa quam primo observo, quod licet latrones isti soleant a pictoribus funibus cruci alligati depingi, quia velut cecinit Horatius (*in arte Poetic.*):

> pictoribus atque poetis
> Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas:

vel ut Abulensis (*Parad.* 3. *cap.* 44) adnotavit, ad maiorem iram excitandam contra Iudaeos, qui innocentem Iesum clavis affigerent, sceleratissimos vero reos funibus solum ligarent; omnino tamen dicendum reor, latrones etiam clavis confossos fuisse. Colligo id primo ex d. Ioanne, et aliis Evangelistis, qui eodem crucifigendi verbo utuntur, loquentes de Christo, et de latronibus: igitur sicut crucifigere respectu Christi importat clavorum affixionem, idem prorsus significabit respectu latronum. Secundo quia cum regina Helena tres cruces invenit, ambigebatur quaenam illarum esset Domicica; at si omnes tres cruces non haberent foramina clavorum, facile fuisset discernere, quaenam esset Christi. Ergo cum id miraculo comprobante agnitum fuerit, manifeste hinc infertur, latrones clavis fuisse confixos. Tertio, quia modus iste crucifigendi per clavorum affixionem vetus satis erat, ut patet ex libro 1. Esdrae, ubi Cyrus, et Darius reges Persarum, in decreto de templo Hierusalem instaurando iubent, *ut homo qui hanc mutaverit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur.* Aman etiam in cruce, quam paraverat Mardochaeo, ut lib. Ester legimus, clavis confossus fuit: nam ubi nostra vulgata legit, *Appendite eum in eo*, Septuaginta Interpretes verterunt, *Crucifigatur in eo*; nec verbum appendere, quo utitur vulgatus interpres, quidquam inficiatur lectionem hanc: nam qui cruci clavis suffigitur, vere et proprie in cruce suspenditur, vel appenditur. Huic etiam sententiae suffragantur unanimi consensu Patres. Nam d. Gregorius Papa de bono latrone loquens ait: *In cruce clavi manus pedesque eius ligaverunt, nihil in eo a poenis liberum nisi cor, et lingua remanserat.* D. Augustinus (*tra.* 37. *in Ioa. et in Ps.* 39. *et serm.* 130. *de temp. et lib.* 1. *ad Simplicianu. q.*2): *Clavis infixi diu cruciabantur, manus clavis inhaerebant, pedes transfixi erant:* d. Chrysostomus de iusto latrone loquens: *Quod mente*, ait, *sana vigilabat clavorum confixione constrictus, quis poterit non admirari?* Idem divus Ambrosius (*in orat. de obit. Theodos.*), et Paulinus (*in Epistol. ad Sever. Sulpit.*). Posuerunt autem data opera Dominum Iesum inter duos latrones, quia animadverterant, quod cum ad comprehendendum illum in hortum venissent, solum conquestus fuerat, quod tamquam cum latrone secum egissent, dicens: *Tamquam ad latronem existis cum fustibus, et gladiis comprehendere me.* Hoc ergo observantes, inter duos latrones illum crucifigi voluerunt, et non solum in consortio eorum, sed in medio, tanquam maximum inter facinorosos, et velut regem eorum, sic enim maiori infamia illum aspergebant. Voluit etiam medius crucifigi inter duos latrones, implens figuram Ioseph Patriarchae (*Gen.* 40. *ibid.*): *Hic enim innocens in carcerem inclusus est, cum duobus Pharaonis ministris, qui in Dominum suum peccaverant, quorum unus servatus est a morte, alter vero illam non evasit.* Quod etiam accidit latronibus, quorum unus periit, alius servus factus est. Medius tandem locus inter bonum et malum latronem ei consentaneus fuit, ad significandum, constitutum esse supremum Iudicem a Patre in praemium, quod a Pilato ad mortem adiudicatum esse sustinuisset: unde in cruce quasi possessionem accipiens potestatis iudiciariae, bonum latronem a dextra existentem salvat, impium vero a sinistra stantem condemnat. Ecce umbram quandam universalis Iudicii, in quo a dextris existentibus dicit (*Matth.* 25): *Venite benedicti Patris mei, etc.* a sinistris vero; *Ite maledicti in ignem aeternum.*

Hucusque nihil de circumstantia temporis produximus, quare oportet ut de die, et hora crucifixionis Christi Domini aliquid proferamus. Et quidem de die, omisso Graecorum errore, asserentium Christum anticipasse diem immolationis agni, celebrando phase decimatertia die primo mensis, quem sequuti sunt Nicephorus (*lib. hist. cap.* 28), et Euthymius (*sup. Matth.* 26), recteque illum confutat d. Thomas (*in opusc.* 1. *contr. error. Graec. cap. antepenult.*). Dicendum est cum communi Catholicorum sententia, Christum Dominum crucifixum fuisse decimaquinta die mensis primi. Ita d. Augustinus (*ep.* 80. *ad Castell.*), Hieronymus, et Anselmus, Chrysostomus, et Theophylactus (*sup. cap.* 26. *Matth.*), et d. Thomas (3. *p. q.* 73. *art.* 4. *contr. gent. cap.* 79. *et op. sup cit.*): idque evidentissime probatur ex tribus Evangelistis, qui in eo conveniunt, quod die Azymorum discubuit cum discipulis suis, in quo fundatur Ecclesia Latina, consecrans in pane azymo. Constat autem Christum, ut observantissimum legis, celebrasse Pascha die determinata per legem, scilicet decimaquarta. Liquet igitur crucifixum esse decimaquinta. Sed de hora maior est difficultas, et gravior multo, non quia incerta sit, hanc enim fuisse horam sextam, quae secundum quamplurium nationum computationem est duodecima, attestantur uterque Evangelista, Matthaeus, et Lucas, sed tota oritur difficultas ex verbis d. Marci; dicentis (*Matth.* 26): *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.* Locus iste interpretes valde torsit; omissis tamen variis interpretationibus, quae a veritatis scopo mihi longe aberrare videntur, eas solum referam, quas et celebriores, et cum veritate magis consentaneas iudico. Primam tradit magnus Pater Augustinus multis in locis, et illam acceptat textus (*in cap. pericul. de poen. dist.* 1), et Glossa ibi, et (*in cap. noct. de consecr. dist.*1), ubi eandem admittit Telesphorus Papa, et Innocentius (*de sacr. altar. myster.*), et placet etiam Eucherio (*quaest. sup. Marc.*), nec displicet Theophylacto (*in Ioann.*), amplectunturque illam Leontius, et Hesychius, et victor Antiochenus (*in Marc.*), qui ait illa hora damnatum Iesum a populo, sicut et illud Matthaei, videns Iudas, quod damnatus esset, scilicet Iesus, a populo: ac tandem approbat b. Ignatius (*ep.*6), qui cum vicinus fuisset illis temporibus, quo haec gesta sunt, potuit veritatem ab his, qui interfuerunt, omnino intelligere. Hi omnes asserunt d. Marcum loqui de crucifixione hora tertia facta a Iudaeis, non manibus, sed lingua, quando petierunt a Pilato, *crucifige eum, crucifige eum.* Probabilitatem praesefert haec expositio: nam recte dicitur aliquid moraliter fieri, quando ponitur causa, ex qua statim sequitur effectus; sicut vere dici potest filiam Herodiadis sua petitione interfecisse Baptistam, quia causa fuit, ut interficeretur. At si rem sincere perpendamus, non caret difficultate haec interpretatio, quia Marcus aperte videtur loqui de reali crucifixione militum manibus facta: sic enim habet: *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta eius in tres sortes*, et subdit statim: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum;* quasi dicat, quando milites, qui diviserunt vestimenta, crucifixerunt Christum, erat hora tertia. Secundam expositionem adhibet d. Hieronymus (*sup. Psalm.* 70), quem sequuti sunt Theophylactus (*sup. Ioan.*19), Caietanus (*sup. Ioann. et Marc.*), et Canus (*de loc. cap. ult.*): asserunt ergo vitio scriptorum apud Marcum dictum esse *hora tertia*, ubi esset dicendum *hora sexta;* facile autem scriptores in hunc errorem incidere potuisse, quia apud Graecos littera, quae est nota ternarii, est simillima illi, quae est nota senarii. Sed haec expositio difficilis creditu est, quia omnes tam antiqui, quam recentiores legunt in Marco *hora tertia*, sicut et in Ioanne, *hora sexta*. Nec aliquis unquam auctor meminit codicem aliquem, in quo non ita legatur; incredibile autem est, errorem istum in omnes irrepsisse. Tertiam solutionem adhibuit Euthymius (*in Marc.*), elucidans illa verba: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*, ubi haec verba scribit: *Hora sexta crucifixus est, sicut dicit Ioannes. Quid ergo dicendum est? quod id quod dicitur, erat autem hora tertia, non trahitur ad id quod additur, et crucifixerunt eum, sed refertur ad principium eorum, quae passus est Salvator: erat autem inquit hora tertia, quando videlicet pati coepit a militibus Pilati; deinde quod sequitur, per se legendum est, et crucifixerunt eum, videlicet hora sexta. Mentio ergo tertiae horae, quae fit a Marco, principium manifestat eorum quae passus est Dominus, sextae vero a Ioanne finem ostendit*, qui fuit crucifixio. Ultimam interpretationem tradunt Lyra, Iansenius, et alii moderni doctores. Pro qua statuendum est, quod sicut ab antiquis consuevit dividi nox per quatuor vigilias, quarum quaelibet continebat tres horas nostras, teste Hieronymo (*in epist. ad Cypr. et in expos. Psal.* 80), eius etiam mentio fit in parabola de patrefamilias, operarios in vineam suam mittente (*Luc.*12), ita dies dividebatur in quatuor stationes, quarum quaelibet continebat tres horas nostras: prima incipiebat diluculo, et durabat usque ad horam diei tertiam: secunda incipiebat ab hora tertia, et durabat usque ad horam sextam. Christus ergo secundum praedictam computationem crucifixus est inter tertiam, et sextam: scilicet prope meridiem, et ideo vere dicit Marcus illum crucifixum hora tertia, sexta autem nondum advenerat: et vere etiam dicit Ioannes, quod erat quasi hora sexta, quia iam instabat tempus horae sextae. Exemplum sit eius, qui comedit inter undecimam, et duodecimam horam, quia aliquando dicit se comedisse hora undecima, aliquando duodecima; et utrumque reputatur verum, quia comedit hora undecima expleta, et duodecima inchoata.

Ultimam circumstantiam, cuius quatuor Evangelistae meminerunt, nos etiam meminisse oportebit: aiunt enim milites Christi crucifixores vestimenta eius inter se divisisse, et super inconsutilem tunicam sortem misisse. Arbitror quidem, quidquid alii censeant, vestimenta fuisse divisa in quatuor partes, illas scilicet, quas Iudaeorum vestes quatuor necessario habebant. Praecipiebatur enim (*Deuter.* 22), ut assuerent fimbrias per quatuor angulos clavorum, et, ut insinuat Augustinus (*in Ioannem*), sorte fuisse definitum, quae pars cuique contingeret, ut non obscure indicant verba d. Marci (*cap.*18): *Diviserunt vestimenta eius mittentes sortem super eis, quis quid tolleret:* postea vero tunicam inconsutilem indivisam fuisse sortitos. Vocat autem Scriptura sortem ludum militibus consuetum, quia taxilli sorte cadunt, ut ita Christus luderetur, et illuderetur: vel sortem vocat divisoriam de qua Salomon ait (*Prov.* 18): *Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque diiudicat.* Vestes autem damnatorum, ut ait d. Cyrillus (*sup. Ioann.* 19), quasi haereditatis lege ad se pertinentes milites vindicarunt. Sed id nonnullam difficultatem ingerit, ob quam causam milites ita soliciti fuerint in divisione vestimentorum Christi alioquin vilium: nam cum Dominus pauperem vitam gereret, et ipse dixisset: *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*, non pretiosis vestibus, immo nec mediocribus, sed vilibus induebatur, cuius normam sequens Seraphicus noster Pater Franciscus (*in Regul. sua*) praecepit, ut fratres vilibus induerentur. Euthymius respondet, milites per irrisionem divisisse, quasi de regiis, et pretiosis vestimentis aliquid habere volentes. Sed Procopius Gazaeus (*in cap.* 20. *Gen.*) aliam singularem rationem tradit veritati magis conformem, sic enim ait: *Ob eam causam inter se contendebant milites, singuli cupientes ea divisa habere partem, quasi utilis foret non ad intuendum, sed quia vis quaedam medica in ipsa esset;* haec ille. Cum enim antea vidissent, quod solo tactu fimbriae vestimenti eius mulier quaedam a fluxu sanguinis sanata fuisset, facile quidem inde conlectare poterant, medicandi vim vestibus eius inesse. Soliciti ergo erant de vestibus Christi, non propter valorem materiae, sed propter pretium virtutis, quam proinde multa pecunia se vendituros autumabant. Euthymius (*cap.* 67. *in Matth.*) ait: *Hanc tunicam*, loquitur de inconsutili veste, *e traditione Patrum accepimus opus fuisse Dei matris, veluti sunt apud nos capitis, aut pedum hiemalia operimenta, id est pileoli, et caligae, quae tum ex lana, tum bombyce fiunt ad arcendum frigus.* Addunt alii, b. Virginem Christo parvulo existente illam contexuisse, et ipso crescente,





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ipsam etiam crevisse: quod licet nonnulli negent, ego maius fundamentum invenio ad annuendum, cum sacra Scriptura commemoret vestes filiorum Israel egredientium de Ægypto per quadraginta annos non fuisse vetustate consumptas: immo illis auctis, auctas ipsas, ut multi tradunt, locum Deuteronomii 8. explicantes. Hanc vestem a b. Virgine contextam, quam inconsutilem vocat sacra Scriptura, tradunt iidem Doctores asservari in oppido Argentolio, non longe a Lutetia Parisiorum, ubi magna veneratione peregrinis spectanda proponitur.

Tandem quid haec vestimentorum divisio praesignificaverit, Patres, et Doctores silentio non praetereunt, utpote quae speciali mysterio non caruerit. D. Cyrillus (*lib.* 12. *in Ioan. cap.* 32) respondet in hoc significari: *Quatuor orbis partibus ad fidem reductis Christi carnem indivisibiliter, et impartibiliter communicari in Eucharistia; divisio ergo vestimentorum partes orbis significat; tunicae integritas carnem Christi divisam, et impartibilem communicatam indicat: caro autem Christi per tunicam desuper contextam, per totum significatur, quia absque sensuum conventu virtute Spiritus sancti desuper corpus Domini contextum, atque confectum, de sanguine beatissimae Virginis fuit;* haec Cyrillus. Cardinalis Toletus (*in Ioan. cap.* 19. *adn.* 14) ingeniosam et eruditam aliam expositionem exhibet his verbis: *Voluit Christus in vestimentis ipsis qualitatem passionis suae significare, habebat enim tunicam, et vestimenta: vestimenta humanitatem significabant, quae erant duo, sicut humanitas corpus, et animam continet: haec secta sunt, quia in humanitate passus est et corpore, et anima: at tunica primum et interius vestimentum significans divinitatem eius, non admisit partitionem, quia nequaquam passio ad eius pervenit divinitatem; tamen sors facta est super eam, quia propter unionem, cum esset Deus et homo, dicebatur pati Deus, quia ille homo Deus erat, at non hoc per passionis receptionem in divinitate, sed propter unionem humanitatis ad ipsam, per quandam sermonis attributionem.* Iansenius (*in conc. Evang. cap.*143) aliter id explicat in haec verba: *Quadripartita vestium divisio quadripartitam significat Ecclesiam, hoc est Ecclesiam quatuor mundi terminos replentem; inconsutilis vero, et indivisa refert Ecclesiae eiusdem unitatem, quam frustra semper scindere conati sunt haeretici.* Ultimam, et non contemnendam doctissimi Simonis Cassiani expositionem adnectere non pigebit: *Vestimenta Christi Scripturae sunt veteris testamenti et novi, quae quadrifarie dividuntur, in legem, historiam, doctrinam simpliciter docentem, et prophetiam: ad legem Moysis tempus; ad historiam Iosue Iudicum et Regum; ad doctrinam codices Salomonis; ad prophetiam omnes Prophetae. In novo autem testamento et huiuscemodi divisio reperitur. Ad legem Evangelium; ad historiam Actus Apostolorum; ad doctrinam epistolae Pauli atque canonicae; ad prophetiam Apocalypsis Ioannis. Harum partium unusquisque pro suo captu partem accepit, ut etiam in una magis, quam in alia quisque reperiatur edoctus, et etiam pro tempore ista novimus esse divisa, secundum quod homines suis temporibus Domino coeli strenue, aut tepide militarunt. Aliter autem Scripturae testamenti dividuntur, quantum ad sensus, quibus ipsae diserte tractantur, in sensum historicum, allegoricum, anagogicum, et moralem, et velut vestimenta corpus, sic ista obtegunt Christum:* et paulo inferius subiungit: *Tunica vero inconsutilis fidei arguit unitatem, unitas siquidem nostrae fidei scindi nequit: potest homo a fide rescindi, sed fides non potest ullo modo perscindi.* Atque haec sufficiant de circumstantiis crucifixionis antecedentibus mortem, postea de subsequentibus agemus.

## HOMILIA XXIII.

*De causis, ob quas Christus Dominus ignominiosam crucis mortem elegerit.*

Inter has causas eam commemorare primo loco placet, qua ob docendum humilitatem spiritualis vitae basim Christum Dominum permotum arbitror, ut tam abiectum mortis genus eligeret. D. Hieronymus (*in cap.* 7. *Mich.*), de amore loquens, ait: *Amor aut pares accipit, aut facit.* Id autem qua ratione de amore Dei erga hominem verificari possit, explicemus. Cum enim Deus infinitae maiestatis sit, homo vero finita, et limitata virtute circumscriptus, finitique ad infinitum nulla sit proportio, sed infinita inaequalitas, nulla videtur inter eos paritas excogitari posse. Quomodo ergo divinus amor pares accipit, aut facit? Sane si rem altius contemplemur, hanc quam ratio humana paritatem ignorat, divinus amor, qui sapientissimus est, sapienter adinvenit, hominem efficiens Deum, et Deum hominem: deprimens enim Deum ad humanam naturam induendam, et exaltans hominem ad unitatem personae Verbi divini amplectendam, parem hominem Deo reddidit, Paulo dicente (*ad Philip.* 2): *Qui non rapinam arbitratus est, se esse aequalem Deo.* Deum etiam parem homini effecit adeo, ut non immerito dici possit, ecce Deus factus est quasi unus ex nobis, quia *et homo factus est.* Sed quid dico factus est homo? factus est *vermis, et non homo*, id ipso attestante per Prophetam (*Ps.* 21): *Vermis sum, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Ergo ut amoris fuit effectus nostrae susceptio humanitatis, et ita electio mortis in cruce, quae omnium erat ignominiosissima, et plurimum execrabilis. Inde scriptum, *maledictus homo qui pendet in ligno*, quae circumstantia dedecoris Redemptorem nostrum gravissime torquebat. Memini eloquentiae parentem dixisse, *nihil in vita iucundius vita.* Permultos tamen legimus, ne honoris iacturam vel minimam subirent, mortem sibi conscivisse, satius sibi vitam extingui, quam famam maculari indicantes, ut quae Plutarchus de Pompeio, et quintus Curtius de Alexandro, et Titus Livius de Scipione tradiderunt, non obscure



attestantur. Refert etiam idem Plutarchus, non tam doluisse Alcibiadem exilium, rei familiaris devastationem, immo et vulnera sibi inflicta, quam contumeliosum Themistoclis verbum, quod adversus illum protulerat. Honoris enim appetitus tam altas in animis hominum egit radices, ut somniata inimicorum trophaea non secus, ac si vera essent, vehementem dolorem ingerere soleant, ut Themistocli accidit, qui dicere solebat: *Miltiadis trophaea me excitant, et in somnis quietem capere non sinunt.* Quod et fratribus Ioseph contigisse sacra Geneseos commemorat historia, quos novimus adversum Iosephum valde indignatos eo solum nomine, quod somniasse referret se a stellis, sole, et luna adorari. Cum ergo haec ita se habeant, haud difficile inde erit eruere, quam ignominiosa Christo Domino mors crucis extiterit. Nullum, ait Salustius, infelicitatis genus maius est, quam meminisse se fuisse felicem. Certe nominis Christi gloria ubique gentium pervulgata erat, ut David praedixerat (*Psal.* 47): *Secundum nomen tuum sic et laus tua in fines terrae.* Hic tandem gloriae, et nominis splendor in crucis infamiam fuit postea conversus, unde illum in cruce pendentem intuentes, non immerito usurpare poterant illud Machabaeorum: *Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo, dies festi eius conversi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium, honores eius in nihilum: secundum gloriam eius multiplicata est ignominia.* Itaque honor ille, quem Salvator noster in vita comparaverat, tempore mortis cessit in maiorem eius ignominiam: quanto enim antea gloriosior erat, tanto iniuriae postea ei illatae creverant, impletumque est illud (*Sap.* 2): *Morte turpissima condemnemus eum.* Sed ut dixi, voluit Christus Dominus hoc tam abiecto, ac humili mortis supplicio potius, quam alio mori, ut nos ad humilitatem amplectendam, futilemque mundi honorem conculcandum non modo excitaret, sed permoveret, et quantumcumque reluctante, et recalcitrante veteri homine compelleret, non vim aliquam voluntati inferens, sed fortiter, et suaviter illam trahens, ea quidem tractione, si ita fas est loqui, de qua Sponsa (*Cant.* 1): *Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Secundam causam ex Augustino mutuatam tradit d. Thomas (3. *p.* 46. *art.* 4) his verbis: *Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit; pertinet autem ad vitam rectam, ea quae non sunt metuenda, non metuere: sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, mortis tamen genus horrescunt. Ut ergo nullum genus mortis recte viventi homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, et formidabilius.* Quantum vero homines crucis supplicium execrarentur, illud unum, quod Scaliger refert, satis aperte comprobat. Ait enim, quod cum Romae pestiferae cuiusdam vertiginis morbus grassaretur, adeoque increbuisset, et aegrotantium animos occupasset, ut plerique propriis manibus sibi necem inferrent, Senatus Romanus variis mediis huic tanto malo occurrere cupiens, tanquam praesentissimum remedium ac efficacissimum antidotum stabilivit publicam legem, ne quis in posterum se suspendio tolleret, aut quovis alio modo interficeret, alioquin ignominiam crucis in conspectu totius populi subiturum. Quae poena turpitudinis, et ignominiae tantum intulit pavorem, ut nullus deinceps violentas manus in se iniicere ausus fuerit. Ut hunc ergo tantum crucis ignominiae timorem Dominus a fidelibus arceret, voluit ipse primus mortis crucis sustinere supplicium.

Tertiam causam docet Athanasius (*de passio. Dom.*), existimans Christum Dominum consulto mortis crucem elegisse, ut in aere moreretur, ita enim ait: *Sublimatus aerem purgavit ab omni diabolica daemonum infestatione.* Singularis proculdubio apparet haec Athanasii ratio, ac proinde illustratione indiget. Christus Dominus speciali ratione praeter aerem elementa sanctificaverat: terram quidem sanctificavit, per triginta et plures annos pedibus illam calcans; sanctificavit aquam Iordanis, ingrediens illum, ut a Ioanne baptizaretur, sanctificaturus postea ignem, cum Spiritum sanctum in forma ignis descendentem mitteret. Solum ergo restabat, ut aerem sanctificaret, et ad id praestandum mori voluit in aere. Unde Chrysostomus (*in serm. de pass.*) ait: *In excelso ligno, et non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aeris natura mundaretur.* Mori etiam elegit in aere, ut significaret, tum quod, sicut aer est medius inter coelum, et terram, sic ipse mediator esset inter Deum, et hominem; tum quia, sicut aer inter omnia elementa est communis, licet enim dicamus, haec est terra mea, haec est aqua mea, vel ignis meus, nemo tamen unquam dixit, hic est aer meus, ita eius passio, et mors communis omnibus fuit. Passiones enim, et mortes aliorum martyrum propriae eorum fuerunt, et in proprium eorum commodum redundarunt; at passio Christi Domini, licet propria adeo ipsius solius fuerit, ut ipse dicat (*Isai.*63): *Torcular calcavi solus:* tamen fructus eius atque utilitas ex ea orta non solum hominibus, sed et angelis communis esse agnoscitur, d. Paulo dicente (*ad Col.* 1): *Pacificans per sanguinem crucis sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.* Unde non dubitarim Christum Dominum non solum caput hominum, et angelorum esse, sed et gratiam, et gloriam illis omnibus promeruisse, qui eam obtinuerunt, vel obtinebunt. Sed ut propius accedam ad verba d. Athanasii, dum ait, Christum Dominum sublimatum fuisse in cruce, ut aerem diabolica daemonum infestatione purgaret, in memoriam revocasse iuvabit, quae Iustus Lipsius de cruce commemorat. Ait enim in Africa hunc morem viguisse, quod cum infestissimi leones, immanesque tigres iter agentibus obviam frequenter occurrerent, saepe homines lacerantes, atque discerpentes, hac sigulari industria usi fuere vicini incolae illius regionis: plura ligna per vias exaltarunt, et ab eis totidem leones suspenderant, quorum aspectu alii leones, et tigres ita perterriti fuere, ut illac pertransire omnino pertimescerent. Refert hoc etiam Plinius (*lib.* 8. *c.* 16.)

ipsam etiam crevisse: quod licet nonnulli negent, ego maius fundamentum invenio ad annuendum, cum sacra Scriptura commemoret vestes filiorum Israel egredientium de Ægypto per quadraginta annos non fuisse vetustate consumptas: immo illis auctis, auctas ipsas, ut multi tradunt, locum Deuteronomii 8. explicantes. Hanc vestem a b. Virgine contextam, quam inconsutilem vocat sacra Scriptura, tradunt iidem Doctores asservari in oppido Argentolio, non longe a Lutetia Parisiorum, ubi magna veneratione peregrinis spectanda proponitur.

Tandem quid haec vestimentorum divisio praesignificaverit, Patres, et Doctores silentio non praetereunt, utpote quae speciali mysterio non caruerit. D. Cyrillus (*lib.* 12. *in Ioan. cap.* 32) respondet in hoc significari: *Quatuor orbis partibus ad fidem reductis Christi carnem indivisibiliter, et impartibiliter communicari in Eucharistia; divisio ergo vestimentorum partes orbis significat; tunicae integritas carnem Christi divisam, et impartibilem communicatam indicat: caro autem Christi per tunicam desuper contextam, per totum significatur, quia absque sensuum conventu virtute Spiritus sancti desuper corpus Domini contextum, atque confectum, de sanguine beatissimae Virginis fuit:* haec Cyrillus. Cardinalis Toletus (*in Ioan. cap.* 19. *adn.* 14) ingeniosam et eruditam aliam expositionem exhibet his verbis: *Voluit Christus in vestimentis ipsis qualitatem passionis suae significare, habebat enim tunicam, et vestimenta: vestimenta humanitatem significabant, quae erant duo, sicut humanitas corpus, et animam continet: haec secta sunt, quia in humanitate passus est et corpore, et anima: at tunica primum et interius vestimentum significans divinitatem eius, non admisit partitionem, quia nequaquam passio ad eius pervenit divinitatem; tamen sors facta est super eam, quia propter unionem, cum esset Deus et homo, dicebatur pati Deus, quia ille homo Deus erat, at non hoc per passionis receptionem in divinitate, sed propter unionem humanitatis ad ipsam, per quandam sermonis attributionem.* Iansenius (*in conc. Evang.cap.*143) aliter id explicat in haec verba: *Quadripartita vestium divisio quadripartitam significat Ecclesiam, hoc est Ecclesiam quatuor mundi terminos replentem; inconsutilis vero, et indivisa refert Ecclesiae eiusdem unitatem, quam frustra semper scindere conati sunt haeretici.* Ultimam, et non contemnendam doctissimi Simonis Cassiani expositionem aduectere non pigebit: *Vestimenta Christi Scripturae sunt veteris testamenti et novi, quae quadrifarie dividuntur, in legem, historiam, doctrinam simpliciter docentem, et prophetiam: ad legem Moysis tempus; ad historiam Iosue Iudicum et Regum; ad doctrinam codices Salomonis; ad prophetiam omnes Prophetae. In novo autem testamento et huiuscemodi divisio reperitur. Ad legem Evangelium; ad historiam Actus Apostolorum; ad doctrinam epistolae Pauli atque canonicae; ad prophetiam Apocalypsis Ioannis. Harum partium unusquisque pro suo captu partem accepit, ut etiam in una magis, quam in alia quisque reperiatur edoctus, et etiam pro tempore ista novimus esse divisa, secundum quod homines suis temporibus Domino coeli strenue, aut tepide militarunt. Aliter autem Scripturae testamenti dividuntur, quantum ad sensus, quibus ipsae diserte tractantur, in sensum historicum, allegoricum, anagogicum, et moralem, et velut vestimenta corpus, sic ista obtegunt Christum:* et paulo inferius subiungit: *Tunica vero inconsutilis fidei arguit unitatem, unitas siquidem nostrae fidei scindi nequit: potest homo a fide rescindi, sed fides non potest ullo modo perscindi.* Atque haec sufficiant de circumstantiis crucifixionis antecedentibus mortem, postea de subsequentibus agemus.

## HOMILIA XXIII.

*De causis, ob quas Christus Dominus ignominiosam crucis mortem elegerit.*

Inter has causas eam commemorare primo loco placet, qua ob docendum humilitatem spiritualis vitae basim Christum Dominum permotum arbitror, ut tam abiectum mortis genus eligeret. D. Hieronymus (*in cap.* 7. *Mich.*), de amore loquens, ait: *Amor aut pares accipit, aut facit.* Id autem qua ratione de amore Dei erga hominem verificari possit, explicemus. Cum enim Deus infinitae maiestatis sit, homo vero finita, et limitata virtute circumscriptus, finitique ad infinitum nulla sit proportio, sed infinita inaequalitas, nulla videtur inter eos paritas excogitari posse. Quomodo ergo divinus amor pares accipit, aut facit? Sane si rem altius contemplemur, hanc quam ratio humana paritatem ignorat, divinus amor, qui sapientissimus est, sapienter adinvenit, hominem efficiens Deum, et Deum hominem: deprimens enim Deum ad humanam naturam induendam, et exaltans hominem ad unitatem personae Verbi divini amplectendam, parem hominem Deo reddidit, Paulo dicente (*ad Philip.* 2): *Qui non rapinam arbitratus est, se esse aequalem Deo.* Deum etiam parem homini effecit adeo, ut non immerito dici possit, ecce Deus factus est quasi unus ex nobis, quia *et homo factus est.* Sed quid dico factus est homo? factus est *vermis, et non homo*, id ipso attestante per Prophetam (*Ps.* 21): *Vermis sum, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Ergo ut amoris fuit effectus nostrae susceptio humanitatis, et ita electio mortis in cruce, quae omnium erat ignominiosissima, et plurimum execrabilis. Inde scriptum, *maledictus homo qui pendet in ligno*, quae circumstantia dedecoris Redemptorem nostrum gravissime torquebat. Memini eloquentiae parentem dixisse, *nihil in vita iucundius vita.* Permultos tamen legimus, ne honoris iacturam vel minimam subirent, mortem sibi conscivisse, satius sibi vitam extingui, quam famam macular indicantes, ut quae Plutarchus de Pompeio, et quintus Curtius de Alexandro, et Titus Livius de Scipione tradiderunt, non obscure



attestantur. Refert etiam idem Plutarchus, non tam doluisse Alcibiadem exilium, rei familiaris devastationem, immo et vulnera sibi inflicta, quam contumeliosum Themistoclis verbum, quod adversus illum protulerat. Honoris enim appetitus tam altas in animis hominum egit radices, ut somniata inimicorum trophaea non secus, ac si vera essent, vehementem dolorem ingerere soleant, ut Themistocli accidit, qui dicere solebat: *Milciadis trophaea me excitant, et in somnis quietem capere non sinunt.* Quod et fratribus Ioseph contigisse sacra Geneseos commemorat historia, quos novimus adversum Iosephum valde indignatos eo solum nomine, quod somniasse referret se a stellis, sole, et luna adorari. Cum ergo haec ita se habeant, haud difficile inde erit eruere, quam ignominiosa Christo Domino mors crucis extiterit. Nullum, ait Salustius, infelicitatis genus maius est, quam meminisse se fuisse felicem. Certe nominis Christi gloria ubique gentium pervulgata erat, ut David praedixerat (*Psal.* 47): *Secundum nomen tuum sic et laus tua in fines terrae.* Hic tandem gloriae, et nominis splendor in crucis infamiam fuit postea conversus, unde illum in cruce pendentem intuentes, non immerito usurpare poterant illud Machabaeorum: *Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo, dies festi eius conversi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium, honores eius in nihilum: secundum gloriam eius multiplicata est ignominia.* Itaque honor ille, quem Salvator noster in vita comparaverat, tempore mortis cessit in maiorem eius ignominiam: quanto enim antea gloriosior erat, tanto iniuriae postea ei illatae creverant, impletumque est illud (*Sap.* 2): *Morte turpissima condemnemus eum.* Sed ut dixi, voluit Christus Dominus hoc tam abiecto, ac humili mortis supplicio potius, quam alio mori, ut nos ad humilitatem amplectendam, futilemque mundi honorem conculcandum non modo excitaret, sed permoveret, et quantumcumque reluctante, et recalcitrante veteri homine compelleret, non vim aliquam voluntati inferens, sed fortiter, et suaviter illam trahens, ea quidem tractione, si ita fas est loqui, de qua Sponsa (*Cant.* 1): *Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Secundam causam ex Augustino mutuatam tradit d. Thomas (3. *p.* 46. *art.* 4) his verbis: *Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit; pertinet autem ad vitam rectam, ea quae non sunt metuenda, non metuere: sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, mortis tamen genus horrescunt. Ut ergo nullum genus mortis recte viventi homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, et formidabilius.* Quantum vero homines crucis supplicium execrarentur, illud unum, quod Scaliger refert, satis aperte comprobat. Ait enim, quod cum Romae pestiferae cuiusdam vertiginis morbus grassaretur, adeoque increbuisset, et aegrotantium animos occupasset, ut plerique propriis manibus sibi necem inferrent, Senatus Romanus variis mediis huic tanto malo occurrere cupiens, tanquam praesentissimum remedium ac efficacissimum antidotum stabilivit publicam legem, ne quis in posterum se suspendio tolleret, aut quovis alio modo interficeret, alioquin ignominiam crucis in conspectu totius populi subiturum. Quae poena turpitudinis, et ignominiae tantum intulit pavorem, ut nullus deinceps violentas manus in se iniicere ausus fuerit. Ut hunc ergo tantum crucis ignominiae timorem Dominus a fidelibus arceret, voluit ipse primus mortis crucis sustinere supplicium.

Tertiam causam docet Athanasius (*de passio. Dom.*), existimans Christum Dominum consulto mortis crucem elegisse, ut in aere moreretur, ita enim ait: *Sublimatus aerem purgavit ab omni diabolica daemonum infestatione.* Singularis procaldubio apparet haec Athanasii ratio, ac proinde illustratione indiget. Christus Dominus speciali ratione praeter aerem elementa sanctificaverat: terram quidem sanctificavit, per triginta et plures annos pedibus illam calcans; sanctificavit aquam Iordanis, ingrediens illum, ut a Ioanne baptizaretur, sanctificaturus postea ignem, cum Spiritum sanctum in forma ignis descendentem mitteret. Solum ergo restabat, ut aerem sanctificaret, et ad id praestandum mori voluit in aere. Unde Chrysostomus (*in serm. de pass.*) ait: *In excelso ligno, et non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aeris natura mundaretur.* Mori etiam elegit in aere, ut significaret, tum quod, sicut aer est medius inter coelum, et terram, sic ipse mediator esset inter Deum, et hominem; tum quia, sicut aer inter omnia elementa est communis, licet enim dicamus, haec est terra mea, haec est aqua mea, vel ignis meus, nemo tamen unquam dixit, hic est aer meus, ita eius passio, et mors communis omnibus fuit. Passiones enim, et mortes aliorum martyrum propriae eorum fuerunt, et in proprium eorum commodum redundarunt; at passio Christi Domini, licet propria adeo ipsius solius fuerit, ut ipse dicat (*Isai.*63): *Torcular calcavi solus:* tamen fructus eius atque utilitas ex ea orta non solum hominibus, sed et angelis communis esse agnoscitur, d. Paulo dicente (*ad Col.*): *Pacificans per sanguinem crucis sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.* Unde non dubitarim Christum Dominum non solum caput hominum, et angelorum esse, sed et gratiam, et gloriam illis omnibus promeruisse, qui eam obtinuerunt, vel obtinebunt. Sed ut propius accedam ad verba d. Athanasii, dum ait, Christum Dominum sublimatum fuisse in cruce, ut aerem diabolica daemonum infestatione purgaret, in memoriam revocasse iuvabit, quae Iustus Lipsius de cruce commemorat. Ait enim in Africa hunc morem viguisse, quod cum infestissimi leones, immanesque tigres iter agentibus obviam frequenter occurrerent, saepe homines lacerantes, atque discerpentes, hac sigulari industria usi fuere vicini incolae illius regionis: plura ligna per vias exaltarunt, et ab eis totidem leones suspenderant, quorum aspectu alii leones, et tigres ita perterriti fuere, ut illac pertransire omnino pertimescerent. Refert hoc etiam Plinius (*lib.*8. *c.* 16.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et addit, Duces quosdam Romanos tot leones suspensos videntes, et causam ignorantes obstupuisse. Non dissimili industria usus est Christus Dominus : ipse est *Leo de tribu Iuda* , ut testatur d. Ioannes (*Apoc.* 5). Leo etiam est diabolus, d. Petro dicente (1. *Petr.* 5): *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens.* Immanissimi ergo leones, daemones intelligo, aerem infestantes, multa inde mortalibus nocumenta inferebant; ut tamen ab hac infestatione coercerentur, voluit Christus Dominus se tamquam leonem de tribu Iuda in cruce suspendi, cuius aspectu diabolici leones stupefacti, et tabescentes, ea quae etiam solebant hominibus damna inferre, cohiberentur. Atque huc facit, quod in Concilio Niceno legimus, Procopium martyrem quandam construxisse crucem, quam sequenti die his tribus nominibus condecoratam invenit, Emmanuel, Michael, Gabriel; quibus divinitus significatum est, Emmanuelem brachiis crucis, quibus illa erant exarata nomina, per carnem assumptam daemones vicisse, atque profligasse. Unde D. Ioannes Chrysostomus (*ser.* 8. *de pass.*): *Nunc*, ait, *iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. O admirabilis potentia crucis, o ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini, et iudicium mundi, et potestas est crucifixi.*

Quartam causam mihi subministrant egregia verba Ecclesiae catholicae, dum canit : *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret, hoc opus nostrae salutis ordo depoposcerat*; quasi dicat, forma haec moriendi in ligno crucis consentanea valde fuit ad satisfaciendum pro peccato primi parentis, qui ex ligno vetito fructum sumens mortem induxit. At Christus solvens, quae non rapuit, fructum salutis in ligno posuit, et vitam in orbem terrarum introduxit. Hoc Sponsus in Canticis innuens ait (*Can.* 8) : *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Non aliter faciens, quam filius, qui honorem offensi patris sui zelans, lignum quo pater est verberatus, servat, ut illo ipso vindictam faciat patris: hinc Athanasius (*in* 5. *Parasc.*): *Misertus est ipse Deus*, inquit, *remedium ad tollendum errorem intulit, crucem videlicet proferens, divinae notitiae instrumentum, omni natura potentius : siquidem efficax non fuit coelum ad impietatem corrigendam, erubescebat quidem Sol, sed homines detinere non poterat, quo minus illum adorarent ; terra corporibus medicamenta suppeditans aegrotanti animae remedium ferre nequibat: mare quoque verecundabatur, cum divinos honores ab hominibus simili errore detentis immerito sibi offerri videret : ita miseri homines caecutientes fovebant creaturam, et quotquot in promptu erant, adorantes, interea Deum ipsum invenire non poterant. Vel universa praedicans natura ad eius unius doctrinam, ac notitiam homines adducere non valuit, sed quod non potuit coelum, potuit crux : quae sol non docuit, crucis fulgor ingens revelavit, lignumque illud, quod vile habebatur, cum esset iam plantatum, ex impietate ad pietatem transferens, quae excoluit, orbem terrarum, lignum, quod erat damnationis instrumentum, damnatis hominibus libertatis fructum produxit;* haec ille tam pie, quam erudite.

Atque in huius mirabilis mysterii memoriam religiosissimi illi primitivae Ecclesiae fideles, ut constat manifeste ex sacris Caemeteriis Martyrum , subtus terram , quae extra muros Urbis sunt, soliti erant pastorem super humeros ovem baiulantem inter duas arbores depingere, significantes per hoc, verum Pastorem, Christum Dominum, qui occasione primi arboris vetiti , dilectam naturae humanae ovem perdiderat , eamdem per arborem ligni crucis invenisse, et recuperasse. Unde recte d. Gregorius Nazianzenus oratione de seipso ad Arianos dixit: *Ad vitae lignum, unde excideramus, per ignominiae lignum revocati sumus:* et divus Ambrosius (*in caput quartum Lucae*) inquit: *Mors per arborem, vita per crucem:* quibus non dissimilia sunt verba divi Anselmi (*lib. Cur Deus homo cap.* 3) asserentis : *Et ut diabolus, qui per gustum ligni , quem suasit , hominem vicerat, ita , et per passionem ligni , quam intulit, ab homine vinceretur.* Atque de hac manuum Christi extensione acute dixit divus Augustinus ( *in appendice de diversis Sermone quarto*): *Sacrarum manuum in ligno crucis extensio, et reverenda confixio , quae condemnabat Adae, et Evae manus, ad interdictum ligni cibum, et ingemiscendas saeculi transgressiones porrectas.* Divus autem Gregorius Nazianzenus in Carmine de virginitate, propterea ait Christum Dominum expandisse manus in cruce , ut ad Ecclesiae gremium omnes colligeret: carmina eius sunt haec:

Quia etiam expandens sacrati corporis artus,
In fines orbis mortale ex finibus orbis
Collegit Genus, atque hominem contraxit in unum,
Et mediis magnae posuit Deitatis in ulnis.
Expurgans foedas agnino sanguine sordes,
Ac scelus e medio tollens, quod clauserat astra.

Quintam causam adhibeamus ex verbis Christi erutam (*Ioan.* 12): *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.* Astrologi omnes, et experientia docent, quod quanto altius sol supra nos ascendit, tanto fortius , et vigorosius radiorum splendore terram calefacit, tantoque efficacius vapores, et exhalationes terrae ad se trahit. Ita quidem verus Sol Iustitiae Christus Dominus in cruce exaltatus divina illa , quae sibi inerat, virtute omnia ad se traxit. Unde d. Chrysostomus (*ser.* 8. *de pass.*): *Traxisti*, inquit, *Domine omnia ad te, et cum expandisses tota die manum tuam ad populum non credentem, et contradicentem tibi , confitendae maiestatis tuae sensum totus mundus accepit. Traxisti Domine omnia ad te , cum in execrationem Iudaici sceleris unam protulerunt elementa sententiam : cum obscuratis luminaribus coeli , et converso in noctem die , terra quoque motibus quateretur insolitis , universaque creatura impiorum se usui negaret. Traxisti Domine omnia ad te , quoniam scisso templi velo sancta sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, ut quod in uno Iudaeae templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, opertoque sacramento universarum utique nationum devotio celebraret ;* haec ille. Sed paulo minutius, quae sint ista, quae pertraxerit, perpendamus. Traxit nobis Patrem , illum placans: traxit angelos, eorum sedes restaurans: traxit peccatores , ad se convertens: *Revertebantur percutientes pectora sua :* traxit antiquos Patres , ex sinu Abrahae illos educens: traxit denique saxa, quae in signum maestitiae propter mortem Creatoris scindebantur, et inter se se elidebantur. Quae omnia eloquenter, ut assolet, prosequitur d. Leo (*ser.* 6. *paulo post med.*) in haec aurea verba: *Exaltatum Iesum ad se traxisse omnia non solum nostrae substantiae passione, sed etiam totius mundi commutatione monstratum est. Pendente enim in patibulo Creatore universa creatura congemuit , et crucis clavos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit, hoc in communionem sui et terram traxit , et coelum, hoc petras rupit, monumenta aperuit , inferna reseravit, et densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, ut in occasu conditoris sui vellent universa finiri ; sed patientia Dei servat rebus , atque temporibus ordinem suum , nosque in illum potius vocat affectum , ut eorum salutem petamus, quorum crimen horremus;* hactenus d. Leo.



Ultimam tandem rationem, eamque praecipuam esse reor, quod Christus Dominus agnovit Patris voluntatem esse, ut manibus extensis, atque confessis super crucem mortem subiret, et ideo abiectam crucis mortem elegit, iuxta illud (*Ioan.* 19): *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Quam multis ipse resignaverat figuris , inter quas non infimum locum tenet sacrificium vespertinum, cuius meminit David (*Psal.* 140): *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Sic enim appellat eiusmodi sacrificium d. Isidorus (*in commentar. huius loci*) dicens : *Veniente quasi mundi vespere, sive declinante iam sole ad vesperam, Dominus elevans manus suas obtulit se ipsum in sacrificium , et deleta sunt peccata nostra.* Sacrificium hoc vespertinum tanquam veneratione, ac pietate maiori conspicuum, omnibus aliis, quae in lege veteri fiebant , praeferunt communi consensu Patres (*super Psal.* 140), quod non absque mysterio contigisse arbitror. Nam cum umbra esset, et imago vespertinum holocaustum Christi in ara crucis oblati, quod omnium praestantissimum est, oportebat etiam illud omnia alia vetera sacrificia longo intervallo superasse. Ita tradunt d. Augustinus (*in Ps.* 140), Ambrosius (*l.* 1. *de Abrah. c.* 6.), Basilius (*in Ps.*29.), Hieronymus (*ibi et in Mat. c.* 8), et Hilarius (*can.* 14. *in Matth.*). Arcus etiam extensus, de quo David in persona Christi loquens, dixit (*Psal.* 17): *Posuisti ut arcum aereum brachia mea* , Christum in cruce pendentem egregie adumbrat, ut unanimi consensu Patres tradunt , Ambrosius ( *lib. de Noe c.* 27), Gregorius (*hom.*8. *in Ezech.*), Beda (*in c.* 9. *Gen.*), Dydimus (*relatus in Catena aurea*), et Rupertus Abbas (*in Gen.* 4. *de oper. Sanct. Tr.*). Vere Christi brachia in cruce extensa arcus aereus sunt , corda crux est, quae arcus brachia extendit , sagitta velox anima, quae statim atque ex arcu hoc mystico exploditur, hostes consternit, mortem occidit, diabolum vincit, infernum spoliat, et coelum ditat. Hoc idem mysterium sub gallina alas extendente ad protegendum pullos , Christum Dominum in cruce extensum significare docent plurimi Patres, praesertim Augustinus (*l.* 1. *q. in Evang. q.* 36. *et ser.* 29. *de ver. Dom.*) , Origenes (*hom.* 26. *in Matth.*), et d. Bernardus (*Tra. de pass. c.* 5) haec scribit : *Videamus quid hoc sibi velit, quod Dominus se gallinae magis, quam alteri animali voluit comparare : quia ut a sanctis Patribus tenetur, ideo factum est , ut exprimatur incomparabilis affectus charitatis: nullum enim animal circa pullos suos tanta compassione movetur , sicut gallina : fit enim toto corpore hispida, voce rauca, toto fervens animo, et omnibus membris infirma, et usque ad supremum defectum deveniens. Si ergo gallina ita pullis compatitur, quantum putas optimum Iesum humano generi fuisse compassum ?* hactenus d. Bernardus. Cuius verba quam consentanea sint Christo Domino in cruce pendenti nullus est, qui non videat. Sed his addere liceat mihi verba Malachiae (*c.* 4): *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae, et sanitas in pennis eius.* Singularis est locus iste, et suam praefert difficultatem : nam quis unquam vidit solem pennis vestitum? sed iuxta Patrum intelligentiam, Augustini (*ser.*134. *de temp.*), Ambrosii (*lib. de Iacob. Patriar. c.* 7. *et epist.* 62), Hieronymi (*in Ezech. c.* 43), Arnobii (*super Ps.* 18), Bedae (*in cap.* 1. *Gen.*), Origenis (*hom.* 1. *in Gen.*), Anastasii (*in Hexamer.*), et aliorum, in hunc modum licebit illum interpretari in sensu mystico. Sol Christum Dominum Solem iustitiae refert: nam sicut sol rex est , et planetarum princeps , ita Christus Rex regum, et Dominus dominantium; et sicut ille suo accessu terram floribus, frondibusque splendide ornat , spargit ver, aestatemque proscindit, ea vero recedente succedit hyemis rigor, quo ornatu suo terra, arboresque spoliantur ; ita Christus ad se sanctos veluti vapores attrahit , adurit vitia , roremque virtutum infundit, multisque animi dotibus infoecundam hominum terram exornat: et sicut sol descendens ad inferiores partes, redit tandem ad locum suum; ita Christus descendens ad inferiores partes terrae, victor tandem rediit ad vitam. Et sicut sol tamquam luminare maius elucet , unde reliqua luminaria lucem suam hauriunt; ita Christus tanquam luminare maius Ecclesiae , toti praefulget orbi: unde accedente illo in die gratiae tripudiamus, recedente in noctis tenebris caecutimus. Sed videamus, quae sint huius solis pennae , siquidem Propheta ait : *Et sanitas in pennis eius.* Scio Hugonem cardinalem per has pennas intelligere iustitiam, et misericordiam, cui partim consonant quae Christus Dominus revelavit b. Birgittae, his verbis: *Ego sum quasi gallina, qui currentes ad vocem meam pullos, idest desiderantes obumbrationem alarum mearum , et potenter defendo a diaboli laqueis , et sapienter inspirationibus meis provoco ad salu-*

*tem. Quid ergo est penna nisi misericordia mea, quam qui obtinuerit, ita securus esse potest, sicut pullus, qui sub alis matris refovetur? Ergo estote sicut pulli currentes ad voluntatem meam, et in omni tentatione, et contrariis dicite voce, et operibus, fiat voluntas Dei: quia ego confidentes in me defendo potentia mea, reficio misericordia mea, teneo patientia mea, visito consolatione mea, illumino sapientia mea, remunero in centuplum charitate mea;* hactenus ibi. Sed a proposito instituto non recedens, per has solis iustitiae pennas sanitatem deferentes, iuxta prophetam Malachiam apte intelligi posse reor brachia Christi in cruce extensa, quibus velut pennis expansis sanitatem, ac salutem humano generi lethali morbo laboranti misericorditer attulit, et de quibus recte verificatur illud (*Deut.* 32): *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas,* scilicet in cruce, *et assumpsit eum, et asportavit in humeris suis.*

Praeterea torcular a Christo calcatum, de quo Isaias (*c.* 63): *Torcular calcavi solus,* crucem in consortio Christi significare, permulti Patres adnotarunt. Non me latet, perplures in diversos alios abire sensus: nam d. Gregorius (*lib.* 16. *Mor. c.* 15) ait, torcular esse pressuras Martyrum, Athanasius (*q.* 49) baptismum, Theodoretus (*sup. Ps.* 8) Ecclesiam catholicam, Origenes altare holocaustorum, Irenaeus (*l b.* 4. *cont. haeres. Val. et sequ. c.* 70) spiritum Prophetarum, Hieronymus (*c.* 16. *Isaiae, et in c.* 9. *Osee*) scholam haereticorum, Eucherius (*in forma* 4 *spirit.*) diem Iudicii, Didymus (*Ps.* 8) castitatem, Beda gloriam coelestem, ubi in maxima copia iucunditatis musium exprimitur. At prae caeteris argumento accommodatius torcular interpretantur crucem, et passionem Christi divus Augustinus, Bernardus, Hilarius, Rupertus, et noster Lyranus. Est haec interpretatio valde consona textui: nam dicentibus angelis die Ascensionis, quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Christus Dominus respondit, torcular passionis, et crucis calcavi solus, ideo sanguine vulnerum sum conspersus.

Ac tandem Christum Dominum actum in crucem ex obedientia Patris perpulchre adumbrat, nullo sanctorum Patrum dissentiente, historia sacrificii Abrahae, ut eleganter prosequuntur divus Ioannes Chrysostomus (*in c.* 2. *Genes. homil.* 18), et Origenes (*homil.* 18. *in Gen.*), et Philo Iudaeus (*lib. de Abrahae Gen.* 22). Praecepit Deus Abrahae, ut offerret sibi in holocaustum filium suum unigenitum Isaac, et mane consurgens perrexit in montem holocausti, ligna super filium imponens; ipse autem portabat in manibus ignem, et gladium, ut ait sacer textus. Pater Abraham aeternum Patrem praesignabat, qui in sacra Scriptura antiquus dierum vocatur: hic ignem portat, divinum scilicet amorem (*Ioan.* 3): *Quia sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret:* gladium etiam affert, quo Filium percussit, ipso dicente (*Isai.* 53): *Propter scelus populi mei percussi eum.* Sicut etiam Pater Abraham *tulit ligna holocausti, et imposuit super Isaac;* ita aeternus Pater non solum materialem, ut ita loquar, ligni crucem, sed intolerabilem peccatorum nostrorum sarcinam humeris Filii sui superposuit, Isaia dicente: *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* Et sicut de Abraham ait Moyses: *Vidit, et gavisus est,* hoc est, videns in spiritu, et velut in umbra mortem Christi, summa alacritate perfusus est, propter summam eius utilitatem inde emergentem; ita Pater aeternus videns per mortem Christi divinae iustitiae satisfieri, et humani generis miseriam sublevari, valde gavisus est. Isaac autem filium Abrahae, Christum Dominum Filium aeterni Patris ad vivum exprimere concors Patrum sententia docet: Isaac enim natus est ex sterili, Christus ex Matre virgine; Isaac portavit ligna holocausti, Christus portavit crucem; si Isaac non est passus, sed eius loco aries, id etiam mirifice quadrat Christo Domino, cuius divinitas non est passa, sed eius loco humanitas. Ac tandem: *Levavit*, ait sacer textus, scilicet Abraham, *oculos suos, viditque post tergum suum arietem inter vepres haerentem cornibus:* vel ut legit d. Ambrosius: *Ecce aries unus haerens suspensus cornibus in virgulto:* quae lectio valde consentanea est Hebraico originali, dicenti: *Et vidit, et ecce aries appensus est in perplexu cornibus suis.* Unde Paraphrastes Chaldaeus ait: *Et ecce aries, postquam apprehensus est in arbore cornibus suis.* Quae omnes lectiones in eo conveniunt, quod viderit Abraham arietem cornibus suspensum inter spinas, seu vepres, quod ad vivum satis referebat Christum Dominum spinis coronatum in cruce pendentem, ut praecitati Patres adnotant. Illud etiam, quod Abrahamo facto arietis sacrificio, dixit: *Dominus videt*, vel ut alia versio habet, *Dominus videbit;* quasi diceret, Dominus videbit impletum in Filio suo, quod in meo adumbratum fuit, a proposito nostro nihil dissidet, sed consentaneum potius est. Testatur etiam Moyses, in tempus suum appellationem hanc illius montis durasse, *Dominus in monte hoc videbit*, vel ut originale Hebraeum habet, *Dominus videbitur:* quae lectiones contrariae non sunt, immo utraque fuit impleta, quia Filius Dei in cruce ab universo populo visus est, et Pater aeternus vidit illum super aram crucis holocaustum sibi oblatum. Addo his, ita per omnia figuratum figurae respondere in hoc Abrahae sacrificio, ut Christus Dominus crucifixus fuerit, Deoque Patri immolatus in eodem monte nomine Moria, quo olim Abraham filium suum Isaac immolavit, ut tradit d. Augustinus (*ser.* 71 *de temp.*), id confirmans, ut supra adnotavi, auctoritate d. Hieronymi.

Porro alias, quas apud sanctos Patres lego rationes, non est, cur inutili silentio praetermittam. Divus enim Augustinus (*in append. de div. serm.* 59) hanc singularem reddit rationem in haec verba: *Noluit lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos semper nobiscum lapides, aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur; elegit vero crucem, quae levi motu manus exprimitur, qua contra inimici versutias munimur.* Sed et apud eundem aliam egregiam lego rationem (*l.* 83. *quaest.* 25.) dum ait, propterea Christum crudelem crucis mor-



tem voluisse sustinere, ut fideles pro catholica fide tuenda nullum, quantumvis horrendum mortis genus exhorrescerent: verba eius sunt haec: *Pertinet autem ad vitam rectam ea, quae non sunt metuenda, non metuere, mors autem metuenda est: oportuit ergo idipsum illius hominis, quem Dei sapientia suscepit, morte monstrari: sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilominus autem, ut ipsa mors metuenda non est, ita etiam nullum genus mortis, bene, et recte viventi homini metuendum.* D. Ambrosius aliam excogitavit causam (*super Lucam cap.* 23) dicens: *Ut non sibi soli, sed omnibus vinceret; manus in cruce extendit, quo omnia ad se traheret, ut nodo exuta, iugo fidei suspensa, coelestibus ea, quae prius erant terrena sociaret.* Lactantius Firmianus (*de vera sapientia lib.* 4. *c.* 26) hanc subdit rationem, ut Christus in crucem elevatus omnes conspiceret, et ab omnibus conspici posset: ex hoc enim tota nostra salus dependet, ut nos ille misericorditer respiciat, et nos illum religiose respiciamus. D. Anselmus (*sup. epist. ad Philip. c.* 20) hanc his verbis apponit rationem: *Tam pessimam mortem Salvator elegit, ut omnem mortem nostram occideret.* Ac tandem ratione d. Pauli orationem concludo, qui propterea docuit, Christum in crucem actum fuisse, ut efficacia infinitae suae virtutis universo orbi magis innotesceret, dum infimo crucis ligno universum orbem potenter expugnavit, et suae ditioni subiugavit: *Quod infirmum est*, inquit, *Dei, fortius est hominibus;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXIV.

*De variis figuris iuxta Patrum doctrinam, quibus tam in rebus naturalibus, ut mundo, coelo, stellis, aere, avibus, animalibus, tam aqueis, quam terrestribus, necnon in plantis, et arboribus, variisque Gentilium symbolis, quam in rebus artificiose affabrefactis, Deus Christi Domini crucem mirabiliter praesignavit.*

Adeo nobis utilem divina sapientia crucis memoriam iudicavit, ut eius figuram ab initio semper in hominum oculis versari voluerit; unde omnia propemodum ita condidit, ut vel ipsa condita, vel eorum operationes crucem ipsam cunctis mortalibus ob oculos ponere videantur. Quod ne proprio marte asserere videar, non aliunde id probare adnitar, quam ex sanctis Patribus, probatissimisque Ecclesiae Doctoribus: etenim d. Gregorius Nyssenus (*or.* 1. *de res.*) universam hanc mundi molem figuram crucis gerere his verbis egregie disserit: *Coelum suspice, et partes infimas animo complectere, extremosque, ac summos orbis terminos cogitatione comprehende; atque considera, quaenam potentia, tanquam universitatis vinculum, haec omnia devinciat, videbisque sponte sua in ea divinae potentiae contemplatione crucis figuram exprimi, a superis ad infera, ab extrema protensam, atque descriptam.* Figuram hanc magnus etiam David de se loquens expressit (*Psal.* 138): *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum,* haec est sublimitas crucis, *tu illic es; si descendero in infernum,* hoc est profundum, *ades. Si sumpsero pennas meas diluculo*, id est ad ortum solis, haec est latitudo, *et habitavero in extremis maris*, haec est longitudo. Cernis quomodo crucis figuram describat? Et paulo inferius adducens illud d. Pauli (*ad Ph.* 2): *In nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum,* ait magnus Apostolus. His verbis per crucis figuram dividit Christi adorationem: coelestis enim regio partem sublimiorem, terrestris ambas medias, inferna profundam continet. D. Ambrosius (*tom.* 3. *ser.* 56): *Coelum,* inquit, *quoque ipsum huius signi figura dispositum est: nam quatuor partibus, hoc est Oriente, et Occidente, ac Meridiano, et Septentrione distinguitur, quatuor quasi crucis angulis continetur;* hactenus ille. D. etiam Hieronymus (*super cap.* 11. *Marci*) inquit: *Ipsa species crucis quid est, nisi forma quadrata mundi?* Sedulius item, nobilis poeta (*lib.* 4. *oper. Pascalis*), haec in idem argumentum egregia carmina cecinit:

Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Quae Dominum portavit ovans ratione potenti,
Quattuor inde plagas quadrati colligit Orbis,
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacrae lambuntur sidere plantae;
Arcton dextra tenet, medium laeva erigit axem,
Cunctaque de membris vivit natura creantis, (dum.
Et cruce complexum Christus regit undique mun-

Non dissimilia scripsit d. Augustinus (*sup. Ps.* 136), dum ait: *Partes enim mundi quatuor sunt: Oriens, Occidens, Aquilo, et Meridies. Ab omnibus istis quatuor ventis, sicut dicit Dominus in Evangelio, a quatuor ventis se collecturum electos suos, ab omnibus ergo istis quatuor ventis vocatur Ecclesia. Quomodo vocatur? undique in Trinitate vocatur; non vocatur nisi per baptismum: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: quatuor enim ter ducta duodecim inveniuntur.* Immo et ipsas, quae in octavo orbe sitae sunt, stellas, in modum crucis formatas esse, Arabes tradidere, teste Coelio Rodigino (*lib.* 10. *c.* 8), quibus subscribunt Philo (*lib. de Cherubin*), et Marsilius Ficinus (*de vita coel. comp. lib.* 3. *cap.* 18), ubi ait: *Antiquiores autem, quemadmodum in quodam Arabum collegio legimus, figuram crucis cunctis anteponebant, quia corpora per virtutem agunt ad superficiem iam diffusam. Prima vero superficies cruce describitur: sic enim in primis habet longitudinem, atque latitudinem: primaque haec figura est, et omnium recta quam maxime, et quatuor rectos angulos continet; effectus vero coelestium, maxime per rectitudinem radiorum, angulorumque resultant: tunc enim stellae magnopere sunt potentes, quando quatuor coeli tenent angulos, immo cardines, Orientis videlicet,*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*Occidentisque et medii utrinque. Sic vero dispositae radios ita coniiciunt in se invicem, ut crucem inde constituant. Crucem ergo veteris figuram esse dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis susceptaculum; ideoque habere summam in imaginibus potestatem; ac vires, et spiritus suscipere Planetarum.* Omnes etiam Astrologi in Polo Antartico quatuor fulgentissimas stellas collocant speciem crucis praeseferentes, quas naturae cruciferum appellare consuevere. Venti deinde a quatuor mundi partibus, quasi pugnantes, dum diversis flatibus se infestant, in modum crucis perflant, et contra se invicem sibilant. Origenes etiam (*hom. 8. in div.*) in coeli volucribus figuram crucis contemplatur: *Aves quoque,* inquit, *quando in subliniora obvolcuntur, et pendent per aera, extensis alis imitantur crucem.* Simile quidpiam dixit d. Hieronymus (*in cap.* 11. *Marci*). Homo natans per aquas, formam crucis, sicut et pisces, assumit. In figura etiam ipsius hominis delineatam crucem Patres observarunt. Unde Iustinus martyr (*in Apol. sec.*), in humani corporis figura crucis umbram invenit dicens: *At humana figura, non alia re a belluis differt, quam quod et recta sit, et manuum extensionem habeat, et in facie a fronte protensum nasum, per quem et respiratio animalibus est, neque aliud demonstrat, quam signum hoc crucis.*

Quibus consonant verba illa sancti Anastasii Synaitae (*lib. 4. in Exam.*) dicentis: *Similiter etiam homo, ad formam crucis figuratam habens imaginem, ut qui factus sit ad imaginem Christi crucifixi, praefiguravit quatuor cornua crucis.* Quid de animalibus rationis expertibus dicam? quorum corporibus manifestum crucis characterem naturae auctor mirabiliter impressit? Diodorus Siculus (*rerum antiquarum lib. 2. cap.* 13) haec singularia valde de quodam animali scripsit: *Esse insuper animalia ea in Insula magnitudine quidem parva, sed natura, ac sanguinis virtute admirabili. Corpore sunt rotundo, ac testudinibus simili, duabus lineis invicem per medium transversis, in quarum cuiuslibet extremo sit auris, et oculus, ut quatuor oculis videant, totidem audiant auribus; unicis ventre, atque intestinis, in quae comesta confluunt. Pedes circum habent plures, quibus in utramque partem ambulant. Huius belluae sanguis mirabili asseritur virtute, omne enim corpus concisum, dum spirat, hoc tinctum sanguine, e vestigio cohaeret. Similiter, et manus caesa, reliquaeque corporis, dum vita suppetit, partes resarciuntur, si recenti adhuc applicentur vulnere.* Ecce ait, duas lineas habere invicem per medium transversas, quas proinde necessarium erat, crucis figuram reddere. Ait deinde, rotundum esse, et in quatuor extremitatibus illarum linearum, totidem oculos, et totidem aures esse, multisque pedibus scatere, quod non obscure designabat, per totum orbem terrarum, hoc est, per quatuor eius partes, oriens, occidens, septentrionem, et meridiem, crucis signum pedibus evangelizantium portandum, et ab universo orbe audiendum, et videndum fore, iuxta verba Isaiae (*c.* 52): *Quam pulchri pedes annunciantium, et praedicantium pacem.* Ecce pedes. *Vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem.* Ecce aures audientium. *Oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus.* Ecce oculi: atque ad hoc aperte alludunt verba eiusdem Prophetae: *Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt:* quae verba explicans D. Hieronymus (*in caput trigesimum quintum*) inquit: *Quod quamquam signorum magnitudine completum sit, quando Dominus loquebatur Discipulis: Euntes, renunciate Ioanni quae audistis, et vidistis. Caeci vident, surdi audiunt etc. tamen quotidie expletur in gentibus, quando, qui prius caeci erant, et in ligna, et in lapides impingebant, veritatis lumen aspiciunt, et qui Scripturarum verba surdis auribus audire non poterant, nunc ad Dei praecepta laetantur.* Ac tandem, si sanguis illius belluae mirabilis asseritur esse virtutis ad vulnera sananda: haec tanta esse noscitur in Christi sanguine in ligno crucis effuso, ut merito dixerit divus Bernardus scribens ad Innocentium Papam (*epistola* 190): *Non requisivit Deus Pater sanguinem filii, sed tantum acceptavit, quia salus erat in sanguine: siquidem pro qualitate vulneris allata est medicina.* Sanctus item Anastasius Synaita (*lib. 4 exameron*) naturae auctorem in piscibus formam crucis delineasse observavit dicens: *Nec pisces sunt privati figura quaternarii, cum habeant figuram crucis, sicut etiam volucres, cum quibus facti sunt, ipsae enim duabus alis, et capite, et cauda feruntur in aere, et aquis.*

In plantis itidem singularis crucis indicia cernimus. In Hispania namque in Conventu s. Benedicti Vallisoletano, propriis oculis vidi stipitem, seu truncum vitis, ex quo mirabili solius Auctoris naturae opificio crucis lignum prodibat, cum imagine Christi Domini in ea crucifixi, quae intuentibus miram devotionem pariter, et admirationem parit, cum summaque veneratione ibi asservatur. Dum etiam haec Romae scribo, stupendi cuiusdam floris effigies ex India Peruana novae Hispaniae allata est, qui et columnam Christi, et tres eius clavos ad vivum refert, necnon et coronam ex spinis confectam, insuper et punctis distinctam. Huius certam fidem fecerunt permulti Monachi, et Iesuitae, necnon alii, quos refert Iacobus Bosius in erudito illo libro, quem Italico sermone edidit, (*de triumphanti Cruce*). Asserebant etiam iidem, praedictum fructum esse pulchrum aspectu, et suavem gustu, odoriferum, et salutiferum valde, eaque proprietate praeditum esse, ut oriente sole aperiatur, et expandatur, in occasu vero illius se comprimat, et occludat, et abscondat; in quibus multa crucis mysteria latent, quae discurrenti haud difficile erit detegere. Romae quoque dum haec elucubrabam, in Horto conventus sanctae Prudentianae, quoddam singulare adeo cucurbitarum genus exortum fuit, ut in quamcumque partem dividerentur, praeclaram quandam crucis figuram iridis coloris intuereris. Similique quidpiam legimus de pomo illo cedrino, quo scatent Cyprus, Aleppus, et Damascus, ut praecitato loco refert Bosius. Facit ad idem quod Cassaneus in catalogo gloriae mundi conclusione nonagesima refert, fructum nomine Musa in veruth nasci solitum, in portu ipso maris Mediterranei, qui a plerisque existimatur ille, quem praeceptum divinum violans, Adam comedit in paradiso: qui fructus si per medium dividatur, singulae partes signum crucis exacte referunt, quasi praesagientes per lignum crucis primi parentis infirmitati congruam in posterum medelam fore adhibendum. Ac tandem Andreas Matthiolus (*in commentario vulgari sermone edito super Dioscoride*) herbae cuiusdam meminit nomine cruciata, quae non solum voce, sed et mirabili sua virtute crucem dominicam adumbrat: singulae enim frondes a dextro, et sinistro latere virgae erumpentes, crucem ad vivum exprimunt; virtus autem eius ita crucis virtutem delineat, ut vermes, sicut illa daemones facili negotio abigat, et contra venenum corpus inficiens, non secus ac illa contra virus peccati, animam infestans praesentissimum antidotum existat.



Apud Gentiles insuper catholicae veritatis ignaros multa, eaque praeclara crucis indicia, symbola, oracula, et vaticinia reperio. Cum enim Creator generis humani, non solum sit Deus Hebraeorum, sed et Gentilium, iuxta illud Apostoli: *An Iudaeorum Deus tantum, nonne et gentium? immo* et gentium. Ut enim multis ex Hebraeis, ita non paucis ex Gentilibus prophetiae donum contulit. Unde Origenes (*homilia decimasexta de prophetia Balaam ex Numerorum cap.* 23) dixit: *Volens Deus ibi abundare gratiam, ubi superabundavit peccatum, adesse dignatur, nec refugit ab his, qui non secundum Israeliticam disciplinam, sed secundum Gentilium regebantur errorem.* Quae tradit Clemens Alexandrinus (*lib. sexto Stromatum c.* 2) dicens: *Quomodo Deus Iudaeos salvos esse voluit, dans eis Prophetas, ita etiam Graecorum spectatissimos propriae suae linguae Prophetas excitatos, prout capere poterant Dei beneficentiam, a vulgo secrevit.* Praeter Petri praedicationem, declaravit Paulus dicens: *Libros quoque Graecos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significet, et ea, quae sunt futura, et Hystaspem sumite, et legite, et invenietis Dei filium.* Huius Hystaspis meminit Gregorius Giraldus in proaemio de Poetarum historia, dicens: *Fuerunt apud Persas sapientes, qui Magi vocabantur, Medi quoque oraculis ab Hystaspe versibus usi sunt, et una Zoroastrem vatem, et Magum coluere;* et dialogo tertio de Poetarum historia inquit: *Fuit et in hoc genere Hystaspes, quem Medi antiquissimum suum regem fuisse affirmant, sibique oracula dedisse, quibus uterentur. Ut Romani Publii, et Martii Vatum.* Sanctus etiam Hieronymus testatur, *Sibyllas virginitate, et prophetia claruisse.* Lib. enim primo adversus Iovinianum (*cap.* 26) inquit: *Sibyllarum insigne, virginitas est, et virginitatis praemium, divinatio.* Et quamvis de numero Sybillarum variae sint scriptorum opiniones, ut videre est apud Plinium (*lib.* 34. *cap.* 50), et Solinum (*c.* 8); verior tamen censetur sententia Lactantii Firmiani (*lib. 1. divin. institut. cap.* 6) asserentis, decem fuisse. Hae sunt Persica, cuius meminit Nicanor (*lib. de Alexandro Magno*). Secunda Lybica, cuius meminit Euripides (*in prologo Lami.*). Tertia Delphica, de qua locutus est Chrisippus (*lib. de divinatione*). Quarta Comaea, cuius mentionem faciunt Pyton (*in suis Annalibus*), et Naevius (*lib. de bello Africano*): necnon Plato (*in Phaedro*), d. Augustinus (*in expositione inchoatae epistolae ad Romanos*). Quinta Erythraea, cuius meminerunt Strabo (*lib. decimoquarto Geographiae*), et Lactantius Firmianus (*lib. 1. divinarum Institutionum cap.* 6), et d. Augustinus (*lib. decimoctavo de Civitate Dei cap.* 23). Sexta Samia, de qua scripsit Eratosthaenes (*in sua historia*), memoriam reperisse in antiquis annalibus Sami. Septima Cumana, de qua Lactantius (*lib. 1. divinarum Institut. cap.* 6), et Solinus (*de Italia, et eius antiquitate cap.* 8). Octava Hellespontica, de qua Heraclydes Ponticus nonnulla narrat. Nona Phrygia, cuius carmina habentur (*lib. octavo Sibyllicorum oraculorum*). Decima Tiburtina, de qua apud Varronem, et (*lib. 1. Sibyllicorum oraculorum*): in quibus sane oraculis non pauca nostrae redemptionis mysteria praedicta legimus: adest enim in illis tranquillitas a Christo facta, saturatio quinque millium hominum quinque panibus, Christi alapa, et amari fellis potus, corona eius spinea, multiplex opprobrium, mors, resurrectio, vulnerum manifestatio, manuum, et pedum. Quid plura? Certe Plato, ut auctor est Clemens Alexandrinus (*l. 5. c.* 6), Christi Domini passionem praedixit: Plato, inquit, propemodum prophetice praedicens Salutarem dispensatione, sic dicit in secundo de republica: *Iustus autem, qui sic est affectus, flagris caedetur, torquebitur, vincietur, et postremo, omnia mala perpessus, suspendetur.* Ait autem d. Augustinus (*de Civitate Dei*): *Mirantur quidam noviter in Christi gratia sociati, cum audiunt, vel legunt, Platonem de Deo ista sensisse, quae multum congruere veritati nostrae religionis agnoscunt. Unde nonnulli putaverunt, tunc quando perrexit in Aegyptum, Hieremiam audivisse prophetam, vel Scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse.* Homerum etiam, et Virgilium multa de Christi nativitate, et passione praenunciasse, his verbis docuit (*ad Paulinum epistola* 103. *cap.* 6): *Quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem, quasi non legerimus Homerocentonas, et Virgiliocentonas, ac non sic etiam Maronem, sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit:*

Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam nova progenies coelo demittitur alto:

et patrem loquentem ad filium:

Nate, meae vires, mea magna potentia solus:

et post verba Salvatoris in cruce,

Talia perflabat, memorans, fixusque manebat, etc.

Verum si a rebus naturalibus ad artificiosas gradum facimus, in his etiam praesignari cru-

cem erudite docuit Iustinus martyr (*Apolog.* 2): *Considerate*, ait, *omnia, quae in mundo sunt, an sine hoc signo crucis gubernentur, aut possint praebere sui usum. Mare enim non scinditur, nisi trophaeum istud, quod malus appellatur, salvum in navi maneat, terra non aratur sine eo, fossores non absolvunt, nec alii item operarii mechanici, nisi per instrumenta, quae formam hanc referant.* Similia tradunt d. Ambrosius (*tomo tertio, serm. quinquagesimosexto*), et Origenes (*homilia* 8. *in diversa*): quibus addo Architectos, priusquam ad erigendum aedificium aliquod normam adhibeant, prius solitos in charta, vel tabula crucem depingere, quae velut basis, et fundamentum exemplaris extruendae domus existat. Chirurgos etiam, cum putrida ulcera ferro aperiunt, in formam crucis, eo quod id iuxta medicinae documenta utile valde sit, illa plerumque aperire observavi. Quid plura? Statera, qua res ponderantur, crucis formam, et effigiem habet; unde ipsa crux ab Ecclesia, statera, unde nostrae redemptionis pretium pependit, vocitatur:

> Beata, cuius brachiis
> Saecli pependit pretium;
> Statera facta corporis
> Praedamque tulit tartari;

quae verba elucidans divus Bernardus, his, quae sequuntur, mirifice illustravit: *Crux facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia. Appensa sunt cum ipso peccata, quae commisimus; ipse erat innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis conversatio eius; et quoniam talis, ac tantus tam indigna dignatus est in cruce pati, praeponderare coepit calamitas, cum adhuc tamen in cruce erectus staret; vacillare videbatur statera, nec plane cognoscebatur, quo cadere deberet; inclinato tamen capite emisit spiritum, ut calamitas praeponderando caderet, et quasi arena maris gravior appareret:* haec ille. Unde non immerito unusquisque nostrum usurpare potest illud (*Iob* 6): *Utinam appenderentur peccata mea in statera*, scilicet crucis, *et calamitas mea*, idest passio Christi, quae mea est ex dono illius, *quasi arena maris, haec gravior appareret.* Denique, tametsi quidpiam humile dicere videar, ita crucis figura ad humanos usus utilis est, ut ipsae etiam feminae, si quae implicata fila explicare velint, transversis lignis in modum crucis soleant. Quod quam magni momenti sit, crucis figura ad humanos usus, tam nautis, quam agricultoribus, eleganti stylo prosequens d. Ambrosius (*de Cruce Christi tom.* 5) dixit: *Grande est crucis sacramentum; et si intelligimus, per hoc signum etiam mundus ipse salvatur, nam cum a nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, ut cruce, Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, et hoc securi signo portum salutis petunt, periculum mortis evadunt: figura enim sacramenti quaedam, est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce; atque ideo confidentia de mysterio veniente, homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt. Sicut autem Ecclesia sine cruce stare non potest, ita et sine arbore navis infirma est: statim enim diabolus inquietat, et illam ventus allidit; at ubi signum crucis erigitur, statim et diaboli iniquitas repellitur, et ventorum procella sopitur. Sed et bonus agricola, cum parat terrae solum vertere, et vitae alimenta perquirere, non nisi per signum crucis id facere conatur: dum enim aratro dentale subiicit, affigit aures, stivam inserit, figuram crucis imitatur: compactio et in ipsa, similitudo quaedam est dominicae Passionis. Hoc igitur dominico signo scinditur mare, terra colitur, coelum regitur, homines conservantur:* atque ex his omnibus non obscure constat, quam multa, tam natura, quam arte confecta crucem Christi praeseferant; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXV.

*Adducuntur figurae omnes, quae sacra eloquia de cruce dominica prodiderunt, variaque sanctorum Patrum eruditione illustrantur, ac locupletantur.*

Quamvis Deus Optimus Maximus tanquam auctor naturae in rebus naturalibus Christi Domini crucem delineaverit, ut hucusque vidimus, tanquam auctor tamen supernaturalis, altius, et excellentius non solum figuram, sed et praestantiam eius, ac miram virtutem, multifariam, multisque modis in sacris literis praesignari et adumbrari voluit, ut ex illis mira crucis dignitas magis effulgeat, et fides eius Christianorum animis tenacius in dies inhaerescat: nam ut egregie observavit Tertullianus (*lib.* 3. *contra Marcionem*): *Quanto sacramentum crucis creditur difficilius, et scandalo magis expositum, tanto magis oportuit per varios adumbrari figuras, ut sic credibilius redderetur*; et, ut ibidem dixit Tertullianus, *difficultas intellectus, gratiam Dei quaereret.* Quam rem, ut altius repetamus, et quoad fieri potest, divina aura nobis favente, nihil quod in hoc genere argumenti desiderari possit, nos praetereat, a ligno vitae exordiamur, quod primam omnium crucis figuram extitisse arbitror. Unde divus Ioannes Damascenus (*Ortodoxae fidei l.* 4. *c.* 10) dixit: *Pretiosam crucem praefiguravit vitae lignum, quod in Paradiso plantatum est a Deo; nam postea quam per lignum mors, oportebat per lignum donari vitam, et resurrectionem.* Idem docet sanctus Clemens Alexandrinus (*lib.* 2. *Paedag.*), sanctus Anastasius Synaita (*Anag. contemp. lib.* 5), sanctus Cyrillus Alexandrinus, sive Iodocus, ut alii putant (*l.* 8. *super Ioannem cap.* 17), Beda (*in c.* 24. *Iob*). In quo autem, si roges, lignum illud vitae crucis typum gerebat, respondeo in multis. Primo in eo, quod sicut arboris vitae unicum solum fuit Individuum, ut tradunt Abulensis (*c.*13. *Gen. q.*163), Pererius (*l.* 3. *in Gen. q.* 2), et Palatius (*in* 2. *dis.* 19.), ita arbor crucis quae patibulum extitit Christo Domino, unica fuit, Ecclesia canente: *Arbor una nobilis.* Secundo, quia sicut arbor vitae consita erat in medio Paradisi, iuxta illud: *Produxit Dominus lignum vitae in medio Paradisi*, ita arbor crucis in medio Orbis censetur fuisse plantata, ut regius Vates cecinit (*Psal.* 37): *Operatus est salutem in medio terrae;* salutem autem non alibi operatus est, quam ex arbore crucis pendens. Tertio, quia sicut arbor illa dicebatur *lignum vitae*, vel, ut fons Hebraicus habet, *lignum vitarum*, eo quod bifariam vitam conservaret, et ut alimentum, et ut medicina; vel, quod non soli Adae, sed cunctae eius posteritati vitam impertiret, ita crucis arbor potiori iure lignum vitae nuncupari meretur: tum quia fructum nobis germinavit, cuius substantia, velut alimento pascimur, et nutrimur: et cuius sanguinis succo, tanquam praesentissimo antidoto, ac probatissima medicina spiritualia nostra vulnera curantur: tum quia non solum Christo Domino vitam corporis gloriosam, sed et toti soboli, et posteritati filiorum eius peperit. Quarto, quia sicut arbor vitae comedenti de fructu eius perfectam immortalitatem praestabat, ut tradit cardinalis Bellarminus de statu innocentiae agens, vel ut sanctus Thomas (1. *p. q.* 97. *a.* 4) docet, secutus divum Augustinum in permultis locis, cui gravissimi Doctores adhaerent, vitam producebat in longissimum tempus, ita crucis arbor non solum vitam longam, miram eius virtutem degustantibus, sed vitam aeternam tribuit. Quinto, quia sicut virtus illa mirabilis ad conservandam vitam ab omni infirmitate indemnem, quae arbori vitae inerat, non erat ei naturalis, seu ab eius natura profluens, sed miraculose a Deo tanquam auctore supernaturali divinitus ei indita, ut tradunt divus Augustinus (*lib.* 14. *de Civ. c.* 26. *et lib.* 6. *de gen. c.* 5. *et lib.* 8. *c.* 5. *et lib.* 13. *de Civit. Dei*), Theodoretus (*q.* 26. *in Genes*), venerabilis Beda, cardinalis Bellarminus (*lib. de gratia primi hominis c.*15), scholastici Theologi cum d. Bonaventura. Unde eruditus auctor Iacobus Sarugensis (*orat. de eiecto Adamo ex paradiso*), dixit: *Arbor illa vitam allatura fuerat immortalem, propterea quod mysterium Christi in illa lateret, ac proinde occulta quadam efficientia ipsius fructus polleret, cum Christus vita sit.* Non dissimiliter mirabilis virtus arboris crucis ad vincendos hostes, ad profligandum daemones, ad praeservandum a malis, ad sanandum ab infirmitatibus, tam corporis, quam animae, necnon ad coelestem, et immortalem vitam impertiendam, non quidem erat ei naturaliter congenita, sed a Christo Domino gratiae et vitae auctore supernaturaliter communicata. Sexto tandem, quia sicut lignum vitae positum erat iuxta lignum scientiae boni, et mali, ut auctor est eruditissimus Malvenda (*lib. de parad. vol. cap.* 73), ita divina providentia factum est, ut lignum crucis iuxta duo latronum ligna fixum esset, quorum alterum, lignum scilicet boni latronis, lignum scientiae boni appellaverim, cum ab eo pendens Christum Dominum confessus, Paradisum ab eo obtinuerit: *hodie mecum eris in paradiso;* alterum vero, lignum scilicet, ex quo pendebat impoenitens latro, lignum scientiae mali merito nuncupaverim, cum propter duritiem cordis illius in profundum inferni barathrum fuerit detrusus.

Secundam dominicae crucis figuram praetulit instrumentum, quo Cain fratrem suum Abel occidit in agro, ut (*lib. Gen.*) legimus. Licet enim divus Chrysostomus (*in Gen. c.* 4) dicat, illud fuisse gladium, quod et sensit d. Isidorus Hyspalensis (*de vit. et mor. sanct.*); alii tamen, ut tradit Iacobus Bosius, difficile sibi suadentes, in primordio illius temporis gladii usum iam viguisse, lignum autumant instrumentum fuisse, quo Cain fratrem suum interemit. Quidquid tamen sit de hoc, omnes fere Patres, praecipue d. Gregorius (*lib.* 29. *Mor. c.* 16), s. Ambrosius (*de Abel, et Cain lib.* 1. *c.* 2), et Isidorus Clarius (*in episto. ad Heb. c.*12), unanimi consensu docent, mortem Abelis indubitatam esse figuram mortis Christi in cruce: et merito quidem: nam si Abel iustus, Christus iustissimus, immo et ipse auctor iustitiae; si Abel pastor ovium, Christus Pastor animarum (*Ioan.* 10): *Ego sum pastor bonus:* si Abelis munera grata fuerunt Deo, Christi oblatio tam fuit Deo Patri grata, ut eius munere genus humanum ei reconciliaverit: Abel obtulit oves, Christus seipsum, qui tanquam ovis ad occisionem ductus est; Abel pro invidia occisus est a fratre, Christus per invidiam a fratre suo populo Iudaeorum in mortem traditus fuit: invidiae enim livore saucii dicebant (*Io.* 11): *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Abel occisus est in agro, Christus extra portam passus est, ut ait Paulus, in agro montis Calvarii: et si Abel, ut ait idem Apostolus, uberiorem hostiam obtulit, quam Cain, certe Christus seipsum in ara crucis immolans, pinguiorem, et uberiorem hostiam obtulit, quam fuerint omnia veteris legis sacrificia: quod si Cain interrogatus a Domino de patre suo, respondit se nescire, dicens: *Nescio, numquid custos fratris mei ego?* idem prorsus, ut acute observavit s. Augustinus (*lib. contr. Faust. Manich. lib.* 12. *c.* 10), respondet modo Iudaeus, a quo si de Christo quaeras, continuo ait: nescio illum, numquid ego custos eius sum? ac tandem si sanguis Abel clamabat de terra, vindictam fratris postulans, certe Christi sanguis ad interpellandum pro nobis de terra clamat ad Patrem, ut ait Apostolus, veniam nobis implorans.

Tertiam crucis figuram gessit eiusdem libro Genesis lignea arca Noe, ut adnotarunt s. Iustinus martyr (*in dial. cum Triphon.*), s. Ambrosius (*in Luc.* 3. *de his, qui myster. init. c.* 3. *et de vocat. gentium c.* 4), s. Isidorus Hyspalensis (*sup. Gen. cap.* 6. *et* 7), d. Cyrillus (*in Ioan. lib.* 8. *c.* 17), Clemens Alexandrinus, d. Augustinus, Chrysostomus, Rupertus, et his antiquior Origenes dicens: *Volens igitur Deus abluere, et mundare quod immundum erat, inundans diluvium misit in terram, et sanctum Noe in arcam iussit ascendere; qui postea iam recedente diluvio, corvum dimisit prius, qui cum non reverteretur, misit et columbam, quam tamen cum ramo olivae legimus revertisse. Si ergo vides aquam, vides lignum, vides corvum, et columbam aspicis, iam credo quod de mysterio non*

cem erudite docuit Iustinus martyr (*Apolog.* 2): *Considerate*, ait, *omnia, quae in mundo sunt, an sine hoc signo crucis gubernentur, aut possint praebere sui usum. Mare enim non scinditur, nisi trophaeum istud, quod malus appellatur, salvum in navi maneat, terra non aratur sine eo, fossores non absolvunt, nec alii item operarii mechanici, nisi per instrumenta, quae formam hanc referant.* Similia tradunt d. Ambrosius (*tomo tertio, serm. quinquagesimosexto*), et Origenes (*homilia* 8. *in diversa*): quibus addo Architectos, priusquam ad erigendum aedificium aliquod normam adhibeant, prius solitos in charta, vel tabula crucem depingere, quae velut basis, et fundamentum exemplaris extruendae domus existat. Chirurgos etiam, cum putrida ulcera ferro aperiunt, in formam crucis, eo quod id iuxta medicinae documenta utile valde sit, illa pleranque aperire observavi. Quid plura? Statera, qua res ponderantur, crucis formam, et effigiem habet; unde ipsa crux ab Ecclesia, statera, unde nostrae redemptionis pretium pependit, vocitatur:

Beata, cuius brachiis
Saecli pependit pretium;
Statera facta corporis
Praedamque tulit tartari;

quae verba elucidans divus Bernardus, his, quae sequuntur, mirifice illustravit: *Crux facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia. Appensa sunt cum ipso peccata, quae commisimus; ipse erat innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis conversatio eius; et quoniam talis, ac tantus tam indigna dignatus est in cruce pati, praeponderare coepit calamitas, cum adhuc tamen in cruce erectus staret; vacillare videbatur statera, nec plane cognoscebatur, quo cadere deberet; inclinato tamen capite emisit spiritum, ut calamitas praeponderando caderet, et quasi arena maris gravior appareret:* haec ille. Unde non immerito unusquisque nostrum usurpare potest illud (*Iob* 6): *Utinam appenderentur peccata mea in statera*, scilicet crucis, *et calamitas mea*, idest passio Christi, quae mea est ex dono illius, *quasi arena maris, haec gravior appareret.* Denique, tametsi quidpiam humile dicere videar, ita crucis figura ad humanos usus utilis est, ut ipsae etiam feminae, si quae implicata fila explicare velint, transversis lignis in modum crucis soleant. Quod quam magni momenti sit, crucis figura ad humanos usus, tam nautis, quam agricultoribus, eleganti stylo prosequens d. Ambrosius (*de Cruce Christi tom.* 5) dixit: *Grande est crucis sacramentum; et si intelligimus, per hoc signum etiam mundus ipse salvatur, nam cum a nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, ut cruce, Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, et hoc securi signo portum salutis petunt, periculum mortis evadunt: figura enim sacramenti quaedam, est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce; atque ideo confidentia de mysterio veniente, homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt. Sicut autem Ecclesia sine cruce stare non potest, ita et sine arbore navis infirma est: statim enim diabolus inquietat, et illam ventus allidit; at ubi signum crucis erigitur, statim et diaboli iniquitas repellitur, et ventorum procella sopitur. Sed et bonus agricola, cum parat terrae solum vertere, et vitae alimenta perquirere, non nisi per signum crucis id facere conatur: dum enim aratro dentale subiicit, affigit aures, stivam inserit, figuram crucis imitatur: compactio etia ipsa, similitudo quaedam est dominicae Passionis. Hoc igitur dominico signo scinditur mare, terra colitur, coelum regitur, homines conservantur:* atque ex his omnibus non obscure constat, quam multa, tam natura, quam arte confecta crucem Christi pra eseferant; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXV.

*Adducuntur figurae omnes, quae sacra eloquia de cruce dominica prodiderunt, variaque sanctorum Patrum eruditione illustrantur, ac locupletantur.*

Quamvis Deus Optimus Maximus tanquam auctor naturae in rebus naturalibus Christi Domini crucem delineaverit, ut hucusque vidimus, tanquam auctor tamen supernaturalis, altius, et excellentius non solum figuram, sed et praestantiam eius, ac miram virtutem, multifariam, multisque modis in sacris literis praesignari et adumbrari voluit, ut ex illis mira crucis dignitas magis effulgeat, et fides eius Christianorum animis tenacius in dies inhaerescat: nam ut egregie observavit Tertullianus (*lib.* 3. *contra Marcionem*): *Quanto sacramentum crucis creditur difficilius, et scandalo magis expositum, tanto magis oportuit per varias adumbrari figuras, ut sic credibilius redderetur;* et, ut ibidem dixit Tertullianus, *difficultas intellectus, gratiam Dei quaereret.* Quam rem, ut altius repetamus, et quoad fieri potest, divina aura nobis favente, nihil quod in hoc genere argumenti desiderari possit, nos praetereat, a ligno vitae exordiamur, quod primam omnium crucis figuram extitisse arbitror. Unde divus Ioannes Damascenus (*Ortodoxae fidei l.* 4. *c.* 10) dixit: *Pretiosam crucem praefiguravit vitae lignum, quod in Paradiso plantatum est a Deo; nam postea quam per lignum mors, oportebat per lignum donari vitam, et resurrectionem.* Idem docet sanctus Clemens Alexandrinus (*lib.* 2. *Paedag.*), sanctus Anastasius Synaita (*Anag. contemp. lib.* 5), sanctus Cyrillus Alexandrinus, sive Iodocus, ut alii putant (*l.* 8. *super Ioannem cap.* 17), Beda (*in c.* 24. *Iob*). In quo autem, si roges, lignum illud vitae crucis typum gerebat, respondeo in multis. Primo in eo, quod sicut arboris vitae unicum solum fuit Individuum, ut tradunt Abulensis (*c.* 13. *Gen. q.* 163), Pererius (*l.* 3. *in Gen. q.* 2), et Palatius (*in* 2. *dis.* 19.), ita arbor crucis quae patibulum extitit Christo Domino, unica fuit, Ecclesia canente: *Arbor una nobilis.* Secundo, quia sicut arbor vitae consita erat in medio Paradisi, iuxta illud: *Produxit Dominus lignum vitae in medio Paradisi*, ita arbor crucis in medio Orbis censetur fuisse plantata, ut regius Vates cecinit (*Psal.* 37): *Operatus est salutem in medio terrae;* salutem autem non alibi operatus est, quam ex arbore crucis pendens. Tertio, quia sicut arbor illa dicebatur *lignum vitae*, vel, ut fons Hebraicus habet, *lignum vitarum*, eo quod bifariam vitam conservaret, et ut alimentum, et ut medicina; vel, quod non soli Adae, sed cunctae eius posteritati vitam impertiret, ita crucis arbor potiori iure lignum vitae nuncupari meretur: tum quia fructum nobis germinavit, cuius substantia, velut alimento pascimur, et nutrimur: et cuius sanguinis succo, tanquam praesentissimo antidoto, ac probatissima medicina spiritualia nostra vulnera curantur: tum quia non solum Christo Domino vitam corporis gloriosam, sed et toti soboli, et posteritati filiorum eius peperit. Quarto, quia sicut arbor vitae comedenti de fructu eius perfectam immortalitatem praestabat, ut tradit cardinalis Bellarminus de statu innocentiae agens, vel ut sanctus Thomas (1. *p. q.* 97. *a.* 4) docet, secutus divum Augustinum in permultis locis, cui gravissimi Doctores adhaerent, vitam producebat in longissimum tempus, ita crucis arbor non solum vitam longam, miram eius virtutem degustantibus, sed vitam aeternam tribuit. Quinto, quia sicut virtus illa mirabilis ad conservandam vitam ab omni infirmitate indemnem, quae arbori vitae inerat, non erat ei naturalis, seu ab eius natura profluens, sed miraculose a Deo tanquam auctore supernaturali divinitus ei indita, ut tradunt divus Augustinus (*lib.* 14. *de Civ. c.* 26. *et lib.* 6. *de gen. c.* 5. *et lib.* 8. *c.* 5. *et lib.* 13. *de Civit. Dei*), Theodoretus (*q.* 26. *in Genes*), venerabilis Beda, cardinalis Bellarminus (*lib. de gratia primi hominis c.* 15), scholastici Theologi cum d. Bonaventura. Unde eruditus auctor Iacobus Sarugensis (*orat. de eiecto Adamo ex paradiso*), dixit: *Arbor illa vitam allatura fuerat immortalem, propterea quod mysterium Christi in illa lateret, ac proinde occulta quadam efficientia ipsius fructus polleret, cum Christus vita sit.* Non dissimiliter mirabilis virtus arboris crucis ad vincendos hostes, ad profligandum daemones, ad praeservandum a malis, ad sanandum ab infirmitatibus, tam corporis, quam animae, necnon ad coelestem, et immortalem vitam impertiendam, non quidem erat ei naturaliter congenita, sed a Christo Domino gratiae et vitae auctore supernaturaliter communicata. Sexto tandem, quia sicut lignum vitae positum erat iuxta lignum scientiae boni, et mali, ut auctor est eruditissimus Malvenda (*lib. de parad. vol. cap.* 73), ita divina providentia factum est, ut lignum crucis iuxta duo latronum ligna fixum esset, quorum alterum, lignum scilicet boni latronis, lignum scientiae boni appellaverim, cum ab eo pendens Christum Dominum confessus, Paradisum ab eo obtinuerit: *hodie mecum eris in paradiso;* alterum vero, lignum scilicet, ex quo pendebat impoenitens latro, lignum scientiae mali merito nuncupaverim, cum propter duritiem cordis illius in profundum inferni barathrum fuerit detrusus.

Secundam dominicae crucis figuram praetulit instrumentum, quo Cain fratrem suum Abel occidit in agro, ut (*lib. Gen.*) legimus. Licet enim divus Chrysostomus (*in Gen. c.* 4) dicat, illud fuisse gladium, quod et sensit d. Isidorus Hyspalensis (*de vit. et mor. sanct.*); alii tamen, ut tradit Iacobus Bosius, difficile sibi suadentes, in primordio illius temporis gladii usum iam viguisse, lignum autumant instrumentum fuisse, quo Cain fratrem suum interemit. Quidquid tamen sit de hoc, omnes fere Patres, praecipue d. Gregorius (*lib.* 29. *Mor. c.* 16), s. Ambrosius (*de Abel, et Cain lib.* 1. *c.* 2), et Isidorus Clarius (*in episto. ad Heb. c.* 12), unanimi consensu docent, mortem Abelis indubitatam esse figuram mortis Christi in cruce: et merito quidem: nam si Abel iustus, Christus iustissimus, immo et ipse auctor iustitiae; si Abel pastor ovium, Christus Pastor animarum (*Ioan.* 10): *Ego sum pastor bonus:* si Abelis munera grata fuerunt Deo, Christi oblatio tam fuit Deo Patri grata, ut eius munere genus humanum ei reconciliaverit: Abel obtulit oves, Christus seipsum, qui tanquam ovis ad occisionem ductus est; Abel pro invidia occisus est a fratre, Christus per invidiam a fratre suo populo Iudaeorum in mortem traditus fuit: invidiae enim livore saucii dicebant (*Io.* 11): *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Abel occisus est in agro, Christus extra portam passus est, ut ait Paulus, in agro montis Calvarii: et si Abel, ut ait idem Apostolus, uberiorem hostiam obtulit, quam Cain, certe Christus seipsum in ara crucis immolans, pinguiorem, et uberiorem hostiam obtulit, quam fuerint omnia veteris legis sacrificia: quod si Cain interrogatus a Domino de patre suo, respondit se nescire, dicens: *Nescio, numquid custos fratris mei ego?* idem prorsus, ut acute observavit s. Augustinus (*lib. contr. Faust. Manich. lib.* 12. *c.* 10), respondet modo Iudaeus, a quo si de Christo quaeras, continuo ait: nescio illum, numquid ego custos eius sum? ac tandem si sanguis Abel clamabat de terra, vindictam fratris postulans, certe Christi sanguis ad interpellandum pro nobis de terra clamat ad Patrem, ut ait Apostolus, veniam nobis implorans.

Tertiam crucis figuram gessit eiusdem libro Genesis lignea arca Noe, ut adnotarunt s. Iustinus martyr (*in dial. cum Triphon.*), s. Ambrosius (*in Luc.* 3. *de his, qui myster. init. c.* 3. *et de vocat. gentium c.* 4), s. Isidorus Hyspalensis (*sup. Gen. cap.* 6. *et* 7), d. Cyrillus (*in Ioan. lib.* 8. *c.* 17), Clemens Alexandrinus, d. Augustinus, Chrysostomus, Rupertus, et his antiquior Origenes dicens: *Volens igitur Deus abluere, et mundare quod immundum erat, inundans diluvium misit in terram, et sanctum Noe in arcam iussit ascendere; qui postea iam recedente diluvio, corvum dimisit prius, qui cum non reverteretur, misit et columbam, quam tamen cum ramo olivae legimus revertisse. Si ergo vides aquam, vides lignum, vides corvum, et columbam aspicis, iam credo quod de mysterio non*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*dubitabis. Aqua baptismi, qua caro tangitur, et anima abluitur, et omne eius tergitur vitium. Lignum est, in quo suffixus est Dominus Iesus, cum pateretur pro nobis; niger corvus est Iudaeus, qui semel a Deo dimissus, adhuc ad illum non revertitur, sed obstinatus persistit: candida tandem columba, sanctissima anima Christi est, quam verus Noe Christus ex mystica crucis arca, cum in ea emisit spiritum, ad Patres Limbi aeternam tranquillitatem, et pacem citissime sibi futuram, eam praenunciam misit.* Insuper est et alia in hac arcae figura cum Christi cruce conformatio, cuius meminit s. Ambrosius in haec praeclara verba: *In conservatione autem Noe, filiorumque eius, in quibus omnium gentium seminarium disponebatur, quanta divinae gratiae opera revelata sint, sancta Scriptura manifestat: dum in illa mirandae corporitatis arca universi generis animalium receptrice congregatura ad se hominum genus Ecclesia figuratur: dum per lignum, et aquam redemptio crucis Christi, et ablutio regenerationis aperitur; dum iis, qui ex illa mundi vastatione salvati sunt, omnium gentium plenitudo benedicitur.* Ac tandem divus Isidorus figuram arcae Noe adducit: *Noe*, inquit, *per aquam et lignum, quippe lignum et aqua crucem designat, et baptisma: sicut enim ille cum suis per lignum et aquam salvatur, sic familia Christi per baptismum, et crucis passionem sanatur*; quibus egregie consonant verba Salomonis: *Cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia per contemptibile lignum, iustum gubernans*, scilicet per lignum crucis, per quod, ne in profundum inferni mergeretur genus humanum, prohibitum est. Nec solum Patres in arca Noe, sed et in mensura illius, figuram crucis agnoverunt: ait enim sanctus Clemens Alexandrinus (*lib. 6. strom. cap. 4*): *Sunt autem, qui trecentos cubitos longitudinis arcae dicunt esse symbolum signi Domini.* Unde Origenes ab hoc tanto magistro suo edoctus, ingeniose, ut assolet, dixit: *Apostolus in quodam loco, cum de mysterio crucis sacratius loqueretur, ita ait: Ut sciatis, quae sit longitudo, latitudo, et altitudo, et profundum: profundum autem, et altitudo idem significant, nisi quod altitudo spatium de inferioribus videtur ad superiora metiri; profundum vero de superioribus incipere, et ad inferiora descendere. Consequenter igitur spiritus Dei, et per Moysem, et per Paulum ingentium sacramentorum figuras enunciat. Nam Paulus, quoniam descensionibus Christi mysterium praedicat, profundum nominavit, quasi de superioribus ad inferiora venientis; Moyses vero quia restitutionem designat eorum, qui per Christum de interitu, et perditione saeculi, tanquam de nece diluvii ex inferioribus ad superna, et coelestia revocantur, in mensura arcae non profundum memorat, sed altum, tanquam ubi de terrenis, et humilibus ad coelestia, et excelsa conscenditur.*

Id ipsum confirmant praeclara divi Chrysostomi verba, qui (*super Marc. hom. 14*) ait: *Legimus in Genesi, quia illa arca, quae facta est a Noe, trecentorum cubitorum habuerit longitudinem, et quinquaginta latitudinis, et triginta in altum. Videte sacramenta numerorum. In quinquagenario numero poenitentia demonstratur: siquidem quinquagesimo Psalmo David rex egit poenitentiam; in trecentis vero numeris crucis mysterium demonstratur. Diximus de arca, de quinquagenario, de trecentis numeris: dicamus de triginta, quoniam ipsa arca habebat altitudinis triginta cubitos, et in unum consummabatur. Videte, quid dicitur; primum agimus poenitentiam in quinquaginta, deinde per poenitentiam venimus ad crucis mysterium. Ad crucis mysterium veniamus per perfectum verbum, quod Christus est.*

Sed non est, cur in idem argumentum, quae sapienter scripsit d. Augustinus, praeteream: sic enim ille locutus est (*lib. 15. de Civitate Dei c. 26*): *Deus praecepit Noe, ut arcam faceret, in qua cum suis, idest, uxore, filiis, et nuribus, et cum animalibus, quae ad illum ex Dei praecepto, in arcam ingressa sunt, liberaretur a diluvii vastitate; procul dubio id figura est peregrinantis in hoc saeculo civitatis Dei, hoc est, Ecclesiae, quae fit salva per lignum, in quo pependit mediator Dei, et hominum, homo Christus Iesus. Nam et mensurae ipsae longitudinis, altitudinis, latitudinisque eius, significant corpus humanum, in cuius veritate ad homines praenunciatus est venturus. Humani quippe corporis longitudo a vertice usque ad vestigia sexies tantum habet, quam latitudo, quae est ab uno latere ad alterum latus; et decies tantum, quantum altitudo, cuius altitudinis mensura est in latere a dorso ad ventrem; velut si iacentem hominem metiaris supinum, seu pronum, sexies tantum longus est a capite ad pedes, quam latus a dextra in sinistram, vel a sinistra in dextram, et decies quam altus a terra. Unde facta est arca trecentorum in longitudine cubitorum, et quinquaginta in latitudine, et triginta in altitudine.*

Quartam figuram, et singularem valde reperio in verbis illis Genesis (*c. 13*): *Leva oculos tuos, et vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, et Meridiem, ad Orientem, et Occidentem, omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, et semini tuo, usque in sempiternum, faciamque semen tuum, sicut pulverem terrae. Si quis potest hominum numerare pulverem terrae, semen quoque tuum numerare poterit: surge ergo, et perambula terram in longitudine, et latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* Ecce non solum indicavit Deus Abrahamo quatuor extremitates crucis per quatuor orbis partes designatas, Septentrionem, Meridiem, Oriens, et Occidens; sed illum fecit propriis suis pedibus crucis figuram describere, dum enim ille ex divina iussione terram mensuravit ad Septentrionem in Meridiem, secundum longitudinem, lignum crucis longum descripsit. Cum vero mensuravit eandem secundum latitudinem, transversum lignum apposuit; unde opus erat ex illis figuram crucis resultare.

Quintam crucis figuram subministrant nobis verba illa eiusdem Geneseos: *Cum audisset Abraham captum Loth fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem, et octo, et persecutus est eos usque Chobal.* Hanc historiam exponentes sacri Doctores, ad Dominicam crucem illam referunt; praecipue tamen id praestiterunt sanctus Clemens Alexandrinus (*lib. 6. strom. cap. 4*), Rupertus (*in Gen. cap. 15. lib. 5*), necnon sanctus Isidorus Hyspalensis (*in Genesim cap. 10*), ubi ait: *Nec virtute legionum, sed tantum trecentis decem, et octo comitibus adversarios Principes debellavit Abraham. Iam tunc in sacramento crucis, cuius figura per T. litteram Graecam in numero trecentorum exprimitur, imaginabatur, quod nos Christi passio liberaret a dominatu quinque carnalium sensuum, qui nos antea vitiis captivatos exsuperaverant.* Latius tamen in variis locis hanc eandem figuram versans sanctus pater Ambrosius (*de Abraham lib. 2. cap. 7*), in hunc modum satis erudite eam explicat: *Numeravit Abraham trecentos decem, et octo vernaculos suos, et percussit eos, et persecutus est usque Chobal, quae est ad dexteram Damasci. Hic numerus vitalis est: in ipso enim vita, si credamus, in passione, in nomine Domini Iesu; nam haec est nominis interpretatio huius, quod diximus Chobal, idest, vita. Ipsa ad dexteram Damasci pulchre esse dicitur. Agni enim ad dexteram, haedi ad sinistram: scit exercitata mens, quos ad praelium sibi adhiberet, quibus armis instrueret, quibus ducat vexillis: non Aquilarum praeferens imagines, nec dracones; sed in cruce Christi, et in Iesu nomine progreditur ad praelium. Hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.* (*Libro autem primo de fide ad Gratianum cap. 9*) sermonem faciens de condemnatione haeresis Arianae a trecentis decem, et octo Patribus in Concilio Nicaeno factae, imperatorem alloquens, eique detegens, quae in numero illo trecentorum sacramenta latebant, haec dixit: *Accepisti sancte Imperator eos, qui talia asserunt iure damnatos, non humana industria, non compositione aliqua; sed trecenti decem, et octo, ut supra dixit, episcopi ad Concilium convenerunt; sed ut numero eorum, per signum suae passionis, et nominis, Dominus Iesus suo probaret se adesse Concilio, crux in trecentis, Iesu nomen in decem et octo est sacerdotibus.*

Sextam figuram Dominicae crucis praetulerunt ligna, quae Isaac super humeros portavit, cum ascenderet in montem, ut immolaretur a patre. Ita affirmant communi consensu Patres, Origenes (*in Genes. cap. 21. ho. 8*), Tertullianus (*advers. Marcionem cap. 13*), sanctus Cyrillus Alexandrinus (*in Evang. Ioan. lib. 3. cap. 17*), Chrysostomus (*in 22. Genes ho. 47*), Ambrosius (*de Abraham lib. 1. cap. 8*), Augustinus (*de tempore ser. 71*), Hieronymus (*in Ose. cap. 11*), Gregorius Papa (*in Ezech. lib. 1. hom. 6*), Anselmus (*in Matth. cap. 1*), et Beda (*in quaest. sup Genes*); brevitatis tamen causa solius Clementis Alexandrini, et Theophylacti testimonia in medium producam. Ille (*lib. 1. Paedagog. c. 5*) haec scripsit: *Ipse est Isaac, qui est typus, et figura Domini; puer quidem, ut filius Abrahae, quemadmodum Christus Filius Dei, hostia autem sicut Dominus. Sed non oblatus est, ut Dominus. Ligna solum sacrificii portavit Isaac, ut lignum Dominus. Mystice autem risit, praedicens fore, ut Dominus nos risu impleret, qui sanguine Domini ab interitu, et corruptione redempti sumus. Solummodo autem iure Isaac non passus est, qui primas passionis partes Verbo cesserit. Quin etiam significat Domini divinitatem, dum non fuit occisus. Surrexit enim post iusta facta funeris Iesus, non passus; quemadmodum Isaac dimissus est a sacrificio*; hactenus sanctus Clemens. Iam Theophylacti doctrinam subiungo: *Portans autem Iesus crucem suam egreditur. Abominabile enim putabant omnino vel lignum attingere. Et propterea condemnato, et maledicto lignum imponunt. Vide autem, et in veteri typo hoc factum. Isaac enim, et illic ligna portans, vadit, ut immoletur: ita, et hoc loco Dominus crucem habens, vadit; quasi miles arma gerit, quibus adversarium prosternat. Huius Isaac pater est Abraham. Pater multarum gentium, qui est Deus supra omnia, qui et Iudaeorum est pater, et gentium, cuius voluntate, et consilio crucem filius eius portat. Verumtamen in veteri, in sola voluntate Patris res stabat: figura enim erat; hoc autem loco, opere completur: Veritas enim erat fortassis, sicut illic Isaac dimissus est, et agnus immolatus; ita et hoc loco divina natura impassibilis mansit: humana natura, quae et agnus dicitur, quia Adae, erraticae ovis filius immolatur.*

Celebris deinde est apud Patres septima figura scalae, quam vidit Iacob: Genesis enim 28. sacer textus loquens de illo ait: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens coelum: angelos quoque Dei ascendentes, et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac.* Hanc scalam typum fuisse Dominicae crucis, praeter d. Hieronymum (*sup. Ps. 91*), et d. Cyrillum Alexandrinum (*in Io. lib. 8. cap. 17*), docuit expresse divus Augustinus (*serm. 79. de temp. feria quinta post secundam Domin. Quadrag.*) in haec verba: *Beatus Isaac mittens filium suum, typum Dei Patris habuit: Iacob, qui missus est, Christum Dominum designavit; lapis, quem ad caput habuit, et oleo unxit, et ipse significavit Dominum Salvatorem; scala usque ad coelos attingens crucis figuram habuit; Dominus innixus scalae, Christus crucifixus ostenditur.* Idem etiam d. Augustinus (*ser. 75*) in hunc modum figuram hanc illustrat: *Iacob dormiebat, et Dominum in cacumine scalae videbat incumbere. Quid est in scala incumbere, nisi in ligno pendere? Sed quare hoc in itinere factum est, antequam Iacob uxorem acciperet? quia, et verus Iacob, Dominus noster, prius in scala, idest cruce, accubuit, et postea Ecclesiam sociavit*; haec ille. Recte autem dixit, per mortem Ecclesiam sibi sociasse, quia licet die Incarnationis sponsalia de futuro cum ea contraxerit; in lecto tamen crucis, dicens, consummatum est, cum ea matrimonium consummavit. Quia vero gentilitatem in sponsam tunc accepit, recte D. Hieronymus (*sup. Ps. 91*) hanc scalae figuram elucidans, dixit: *Puto, crucem Salvatoris istam esse scalam, quam vidit Iacob. In ista scala descendebant angeli, et conscendebant; in ista scala descendunt Iudaei, et conscendunt Gentiles.*

Octavam figuram gessit baculus ille Iacob, de quo (*Genesis 22*) dicitur: *In baculo meo transivi Iordanem istum.* Ita d. Augustinus (*ser. de tempore c. 79*), venerabilis Beda (*in quaest. sup.*

*Genes.*), necnon Clemens Alexandrinus (*lib.* 3. *paedag.c.* 10), qui paucis verbis, subobscuris tamen, figuram hanc illustravit, dicens: *Iacob autem pascebat oves Laban, quae relictae fuerant, regale habens signum, virgam styracinam, quae per lignum meditabatur, naturam mutare in melius.* Difficultatem horum verborum tantam esse agnovit Gentianus Hervetus Commentator D. Clementis, ut sensum eorum se ignorare ingenue fateretur. In eo tamen praecipue haerebat, quod nullibi, ut ipse ait, legatur, virgam Iacobi fuisse styracinam. Verum in hoc secundo aperte fallitur, quia non solum Beda (*in quaest.sup.Genes.*), et d.Ambrosius (*de Iac. et vit. beat. lib.* 2. *c.* 4) testantur illam fuisse styracinam, sed et Septuaginta Interpretes id ipsum docuerunt (*super cap.*32. *Genes.*). Quoad primum vero, quod Hervetus ait de difficultate illorum verborum, assentior ei; aptior tamen, et germanior sensus illorum mihi videtur esse allegoricus; ita tamen, ut non legatur, *quae*, sed *qui per lignum*, typographorum enim errore forsitan est *quae* pro *qui*; vel, si legendum sit *quae*, consequenter dicendum perinde esse, *quae per lignum meditabatur*, ac si diceret, quae per lignum meditari faciebat. Hoc ergo supposito, per Iacobum Christus intelligitur, per virgam crux, quam ipse, ut princeps pastorum, gessit, quae proinde regale signum, instar sceptri, ei erat Hic ergo pastorum princeps, non secus ac Iacob, qui per virgas diversis coloribus distinctas agnos procreandos mutabat in melius, dum variis coloribus decorati prodibant, ita Christus per lignum crucis purpureo eius sanguine decoloratum, humanam naturam, dum a diaboli servitute in Christianam libertatem redigebat, in melius commutabat: quam intelligentiam verba d. Ambrosii praecitato loco mihi obscure indicare videntur: *Quasi mercenarius ingreditur iustus, et rector quaesitum gregem multarum, praestantissimarumque virtutum splendore fulgentem, evangelicae praedicationis ministerio colligebat, ut potaturis ovibus virgam styracinam, et nucinam, et de platano proponeret in canalibus, quo concupiscentes beatissimae Trinitatis praefigurata mysteria, haud quaquam decolores foetus, fide mentis conceptione formarent.* Verum ad baculum, seu virgam styracinam rediens, apte satis illa Dominicam crucem praesignabat: nam sicut styrax suavissimo odore fragrat, iuxta illud Plinii: *Ex Syria revehunt styracem acri odore in focis abigentes, suorum fastidium*; pariterque vim habet ad venefica animalia propulsanda, ut et ipse Plinius ibidem tradit, dum ait: *Eundem ad serpentes fugandos urunt in odoriferis sylvis frequentissimos.* Ita Christus Dominus per lignum crucis, ac per suavissimum eius odorem daemoniacos serpentes ab inculta huius mundi sylva foras abiecit, et fugavit, iuxta illud (*Ioan.*12): *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Hanc eandem styracis significationem expressis verbis probat (*praec. loco*) d. Ambrosius, dum dicit: *Per styracem significatur incensum, et sacrificium vespertinum, quod Deo Patri defertur in Psalmo.*

Nonam figuram praecedenti non dissimilem adiungo, virgam scilicet Moysis, per quam tam in seipsa, quam per eius effectus dominicam crucem praesignari eleganter cecinit in haec carmina celebris ille Arator poeta:

Quam bene vox Pauli cecinit praecepta lavacri,
Permiscens antiqua novis, nec epistola cessat,
Haec iterare docens: Patres baptismate nostri
In rubro fulsere freto sub nomine Mosis;
Per legem, cum petra simul sequeretur euntes.
Consule signa maris, quae mystica dona susurrant,
Temporibus ventura crucis, cum sanguine Iesus
Tinxit aquas, laterisque uno de vulnere fluxit;
Quod vitae tria dona daret, rubor aequoris ille
Causa futura fuit, sic conditor abluit omnes,
Sic emit: hic pretii color est in gurgite ponti,
Apparentque vado miracula debita ligno.

Verum et Patres hanc eandem virgae Moysis figuram variis modis diligenter illustrasse reperio: in primis enim, praeter d.Cyrillum Alexandrinum (*in Ioan. lib.* 8. *c.* 7), et sanctum Chrysostomum, d.Augustinus in plerisque locis illius meminit: nam (*in tractatu vigesimo sexto, et vigesimo octavo in Ioannem*) putat, virgam Moysis, bis petram percutientem, crucem adumbrasse, dum ait: *Gemina percussio duo ligna crucis significat.* Unde Severinus Cabalorum Episcopus, interrogans, cur semel, et iterum percussa fuit petra, respondet: *Ut crucis imaginem designet; hoc agit, percussit semel, et ait, sed non eodem modo, sed ita, ut formam crucis describeret, ut natura etiam inanimata crucis formam veneraretur;* hactenus ille. Nec tum temporis solum crucis signo usus est Moyses, sed etiam cum mare virga percussit, ut praeter auctoritatem Appiarii tradit d. Damascenus (*lib.* 4. *c.* 12), in haec verba dicens: *Virga Mosayca in similitudine crucis mare percussit, et salvavit Israel, Pharaonem autem submersit;* immo d. Augustinus (*de tempo. ser.* 90. *et* 101) inquit: *Nullum Moyses signum sine crucis sacramento peregit;* latius tamen (*de cathechis. tract.* 4. *c.* 3. *in fine*) in hunc modum loquitur: *Moyses figuram habuit Christi Domini, quoniam dux fuit populi. In virga agnoscite crucem, in mari rubro agnoscite baptismum Christi sanguine purpuratum; regem Aegyptiorum, populosque eius auctorem peccatorum, diabolum, cum omnibus ministris eius. Saevit diabolus, quando nos videt per aquam baptismi a sua oppressione liberari. Exclamate ad Moysen vestrum Dominum Christum, ut virga crucis percutiat mare baptismi. Revertatur aqua, et operiat Aegyptios: ut quemadmodum nullus remansit Aegyptiorum, nihil remaneat etiam vestrorum peccatorum; totum mundet, qui totum fecit, reparet perdita, qui creavit omnia integra, extinguat Pharaonem diabolum mortis auctorem, et suum populum liberet per aquam salutarem.*

Idem etiam Augustinus (*ser.* 86. *de tempore*) dixit: *Virga illa, fratres charissimi, crucis mysterium praeferebat: sicut enim per virgam Aegyptus decem plagis percutitur, ita et per crucem totus mundus humiliatur, et vincitur: et sicut Pharao, et populus eius per virgae sacramentum affligitur, ut ad serviendum Deo dimittat populum Iudaeorum: ita et diabolus, et angeli eius per crucis mysterium fatigantur, et premuntur, ut a Dei servitio revocare non possint populum Christianum:* hactenus d. Augustinus: quibus non dissimilia scripsit venerab. Beda (*in Exod. c.*14), dum ait: *Percussit virga Moyses aquas, et transierunt filii Israel. Rubrum mare significat baptismum Christi sanguine consecratum: virga autem, qua mare tangitur, crux Christi est, quam per baptismum accipimus: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum. Inimici sequentes cum Rege, qui a tergo moriuntur, praeterea peccata sunt, quae diluuntur, et diabolus in spirituali lavacro, idest baptismo, suffocatur.*

Addo sanctum Macharium dicentem: *Virga Moysis duplicem gerebat imaginem: nam hostibus occurrebat ut serpens mordens, et enecans; at Israelitis erat vice baculi, quo nitebantur; sic etiam verum lignum crucis, quod est Christus, hostium quidem spirituum nequitiae mors est, animarum vero nostrarum baculus, tuta sedes, et vita, in qua conquiescunt. Siquidem ante figura fuerunt, ut umbrae, quam hae res verae, quia cultus antiquus est umbra, et imago cultus praesentis.*

Sed et Cosmas Hierosolymitanus aliud singulare tradit de virga Moysis in haec verba: *Crucem figurans Moyses in recto, baculo rubrum mare dissecuit, Israeli pedibus eunti: hoc autem conversive Pharaonem curribus pulsans univit, in latitudine describens invincibile telum; ideo Christo canamus Deo nostro, quoniam glorificatus est.*

Nec solum hoc notavit hic celebris auctor, sed et antiqui Hebraeorum magistri; nam Rabbinus Isaac Abarbanel (*in exposit. super Pentatheucum*) dixit: *Ecce autem, quod virga in manu eius erat ad convertendum illam versus quatuor ventos: nam ducebat, ac retrahebat, elevabat, et remittebat, scilicet ut plaga ista, nempe culicum, foret per omnem locum.* Moysis ergo cum virgam vertebat versus quatuor ventos, opus certe erat signum crucis efformare. Atque huc etiam facit, quod reperi in antiquissimo libro Bibliothecae Vatic. Hebraeo idiomate manuscripto, ubi habentur haec verba in latinum sermonem fideliter translata: *Virgam hanc capies in manu tua, cum qua facies signa; accentus desuper ostendunt aliam virgam, quae non est ista, hic est Messias, qui vocatur sic: Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: hoc significat virgam hanc, idest Messiam, et ostendit futuram dicens, cum qua facies signa; haec dictio signa habet accentum supra, indicat autem miracula futura diebus Messiae, iuxta illud Isaiae capite trigesimo tertio: tunc aperientur oculi caecorum.*

Decimam crucis figuram gessit agnus paschalis veru transfixus, iuxta gravissimorum Patrum sententiam: sanctus enim Iustinus martyr (*in dial. cum Triph. iudaeo*) inquit: *Agnus namque assus, in figuram cruci similem conformatus, ad ignem torretur: nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum praefigitur, et aliud rursum secundum scapulas, ad quod suspenduntur manus agni*; haec ille, ad quae alludens d.Cyprianus (*de Coena Domini*), sapienter dixit: *Finem legalibus caeremoniis impositurus Dominus, parari sibi voluit Pascha, et ex consuetudine legis ea quaeri, quae solemnitas exigebat, agnum assum, panes azymos, et lactucas agrestes. Non oportet esse fermentarios novi testamenti ministros; puras, sincerasque mentes sanctum quaerit convivium. In veru crucis boni odoris assatio omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem, et induret, solidetque mentis affectus.*

Undecimam figuram tradunt alii Patres, columnam illam, quae antecedebat filios Israel, cum irent per desertum, ut habetur in Exodo: *Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo.* Hi sunt sanctus Clemens Alexandrinus (*stromat. lib.* 1. *c.* 13), et s. Chrysostomus. Ille ait: *Quin etiam ignis ille, qui columnae erat similis, et ignis ille, qui ingrediebatur per loca invia, et ad quae non patebat aditus, est symbolum, ac signum sanctae lucis, quae transit per terram, et in coelum rursus recurrit per lignum, per quam etiam datum est nobis per intelligentiam.*

Sanctus etiam Chrysostomus (*ser. de Moyse*) hoc idem confirmat his verbis: *Semper crucem habe ante oculos tuos radiantem, et purus a peccatis per id tempus abibis: nam sicut columna nubis, figura nostrae crucis, Hebraeorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Aegyptiis paterentur: ita et crux ante oculos visa omnem statim abigit malam voluptatem: haec enim salus est animae, foedarumque concupiscentiarum salubre antidotum.*

Idem (*libro de continentia Ioseph*) ait: *Sicut columna nubis figura nostrae crucis, Hebraeorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Aegyptiis paterentur, ita crux ante oculos visa, omnium statim abigit malam voluptatem.*

Ac tandem d. Gregorius Nazianzenus (*de exter. ho. utilit.*) inquit: *Ego autem, relictis omnibus rebus, crucem unam habeo, quae tanquam clarissima quaedam columna vitae meae praelucet.*

Duodecimam figuram desumo ex ligno, quod Moyses immisit in aquas Marath, ut illas dulces redderet, quod Rabbi Salomon, teste Abulensi, putat fuisse Adelpham, cuius figurae innumeri Patres meminere; praecipue tamen d. Prosper (*de praede. p.* 1. *c.* 28), dum ait: *Christianum, statim ut amarum passionis poculum biberit, ligni, et crucis dulcedine, omni amaritudine liberandum.* Origenes (*in Hierem. c.* 12. *ho.* 8) deinde eandem figuram his verbis illustrat: *Sicut lignum, quod missum est in amaram aquam, fecit dulcem; sic lignum passionis Christi missum in doctrinam eius, fecit panem illius dulciorem. Ante enim, quam immitteretur lignum in panem eius, quando tantummodo panis erat, et non erat lignum, in universa terra non exierat sonus eius; postea vero, quam assumpsit fortitudinem per lignum, tunc in universum orbem passionis eius disseminatus est sermo. In cuius figura, et aqua in veteri testamento ad tactum ligni dulcis effecta est.*

Idem d. Ambrosius (*sup. Apoc. cap.* 7) aliter eandem explicat in haec verba: *Post transitum maris rubri venerunt in Marath, ubi aquas amaras invenerunt, quas bibere non poterant, et ostendit Dominus Moysi lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versae sunt. Per*

*aquas amaras lex Moysis designatur; per lignum autem passionem Christi, eo quod in ligno crucis completa fuerit, debemus intelligere. Populus igitur, qui ex Aegypto egressus est, aquas amaras invenit; quia legem acceperunt, quam implere non potuerunt: sed gentibus ad fidem Christi venientibus amaritudo legis per passionem, et resurrectionem Christi in dulcedinem versa est, quae ab eis spiritualiter, non carnaliter intellecta est.*

Ac tandem idem argumenti genus pertractans d. Augustinus, inquit (*de temp. ser.* 90): *Ut ergo bibi posset aqua amara, ostendit Deus lignum, quod mittatur in eam, ut qui ex ea biberit, non moriatur, nec amaritudinem sentiat. Unde constat, quod si quis sine ligno vitae, idest sine mysterio crucis, sine fide Christi, sine intelligentia spirituali bibere voluerit, de legis litera, per amaritudinem moriatur. Haec sciens Paulus apostolus dicebat: quia litera occidit; hoc est operte dicere; quia aqua amara occidit, si non per spiritum in dulcedinem convertatur. Lignum ergo in aquam mittitur, ut in dulcedinem commutetur. Verum est fratres, tunc amaritudo ab aqua tollitur, quando crucis lignum baptismi sacramento coniungitur.*

Et, ut paucis plures Doctores referam, variis modis eandem elucidant Theodoretus (*in Exo. q.* 26), s. Hieronymus (*in Ezech. c.* 47), s. Ioannes Chrysostomus, s. Iustinus martyr, necnon et Tertullianus.

Decimam tertiam crucis figuram assignant Patres, manus Moysis in sublimi elevatas, ut vinceret Israel contra Amalech: nam praeter sanctum Iustinum martyrem (*in Dial. cum Triphone*), sanctum Ioannem Damascenum (*l.* 4. *orthod. fidei c.* 12), sanctum Gregorium Nissenum (*de vita Moysis*), sanctum Ioannem Chrysostomum (*orat.* 2. *de Trin.*), sanctum Hieronymum, sanctum Augustinum (*de Civit. Dei l.* 4. *cap.* 15. *et lib.*10. *cap.* 8. *et de temp. ser.*93), necnon sanctum Cosmam episcopum Hierosolymitanum.

Id etiam disertis verbis docuerunt alii multi Patres, praesertim tamen s. Cyrillus Alexandrinus, dum ait: *Ipsius crucis figuram, atque formam manibus extensi referens Moyses superbum Amalech pugnam scientem, atque in populum Dei ductantem exercitum, oratione ad Deum facta vicit.*

Sanctus Cyprianus in idem sic loquitur: *Quod exemplum perseverandi, et permanendi designatur in Exodo, ubi Moyses ad superandum Amalech, qui figuram portabat diaboli, in signo, et sacramento crucis, allevabat supinas manus. Nec vincere adversarium potuit, nisi postquam stabili in signo allevatis iugiter manibus perseveravit.*

Addo sanctum Isidorum sic loquentem (*in Exo. c.* 25): *Post haec Moyses ascendit in montem, et Iosue contra Amalech militat: tenet virgam Moyses, brachiaque sua in modum crucis extendit: sicque hostis, idest diabolus, viam coelestis patriae intercludere moliens, signo crucis Dominicae superatur. Dum levaret manus Moyses, vincebat Israel; rursus, si inclinasset, superabat Amalech: elevantibus enim nobis actus nostros ad coelum, rectores tenebrarum subiiciuntur; at contra remissis manibus, hoc est, terrenam conversationem sectantes hostis victor insequitur.*

Ac tandem non praetermittam egregia verba d. Gregorii Nazianzeni (*or.* 2 *de Pasc.*): *Haec si feceris, atque ita Aegypto excesseris, mihi crede, nubis columna tibi die, ac nocte iter praemonstrabit, asperitas deserti mitescet, mare tibi scindetur, Pharao aquis obruetur, panis pluviae instar fluet, petra scaturiet, Amalech opprimetur non armis tantum, sed etiam expansis Iustorum manibus, precationem simul atque insuperabile crucis trophaeum signantibus.*

Decimamquartam figuram valde singularem delego in unctione summi sacerdotis Hebraeorum: nam unctio illa in forma crucis fiebat, ut testantur antiquissimus Rabbinus Isaac Abarbanel in expositione supra Pentatheucum, necnon liber Menachot nuncupatus. Sed extat aliud antiquius eiusdem rei testimonium in Talmut (*tract. Cheretot, c.* 1), cuius verba haec sunt: *Quonam pacto ungebantur reges? respondit: Ungebantur, veluti corona circumcirca caput: sacerdotes vero, veluti X stillabatque oleum super caput Aaron, et hinc inde in quatuor partes descendebat, veluti quatuor pretiosae guttae. Iterum quaerit: Quid sibi vult Chi? respondit Rabbi Menascia, sicut figura: Chi, Graece X.*

Persimile est, quod noster Catalinus (*lib.* 2. *c.* 10) refert ex antiquissimis Hebraeis, benedictionem solitam fuisse dari in populo Dei in forma crucis, nominando sanctum Dei nomen, quatuor literarum: verba illius accipe: *Haec autem benedictio cum nomine Dei, quatuor literarum, quae cum tribus digitis ambarum palmarum erectis, et duobus depressis fiebat, ad designandam divinarum personarum trinitatem per ipsum nomen significatam, in Symeone iusto, qui Christum infantulum suscepit in ulnis, penitus defecit, ut Rabbi Moyses Maymonis filius in primo, et sexagesimo capitulo primae partis libri Morè attestatur his verbis: Ex quo mortuus est Symeon iustus, cessaverunt fratres eius, sacerdotes scilicet, cum nomine Dei quatuor literarum populo benedicere; erant autem post ipsum cum nomine duodecim literarum benedicentes.*

Decimaquintam Dominicae crucis figuram praeter Clementem Alexandrinum, et d. Augustinum, docuerunt me, palmitem esse cum uva, quem duo viri portaverunt in vecte, gravissimi, tres patres, Gregorius Nissenus (*de vit. Moy.*), s. Isidorus, et d. Ambrosius (*ser.* 72. *de natal.*): nam in primis s. Gregorius inquit: *Racemus enim ex ligno dependens quisnam alius erit, quam is, qui in novissimis saeculis ex ligno pependit? cuius sanguis potus factus est credentibus salutaris? Moyse id aenigmatice nobis praedicente: Sanguinem enim,* inquit, *uvae bibebant vinum: qua ex re salutaris Christi passio praenunciatur:* haec ille. S. autem Ambrosius (*ser.* 72. *de natal. s. Cypr.*) ait: *Sicut enim botrus redditurus vinum, prius in vinea quadam naturae arte suspenditur, ita et Christus redditurus vinum spirituale martyrii, in cruce quadam providentia divinitatis aptatur. Ipse plane botrus est, quem duo exploratores illi, hoc est, Iesus Nave, et Caleb filius Iophonae in phalanga ad filios Israel propriis humeris detulerunt; quod quidem factum iam tunc praefigurabat adventum Domini Salvatoris. Nam botrus in phalanga suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur: duo autem in phalanga, portantes uvam, duo populi demonstrantur, Christianus utique, et Iudaeus. Et sicut mos est portantium, unus praecedens, alter subsequens: ita prior Iudaeorum designatur populus, Christianorum secundus; et sicut antecedens, quod portat, non videt, et retrorsum idem semper habens quadam dorsi aversione contemnit; qui autem sequitur, semper id oculis perspicit, semper custodit obtutibus, semper corporis vicinitate potitur; ita ergo Iudaeus, et Christianus populus: Iudaeus enim prior est, Christum in lege portat, et retrorsum eum ponens, quadam dorsi aversione contemnit; unde ait Propheta: Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Christianus vero sequens populus, Christum semper oculis aspicit, semper custodit obtutibus, et quadam graduum suorum vicinitate complectitur, et quanto eum ille populus pravo itinere post se relinquit, tanto eum iste directo cursu festinat attingere.*



Uberius tamen sanctus Isidorus Hispal. (*in numer. cap.* 11) ad idem haec scripsit: *Ille autem botrus uvae, quem in ligno de terra repromissionis duo advexere vectores, quid significat? botrus pendens e ligno utique Christus est, ex ligno crucis promissus gentibus de terra Genitricis Mariae secundum carnem, terrenae stirpis visceribus effusus. Duo baiuli, qui sub onere botri illius incedebant, populus est uterque; cuius prior, Iudaicus caecus, et aversus, ignarus pendentis gratiae, et pressus onere suspensi, cui subiicitur iudicanti: qui vero posterior veniebat, populi Gentium gerebat figuram, qui credens, et Christum ante oculos habens, semper eum portans, videt, et quasi servus dominum, et discipulus magistrum sequitur; sicut ipse Dominus in Evangelio ait: Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, et sequatur me. Hic est autem botrus, qui effusus in salutem nostram, vinum sanguinis sui crucis contractione profudit, atque expressum suae passionis calicem Ecclesiae propinavit.*

Decimam sextam figuram aenei serpentis satis ab omnibus decantatam subiicio; curabo tamen singularia quaedam observatione digna adiungere, quae alii praeteriere. Et quidem, colubrum illum a Moyse exaltatum in ulcerum medelam, imaginem crucis gessisse perspicue docuit, qui ex illa crucifixus pependit dicens: *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis:* quae verba Severinus Episcopus sapienter perpendens, acute satis in haec verba prorupit: *Nonne credibilius erat, si dixisset Moyses: Si quis vestrum morsus fuerit, coelum suspiciat, aut tabernaculum Dei, et salutem assequetur? Verum his ille posthabitis, crucis tantum imaginem statuit: cur autem haec feceris Moyses, qui populo dixeras; non facies tibi sculptile, neque conflatile, neque similitudinem ullam earum rerum, quae sunt in coelo sursum, aut in terra deorsum; dic, obsecro, fidelissime Dei minister, quid quod aliis vetas, id ipse facis? quod praecipis everti, id ipse constituis? qui conflatum vitulum comminuisti, serpentem ipse ex aere conficis? at ille, inquit, mandavi, quo materiam impietatis exciderem, et ab Idolorum cultu populum abducerem; nunc autem serpentem utiliter conflo, ut eiusmodi experimento exercitatus populus, crucis imaginem, ac servatorem in ipsa pendentem praecognosceret:* hactenus Severinus. Iustinus martyr (*in Dialogo cum Trip.*), idipsum confirmans, eleganter dixit: *Hac quoque nota, et signo crucis Israeli contra serpentes morsu perimentes, statua apparet esse facta propter credentium salutem: quod iam inde ab eo tempore per eum, qui crucis supplicium pertulit, serpenti mors praesagio sit denunciata. Salus autem his, qui ab ipso morsu laesi ad eum confugiunt, a quo filius crucifixus in mundum est missus: non enim in serpentem nos credere per Moysen docuit Spiritus propheticus, quando illum a principio etiam maledictionis execratione a Deo mulctatum indicat.*

Accedit d. Cyrillus Alexandrinus (*in Ioan. l.* 8. *c.* 179), qui in hunc modum philosophatur: *Denique ipsa crux, lignum illud est, quo in desertum suspensus serpens aeneus omnibus ipsum inspicientibus sanitatem a morsu serpentum reddidit: nam quisquis oculos animi in Christum crucifixum convertit, ab omni vulnere peccati illico curabitur. Per ipsam denique crucem reddita est salus humano generi, facta est redemptio nostra, et reconciliatio; per ipsam allata est nostro medicina dolori, data est fortitudo, et robur homini, ut hac lorica obtectus, et galea, intrepidus ineat certamen cum hoste, quem Dominus noster crucis salutiferae beneficio foras eiecit, profligavit omnino, et penitus alligavit.*

Ad haec s. Gregorius Nazianzenus haec nobis contestata reliquit (*in pasch. oratione* 2): *At vero serpens aeneus adversus morsus serpentum suspenditur, non tam, ut Christi pro nobis passi typus, verum, ut antitypus, atque eos, qui ipsum intuentur, salvos fecit, dum non eum vivere, sed mortuum esse, simulque subditas sibi copias enecare persuasum habent: deletum nimirum, et extinctum, sicut merebatur. Et quod tandem illi congruens epitaphium canemus? ubi est mors stimulus tuus, ubi tua inferne victoria? crux te prostravit, vitae auctor tibi necem attulit, exanimis es, mortuus, immobilis, iners, serpentis licet figuram serves, in sublimi loco ignominiose pendes.*

Ac tandem consulto omittens alia, quae in hoc genere argumenti edixere sanctus Severinus apud d. Damascenum (*orat.*3. *de imagin.*), s. Gregorius Nyssenus (*de vit. Mos.*), Theodoretus (*q. in lib. Num. q.* 39), Beda (*in festo s. Crucis*), Tertullianus (*adver. Iudae. c.* 10. *et adv. Marcio. lib.* 2. *c.* 4), necnon et Theophanes (*ho. in Dom. ante exalt. s. crucis*), et s. Isidorus (*in Numer. cap.* 20), solum in medium producam, quae duo insignes Patres scripsere, sanctus scilicet Augustinus (*in Ioan. tract.* 12), et s. Ioan. Chrysostomus: ille enim (*in Evang. Ioan.*) sic loquitur: *Quid est exaltatus serpens, nisi mors Christi eo significandi modo, quo per efficientem id, quod efficitur, significatur? a serpente*

*quippe mors venit, qui peccatum, quo mori mereretur, homini persuasit; Dominus autem in carnem suam non peccatum transtulit, tanquam venenum serpentis, sed tamen transtulit mortem, ut esset in similitudinem carnis peccati poena sine culpa. Unde in carne peccati, et culpa salvaretur, et poena. Sicut ergo tunc, qui conspiciebat exaltatum serpentem, et a veneno sanabatur, et a morte liberabatur, sic nunc qui conformatur similitudini mortis Christi, per fidem, baptismumque eius, et a peccato per iustificationem, et a morte per resurrectionem liberatur: hoc est enim quod ait: Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*

Sancti autem Chrysostomi (*in c. 3. Ioan. ho.* 26) haec sunt aurea verba: *Num si ad aenei serpentis simulacrum aspicientes Iudaei, morte liberabantur, quanto maiori, qui in crucifixum credunt, beneficio fruentur? Neque enim quod crucifixus est, idcirco eum imbecillitatis arguas, neque Iudaeos, superiores dixeris, sed quod mundum Deus amavit: ideoque animale eius templum crucifixum est, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Vides crucis causam, et ex ea salutem? vides, ut figura veritati consentiat: illic mortem fugerunt Iudaei, sed temporalem, hic sempiternam fideles: illic ictus serpentum suspensus serpens sanavit, hic incorporei serpentis plagas Iesus crucifixus curavit; illic corporeis oculis suspicientes corporis salutem, hic incorporeis omnium peccatorum remissionem consecuti sunt: illic aes suspensum erat in serpentis effigie, hic Dominicum corpus a Spiritu formatum; serpens illic mordebat, et serpens sanabat, hic mors perdidit, et mors salvum fecit. Ad haec qui interimebat serpens, veneno saeviebat, qui liberabat, nullo: sic et hic: nam ea, quae perdebat mors, peccatum habebat, quemadmodum serpens venenum: Domini autem mors ab omni immunis erat peccato, ut aereus serpens veneno. Peccatum enim,* inquit, *non fecit, nec inventus est dolus in ore eius: hoc est, quod significavit Paulus:* Expolians principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso, *quemadmodum enim fortis athleta hostem alte erectum prosternens, clariorem facit victoriam; ita Christus toto orbe spectante hostiles conatus evertit; et qui in solitudine vulneratos curavit, eos ab omnibus feris in cruce suspensus, tutatus est.*

Ceterum, ne in referendis Patrum testimoniis multus sim, ad illam quaestionem sermonem converto a praesenti instituto minime alienam, qua ratione serpens Christum in cruce pendentem referat, cum ille a principio homini exitium attulerit, hic salutem; ille in errorem induxerit, hic veritatis viam demonstraverit. Obiectio haec d. Gregorium Nazianzenum ita permovit, ut putarit, colubrum illum aeneum non tam extitisse Christi typum, quam antitypum, ut ipse loquitur; in eoque dumtaxat Christum adumbrasse putat, quod sicut ille in ligno pependit, ita et Christus in cruce; cui sententiae assentiri etiam video d. Maximum: nam, ut inquit Theophanes ex sententia illius: *Suspensus serpens fuerat, ac lignum in quo elevatus est, crucem denotabat, aspectus autem illorum, qui percussi sunt, fidelium confessio est.* Adstipulatur etiam eidem d. Ambrosius (*ser.* 55. *de cruce*), ubi propterea inquit, Moysen suspendisse serpentem, et non aliud animal, quia cum diabolus sub specie serpentis Evam prius decepisset, oportebat, in poenam delicti ipsum crucifigi. At nos in illo serpente Christum praesignari autumantes, cum communi sanctorum Patrum doctrina egregias alias huius figurae rationes exhibemus. Prima ex d. Ambrosio (*de Spi. sancto lib.* 3. *c.* 9), qui in eo contemplatur similitudinem colubri in Christo, quod quemadmodum ille videbatur coluber, cum tamen re ipsa coluber non esset, ita Christus in cruce erectus, videbatur quidem peccator, re autem ipsa aliter se res habebat, cum ab omni labe peccati prorsus alienus esset: verba d. Ambrosii sunt haec: *Non verus, sed aeneus suspensus est serpens, quia in veritate quidem corporis, sed sine veritate peccati suscepit Dominus speciem peccatoris, ut per lubricum infirmitatis humanae simulando serpentem, depositis exuviis, veri destrueret serpentis astutiam.* Illa quoque ratione, ut egregie adnotavit Nicetas, serpens, quem in crucem Moyses sustulit, figuram Christi gessit, quoniam quemadmodum corporeus serpens non solum venenum habet, per quod qui ab eo icti fuerint, extinguuntur, sed etiam vitae pharmacum, quo in theriaca accepto, qui percussi fuerint, sanantur; sic Christus in cruce pendens, morte sua venenum diabolo propinavit, fidelibus autem pestiferis eius morsibus laceratis, probatissimum vitae antidotum exhibuit. Itaque apposite satis per serpentem voluit Moyses instar sapientis pharmacopolae Hebraeorum ulceribus mederi: nam sicut ille, ut probatissimam conficiat theriacam, viperarum, aut aliorum serpentium substantiam in eam immittit, non secus Moyses, ut praesentissimum antidotum, instar theriacae, ad Hebraeorum vulnera sananda eis exhiberet, antiqui serpentis figuram in eo immiscuit. Secundo arbitror id effecisse, tum ut Dei omnipotentiam ostentaret, dum eadem serpentis figura, per quam diabolus mundum sauciaverat, eadem vulnera ab eo inflicta Christus curaret; tum etiam, ut serpens ille eiusdem Christi Domini innocentiam commendaret, quia sicut ille coluber omnis culpae expers tunc fuit suspensus, non secus Christus Dominus, qui absque ullo prorsus culpae vestigio totam vitam traduxit, cum multiplici nomine impeccabilis esset, in crucem actus fuit.

Decimam septimam figuram exhibet nobis historia regis Hay in ligno suspensi, ut (*Iosue c.* 8) legimus. Illius meminere s. Isidorus Hyspalensis, et Origenes. Pro cuius intelligentia observandum est, quod iuxta septuaginta Interpretum expositionem lignum illud, in quo fuit appensus Hay, vocatur lignum geminum, quod secundum phrasim Chaldaicam crux dicitur, in quo singulare arcanum latet. Nam per regem Hay, diabolum praesignari, praeter Originem (*praecitato loco*) docuit s. Isidorus (*in allegato commentario in Iosue*), dum ait: *Haereticorum auctor, rex Hay, hoc est, diabolus: hic ergo, cum Christus Dominus in cruce actus*



*fuit, pariter et ille suspensus fuit. Unde etsi una fuit Dominica crux, merito gemina, seu geminum lignum nuncupatur, quia in ea non solum Christus crucifixus est corporaliter, sed et diabolus spiritualiter; sed ille sponte sua, hic invitus, et reluctans.* De prima cruce d. Petrus loquens dixit (1. *Pet.* 2): *Christus crucifixus, nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia eius.* De secunda vero d. Paulus (*ad Col.* 2) scripsit: *Delens chyrographum, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens cruci, exuens principatus, et potestates, libere triumphans eas.* Atque hanc geminam Christi, et diaboli crucem contemplatus Origenes acute dixit: *Duplex ratio Dominicae crucis: una illa, qua dicit Apostolus Petrus, quod Christus crucifixus nobis reliquit exemplum; secunda vero, qua crux illa trophaeum diaboli fuit, in quo crucifixus est, et triumphatus. Ideo et Apostolus Paulus dicebat: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Vide quia et hic Paulus duplicem crucis prodit rationem. Duo enim sibi contraria dicit, esse crucifixa, sanctum, et peccatorem mundum ad illam formam sine dubio, quam superius diximus, Christi, et diaboli. Nos enim mundo crucifigimur, tunc, cum veniens princeps huius mundi in nobis non invenit quidquam; et nobis mundus crucifigitur, cum peccati concupiscentias non recipimus.

Decimam octavam figuram adinvenit d. Augustinus (*serm. de temp. c.* 108), in arbore illa quercina, cuius mentio fit in lib. Iudicum, sub qua sedebat angelus Dei, quando apparuit Gedeoni. Adnotavit autem eruditus auctor Bosius, hanc non unam simplicem, sed triplicem figuram merito censeri debere, quia non solum arbor illa quercina praefigurabat Dominicam crucem, sed et virga, qua ipse frumentum excutiebat: necnon et virga illa alia, qua et angelus tetigit carnem, et panem azymum, quem Gedeon supra petram obtulerat, ex qua ignis prodiit: quae omnia perdocte s. Augustinus his verbis complexus est: *Angelus ille, qui venit ad Gedeon, in typum Salvatoris accipitur: arborem, sub qua stetit, et virgam, quam tenuit, crucem significasse, manifestum est. Petra illa, super qua Gedeon obtulit holocaustum, Christus erat. Sic enim ait Apostolus: Petra autem erat Christus. Haedus ille, qui oblatus est, humanam genus peccatis obnoxium designavit. Quod angelus virga sua tetegit petram, et exiit ignis, et consumpsit haedum illum; crux tetigit Christum, et de petra quae erat Christus, ignis extitit charitatis, qui humani generis peccata consumpsit.*

Decimanona figura sit illa, quae in ore omnium versatur, cythara David, cuius suavi concentu daemonem Saulis corpus obsidentem expellebat, ut (1. *Reg.*) legimus: *Quandocumque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, tollebat cytharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et melius habebat.* Hanc figuram in primis agnovit d. Augustinus (*in Apoc. hom.* 4) dicens: *Cythara, idest chorda in ligno extensa, significat carnem Christi passioni coniunctam.* Agnovit etiam eandem d. Isidorus (*sup.* 1. *Reg. c.* 9), dum inquit: *David adhuc puer, in cythara suaviter, immo fortiter canens malignum spiritum, qui operabatur in Saule compescuit: non quod cytharae illius tanta virtus erat, sed figura crucis Christi, quae de ligno, et de extensione nervorum mystice gerebatur, ipsaque passio cantabatur, iam tunc spiritum daemonis opprimebat.*

Novit tandem illam Beda, ut satis indicat allegorica illa sua expositio super Samuel: *Nec non, ait, putandum est, cytharam illam David, quamvis dulcissime resonantem, tantae potuisse virtutis existere, quae spiritus pelleret immundos, sed figura sanctae crucis, et ipsa, quae canebatur, passio Dominica, iam tunc diaboli refringebat audaciam; sicut et Aegypti vastator angelus, non propter sanguinis in foribus positi virtutem, sed quia idem sanguis typus fuit. Locus quoque medii liminis, superliminaris, et utriusque postis, qua iunctus erat, ipsam salutiferae crucis figuram exprimebat. Domus Hebraeorum, quas signatas vidit, illaesas transiit, divino praemonstrante consilio, venturum eum in carne, qui suo nos sanguine per crucem a morte liberaret.*

Vigesima crucis figura baculus fuit ille David, quem tulit in manu, cum in palestram descendit ad gigantem Goliath expugnandum. Hanc d. Ambrosius his verbis egregie illustrat: *Ipse nos David despectus ab Allophylo, quod adversus armatum praeliatorem cum virga, et lapidibus processisset, retulit non viribus se fretum esse, non armis, sed in nomine Domini confidentem, ad praelium esse progressum, ut lacessitae plebis auferret opprobrium. Hic ergo Iuvenis, atque despectus, stravit Allophylum, potitusque victoria in decem millibus iuvencularum psallentium testimonio triumphavit: gerebat enim typum eius, qui quasi despectus venturus erat in terras, ut sine legato, sine adiutore, sine nuncio totum populum mundi huius crucis suae praelio liberaret.*

Vigesimam primam tradit magnus p. Augustinus esse baculum, quo Gezi famulus Elisaei mortuum infantem illum contingens, ad vitam revocare tentavit: eius verba, tametsi non pauca, quia singulari eruditione, et pietate referta sunt, hic adscribam: *Baculus,* inquit, *sine Elisaeo nihil valebat, quia crux sine Christo nihil poterat; venit ergo b. Elisaeus, et ascendit in coenaculum, quo venturus erat Christus, et ascensurus crucis patibulum. Inclinavit se Elisaeus, ut puerum resuscitaret. Humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis iacentem erigeret. Misit Elisaeus oculos super oculos, manus super manus. Videte fratres, quantum se vir ille perfectae aetatis contraxit, ut parvulo mortuo, et iacenti congrueret. Quod enim Elisaeus in puero praefiguratus, hoc in toto genere humano Christus implevit, audi Apostolum dicentem: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem: quia parvuli eramus, parvulum se fecit: quia mortui iacebamus, pius se medicus inclinavit; quia et revera fratres, nemo potest iacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quod autem puer oscitavit, septiformis gratia sancti Spiritus ostenditur, quae humano generi, ut resuscitetur, in adventu Christi tribuitur. De*

*ipso Spiritu dicit Apostolus: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ipsum etiam Spiritum Dominus dedit Discipulis, quando insufflavit, et dixit: Accipite Spiritum sanctum. Os autem quodammodo super os posuit, quando insufflando spiritum dedit. Gratias ergo agamus piissimo Redemptori, qui nos nullis praecedentibus meritis suscitavit; et non solum de morte perpetua eripuit, sed etiam adiuvante gratia ipsius, si bene egerimus, aeterna praemia repromisit.*

Vigesimam secundam figuram contemplor lignum illud, quo in flumen Iordanis mittens illud Elisaeus, ferrum securis, quod in illud ceciderat, super aquam enatare fecit, et illud recuperavit, ut sacra tradit Regum historia. Hanc perpendens s. Iustinus martyr. (*in dial. cum Trip.*): *Lignum*, inquit, *ubi Elisaeus in amnem Iordanem proiecit, ferrum securis extulit, qua filii Prophetarum exiverant, ut ligna caederent ad structuram domus, ubi legem, et praecepta Dei commemorare, atque meditare constituerant; quemadmodum et nos, gravissimis peccatis, quae in nos admisimus, baptizatos atque submersos per supplicium capitale crucis in ligno, et per purificationem aquae Christus noster redemit, et domum orationis, et adorationis effecit.* His non dissimilia sunt illa alia d. Augustini: *Sed, nec Elisaeus ligni huius mystici virtutem penitus ignoravit, qui securim de manubrio in gurgitem lapsam, misso in flumine ligno, de profundo evocavit; significans utique dura corda, et ferreas hominum cervices, de profundo emersas errore, ligno crucis esse in posterum subiugandas. O crux, cuius tantus, ac talis decerpitur fructus.* Denique Tertullianus de eadem figura in hunc modum philosophatur: Cum filii Prophetarum super flumen Iordanem lignum securibus caederent, exiliit ferrum, et mersum est in lumine; atque ita Elisaeo propheta superveniente, petunt ab eo filii Prophetarum, uti ferrum flumine, quo mersum fuerat, erueret: atque ita Elisaeus accepto ligno, et misso in eum locum, ubi mersum fuerat ferrum, statim supernatavit, et lignum mersum est, quod receperunt filii Prophetarum: ex quo intellexerunt, quod Heliae spiritus in eo sit repraesentatus. Quid manifestius huius ligni sacramento? quod duritia huius saeculi mersa in profundo erroris, et a ligno Christi, idest passionis eius in baptismo liberatur, ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXVI.

*Prosequimur Dominicae crucis figuras alias non paucas recensentes, tam ex vetusto quam ex novo testamento, miraque crucis virtus aperitur, quam et egregia Patrum epitheta nos edocent.*

Ne in eo, quod pollicitus sum, deficere videar, si plerosque alios Dominicam crucem adumbrantes typos silentio praeteream, compellor in hac homilia, quae supersunt, crucis imagines breviter complecti, sanctorum Patrum doctrina illas perpoliens, et exornans. Prosequens autem inceptum argumentum ab expansis manibus Samsonis exordiar, quibus templi columnas evellens, hostes suos interfecit. Quam historiam versans d. Augustinus (*de temp. ser.* 107) dixit: *Caecitas ergo Samson, quam intulerunt, caecitatem Iudaeorum significabat; Christus autem a Iudaeis et comprehensus est, et occisus. Adduxerunt ergo eum inimici, ut illuderent ei, iam hic imaginem crucis attendite: expansis enim manibus ad duas columnas, quasi ad duo ligna crucis extendit, sed adversarios suos interemptos oppressit, et illius passio interfectio facta est persequentium. Et ideo Scriptura concludit: plures mortuus occidit, quam vivus occiderat. Nam hoc mysterio in Domino nostro Iesu Christo impletum est: Redemptionem nostram, quam ipse vivens minime celebraverat, mortuus consummavit.*

In duobus deinde lignis, quae vidua Sareptana collegit, idem s. Pater Augustinus (*ser.* 201 *et hom.* 18. *de temp.*) crucem Domini praesignari censuit, dicens: *Mulier illa typum gerebat Ecclesiae; et quia duo ligna Crucem faciunt, quaerebat moritura, unde semper esset victura.* Beda (*sup. Ge. c.* 41) annulum, quo signabat rex Aegypti, typum fuisse Dominicae Crucis in haec verba scripsit: *Iosue accepit quoque annulum, quo credentium salutis signo signantur animae, et in frontibus, et cordibus nostris per figuram crucis figura aeterni regis exprimitur.* Unde d. Chrysostomus (*hom. de vener. Crucis*) dicit: *Signaculum Crux appellata est, quod testamenta, et statuta divina omnia quae accepimus, hoc quasi signo quodam regio et annulo obsignamus.* D. Clemens Alexandrinus (*lib.* 5. *strom. c.* 3) in candelabro aureo templi auream Crucis imaginem intuetur dicens: *Habet aliud quoque aenygma aureum candelabrum, signi Christi, non figura sola, sed eo etiam quod lucem immittat multifariam, multisque modis, in eos, qui ipsum credunt, sperant, et respiciunt.*

Consentit s. Augustinus (*ep.* 209) in haec verba: *Dicebat Apostolus: Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Istud lumen erat illuminatum a lumine sempiterno ipso Domino nostro Iesu Christo, et in candelabro positum erat, quia in eius cruce gloriabatur.*

Idem etiam Augustinus diligentissimus Dominicae crucis figurarum investigator, in trecentis illis viris, qui vicerunt Madian, crucis umbram observavit: *Gedeon*, inquit, *fratres charissimi, typum gessit Domini Salvatoris: et quia trecenti, secundum Graecorum computum, crucem faciunt, ita tunc Gedeon trecentis viris Iudaeorum populum de crudelissimis gentibus eripuit. Quomodo postea Christus per mysterium crucis totum genus humanum de potestate diaboli liberavit.*



Subscribit d. Isidorus (*in alleg. sacr. scrip.*) dum ait: *Gedeon, qui cum trecentis viris perrexit ad praelium, typum Christi gestavit, qui in signo crucis de mundo victoriam reportavit. Trecentorum enim numero, qui iuxta Tau literam continetur, species crucis ostenditur.*

Deinde venerabilis Beda nuper citatus docet crucem praefigurari in arbore malogranato, sub quo rex Saul se constituit cum sexcentis militibus: *Ad indicium*, inquit, *virtutis pertinet, quod in Gabaa, idest in colle morabatur, quod sub malogranato, quod sexcentos habebat comites. Ut enim collis celsitudinem virtutum, maligranati tegmen protectionem Dominicae crucis: sex centenarius militum numerus perfectos spe, et operatione demonstrat. Verum, quod in extrema parte collis sedebat, quod arbor, cuius umbraculo tegebatur in Magron, idest in gutture, sita erat, minus perfectae adhuc signa sunt mentis, hoc est eius, quae nec dum plene desiderata potuit moenia subire virtutum; quae Dominicae Passionis mysterium ore tenet, sed imitari necdum valet.*

Idem etiam testatur (*praecit. loc. cap.* 9), altare Holocaustorum crucem Domini praesignificasse, in qua, velut in sacro altari, sui corporis holocaustum et victimam per mortem Deo Patri obtulit: verba eius sunt haec: *Aedificavit altare, ut celebrato super illud holocausto, pro peccato quoque populi, quod temere commiserat, interveniret. Aedificat Magister quisque perfectus in audientium corde fidem Dominicae passionis, ubi altare vivificae crucis sanguis ille pretiosus in remissionem fusus est peccatorum, manifesto cunctos informans exemplo: quia si Domini exitus mors, multo magis servi mortificare debent membra sua, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est simulacrorum servitus, et caetera talia, quae opera carnis, et sanguinis esse, nec fructui Spiritus sociari posse, manifestissime claret.*

Sanctus Isidorus per clavum, quem ligneum fuisse citandi Patres contestantur, quo Hiael Sysarae tempora terebravit, et confodit, eandem crucem praesignari autumat, cum ait: *Sysara, typus diaboli fuit, Hiael autem, quae ligno tempora eius transfodit, Ecclesiae typum expressit, quae per vexillum crucis diaboli imperium interfecit.* Subscribit etiam d. Augustinus inquiens: *Quae est illa mulier plena fiducia hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiae cruce Christi regna diaboli perimens.*

Sanctus Gregorius Nyssenus ingeniose satis lanceam, quam Saul contra David immisit, huic argumento in hunc modum aptat: *Percutit illum lancea, lancea autem lignum est ferro armatum; sed excipit illius loco murus lanceam. Per murum vero intelligimus terrenam aedificationem, qua corpus nobis innuitur, circa quod lignum videmus crucis, et ferrum. At David ille a Domino unctus, et rex a passione longe abest: divinitas enim cruce, et clavis non affligitur.*

Sed clariora alia testimonia reperio apud Rupertum, et Bedam: nam ille (*super librum primum Regum*) ait: *Potest specialiter cythara David crucem Domini, lancea Saul in pariete, clavos crucis vel ipsam militis lanceam, qua latus eius apertum est, figuraliter ostendere.*

Beda autem (*in Samuel l.* 3. *c.* 5) loquitur: *Potest specialiter cythara David crucem Domini, lancea Saul in pariete, clavos crucis, vel ipsam militis lanceam, qua latus eius apertum est, figuraliter ostendere.*

Sanctus Augustinus cathedram, in qua docebat David, de qua sacer textus ait. *David sedens in cathedra sapientissimus Princeps interpres ipse, est, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno, Christi Crucem praenotari observavit, dicens: Crux illa, schola erat, ibi docuit magister latronem lignum pendentis, cathedra facta est docentis.*

Sanctus Isidorus in lignis cedrinis, quibus rex Salomon aedificavit parietes templi, ut habetur (*l.* 3. *Regum*), Dominicam crucem contemplatur: *Porro*, inquit, *quod parietes templi interius ligno teguntur, hoc ob mysterium Dominicae crucis imaginatum est, sub cuius tutela proteguntur omnes Sancti; qui indiruptae pacis perseverantia, tanquam lapides vivi in structura Ecclesiae unitate fidei solidantur.*

Idem praeterea sanctus Isidorus (*eodem lib. cap.* 3) in eo, quod Salomon disputarit a cedro, quae est in Lybano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete, eandem Dominicam crucem exprimi putat in haec verba: *Disputavit autem Salomon a cedro usque ad hyssopum: cedri nomine celsitudo gloriae in electis accipitur, sicut et Propheta testatur, dicens: Iustus, ut palma florebit, et sicut cedrus, quae in Lybano est, multiplicabitur. Hyssopus autem herba humilis est saxo haerens, qua signatur humilitas Christi. Redemptor quippe noster a cedro usque ad hyssopum disputavit, quia ab alta excellentia caelestis gloriae usque ad carnis humilitatem descendendo pervenit: siquidem et cedri nomine pravorum superba elatio designatur, sicut per David dicitur; vox Domini confringentis cedros. A cedro itaque Christus usque ad hyssopum disputavit, quia ipse pravorum corda, et humilium iudicat; super ligna autem disputavit, dum in cruce pependit. Tunc enim in cedro saeculi arrogantiam inclinavit, quando eam usque ad hyssopi humilitatem, idest usque ad crucis stultitiam, ac contemptibilem fidem deduxit.*

His figuris, quarum antiqui Patres meminere, alias, quas illi praeterierunt, nostrum erit adiungere. Insuper ergo aurea Assueri regis virga, ad quem nulli accedere licebat, nisi prius tactu eius aditum insinuasset, Christi crucem adumbrabat, cuius virtute, nisi prius mortalium corda divinitus tangantur, in Deum, prout oportet ad salutem, nulla ratione converti possunt; Arcus praeterea variis coloribus insignitus in symbolum pacis, et pignus reconciliationis inter Deum, et hominem caelitus datum; Clavis Isaiae, ad servandos Eccle-

*ipso Spiritu dicit Apostolus: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ipsum etiam Spiritum Dominus dedit Discipulis, quando insufflavit, et dixit: Accipite Spiritum sanctum. Os autem quodammodo super os posuit, quando insufflando spiritum dedit. Gratias ergo agamus piissimo Redemptori, qui nos nullis praecedentibus meritis suscitavit; et non solum de morte perpetua eripuit, sed etiam adiuvante gratia ipsius, si bene egerimus, aeterna praemia repromisit.*

Vigesimam secundam figuram contemplor lignum illud, quo in flumen Iordanis mittens illud Elisaeus, ferrum securis, quod in illud ceciderat, super aquam enatare fecit, et illud recuperavit, ut sacra tradit Regum historia. Hanc perpendens s. Iustinus martyr. (*in dial. cum Trip.*): *Lignum*, inquit, *ubi Elisaeus in amnem Iordanem proiecit, ferrum securis extulit, qua filii Prophetarum exiverant, ut ligna caederent ad structuram domus, ubi legem, et praecepta Dei commemorare, atque meditare constituerant; quemadmodum et nos, gravissimis peccatis, quae in nos admisimus, baptizatos atque submersos per supplicium capitale crucis in ligno, et per purificationem aquae Christus noster redemit, et domum orationis, et adorationis effecit.* His non dissimilia sunt illa alia d. Augustini: *Sed, nec Elisaeus ligni huius mystici virtutem penitus ignoravit, qui securim de manubrio in gurgitem lapsam, misso in flumine ligno, de profundo evocavit; significans utique dura corda, et ferreas hominum cervices, de profundo emersas errore, ligno crucis esse in posterum subiugandas. O crux, cuius tantus, ac talis decerpitur fructus.* Denique Tertullianus de eadem figura in hunc modum philosophatur: Cum filii Prophetarum super flumen Iordanem lignum securibus caederent, exiliit ferrum, et mersum est in lumine; atque ita Elisaeo propheta superveniente, petunt ab eo filii Prophetarum, uti ferrum flumine, quo mersum fuerat, erueret: atque ita Elisaeus accepto ligno, et misso in eum locum, ubi mersum fuerat ferrum, statim supernatavit, et lignum mersum est, quod receperunt filii Prophetarum: ex quo intellexerunt, quod Heliae spiritus in eo sit repraesentatus. Quid manifestius huius ligni sacramento? quod duritia huius saeculi mersa in profundo erroris, et a liguo Christi, idest passionis eius in baptismo liberatur, ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXVI.

*Prosequimur Dominicae crucis figuras alias non paucas recensentes, tam ex vetusto quam ex novo testamento, miraque crucis virtus aperitur, quam et egregia Patrum epitheta nos edocent.*

Ne in eo, quod pollicitus sum, deficere videar, si plerosque alios Dominicam crucem adumbrantes typos silentio praeteream, compellor in hac homilia, quae supersunt, crucis imagines breviter complecti, sanctorum Patrum doctrina illas perpoliens, et exornans. Prosequens autem inceptum argumentum ab expansis manibus Samsonis exordiar, quibus templi columnas evellens, hostes suos interfecit. Quam historiam versans d. Augustinus (*de temp. ser.* 107) dixit: *Caecitas ergo Samson, quam intulerunt, caecitatem Iudaeorum significabat; Christus autem a Iudaeis et comprehensus est, et occisus. Adduxerunt ergo eum inimici, ut illuderunt ei, iam hic imaginem crucis attendite: expansis enim manibus ad duas columnas, quasi ad duo ligna crucis extendit, sed adversarios suos interemptos oppressit, et illius passio interfectio facta est persequentium. Et ideo Scriptura concludit: plures mortuus occidit, quam vivus occiderat. Nam hoc mysterio in Domino nostro Iesu Christo impletum est: Redemptionem nostram, quam ipse vivens minime celebraverat, mortuus consummavit.*

In duobus deinde lignis, quae vidua Sareptana collegit, idem s. Pater Augustinus (*ser.* 201 *et hom.* 18. *de temp.*) crucem Domini praesignari censuit, dicens: *Mulier illa typum gerebat Ecclesiae; et quia duo ligna Crucem faciunt, quaerebat moritura, unde semper esset victura.* Beda (*sup. Ge. c.* 41) annulum, quo signabat rex Aegypti, typum fuisse Dominicae Crucis in haec verba scripsit: *Iosue accepit quoque annulum, quo credentium salutis signo signantur animae, et in frontibus, et cordibus nostris per figuram crucis figura aeterni regis exprimitur.* Unde d. Chrysostomus (*hom. de vener. Crucis*) dicit: *Signaculum Crux appellata est, quod testamenta, et statuta divina omnia quae accepimus, hoc quasi signo quodam regio et annulo obsignamus.* D. Clemens Alexandrinus (*lib.* 5. *strom. c.* 3) in candelabro aureo templi auream Crucis imaginem intuetur dicens: *Habet aliud quoque aenygma aureum candelabrum, signi Christi, non figura sola, sed eo etiam quod lucem immittat multifariam, multisque modis, in eos, qui ipsum credunt, sperant, et respiciunt.*

Consentit s. Augustinus (*ep-*209) in haec verba: *Dicebat Apostolus: Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Istud lumen erat illuminatum a lumine sempiterno ipso Domino nostro Iesu Christo, et in candelabro positum erat, quia in eius cruce gloriabatur.*

Idem etiam Augustinus diligentissimus Dominicae crucis figurarum investigator, in trecentis illis viris, qui vicerunt Madian, crucis umbram observavit: *Gedeon*, inquit, *fratres*



*charissimi, typum gessit Domini Salvatoris: et quia trecenti, secundum Graecorum computum, crucem faciunt, ita tunc Gedeon trecentis viris Iudaeorum populum de crudelissimis gentibus eripuit. Quomodo postea Christus per mysterium crucis totum genus humanum de potestate diaboli liberavit.*

Subscribit d. Isidorus (*in alleg. sacr. scrip.*) dum ait: *Gedeon, qui cum trecentis viris perrexit ad praelium, typum Christi gestavit, qui in signo crucis de mundo victoriam reportavit. Trecentorum enim numero, qui iuxta Tau literam continetur, species crucis ostenditur.*

Deinde venerabilis Beda nuper citatus docet crucem praefigurari in arbore malogranato, sub quo rex Saul se constituit cum sexcentis militibus: *Ad indicium*, inquit, *virtutis pertinet, quod in Gabaa, idest in colle morabatur, quod sub malogranato, quod sexcentos habebat comites. Ut enim collis celsitudinem virtutum, maligranati tegmen protectionem Dominicae crucis: sex centenarius militum numerus perfectos spe, et operatione demonstrat. Verum, quod in extrema parte collis sedebat, quod arbor, cuius umbraculo tegebatur in Magron, idest in gutture, sita erat, minus perfectae adhuc signa sunt mentis, hoc est eius, quae nec dum plene desiderata potuit moenia subire virtutum; quae Dominicae Passionis mysterium ore tenet, sed imitari needum valet.*

Idem etiam testatur (*praecit. loc. cap.* 9), altare Holocaustorum crucem Domini praesignificasse, in qua, velut in sacro altari, sui corporis holocaustum et victimam per mortem Deo Patri obtulit: verba eius sunt haec: *Aedificavit altare, ut celebrato super illud holocausto, pro peccato quoque populi, quod temere commiserat, interveniret. Aedificat Magister quisque perfectus in audientium corde fidem Dominicae passionis, ubi altare vivificae crucis sanguis ille pretiosus in remissionem fusus est peccatorum, manifesto cunctos informans exemplo: quia si Domini exitus mors, multo magis servi mortificare debent membra sua, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est simulacrorum servitus, et caetera talia, quae opera carnis, et sanguinis esse, nec fructui Spiritus sociari posse, manifestissime claret.*

Sanctus Isidorus per clavum, quem ligneum fuisse citandi Patres contestantur, quo Hiael Sysarae tempora terebravit, et confodit, eandem crucem praesignari autumat, cum ait: *Sysara, typus diaboli fuit, Hiael autem, quae ligno tempora eius transfodit, Ecclesiae typum expressit, quae per vexillum crucis diaboli imperium interfecit.* Subscribit etiam d. Augustinus inquiens: *Quae est illa mulier plena fiducia hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiae cruce Christi regna diaboli perimens.*

Sanctus Gregorius Nyssenus ingeniose satis lanceam, quam Saul contra David immisit, huic argumento in hunc modum aptat: *Percutit illum lancea, lancea autem lignum est ferro armatum; sed excipit illius loco murus lanceam. Per murum vero intelligimus terrenam aedificationem, qua corpus nobis innuitur, circa quod lignum videmus crucis, et ferrum. At David ille a Domino unctus, et rex a passione longe abest: divinitas enim cruce, et clavis non affigitur.*

Sed clariora alia testimonia reperio apud Rupertum, et Bedam: nam ille (*super librum primum Regum*) ait: *Potest spectaliter cythara David crucem Domini, lancea Saul in pariete, clavos crucis vel ipsam militis lanceam, qua latus eius apertum est, figuraliter ostendere.*

Beda autem (*in Samuel l.* 3. *c.* 5) loquitur: *Potest specialiter cythara David crucem Domini, lancea Saul in pariete, clavos crucis, vel ipsam militis lanceam, qua latus eius apertum est, figuraliter ostendere.*

Sanctus Augustinus cathedram, in qua docebat David, de qua sacer textus ait. *David sedens in cathedra sapientissimus Princeps interpres ipse, est, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno, Christi Crucem praenotari observavit, dicens: Crux illa, schola erat, ibi docuit magister latronem lignum pendentis, cathedra facta est docentis.*

Sanctus Isidorus in lignis cedrinis, quibus rex Salomon aedificavit parietes templi, ut habetur (*l.* 3. *Regum*), Dominicam crucem contemplatur: *Porro*, inquit, *quod parietes templi interius ligno teguntur, hoc ob mysterium Dominicae crucis imaginatum est, sub cuius tutela proteguntur omnes Sancti; qui indiruptae pacis perseverantia, tanquam lapides vivi in structura Ecclesiae unitate fidei solidantur.*

Idem praeterea sanctus Isidorus (*eodem lib. cap.* 3) in eo, quod Salomon disputarit a cedro, quae est in Lybano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete, eandem Dominicam crucem exprimi putat in haec verba: *Disputavit autem Salomon a cedro usque ad hyssopum: cedri nomine celsitudo gloriae in electis accipitur, sicut et Propheta testatur, dicens: Iustus, ut palma florebit, et sicut cedrus, quae in Lybano est, multiplicabitur. Hyssopus autem herba humilis est saxo haerens, qua signatur humilitas Christi. Redemptor quippe noster a cedro usque ad hyssopum disputavit, quia ab alta excellentia caelestis gloriae usque ad carnis humilitatem descendendo pervenit: siquidem et cedri nomine pravorum superba elatio designatur, sicut per David dicitur; vox Domini confringentis cedros. A cedro itaque Christus usque ad hyssopum disputavit, quia ipse pravorum corda, et humilium iudicat; super ligna autem disputavit, dum in cruce pependit. Tunc enim in cedro saeculi arrogantiam inclinavit, quando eam usque ad hyssopi humilitatem, idest usque ad crucis stultitiam, ac contemptibilem fidem deduxit.*

His figuris, quarum antiqui Patres meminere, alias, quas illi praeterierunt, nostrum erit adiungere. Insuper ergo aurea Assueri regis virga, ad quem nulli accedere licebat, nisi prius tactu eius aditum insinuasset, Christi crucem adumbrabat, cuius virtute, nisi prius mortalium corda divinitus tangantur, in Deum, prout oportet ad salutem, nulla ratione converti possunt; Arcus praeterea variis coloribus insignitus in symbolum pacis, et pignus reconciliationis inter Deum, et hominem caelitus datum; Clavis Isaiae, ad servandos Eccle-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

siae thesauros, et reserandos caelestes; Sceptrum Ioseph proregis Aegypti, cuius fastigium adoravit Iacob, praevidens in summitate crucis Christi, quam figurabat, sanctissimum Iesu nomen collocandum; Funda, qua gigantem Goliath humilis David percussit, et Gladius, quo caput eius praecidit; Palma, victoriae symbolum, ad quam promiserat sponsus ascendere; Funiculus coccineus a fenestra pendens in signum liberationis; Tau, quo tanquam singulari nota divina iussione insigniebantur, qui ab angelo percutiente indemnes, et illaesi praetermittendi erant, crucem Dominicam mirifice exprimunt; Terebynthus, sub qua Iacob infodit Deos alienos, quia extincta est omnis idololatria virtute crucis, de qua dicitur (*Eccles.*24.) *Ego, quasi terebynthus extendi ramos meos.* Illa trium propaginum vitis (*Genes.*40) quae symbolum est redemptionis, quatenus per illum signata erat restitutio pincernae, humani generis reparationem praenotavit. Quid plura? nonne Crux virga Ionathae, qua mel comparavit, cum per Crucis mortem Christus Dominus, et corporis, et nominis gloriam obtinuerit? nonne quercina arbor, ex qua pulcher Absalon suspensus fuit, et tribus lanceis confossus tres Christi clavos adumbrantibus, quibus transfixus fuit?

Ad extremum clypeus certe, quem ex mandato Dei Iosue levavit in altum ad vincendum regem Hay, manifestam Crucis imaginem gerit, qua mediante in altum levata, tamquam inexpugnabili clypeo verus Iosue, Christus Dominus Principem tenebrarum, id enim significat Hay, ut notavit Origenes, devicit, et universum eius exercitum profligavit. Persimilis est huic figurae alia, quae ex levatione signi, de quo Isaias (*c.* 18): *Cum elevatum fuerit signum in montibus*, apte desumitur, cum per illam Crucis Christi levatio praesignetur, iuxta illud (*Isa.* 12): *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Cui non parum favet additio ad Glossam ordinariam in praecitato loco Isaiae, ut docet Hieronymus ibi: lignum videlicet illud, in modum vexilli, erectum fuisse in monte obscuro, et caliginoso, quod et Crucifero Christi vexillo etiam accidit, cum tempore crucifixionis, et mortis eius, non solum montem Calvarium, sed et universam terram densissimae tenebrae operuerint.

Porro reliquum est, ut crucis imagines, et figuras, quae ex evangelica lectione colligi possunt, continuo subiiciamus. Licet enim Christus Dominus vetustis illis figuris finem imponeret, dicens: *Consummatum est*, ut adnotarunt d. Hilarius (*sup. Io.* 19), et antiquissimus Arnoldus Abbas (*de septem ver. Dom. ut habetur in Bibliotheca Sanctorum*), antequam tamen in crucem ageretur, nonnulla praemitti voluit, quae illam praesignarent. In quorum numerum primum refero, iuxta sententiam d. Augustini, arborem sycomorum, in quam Zacchaeus ascendit, ut Christum Dominum intueri posset: nam sicut sycomorus latine interpretatur, *ficus stulta*, et tamen iuvamen praebuit Zacchaeo, ut Christum Dominum videre posset: ita per stultitiam crucis placuit Deo salvos facere credentes. Secundo ut s. Augustinus indicavit (*super Ioa. tract.* 11), Candelabrum, in quo ponenda erat lucerna, et non sub modio, ut Christus Dominus praedixit *Mattaei* 5. *Marci* 4. *Lucae* 8. *et* 11. Dominicam crucem praefigurabat. Loquens enim de Christo Domino illam super humeros baiulante, sic ait: *Ipsam suam crucem suo gestiens humero commendabat, et lucernae arsurae, quae sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat:* et (*libro de diversis sermone* 92), et (*de quinque haeresibus cap.* 7): *Suis discipulis dixit Dominus: Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Domus, mundus est; Candelabrum, Christi Crux est; lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens.* Tertio in eundem numerum refero ligneum feretrum, in quo defunctus Iuvenis, quem Christus Dominus suscitavit, gestabatur: nam Dominicae crucis typum gessisse magnus Pater Ambrosius (*super c.*7.*Lucae*) in haec verba luculenter edocuit: *Mortuus in loculo materialibus quatuor ad sepulcrum ferebatur elementis, sed spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno; quod etsi nobis ante non proderat, tamen postquam Iesus id tetigit, proficere coepit ad vitam, ut esset indicio salutem populo per Crucis patibulum refundendam. Audito igitur Dei verbo, steterunt acerbi illi funeris portitores; qui corpus humanum lethali fluxu naturae materialis urgebant. Quid enim aliud, nisi quasi in quodam feretro, hoc est supremi funeris instrumento iacemus exanimes, cum vel ignis immodicae cupiditatis exaestuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam terreni corporis hebetudine vigor hebetatur animorum, vel concreta noster spiritus labe, purae lucis vacuus mentem alit.* Quarto alii crucis imaginem in navi illa, de qua d. Matthaeus (*c.* 14): *Navicula in medio mari iactabatur fluctibus*, delegunt, a quo non abhorrent verba d. Ambrosii (*lib.*1. *de Spiritu sancto c.* 8) dum ait: *Lignum illud crucis, velut quaedam nostra navis salutis, vectura nostra est.* Clarius tamen d. Augustinus (*de divers. serm.* 22) idipsum tradit dicens: *Multum est ad te, quia infirmos oculos habes, intuere solem, lucernam vide: suis enim discipulis dixit Dominus: Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt; domus, mundus est; candelabrum Christi crux est; lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens.*

Et paulo inferius haec subdit: *Surrexit a mortuis, ut pro discipulis in Ecclesia, tanquam in navi constitutis, et fide crucis suae tanquam in ligno portatis, et tentationibus huius saeculi, tanquam fluctibus maris periclitantibus solus oraret.*

Tandem inauditam quandam, et singularem Dominicae crucis figuram apud duos gravissimos Patres reperio, sanctum scilicet Gregorium Nyssenum (*ora.* 1. *in Christi resurr.*), et sanctum Chromatium (*in Matt. cap.* 5). Affirmant enim hi Christi Domini crucem adumbratam fuisse in iota illo, et apice, quorum meminit Christus Dominus, cum dixit (*Matth.* 5): *Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum, et terra, iota unum, aut unus apex non praeteribit a*



*lege, donec omnia fiant.* Divus enim Chromatius ait: *In iota, vel apice legis, crucis quoque sacramentum potest intelligi, quia iota, et apex, quandam in se imaginem crucis ostendunt.* Fusius tamen sanctus Gregorius Nyssenus (*loco praecitato*) sic philosophatur: *Idem mea quidem sententia significat etiam iota illud, si cum apice coniunctum consideretur, quod de coelo stabilius, et terra firmius, et omnium rerum constitutione certius est. Coelum enim, et terra transibunt, et huius mundi figura praeterit. Iota autem ex lege, et apex unus non praeterit. Linea recta e sublimi in imum descendens, iota dicitur; oblique autem latera pertingens, apex nominatur: id, quod ab ipsis navigantibus licet discere, qui lignum illud transversum, malo adiacens, cui vela suspenduntur, graece eodem nomine, quo apicem nominant, nempe κεραίαν. Quamobrem divina haec evangelii verba mihi videntur in crucis figura, tanquam aenygmate, et speculo quodam illud ostendere, in quo omnia constiterunt, quod omnibus, quae in ipso continentur, stabilius est, atque aeternum; cuius potentia cuncta moderatur. Proinde Dominus ait, oportere filium hominis non simpliciter mori, sed crucifigi; ut crux Deum gestans adversariis omnipotentiam illius, qui in ipsa penderet, et vim, quique omnia in omnibus est, figura sua patefaceret.*

Hanc horum Patrum intelligentiam, et expositionem, animadverto, non leve fundamentum in humanis literis habere: nam iota est litera quaedam graeca persimilis huic I, qua Latini utuntur, apex vero apud Ethnicos significabat virgam rectam, quam in summitate pilei eorum flamines gestare soliti erant, ad quod alludens Valerius Maximus de cultu Deorum scribens dixit: *At Sulpitio, qui flamen, seu sacerdos erat, inter sacrificandum e capite apex prolapsus, eidem sacerdotium abstulit.* Eiusdem etiam virgae, aut apicis meminit Virgilius, cum fingens, per caput Ascanii Aeneae filii irradiantem flammam visam fuisse, in hunc modum cecinit:

Ecce levis summo de vertice visus Iuli,
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.

Latini etiam consueverunt *apicem* appellare accentum illum, qui imponi solet supra vocalem ad indicandum verbum longum, aut breve esse; cuius, ut videre est in Quintiliano, et aliis, nihil aliud est, quam linea quaedam transversa: coniuncta ergo haec duo I, et apex, figuram crucis perspicue ostendunt. Unde ad id respicientes Gregorius Nyssenus, et sanctus Chromatius praecitato loco, dixerunt, in iota, et apice Dominicam crucem praesignari.

Porro iam de mirifica crucis virtute nonnulla, prout promisimus, apponamus, inchoantes a percelebri poeta Ecclesiastico Prudentio in hymno, *ante somnum:* ubi in hunc modum cecinit:

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signes:
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebrae
Tali dicata signo,
Mens fluctuare nescit:

et paucis quibusdam interpositis subdit:

Discede, Christus hic est,
Hic Christus est, liquesce;
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.

Sanctus Martialis haec de Dominicae crucis virtute scripsit: *Crucem Domini, in quem credidistis Deum verum, et Dei Filium semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux Domini, armatura vestra invicta contra satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, et angelicas insidias perversae potestatis sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo coelestis victoria data est nobis, et per crucem baptisma Dei sanctificatum est.*

Sanctus etiam Cyrillus Hierosolymitanus (*catech.*13) id ipsum his verbis confirmat: *Triumphavit enim de illis in hoc signo, ostenta illud audacter: quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi, metuunt enim eum, qui contrivit capita draconis. Neque propterea, quod est gratuitum, contemnas hoc signaculum, sed ideo magis venerare benefactorem.*

Non dissimilia tradit sanctus Iustinus martyr (*in dial. cum Triphone*) dum ait: *Cum populus bellum gereret adversus Amalech, et Nave, filius Iesu nomine cognominatus inter primos pugnaret, Moyses ipse Deum orabat, manibus utrinque expansis; Hur autem, et Aaron eas die toto sustinebant, ne ipso defatigato demitterentur. Nam si quidquam remittebatur de signo isto crucem imitante, prout in Moyse literis est scriptum, populus vincebatur; sin in statu isto permanebat, Amalech superabatur; et qui fortis erat, per crucem fortis, rem praeclare gerebat; non enim propterea, quod Moyses ita orabat, populus in praelio superior erat, sed quod nomine Iesu in prima acie versante, ipse crucis signum designabat.*

Origenes in idem eleganter dixit (*de cant. Moys. Exod. c.* 15. *ho.* 6): *Quid timent daemones, quid tremunt? sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum, et potestates. Timor ergo, et tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum, et magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in cruce, sicut dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem mihi. Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet super eos, nisi videant in te crucem Christi; et nisi et tu poteris dicere; mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.*

Idem etiam (*in epist. ad Roman.*) inquit: *Est enim tanta vis crucis Christi, ut si ante oculos ponatur, et in mente fideliter retineatur, ita ut in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libi-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*do, nullus furor, nulla superare possit invidia; sed continuo ad eius praesentiam totus ille, quem super enumeravimus, peccati, et carnis fugatur exercitus.*

Item sanctus Antoninus, ut refert divus Athanasius, contra daemones audacter loquens haec illis obiecit: *Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce praesto sum, devorate concessum; si vero non potestis, cur frustra nitimini, signum crucis, et fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est.*

Insuper etiam aiebat: *Solent daemones saucii gravius assurgere, et mutata arte pugnandi, cum cogitatione nihil egerint, pavoribus terrent, assumentes, nunc mulierum, nunc bestiarum, nunc serpentium formas, necnon et ingentia quaedam corpora, et usque ad tectum domus porrectum caput, infinitas species, et militum catervas, quae omnia ad primum quoque crucis signum evanescunt.*

Idem etiam s. Athanasius (*in orat. contra Idola*): *Post crucis adventum omnis simulacrorum cultus submotus est, omniaque daemonum vestigia hoc signo propelluntur.*

Accedit d. Gregorius Nyssenus (*adver. eos, qui differunt baptis. circa princip.*) dicens: *Est enim simplex applicatio, et a Deo missum donum, et magnus revera eventus, absque ulla ustione, et sectione a diuturnis liberari vulneribus, quae passi sumus a morsu serpentis. Venite ergo qui malis affecti estis, ad vestram curationem, neque rem negligatis: morbus enim diuturnus, et inveteratus artem superat, et curationem. Pauperes, et egentes festinate ad distributionem donorum regalium; oves ad signaculum, et signum crucis, quod malis opem fert, et remedium.*

Accedit etiam sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, qui de crucis virtute haec magna profert (*catech. 13. in fin.*): *Trophaeum Iesu salutare, crux omnes congregavit. Hoc Persas servire fecit, hoc Scythas cicuravit, hoc Aegyptios a capris, et canibus, et variis erroribus ad Dei cognitionem adduxit. Hoc ad hodiernum usque diem curat morbos, daemones fugat, et veneficiorum, incantationumque avertit imposturas.*

Sed iam divum Chrysostomum audiamus, qui in publicis concionibus ad populum dicebat: *Pretium, crucem appellavit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magna profecto fide in mente prius formare oportet: nam si hoc modo eam faciei tuae impresseris, nullus scelestissimorum daemonum cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit: nam si solummodo loca, in quibus capite damnati, poenas persolvunt, videntes, ingenti horrore concutimur; quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissolvit, et quo caput draconis magno ictu rotavit?* et paulo inferius solita sua eloquentia dixit: *Hoc signum, et priscis, et nostris temporibus clausas ianuas reseravit, hoc venenorum vires extinxit, hoc cicutae vim dissolvit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curavit. Etenim si portas inferni perfregit, si coelorum ostia reclusit, si paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos recidit; quid mirum est, si pestifera venena, atroces bestias, aliaque huiusmodi superavit? hoc igitur in mente tua insculpe, et animarum amplectere salutem.*

Latius tamen, quam reliqui, haec nobis reliquit Lactantius Firmianus (*de ver. sap. lib. 4. c. 27*): *Nunc satis est, huius signi crucis potentiam, quantum valeat, exponere. Quanto terrori sit daemonibus hoc signum, sciet, qui viderit quatenus adiurati per Christum, de corporibus, quae obsederint, fugiant: nam sicut ipse, cum inter homines ageret, universos daemones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, et malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat, ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus, et nomine magistri sui, et signo passionis excludunt; cuius rei non difficilis est probatio, nam cum Diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere Vates: et haec saepe causa praecipua iustitiam persequendi malis regibus fuit: cum enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, Deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere; quod, cum intelligerent auspices, instigantibus iisdem daemonibus, quibus consecrant, conquerentes, profanos homines sacris interesse, egerunt Principes suos in furorem, ut expugnarent templum Dei, seque vero sacrilegio contaminarent, quod gravissimis persequentium poenis expiaretur. Nec tamen ex hoc caeci homines intelligere possunt, aut hanc esse veram religionem, cui ad vincendum tanta vis inest, aut illam falsam, quod subsistere, aut congredi non potest; sed aiunt, hoc Deos non nutu, verum odio facere: quasi quisquam possit odisse nisi eum, qui aut noceat, aut possit nocere. Immo vero congruens maiestati fuit, ut Deos, quos oderant, praesentibus poenis afficerent potius, quam fugerent. Sed quoniam neque accedere ad eos possunt, in quibus caelestem notam viderint, nec iis nocere, quos signum immortale munierit, tanquam inexpugnabilis murus, lacessunt eos per homines, et manibus persequuntur alienis.*

His omnibus adiicere non parcam historiam, quam in actis s. Silvestri reperio, cuius meminere Venantius Episcopus, Surius, et cardinalis Baronius, ac novissime Iacobus Bosius: sic enim habet: *Tunc Silvester constanter agens, dixit: Audi me clementissime Princeps, iube hic praesentes adesse universos Pontifices cum Praefecto Calphurnio, ut quod solus pollicetur, hic simul quoque etiam illi promittant. Cumque altera die adessent omnes Pontifices cum Calphurnio, promiserunt in conspectu Augustini, omnes Christo credituros, si Silvester egisset, ut vel uno mense in toto anno Draco ab interfectione hominum cessaret. Tunc Silvester abiit ad apostolum Petrum cum duobus presbyteris suis, Eustonio, et Constantio, biduanum ieiunium complens; in oratione vidit tertia nocte apostolum Petrum talia sibi monita proferentem: cum his, cum quibus ieiunasti, et orasti, cum ipsis tantummodo descende, solo sacramento Christi refecti: descende, ne timeas, neque trepidum fit cor tuum, sed confidens in Deo, accede ad draconem, in quo habitat satanas, et dic ei: Iesus Christus Dominus, natus ex Spiritu sancto, et Maria Virgine, crucifixus, et sepultus, tertia die resurrexit, ascendit in coelos, sedet nunc ad dexteram Patris, inde venturus est, iudicare vivos, et mortuos; expecta eum fixus in isto loco, usque dum veniat. Et cum haec dixeris, liga os eius de lino canapineo torto triplici, quod tecum portabis; et desuper ceram pones, et signabis annulo ferreo, quod signum crucis habet sculptum; et inde ascendens, venies ad me: aperta confessione mea, invenies panem a me tibi praeparatum; de ipso, et te, et qui tecum sunt, reficies, et omne venenum abiicies, et salvum te christiano principi, simul et populo praesentabis:* et paulo inferius dicitur: *Sanctus autem Silvester, cum presbyteris suis, sicut admonitus est ab Apostolo, sine formidine descendit, duas lampades incensas anteferentibus ei: circa medium descensum caepit sibilum draconis irascentis audire, cui s. Silvester ait: Apostolus Christi Petrus misit me ad te, et iussit mihi, ut ligem os tuum lino, et signem annulo, crucis signaculum habente. Tunc draco immanissimus squamas faciens more suo, et sibilationes horrendas, quasi trabs centenaria, veniebat in furore nimio, ita ut ignis ex oculis eius, et flamma procederet; et accedens sanctus Silvester ligavit os eius, et signavit annulo, sicut ei praeceptum fuerat.*



Atque hinc est, quod a sanctis Patribus Dominicae crucis excellentiam, ac singularem illius virtutem contemplantibus, clarissimis nominibus, et illustrissimis epithetis illa exornatur. A d. Chrysostomo (*in hom. de cruce et Latrone*) appellatur: *Argumentum totius gratulationis spiritualis, totius beatitudinis causa, discordiae amputatio, pacis firmamentum, bonorum omnium copiosa largitio. Salutis indicium, laetitia nostra, sol iustitiae, spes Christianorum, resurrectio mortuorum, caecorum dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refroenatio divitum, destructio superborum, poena male viventium, triumphus adversus daemones, devictio diaboli, adolescentium paedagogus, sustentatio inopum, spes desperatorum, navigantium gubernatrix, periclitantium portus, obsessorum murus, parens orphanorum, tutrix viduarum, iustorum consolatrix, tribulatorum requies, parvulorum custos, virorum caput, senum finis, lumen in tenebris sedentium, regum magnificentia, scutum perpetuum, insensatorum sapientia, libertas servorum, imperatorum philosophia, lex impiorum, prophetarum vaticinium, annunciatio apostolorum, martyrum gloria, monachorum abstinentia, virginum castitas, gaudium sacerdotum, Ecclesiae fundamentum, orbis terrae tutela, delubrorum destructio, idolorum repulsio, scandalum Iudaeorum, perditio impiorum, invalidorum virtus, aegrotantium medicina, emundatio leprosorum, paralyticorum requies, esurientium panis, sitientium fons, nudorum protectio, clavis paradisi, crux pretiosa, crux vitalis, divini muneris significatio, signum nobilitatis spiritualis, thesaurus tutus, ac certus, sanctimoniae documentum, salus fidelium, cornu Ecclesiae, hostium expugnatrix, Christianorum gladius, scutum, thorax, galea, tutum certumque praesidium et perfugium, corona certaminis, praemium bonorum omnium, thesaurus, et summa bonorum omnium.* Ab Andrea Archiepiscopo Cretensi (*ho. de exalt. san. crucis*) his, quae sequuntur, honorificis nominibus cumulatur: *O crux, spes Christianorum, servatrix desperatorum, portus eorum, qui tempestate iactantur, medica infirmorum, expultrix vitiorum, datrix sanitatis, vita mortuorum, pietatis praescriptio, blasphemiae obstructio, sceptrum regni, diadema pulchritudinis, virga patientiae, fidei propugnaculum, baculus senectutis, dux caecorum, eruditrix insipientium, magistra infantium, peccati deletio, poenitentiae indicatio, vitae conciliatrix, mortis solutio, interitus alienatio, ignis extinctio, apud Deum fiducia, clavis regni coelorum, crux, custos in nocte, in die turris, in tenebris deductrix, reconciliatrix Dei, et hominum, refugium supplicibus, solatium amicis, patrona, tutatrix, in tentationibus opitulatrix, in periculis servatrix, in necessitatibus auxiliatrix, in mari gubernatrix, in aerumnis refrigeratio, robur imbecillorum, requies laborantium, alimentum esurientium, vires ieiunantium, aliptes athletarum, tegumentum nudorum, comes hospitum, castigatrix divitum, pauperum procuratrix, protectrix viduarum, tutatrix orphanorum, honor magistratuum, potentia regum, belli ducum victoria, sacerdotum gloria, monachorum adiutrix, vinculum coniugii, custos civitatum, tutela domorum, pacis distributrix, charitatis administratrix, mundi reconciliatio, finium descriptio, coeli altitudo, terrae profunditas, creatae naturae coagmentatio, terrae apparentis longitudo, latitudo orbis terrae, caput, et summa passionis Christi, gloria Christi, Christum adorantium arrha, planta immortalitatis, corona apostolica, specula prophetica, martyrum corona, contractus libertatis, regni largitrix, peccatorum solutrix, recte factorum datrix, thesaurus vitae, ornamentum Ecclesiae.* A sancto Ioanne Damasceno (*lib. 4. cap. 22*) crux vocatur: *Clypeus, armatura, et trophaeum contra diabolum, iacentium excitatio, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, resipiscentium adminiculum, proficientium profectio, animae, et corporis salus, malorum omnium depulsio, et bonorum omnium causa.* A s. Ambrosio (*or. de obit.*): *Vexillum salutis, Christi triumphus, palma vitae aeternae, remedium immortalitatis.* A Gregorio Nazianzeno (*car. ad Haele*): *Dulcis sarcina, datrix salutis.* A sancto Ignatio (*in ep. ad Ph.*): *Trophaeum contra potentiam diaboli, principium mortis eius, et interitus.* Ab Augustino (*lib. 2. de visi. Infir. et ep. 7. ad Felicianum*): *Candelabrum, in quo posita fuit lucerna illuminans orbem, venerabile monumentum omni veneratione dignissimum praesidium amicis.* A sancto Ephrem (*lib. de vera poenit. c. 3*): *Victrix mortis, fidelium spes, lux orbis terrae, Paradisi reseratrix, profligatrix haeresum, Monachorum adminiculum, firmamentum fidei, orthodoxorum gloria perpetua.* Ab Athanasio (*ser. de cruce*): *Crux beata, et vivifica, triumphatrix mortis, gloria, et honor Christi.* A sancto Martiale (*ep. 1. cap. 8*): *Galea custodiens caput, lorica protegens pectus.* A san-

cto Nylo (*ep. ad Olymp. citat. in 7. Syn. ar. 4*): *Salutifera crux, per quam genus humanum liberatum est, et per quam desperabundis undique salus annunciatur.* A sancto Paulino (*epi. 1. ad Lev.*): *Munimentum praesentis, et pignus aeternae salutis.* A Rabano (*in opere de s. Cruce fig. 27*): *Lux sancta, salutis vita, redemptio vera, inclyta, et benedicta in aeternum.* A Lactantio Firmiano (*lib. 4. c. 27*): *Signum immortale, et murus inexpugnabilis.* A sancto Ignatio martyre (*in ep. ad Phi.*): *Trophaeum contra potentiam diaboli.* A Iulio Firmico (*de myste. prof. rel. c. 21. et 22*): *Summitas, et altitudo divinae virtutis, ac signum venerabilis legis.* A Sophronio: *Vitale lignum, scutum magni Regis, Christianorum tutelatrix, et fidelissima custos.* A Theodosio imperatore: *Venerandum Christianae religionis signum.* A Constantino Magno: *Salutiferum lignum, fortitudinis documentum.* His Patrum nominibus, et epithetis adiiciamus et nos alia ipsi cruci non parum consentanea, crux est thronus Salomonis, turris respiciens contra Damascum, immobilis Ecclesiae columna, torcular a solo Christo calcatum, thalamus sponsi sanguinum, iugum suave, onus leve, tremendum tribunal Christi, speculum perfectionis, sigillum regium, schola veritatis, magistra evangelii, exemplar omnium virtutum, flagellum diaboli, infernus daemonum, resurrectionis semens, Ecclesiae murus inexpugnabilis, mendicantium opulentissimus thesaurus, firmamentum fidei, iuventutis institutio, senectutis baculus, libidinis extinctio, ambitionis froenum, laborantium adiutrix, pignus adoptionis filiorum Dei, germen temperantiae, testis tandem fidelissimus charitatis, obedientiae, et patientiae Christi.

Hinc etiam est, quod iidem sancti Patres mirabilem crucis virtutem admirantes pariter, et experientes, ad exercitium signi crucis fideles frequenter hortantur: inter quos primum refero sanctum Martialem: *Crucem Domini, in quem credidistis, Deum verum, et Dei Filium, semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux Domini, armatura vestra invicta contra satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, et angelicas insidias perversae potestatis sibi propinquare nullo modo sinens: hoc solo signo coelestis victoria data est nobis, et per crucem Domini baptisma Dei sanctificatum est.*

Deinde sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*catech. 4. Illuminat. Hierosol.*) adeo frequens cupit signaculum Crucis inter fideles, ut dicat: *Fac autem hoc signum crucis et manducans, et bibens, et sedens, et stans, et loquens, et ambulans, et in summa in omni tuo negotio*: et inferius (*Catech. 13*) subdit: *Non pudeat nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, et aliis omnibus crux fiat in panibus comedendis, et in poculis bibendis, in egressu, et ingressu, ante somnum, recumbendo, et surgendo, eundo, et quiescendo: magna haec est custodia, quae propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos; cum a Deo sit haec gratia, signum fidelium, et timor daemonum.*

Explicans autem rationem, ob quam hoc sacrosanctum signum sit daemonibus terribile adeo, ac tremendum, eam reddit: *Triumphavit enim de illis in hoc signo Iesus, ostenta illud audacter: quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi, metuunt enim eum, qui contrivit capita draconis, neque propterea, quod est gratuitum, contemnas hoc signaculum, sed ideo magis venerare benefactorem.*

Rursus sanctus Ambrosius (*serm. 43. tom. 5*) in idem haec scripsit: *Debemus ergo surgentes gratias Christo agere, et omne diei opus in signo facere Salvatoris. Nonne cum adhuc Gentilis esses, solebas signa perquirere, quae signa quibus rebus essent prospera magna inquisitione colligere? iam nunc nolo erres in numero: scito, quia in uno signo Christi omnium rerum est tuta prosperitas, qui in hoc signo seminare coeperit, vitae fructum consequetur aeternae; qui in hoc signo iter facere aggreditur, ad coelum usque perveniet.*

Ad haec magni Patris Augustini insigni pietate plena verba silentio nulla ratione praetermittenda sunt: (*lib. enim secund. de symbol.*) inquit: *Haec fratres considerantes pariter, et qui praeestis in Dei timore, vos solidate, retinete quae dicta sunt, facite, quae praecepta sunt, habete semper Christum in mente, signum eius in fronte facite, scitote, quia multos adversarios habetis, qui cursum vestrum impedire festinant. Ideo in omni loco, omni hora, crucis signo vos armate, crucis memoria vos munite: hoc enim solum timent, illud solum expavescunt, hoc et vobis datum est scutum, ut possitis sagittas maligni ardentes extinguere*: nonnullis autem interpositis subiungit: *Porro magna res est signum Christi, et crux Christi, sed illi soli prodest, qui facit mandata Christi. Ut ergo vobis prosit, praecepta eius totis viribus adimplere contendite, et sive sedetis, sive ambulatis, sive manducatis, sive bibitis, sive in lectum ascenditis, sive a stratu surgitis, iugiter signum crucis Christi muniat frontem vestram, ut vos semper memoria Dei vigilantes protegat, et in sopore custodiat, et quoties in nocte excitati fueritis, et somnus evolaverit, mox labiis signum crucis occurrat, mens quoque orationibus occupetur.*

Tandem d. Hieronymus (*ad Eustoc. de Cust. virg. epi. 22. c. 16 tom. 1*) paucis multa complexus est in hoc genere argumenti, dum dixit: *Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Crucem.* Atque his testimoniis sanctorum Patrum a me productis singulos vos alloquens, iure optimo mihi usurpare possum verba illa d. Hieronymi, qui postquam variis sacrae Scripturae monumentis virgini Demetriadi perpetuam virginitatis observantiam persuasisset, finem orationi imponens, ac illam monens, ut frequenter frontem suam sigillo crucis consignet, ut exterminator Ægypti, hoc est humani generis hostis, nullum in ea aditum inveniat, sic ait: *Haec cursim, quasi de prato pulcherrimo sanctarum Scripturarum parvos flores carpsisse sufficiat, pro commonitione tui, ut claudas cubiculum pectoris, et crebro signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat.*



Ad extremum, ne Haeretici impudenter nobis Catholicis obiiciant, usum signaculi sanctae crucis superstitiosum commentum fuisse ignorantium hominum, ut ipsi garriunt, ostendere compellor, hunc religiosum usum a primordiis nascentis Ecclesiae originem trahere, et Apostolorum auctoritate constabilitum esse. Legimus enim in Constitutionibus Apostolicis a s. Clemente Romano d. Petri Discipulo conscriptis haec quae sequuntur verba: *Orans igitur per se Pontifex, una cum sacerdotibus, induensque vestem splendidam, et stans ad altare, trophaeo crucis se consignans in fronte, dicat: Gratia omnipotentis Dei, et charitas Domini nostri Iesu Christi, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis; et omnes una voce respondeant.*

Has autem Apostolicas Constitutiones magni momenti, et insignis auctoritatis esse, nullus, nisi protervae mentis, et durae cervicis dubitare potest, si advertat approbatas fuisse a sexta Synodo speciali quodam canone, cuius verba refert Gratianus (*dist. 16*), necnon etiam a sanctis Patribus, praesertim tamen a d. Athanasio, Eusebio Caesariensi, et sancto Epiphanio, qui in hunc modum loquitur: *Caeterum, maioris, et exactioris disciplinae causa addo, et illud, scribens necessario praeter superiores libros, esse alios, non canone quidem probatos, sed veterum auctoritate illis, qui pietatis elementis imbuendi essent, propositos; sapientiam nempe Salomonis, sapientiam Syrach, Esther, Iudith, et Tobiam. Videtur intelligere Apostolorum constitutiones, quae nomine Clementis nunc habentur, doctrinam etiam Apostolorum nomine nuncupatam, ipsum denique Pastorem.*

Accedit ad principale intentum comprobandum insigne testimonium divi Augustini, docentis, principes Apostolorum, Petrum, et Paulum, eos, qui ad fidem veniebant, signo Crucis consignare consuevisse: *Mittit*, ait, *Petrus, in saeculum retiaculum, circumfert Paulus Dominicum in mundo vexillum; et iste piscator hominum, illeque titulat signo Crucis gentiles.*

Et quibusdam interpositis subdit: Dicitur Ananiae a Domino Iesu Christo: *Vade ad eum, et signa eum charactere meo: multa enim patietur pro nomine meo*; et (*serm. 92*) affirmat, sanctum Stephanum protomartyrem signo crucis obsignatum fuisse in fronte: *Dominus, qui unxerat, qui probaverat, qui ei characterem non in manu, sed in fronte posuerat, spectabat desuper.* Petrus etiam de Natalibus (*in Catalog. Sanctor.*) tradit, sanctum Petrum usum fuisse signo crucis, quo immanem canem superavit: *Tunc*, inquit, *Simon ad domum Marcelli discipuli Petri canem maximum alligavit, ut Petrum ad discipulum ex more venientem laceraret; post modicum Petrus venit, et facto signo crucis, canem exsolvit; canis autem omnibus blandiens, solum Simonem persecutus, in ipsum insiluit, et, ut sibi Apostolus iusserat, corpus quidem eius non laesit, sed vestes totaliter laceravit.*

Et Surius in vita sanctorum Processi, et Martiniani refert, eodem signo crucis divum Petrum usum fuisse, cum Romae in carcere existeret: quod idem de divo Paulo affirmant Abdias Babylonicus, et Halduinus Abbas: necnon de sancto Andrea Apostolo, cuius meminit Vincentius Bellovacensis (*in suo speculo*). Ac tandem idipsum tradit de divo Iacobo idem Abdias Babylonius libro quarto; necnon de reliquis Apostolis, ut late refert Bosius (*de triumphanti Cruce*).

Ad extremum, cum Ecclesia catholica Romana immemorabili ritu frequenter adeo signaculo crucis utatur, non leve argumentum est, ab Apostolica Constitutione ortum habuisse, magno patre Augustino sapienter dicente: *Quod enim universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXVII.

*Referuntur praecipua crucis vaticinia ex sacra Scriptura, multiplicique Sanctorum Patrum doctrina elucidantur.*

Cum hucusque latissime de variis figuris Dominicam crucem adumbrantibus disseruerim, reliquum est, iam sermonem instituam de vaticiniis, quibus divini Vates illam praenunciarunt. In quorum numerum primum refero illud Patriarchae Iacob ad Iudam filium suum dicentis (*Gen. 49*): *Ad praedam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena, quis suscitabit eum?* Quibus verbis crucem, et mortem Christi in eam ascendentis, praedixisse, satis perspicue docuit. D. Ambrosius (*in cap. 31. Prov. cap. 2*) in haec verba: *Ex germine, fili mi, ascendisti, recumbens dormivisti, ut leo. Ascendisti utique in crucem, dormivisti utique in morte: ascendisti, ecce crux; dormivisti, ecce mors; quid est enim ascendisti, nisi quod scriptum est; et crucifixerunt eum? Unde et ipse ait: Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo, sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Quid est: Recumbens, nisi quod scriptum: Et inclinato capite tradidit spiritum? Cum ergo dixisset ibi: Ascendisti, recumbens, illico secutus est, dormivisti, ut leo: dormivisti, inquit, ut leo, non fugisti, ut vulpes. Quid est autem, dormivisti ut leo, quia potestate mortuus est, non necessitate? Dixit enim: Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Ubi autem dictum est: Dormivisti, ut leo; subiungitur: Quis suscitabit eum? dixit vero quis, non quia nullus, sed quia nemo hominum; solus nisi Deus, qui eum suscitavit.*

Extat et aliud singulare vaticinium Esdrae dicentis: *Manus meae tegent te*: perinde enim fuit, ac si diceret: Manus meae in Cruce confixae, quasi expansae alae gallinae protegant te a morte aeterna, ut observavit Bosius, cui

expositioni opitulantur verba eiusdem Prophetae, dum ait: *Laudandus est Dominus, qui manus suas extendit, salutemque Hierosolymis expectantibus nobis dedit*: quae verba, licet non inveniantur in vulgata, nec translatione Septuaginta Interpretum, absque alia tamen haesitatione illa tradit divus Chrysostomus, verosimileque satis est, expuncta fuisse ab Hebraeis: quia, ut advertit. D. Iustinus martyr, *integros prorsus locos ex translatione eorum, qui cum Ptolomaeo fuere, sustulerunt; in quibus clare hunc ipsum crucifixum, Deum, et hominem esse, eumque in Cruce pendere, et mori praenunciatum esse ostenditur.*

Iob insigne illud aliud Dominicae crucis vaticinium prodidit, cum dixit (c.6): *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris haec gravior appareret*: quae verba in hunc modum commentatur celebris ille Abbas Rupertus (*de oper. Spiritus sancti lib.* 1. *c.* 8. *de sapie.*): *Quomodo calamitas humani generis peccatis eius gravior appareret, nisi, ut plures fierent damnati, quam rei, plures puniti, quam auctores, sive haeredes peccati? hoc ergo mira, et laudabili arte Spiritus sanctus sapientiae agebat, in eo, quod Christus ad mortem tradebatur, qui peccatum non fecerat: ibi erat crux, statera Patris, habens disposita hinc in lance iudicii, peccata mundi, inde in lance misericordiae, calamitatem generis humani: vicit pondere calamitas in lance misericordiae, lancemque sustollens iudicii, peccata decussit in profundum maris. Cur hoc? videlicet, quia plures erant damnati, quam rei, plures inquam puniti, quam qui merebantur puniri. Unus abundabat in numero damnatorum, unus supererat Christus, damnatus, non reus; punitus, et causam non habens cur puniretur. Huius dolentis passio totius generis humani doloribus iustis iniuste superaddita praeponderavit, quasi massa arenaria, graviorque fuit calamitas mundi, quam eiusdem peccata. Ac proinde misericorditer quidem nostra, idest damnatorum, suscepta est culpa, sed iuste mutata, qua fueramus damnati, sententia:* hactenus Rupertus Abbas.

Aliud etiam crucis vaticinium protulit Iob (c.40) dicens: *In oculis eius, quasi hamo capiet eum, et in sudibus perforabit nares eius. An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam eius?* Super quem locum divus Athanasius inquit: *Hamo crucis, ut draco aduncatus a Domino est, et capistro ligatus, ut iumentum, et quasi mancipium fugitivum vinctus circulo, et armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium devorare permittitur.* Uberius tamen venerabilis Beda sic explicat eundem locum: *Verba haec Patris de Filio sunt. Pater inquit de Filio, quod diabolus esset ab eo capiendus. In oculis, ait, idest, in ipso intelligentiae lumine, ubi est visus sapientiae naturae rationalis, ibi, inquam, divina sapientia captus est, dum per calliditatem suam, atque versutiam non videt, cuius carnem mors apprehenderit devorandam. Secundum igitur hunc modum captus est diabolus: et sudibus nares eius perforantur, idest furentem saevitiam, atque in sanctorum interitu mire aestibus anhelantem, Christus Dominus conterit, et perturbat. Sanctos vero propter lignum crucis non absurde hic sudes intelligendos puto; sic utique humiliat, et confringit Dominus inimicum, dum eum per eosdem sanctos ligno crucis suae retundit.*

Ad haec sanctus Hilarius verba illa Davidis, *Et erit, tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, de crucis ligno intelligenda putat: unde super Psalmum primum dixit: *Illic enim plantatum hoc lignum est, quo latronem illum, se Dominum confitentem, Dominus, qui sapientia est, introduxit dicens; Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Huius quoque beati ligni non dedignatus in se docere virtutem, cum pergens ad crucem ait: quia si in arido ligno hoc faciunt, in viridi quid fiet?*

Sed clarius est illud eiusdem Davidis vaticinium: *Foderunt manus meas, et pedes meos*, ut docuerunt s. Augustinus (*de Civit. Dei lib.* 17. *c.* 17), s. Hieronymus (*in Psal.* 21), s. Athanasius (*de Incarn. Verbi*), s Isidorus (*de pas. Dom. c.* 26), Theodoretus (*in Psal.* 21), Lactan. Firmia. (*lib.* 4. *c.* 18), Rufinus (*in Psal.* 21), Beda (*ibid.*), s. Iustinus martyr (*in dial. cum Trip.*), cuius solius verba producam: *Quando crucifixerunt, clavis infixis manus, pedesque eius foderunt, et qui iam crucifixerant eum, diviserunt vestes eius inter se, aleam ludentes, ut iuxta sortis iactum quisque, quod eligere volebat, sumeret. Psalmum istum non in Christum conceptum esse aitis, caecutientes prorsus, neque intelligentes, neminem in gente vestra, qui unquam rex, Christus, sive unctus sit dictus, manus, et pedes, cum viveret, perfossum, neque per mysterium hoc, mortuum, hoc est in cruce suspensum esse, extra hunc Iesum.*

Sanctus Basilius (*in Psal.* 22), verba illa eiusdem Davidis: *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, crucem Domini vaticinari affirmavit, dicens: *Virga etenim infirmitatem meam corroborat. At hoc in viam rectam me dirigit: verum haud procul ab scopo aberraverit quis, si salutiferam crucem hisce nominibus insignicerit: huius quippe signaculo, et commemoratione, ab hostibus liberati, in rectum tramitem revocamur.*

Illa etiam (*Psal.* 43): *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me*, s. Ambrosius (*sup. Psalm.* 43), crucem descripsisse autumat, dicens: *Quae autem confusio Christi, nisi crux, quod nudus pependit in ea: et bene tota die, quia ex quo affixus est cruci, usque ad horam nonam, tenebrae factae sunt, et post horam nonam lux refulsit usque in vesperam. Hic dies ex tribus primus. Sive ergo velis confusionem Christi intelligere crucem eius, quae Iudaeis videbatur esse confusio, qui insultabant ei, quasi erubesceret Christus in eo opere, quo publicam operabatur salutem.*

S. Basilius idem affirmat de loco Psalmi quadragesimiquarti: *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.* Sed clarius s. Theodoretus in eadem verba: *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.*



Singularissime tamen Rufinus locum illum, *Exaltare super coelos Deus, et in omni terra gloria tua*, Dominicae crucis vaticinium esse, ingeniose interpretatur: *Vidit*, inquit, *Propheta in spiritu Dominum, humiliatum, flagellatum, spinis coronatum, ligno suspensum, Iudaeos saevientes, illum vero tolerantem, illos exultantes, illum quasi victum: et post tantam humiliationem, cognovit eum resurrecturum, et omnia illa, quae fecerunt Iudaei saevientes, facta esse inania. Elatus gaudio, tanquam videret fieri, exclamat, et dixit: Exaltare super coelos Deus. Homo in cruce, Deus super coelos. Remaneant in terra saevientes, tu in coelo esto iudicans, et in omni terra gloria tua. Domino enim residente in coelo ad dexteram Patris, ubique terrarum praedicata est gloria resurrectionis eius, et divinitatis: exaltatum in coelo Dominum non videmus, sed credimus; in omni autem terra gloriam eius non tantum credimus, sed etiam videmus.*

Sanctus Augustinus (*super Psal.* 59) Davidem, opinatur, per arcum, lignum crucis praedixisse, quod et asseruit sanctus Basilius: *Moyses quidem postes Israelitarum sanguine ovillo signavit, tu vero dedisti nobis significationem ipsum immaculati Agni sanguinem, qui mactatus est pro peccato mundi: et Ezechiel in frontes faciorum signum datum esse dicit; Ite, inquit, a tergo ipsius, et percutite: ne parcite, neque misereamini: seniorem, et iuvenem, infantem, et virginem, et feminas occidite ad internecionem; ad omnes vero, in quibus signum est, ne accedatis.*

Item sanctus Augustinus (*in Psal.* 62) existimat, Davidem in persona Christi dixisse: *In nomine tuo levabo manus meas*: quia expansurus erat illas in cruce: *Levavit pro nobis Dominus Deus noster manus in cruce. Ideo extentae sunt manus eius in cruce, ut manus nostrae extendantur in bona opera, quia crux ipsius misericordiam nobis praebuit: ecce levavit ille manus, et obtulit pro nobis sacrificium Dei seipsum, et per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra; levemus et nos manus nostras ad Deum in prece, et non confundentur manus nostrae levatae ad Deum, si exerceantur in bonis operibus.*

Tertullianus etiam putat, eundem vaticinatum fuisse Dominicam crucem in verbis illis, *Terra dedit fructum suum.* Fundatur fortasse in eo, quod originale Hebraeum, iuxta interpretationem d. Hieronymi legit: *Terra dedit germen suum*: verba Tertulliani haec sunt: *Alibi Propheta ligni crucis fructum praedicat, dicens; terra dedit benedictiones suas, utique illa terra virgo, nondum pluviis rigata, nec imbribus foecundata, ex qua homo tunc primum plasmatus est: lignum*, inquit, *attulit fructum suum; non illud lignum in paradiso, quod mortem dedit protoplastis, sed lignum passionis Christi, unde vita pendens a vobis credita non est.*

Sanctus Hieronymus (*in Ps.* 85) similiter explicat verba illa eiusdem Davidis: *Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur; quasi diceret: Muniar crucis tuae signo, quod videntes potestates adversae, fugiant confusae, et discedant a me: haec enim pro nostro populo Propheta rogat; sed et nos precamur, Domine, ut crucis tuae signo tutati, atque eius praesidio custoditi, mereamur ab omnibus diaboli insidiis liberari.*

Merito deinde divus Augustinus locum illum eiusdem regii Vatis: *Clamavi ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas*, de Christo in cruce exposuit, pariterque respondet ad difficultatem, quam ingerunt verba illa, *Tota die*, cum Christus Dominus non habuerit expansas manus in cruce per totum diem: *Clamavit*, inquit, *ad te Domine: hoc enim apertissime fecit, cum penderet in ligno; sed quod sequitur, tota die expandi ad te manus meas, quomodo oporteat accipi, merito quaeritur: si enim in eo, quod ait: expandi manus meas, crucis patibulum intellexerimus, quomodo intellecturi sumus tota die? Numquid tota die pependit in ligno, cum et nox ad totum diem pertineat? Si autem hoc loco diem voluit intelligi, qui praeter noctem dies appellari solet, etiam talis diei, quando crucifixus est iam pars prima et non parva transierat. Si autem diem pro tempore positum velimus accipere, maxime quia hoc nomen genere feminino posuit, quod in latino eloquio non nisi tempus significare solet, quamvis in graeco non ita sit, semper quippe in ea lingua dies feminino genere dicitur, et ideo nostros sic interpretari puto; arctius quaestio colligabitur. Quomodo enim toto tempore, si nec saltem uno toto die manus extendit in cruce? Porro si totum pro parte accipiendum esse dicamus, quia isto genere locutionis uti iam sancta Scriptura consuevit, non mihi occurrit exemplum, totum pro parte etiam tunc posse accipi, quando ipsum verbum additur, et dicitur totum. Nam et in eo, quod dixit Dominus in evangelio: Sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus, et tribus noctibus; ideo totum pro parte non insolenter accipitur, quia non ait, totis tribus diebus, et totis tribus noctibus. Unus quippe medius fuit totus dies, duorum autem partes primi ultima, ultimi prima; si autem non crucem suam in hac prophetia Psalmi significavit his verbis, sed orationem, quam eum ex forma servi fudisse Deo Patri, evangelio teste didicimus, ubi eum, et longe ante passionem, et sub die passionis, et in ipsa cruce orasse meminimus, nusquam hoc eum tota die fecisse legimus. Proinde convenienter per extensas manus tota die continuationem bonorum operum intelligere possumus, a quorum nunquam intentione cessavit.*

Divus Hieronymus exponens verba illa eiusdem Prophetae: *Exaltabitur, sicut unicornis cornu meum*, de fortissimo crucis cornu illa intelligit, dicens: *Tria immolabantur Domino in templo; immolabatur taurus, immolabatur aries, immolabatur hircus; tria immolabantur, et universa cornuta sunt: nisi enim aliquis habuerit cornu, in quo inimicos ventilet, non est dignus immolari Deo. Propterea et Dominus cornu dicitur his, qui credunt in eum; et in cornibus crucis suae ventilavit inimicos: ibi confudit diabolum, et omnem eius exercitum. Christus quidem crucifixus erat in corpore, sed vere crucifigebat ibi daemones; non fuit crux, sed triumphus fuit, sed vexillum fuit: propte-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*rea conscendit crucem, ut nos de terra in altum tolleret: alii habebunt plura cornua, ego unum solum cornu habeo. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.*

Sed iam produco insigne illud vaticinium eiusdem Davidis, cum cecinit: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno:* sic enim deberet legi, quamvis verbum illud *a ligno* non inveniatur in Hebraeo, Graeco, aut Latino codice, quia praeter antiquissimum Tertullianum id asserentem, cum dixit: *Age nunc, si legisti penes Prophetam in Psalmis: Dominus regnavit a ligno, expecto, quid intelligas, ne forte lignarium aliquem regem significari putetis, et non Christum, qui exinde a passione ligni, superata morte, regnavit.* Disertis verbis id docuerunt sanctus Cyprianus, Cassiodorus, et d. Augustinus, qui super eundem locum inquit: *Quis est, qui ligno pugnat? Christus de cruce sua vincit reges, et subiugatis eis, ipsam crucem in fronte fixit, et gloriantur de illa, quia ibi est salus eorum.*

Confirmat hoc idem insigne testimonium sancti Iustini martyris, dicentis: *Ex Psalmo nonagesimo quinto, quem David cecinit, perpauca haec abstulerunt a ligno: cum enim ad verbum ita fuisset dictum: Dicite in gentibus, Dominus regnavit a ligno; reliquerunt: Dicite in gentibus, Dominus regnavit. In Gentibus autem, de nullo unquam, tanquam de Deo, et homine dictum est: ex generis vestri hominibus, quod regnaverit, praeterquam de solo hoc crucifixo, quem etiam a mortuis resurgentem, salvatum esse, in eodem Psalmo Spiritus sanctus dicit, non esse eum similem Gentium Diis ostendens: illa enim esse simulacra daemoniorum.*

Ex quibus omnibus colligo, valde deceptum fuisse Lyranum (*in expos. hui. loc.*), dum verbum illud *a ligno* existimavit, nullum aliud habere fundamentum, quam auctoritatem Theodoreti, vel Symmachi; maxime quod ipse non ignorabat, ut ipse fatetur, Ecclesiam canere:

Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine
Dicens: In nationibus
Regnavit a ligno Deus.

Euthymius, et Theodoretus vaticinium crucis contineri arbitrantur in verbis eiusdem Psalmi? *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit;* existimant enim, Davidem usum fuisse hoc loco figura prosopopeia, inducens res inanimatas ad celebrandam futuram Christi exaltationem in lignea cruce, *eo quod ex eis sumendum esset salutare crucis lignum,* ut verbis Euthymii utar. Sed ea, quae in idem protulit Theodoretus, accipe: *Tunc laudabunt omnia ligna nemoris: illa potissimum Deo afferent hymnum; quandoquidem ex ipsis salutare lignum fuit, in quo Salvatoris corpus suffixum fuit, per quod hominibus germinarunt bona. Sciendum est igitur, ut verisimile est, vaticinationis sermonem prosopopeia usum esse, quandoquidem et coelum, et terra, et mare, et ager, et lignum ratione, et anima carent; sed ii, qui in hisce locis sunt, Deo afferent laudes. Insulares enim mare incolunt, terram vero ii, qui in continenti sunt: coelum autem angeli: qui vero vident nemora ab Idolorum cultu libera, Deo gratias agunt; eodem modo Vates filiorum Israel ex Ægypto iter edocens, rursus eadem figura usus est; Mare vidit, et fugit, Iordanis conversus est retrorsum. Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium, et interrogationem aff rt, et responsionem recepit, futurarum rerum laetitiam per haec ostendens.*

Sanctus Hilarius (*sup. Psal.* 143) acute satis ad hoc crucis mysterium refert verba illa eiusdem Prophetae: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum. Si, ob id,* inquit, *gratulationi interfecti Goliae deputatur hic Psalmus, quia dictum est: qui docet manus meas in bellum, accipiant exemplum hoc personae potius Domini convenire: nam in septimodecimo Psalmo, qui totus ex persona Domini consistit, idipsum dictum ita meminimus: Qui docet manus meas in praelium, et posuit, ut arcum aereum, brachia mea. Manus igitur eius edoctae ad bellum sunt, cum vincit saeculum: Ego enim, ait, vici mundum, cum extensis in crucem invictissimis armis ipsius passionis, instruitur. Et posuit,* inquit, *ut arcum aereum brachia mea; cum de omnibus virtutibus, ac potestatibus in ipso se trophaeo gloriosae crucis triumphat; et principatus, et potestates traduxit cum fiducia triumphans in semetipso; cum dissidentia inter se coelestia, et terrena pac ficat, et in ipso,* inquit, *reconciliari omnia in eum, pacificans per sanguinem crucis suae, sive quae in terra sunt, sive quae in coelis. Ad hoc igitur bellum manus eius edoctae sunt, in quo arcus aerei certamine vincitur, dehonestationes potentes triumphantur, pace reconciliantur inimici, sed post manuum bellum succedit et digitorum praelium, omnis enim in eo habitus, et pugna passionis ostenditur: manus enim extenduntur, et digiti configuntur in Psalmis; vetus scilicet chirographum, secundum Apostolum, delens, et affigens illud cruci; etiam eas partes manuum commemorat in praelio, cum quibus omnia veterum criminum peccata confixa sunt.*

Ad haec gravissimi Patres praedictam fuisse Dominicam crucem in verbis illis Canticorum (2): *Veni columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae,* aperte docuerunt: nam praeter Rupertum diffuse id pertractantem, id tradit divus Gregorius dicens: *Per foramina petrae, vulnera manuum pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim: cavernam vero maceriae, vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim: et bene columba in foraminibus petrae, et in caverna maceriae esse dicitur, quia dum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat, invenit.*



Similia lego apud Bedam (*in Cantica*), ubi ait: *Si iuxta expositionem Apostoli, petra erat Christus; quae sunt foramina petrae nisi vulnera, quae pro nostra salute suscepit Christus? in quibus profecto foraminibus columba residet, ac nidificat, vel, cum anima quaeque mitis, vel Ecclesia omnis in passione Dominica spem suae salutis unicam ponit, cum in sacramento mortis eius, et se se ab insidiis hostis antiqui, quasi a raptu accipitris tutari confidit, et in eodem et sobolem spiritualem, sive filiorum, sive virtutum procreare satagit.*

Idem insuper venerabilis Beda, manus Christi in cruce confixas opinatur praedici ab Sposa in verbis illis, *Manus eius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis:* unde ait: *Est enim hyacinthus pigmentum coloris purpurei, atque odoris iucundi; et manus Domini purpureis erant floribus plenae, quia moriturus pro nostra vita, has in clavorum fixione cruoris proprii rubore perfudit.*

Omissa autem duplici deceptae gentilitatis hyacinthi fabella, cuius meminit Ovidius (*Metam. lib.* 10), necnon et Plinius (*natur. hyst. lib.* 21. *cap.* 11) dicens: *Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum praeferens eius, quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore editi, ita discurrentibus venis, aut Graecarum litterarum figura A legatur inscripta.*

Illud observatione indignum non est, quod hyacinthus colore purpureo viget, nigris quibusdam lineis interpositis, quae Alpha, et Iota formant, vulgarique nostro sermone exprimunt interiectionem illam lacrymosam Al: unde, cum hyacinthus floreat tempore illo, quo Christus Dominus fuit crucifixus, et quo Ecclesia catholica lacrymandam eius mortem dolet, ut ex Ovidio (*metam. lib.* 10) colligit Bosius (*de triumph. Cruc. lib.* 4. *cap.* 6), ipsa etiam muto illo gemitu Al, de eadem dolet et ingemiscit: ad hunc enim modum doluisse, et ingemuisse solem, et saxa de Christi morte sacri Evangelistae tradidere.

Sanctus Gregorius, venerabilis Beda (*in Cant. lib.* 6. *cap.* 8), Rupertus Abbas (*in Cant. libr.* 7. *cap.* 6), et Nicolaus de Lyra de Dominica cruce intelligunt verba illa eiusdem libri Canticorum: *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Solius tamen magni Patris Gregorii, qui instar mille est, in medium proferam: *Quid,* inquit, *per arborem malum, nisi sancta crux designatur: quae malum illud sustinuit, de quo eadem sponsa in superioribus dicit: sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sed sponsam suam Christus sub arbore malo suscitavit, quia in cruce positus, subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocavit, ut a somno mortis exurgeret, et cum illo se crucifigens, ad novam resurrectionem properaret. Unde et Apostolus cuivis animae mortuae dicit: surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus; et quibusdam, qui iam resurrexerant, alibi dicit: Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite; sed quia infidelitas Synagogae Christum crucifixit, ideo sequitur: Ibi corrupta est mater tua; Sub arbore malo mater Ecclesia corrupta esse dicitur, quia quando Salvatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corrupit; cuius sceleris magnitudinem inculcat, cum ibidem replicat dicens: Ibi violata est genitrix tua.*

S. Ambrosius in illis verbis Sapientis: *Benedictum est lignum, per quod fit iustitia; per manus autem, quod fit idolum, maledictum est et ipsum et qui fecit illud,* sermonem esse de ligno crucis in haec verba tradidit: *Iustitiae adscribit Scriptura divina veniam peccatorum, secundum illud, quod hodie lectum est: Benedictum lignum, per quod fit iustitia, maledictum autem, quod fit per manus hominum. Superius ad crucem Domini retulit, posterius ad errorem Gentilium, qui ligna venerantur; iustitia autem, quae est crucis; nisi, quod ascendens illud patibulum Dominus Iesus Christus, peccatorum nostrorum chyrographum crucifixit, et totius orbis peccatum suo cruore mundavit?*

S. Iustinus martyr (*apolog.* 2. *ad Antonin. Pium*), s. Isidorus (*de pas. Domin. cap.* 54, *et* 35), et Tertullianus (*adver. Marc. lib.* 8. *cap.* 19), expresse docent, Isaiam de Dominica cruce fuisse locutum, cum dixit: *Factus est principatus super humerum eius.* Subscribit d. Hieronymus (*in Isai. lib.* 3. *cap.* 9) dicens: *Licet in eo, quod supra dixerat, Emmanuel, idest nobiscum Deus, Deum esse monstraverit; tamen nunc dicit, factum illius principatum super humerum eius, vel, quod crucem suam ipse portavit. Vel per humerum, ostendens brachii fortitudinem, eodem Isaia dicente: Revelavit Dominus Deus brachium sanctum suum omnibus gentibus.*

Rursus eiusdem prophetae Isaiae (*cap.* 9) celebrem illum locum, *In illa die erit altare Domini in medio Ægypti, et titulus Domini iuxta terminum eius: et erit in signum, et in testimonium,* quamvis Iosephus Flavius illum explicuerit de Honia sacerdote; Ecclesiae tamen Patres de Cruce Domini intelligendum putant; praesertim magnus pater d. Hieronymus, dum inquit: *Erit altare Domini in medio terrae Ægypti; quod Honias, secundum Iosephum male intelligens, implere conatus est: et titulus Domini continens passionem, in quo scriptum est hebraicis litteris, graecis, et latinis: Iesus Nazarenus rex Iudaeorum; in signum crucis, et in testimonium universarum Gentium, quae nunc Ægyptus appellantur. Cumque persecutio creverit a facie tribulantium nominis Christiani, tunc clamabunt cordibus suis: Abba Pater. Et mittet Dominus exercituum Salvatorem, idest Iesum, iudicem, vel propugnatorem, qui liberet eos, ut liberati cognoscant Dominum, et ipsi cognoscantur a Domino, et ubi abundavit peccatum, superabundet gratia.*

Et Nicolaus de Lyra secutus est divum Hieronymum (*in exposition. hui. loc.*), dum ait: *Hoc potest referri ad Christum, ita quod iste titulus sit: Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum, qui in termino vitae passibilis Christi fuit positus super crucem; signum autem crucis ponitur in altaribus, et locis Christi nomini dicatis.*

Sanctus Augustinus (*ser.* 210. *de temp.*), et sanctus Hieronymus (*in Isai. c.* 29), perspicuum, ac satis manifestum crucis Dominicae vaticinium, iudicant illum eiusdem Isaiae lo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum : *Dabo claves domus David super humerum eius, et aperiet, et non erit, qui claudat, et claudet, et non erit, qui aperiat*, S. Augustinus sic loquitur : *Coelum clausum erat, quia nondum clavis crucis antecesserat : iam tempus erat, ut in mysterio crucis, omnia, quae in veteri testamento velabantur, revelarentur.* Sanctus vero Hieronymus loquens de cruce ait : *Haec ipsa clavis erit super humerum eius, hoc est, in passione, iuxta illud, quod in alio loco scribitur: Cuius principatus super humerum eius: quod enim ille in sua passione reseravit, claudi non poterit, et quod clauserit in caeremoniis Iudaeorum, a nullo alio aperietur.*

Satis praeterea decantatum est a sanctis Patribus vaticinium illud Hieremiae : *Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius:* intelligendum enim esse de cruce indubitanter asseruerunt sanctus Cyprianus (*adv. Iud. lib.* 2. *cap.* 20), s. Hieronymus (*sup. cap.* 11. *Hierem.*), s. Gregorius (*lib.* 3. *moral. cap.* 11. *et lib.* 12. *c.* 4), s. Isidorus (*de pas. Dom. cap.* 35), Theodoretus (*in Hierem. cap.* 11), Origenes (*in Hierem. hom.* 8), Lactantius Firmianus (*lib.* 4. *cap.* 18), Tertullianus (*adver. Iud. cap.* 10. *et con. Mar. libr.* 3. *cap.* 19), et Ambrosius (*in titul. Psal.* 35), cuius verba, brevitatis causa, solum referam : *Bene panem dixit pro carne eius : ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium ; non mirum ergo, si esuriunt, qui sibi vitae aeternae alimoniam denegarunt. Pulchre etiam duo ista iunxerunt : iniiciamus lignum in panem eius. Nesciebant, quid loquerentur Iudaei, et mysterium loquebantur ; paradisum nobis crux reddidit Christi. Hoc est lignum, quod Adae Dominus demonstravit dicens : De ligno vitae, quod est in medio paradisi edendum ; de ligno autem scientiae boni, et mali non edendum. Erravit Adam ; mandata non tenuit, interdictum gustavit. Per lignum caepimus esurire, quia suum caro accepit alimentum. Ideo Dominus in Christo carnem iunxit, et lignum, ut fames antiqua cessaret, vitae gratia redderetur. Beatum lignum Domini, quod omnium peccata crucifixit; beata caro Domini, quae victum omnibus ministravit.*

Apud Ezechielem, iuxta divi Hieronymi, et Theodoreti sententiam, aliud omni acceptione dignum crucis vaticinium legimus: *Haec dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, et ponam de vertice ramorum eius, tenerum destringam, et plantabo super montem excelsum, et eminentem. In monte sublimi Israel plantabo illud, et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam ; et habitabunt sub ea omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit.*

Septuaginta autem Interpretes eundem locum in hunc modum verterunt : *Haec dicit Adonai Dominus: Et auferam ego de electis cedri, de vertice, et dabo de capite ramorum eius: de corde eorum auferam, et plantabo super montem excelsum, et suspendam illud in monte sublimi Israel: et plantabo, et afferet germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam, et requiescet sub ea omnis avis, et omne volatile sub umbra eius requiescet.*

Sanctus igitur Hieronymus (*in Ezech. c.* 17) sic verba haec interpretatur : *Dominus Deus, Pater Omnipotens, qui locutus est ad Ezechielem, tollit de stirpe regia, et de genere David, et plantat super montem excelsum, et eminentem, qui loquitur in Psalmo: ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Defecerat enim princeps de Iuda, et dux de Israel, donec veniret cui repositum est: et ipse erat expectatio Gentium: iste erupit in germen, et fecit fructum, et cedros omnes sua sublimitate superavit, ita ut habitent sub ea omnes volucres coeli, et cuncta volatilia illius protegantur umbraculo : de quo dicit Habacuc; Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius, et quae congregare desiderat, quasi gallina pullos suos sub alas suas, ut omnia regionis ligna cognoscant, quod ipse sit Dominus.*

Eiusdem deinde prophetae Ezechielis singulare aliud crucis vaticinium a Ruperto Abbate singulariter observatum, silentio non praetcribo : *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, et longitudo eius duorum cubitorum, et anguli eius, et longitudo eius, et parietes eius lignei, et locutus est ad me: Haec est mensa coram Domino.*

Septuaginta vero Interpretes in hunc modum transtulere : *Visio, quasi species altaris lignei: trium cubitorum altitudo eius, et longitudo cubitorum duorum, et cornua habebat ; et basis eius, et parietes eius lignei, et dixit ad me : haec est mensa, quae ante faciem Domini.* Hunc locum elucidans Rupertus Abbas (*in Ezech. l.* 2. *cap.* 27) praeclara haec pietate plena scripsit : *Altare ligneum, mysterium crucis, mysterium, et sacramentum passionis Christi est. Cum venisset hora eius, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, in ipso transitu respiciens ad dorsum, idest ad nos, qui credituri eramus : post eundem ipsum transitum, mensus est altare ligneum, idest iam dictum crucis, vel passionis suae sacramentum, substantiam panis, et vini accipiens in manibus suis, dicensque post benedictionem: Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus. Altaris huius altitudo trium cubitorum, longitudo duorum cubitorum est; altitudo trium cubitorum fides est sanctae Trinitatis, sine qua nusquam est altare Dei; longitudo duorum cubitorum, extensio geminae dilectionis Dei, et proximi, sine qua nihil dignum Deo potest offerri; qua plurimum indiget quisquis ad hoc altare hostiam vivam sacrificaturus accedit: anguli eius, longitudo eius, et parietes eius, lignei : totum quippe altaris Christi sacramentum de ligno constat vivificae crucis, quia totius sacrificii summa est passio eius : qui pro omni mundo semetipsum super lignum crucis sacrificavit ; et haec est inquit, mensa coram Domino, subauditur sola, et unica. Nam iudaici mensa sacrificii iam non est coram Domino : ne offeratis, inquit, ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi: item; numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo? subauditur : non ; sed quid? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.*

Habacuc item verba : *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius*, gravissimi Patres censuerunt, Dominicae crucis vaticinium praeseferre: hi sunt sanctus Augustinus (*de Civit. Dei lib.* 110. *cap.* 32), sanctus Hieronymus (*epist.* 103), sanctus Isidorus (*de Pas. Dom. cap.* 35), Rupertus (*in Habac. c.* 3), necnon Iulius Firmicus (*cap.* 22. *de mysteriis profanorum religionum*), ubi scribens Constantino, et Constanti Augusto Magni Constantini imperatoris filiis, ad pium, et religiosum Dominicae crucis cultum eos exhortans, sapienter dixit: *Cornua nihil aliud, nisi venerandum crucis signum monstrant : huius signi uno extento a directo cornu, mundus sustentatur, et terra constringitur, et e duorum, quae per latus vadunt, compagine, Oriens tangitur, Occidens sublevatur, ut sic totus orbis tripartita stabilitate firmatus, confixe operis immortalitatis, radicis fundamenta teneamur. Hoc secretum nobis venerandum Prophetae oraculum tradidit : invenimus enim in Habacuch ita esse praescriptum : Texit coelos virtus eius, et laude eius plena est terra, et splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius. En veneranda crucis cornua. En sanctae virtutis immortale fastigium. En gloriosi operis divina compago.*

His omnibus adiungo Aggaei prophetae vaticinium dicentis: *Cum intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagaenas, et fiebant viginti.* Super quem locum erudite satis, et ingeniose, ut assolet, haec Rupertus scripsit : *Crux, et mors eius, torcular extitit : unde et propheta alius prospiciens eum, ait: Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? et ipse respondens, Torcular, inquit, calcavi solus. Hoc torcular quinquaginta lagaenas, idest peccatorum remissionem facit : numerus namque iste, scilicet quinquagenarius, remissionem significat secundum legem, quae anno quinquagesimo remissionem sacravit. Unde annus Iubilaeus, idest dimittens, dicitur. Sed vos, o Iudaei, cum intraretis ad torcular lagaenarum quinquaginta, factae sunt vobis lagaenae viginti, qui numerus longe est a numero quinquagesimo numero remissionis: plusquam dimidium vobis defecit: nam totius, quod erat reponendum, tres vobis partes desunt, et tantummodo duae susceptae sunt. Quaenam sunt duae partes, quas suscepistis? videbatis natum ex Maria, passumque, vel mortuum, quamvis perverso corde, non ignoratis. Quae sunt tres partes, quas omisistis? nimirum resurrexisse, in coelum ascendisse, atque ad iudicandum vivos, et mortuos venturum esse non creditis.*

Tandem, ne in longius sermonem protraham; omissis aliis vaticiniis, illud solum Malachiae apponam: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? et dixistis : In quo configimus te? in decimis, et primitiis, et in penuria vos maledicti estis ; et me vos configitis gens tota.* Super quae verba sanctus Isidorus (*de Pas. Dom. cap.* 36) ait: *Ita enim idem Dominus de semetipso dixit: Si affiget, inquit, homo Deum, quia vos configitis me? et dixistis, in quo configimus te? et subiecit Deus posthaec illis: me vos configitis gens tota : quod pertinet ad mysterium Dominicae passionis, in qua Iudaei Christum crucifixerunt, quando sceleratas manus iniecerunt in eum.*

Et Ioannes Cassianus (*de Incarnatione Verbi*) aperte docet Prophetam ibi locutum fuisse in persona Christi : sic enim ait : *Ut evidentiora utique fierent, quae prophetabantur, quod de passione Domini nostri propheta cecinit, quasi ipsius, de quo dicebat ore praedixit. Si affiget, inquit, homo Deum suum, quia vos affigitis me? nonne tibi quaeso, dixisse hoc Dominus Deus noster, quasi ad crucem ductus, videtur? cur quaeso Redemptorem vestrum non agnoscitis? cur Deum indutum pro vobis carne nescitis? Salvatori vestro necem paratis, auctorem vitae ad mortem ducitis? Deus vester sum, quem suspenditis, Deus vester, quem crucifigitis. Quis rogo, hic error, aut quae insania est? Si affiget homo Deum suum, quia vos affigitis me?* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXVIII.

*De titulo cruci Christi Domini apposito, in illa verba:* Scripsit autem et titulum *Pilatus*, et posuit super crucem ; erat autem scriptum: Iesus Nazarenus rex Iudaeorum.

Ut sacri huius tituli recondita mysteria penetremus, a materia eius, si placet, exordiamur: quam etsi omnes silentio obvolvant, venerabilis Beda non praeterivit, sed disertis verbis tradit, tabulam tituli super caput Christi positam fuisse buxeam : de qua in sensu mystico non incongrue intelligi posse autumo illud Isaiae : *Scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium, usque in aeternum.* Haec autem buxi materies inscriptioni mirifice quadrat: nam, teste d. Isidoro, arbor ista dura est, solida, et nodosa, quae soliditatem regni Christi, quod praedicabat titulus, aperte significabat. Est etiam, ut adnotavit Angles (*l.* 17. *c.* 20), arbor virorem semper conservans, ut scriptionem tituli nunquam esse delendam, id frustra Iudaeis procurantibus, manifeste monstraretur. Addit etiam idem auctor, buxum arborem esse figurae in ea exaratae tenacissimam; quod non obscure comprobat tituli huius tabella, quam a me visam testor Romae in templo sanctae crucis in Hierusalem, quae inscriptio post mille fere, et sexcentos annos legi facile potest. Quamvis autem doctissimus noster Nicolaus de Lyra existimaverit titulum in charta tabulae affixa fuisse conscriptum ; aperte tamen constat omnibus, qui tabellam inspeximus, characteres tituli ferreo aliquo instrumento in ipsa lignea materia fuisse insculptos.

Fuisse vero huiusmodi characteres rubro colore tinctos refert ex antiquo Diario rerum Romanarum Bosius (*lib.* 1. *de Triumph. Cruce*). Moris enim fuit apud antiquos ea quae magno





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum : *Dabo claves domus David super humerum eius, et aperiet, et non erit, qui claudat, et claudet, et non erit, qui aperiat*, S. Augustinus sic loquitur : *Coelum clausum erat, quia nondum clavis crucis antecesserat : iam tempus erat, ut in mysterio crucis, omnia, quae in veteri testamento velabantur, revelarentur*. Sanctus vero Hieronymus loquens de cruce ait : *Haec ipsa clavis erit super humerum eius, hoc est, in passione, iuxta illud, quod in alio loco scribitur: Cuius principatus super humerum eius: quod enim ille in sua passione reseravit, claudi non poterit, et quod clauserit in caeremoniis Iudaeorum, a nullo alio aperietur*.

Satis praeterea decantatum est a sanctis Patribus vaticinium illud Hieremiae : *Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius:* intelligendum enim esse de cruce indubitanter asseruerunt sanctus Cyprianus (*adv. Iud. lib.* 2. *cap.* 20), s. Hieronymus (*sup. cap.* 11. *Hierem.*), s. Gregorius (*lib.* 3. *moral. cap.* 11. *et lib.* 12. *c.* 4), s. Isidorus (*de pas. Dom. cap.* 35), Theodoretus (*in Hierem. cap.* 11), Origenes (*in Hierem. hom.* 8), Lactantius Firmianus (*lib.* 4. *cap.* 18), Tertullianus (*adver. Iud. cap.* 10. *et con. Mar. libr.* 3. *cap.* 19), et Ambrosius (*in titul. Psal.* 35), cuius verba, brevitatis causa, solum referam : *Bene panem dixit pro carne eius : ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium ; non mirum ergo, si esuriunt, qui sibi vitae aeternae alimoniam denegarunt. Pulchre etiam duo ista iunxerunt : iniiciamus lignum in panem eius. Nesciebant, quid loquerentur Iudaei, et mysterium loquebantur ; paradisum nobis crux reddidit Christi. Hoc est lignum, quod Adae Dominus demonstravit dicens : De ligno vitae, quod est in medio paradisi edendum ; de ligno autem scientiae boni, et mali non edendum. Erravit Adam ; mandata non tenuit, interdictum gustavit. Per lignum coepimus esurire, quia suum caro accepit alimentum. Ideo Dominus in Christo carnem iunxit, et lignum, ut fames antiqua cessaret, vitae gratia redderetur. Beatum lignum Domini, quod omnium peccata crucifixit; beata caro Domini, quae victum omnibus ministravit.*

Apud Ezechielem, iuxta divi Hieronymi, et Theodoreti sententiam, aliud omni acceptione dignum crucis vaticinium legimus: *Haec dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, et ponam de vertice ramorum eius, tenerum destringam, et plantabo super montem excelsum, et eminentem. In monte sublimi Israel plantabo illud, et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam ; et habitabunt sub ea omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit.*

Septuaginta autem Interpretes eundem locum in hunc modum verterunt : *Haec dicit Adonai Dominus: Et auferam ego de electis cedri, de vertice, et dabo de capite ramorum eius: de corde eorum auferam, et plantabo super montem excelsum, et suspendam illud in monte sublimi Israel: et plantabo, et afferet germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam, et requiescet sub ea omnis avis, et omne volatile sub umbra eius requiescet.*

Sanctus igitur Hieronymus (*in Ezech. c.* 17) sic verba haec interpretatur : *Dominus Deus, Pater Omnipotens, qui locutus est ad Ezechielem, tollit de stirpe regia, et de genere David, et plantat super montem excelsum, et eminentem, qui loquitur in Psalmo: ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Defecerat enim princeps de Iuda, et dux de Israel, donec veniret cui repositum est: et ipse erat expectatio Gentium: iste erupit in germen, et fecit fructum, et cedros omnes sua sublimitate superavit, ita ut habitent sub ea omnes volucres coeli, et cuncta volatilia illius protegantur umbraculo : de quo dicit Habacuc; Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius, et quae congregare desiderat, quasi gallina pullos suos sub alas suas, ut omnia regionis ligna cognoscant, quod ipse sit Dominus.*

Eiusdem deinde prophetae Ezechielis singulare aliud crucis vaticinium a Ruperto Abbate singulariter observatum, silentio non praeteribo : *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, et longitudo eius duorum cubitorum, et anguli eius, et longitudo eius, et parietes eius lignei, et locutus est ad me: Haec est mensa coram Domino.*

Septuaginta vero Interpretes in hunc modum transtulere: *Visio, quasi species altaris lignei: trium cubitorum altitudo eius, et longitudo cubitorum duorum, et cornua habebat ; et basis eius, et parietes eius lignei, et dixit ad me : haec est mensa, quae ante faciem Domini.* Hunc locum elucidans Rupertus Abbas (*in Ezech. l.* 2. *cap.* 27) praeclara haec pietate plena scripsit : *Altare ligneum, mysterium crucis, mysterium, et sacramentum passionis Christi est. Cum venisset hora eius, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, in ipso transitu respiciens ad dorsum, idest ad nos, qui credituri eramus : post eundem ipsum transitum, mensus est altare ligneum, idest iam dictum crucis, vel passionis suae sacramentum, substantiam panis, et vini accipiens in manibus suis, dicensque post benedictionem: Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus. Altaris huius altitudo trium cubitorum, longitudo duorum cubitorum est; altitudo trium cubitorum fides est sanctae Trinitatis, sine qua nusquam est altare Dei; longitudo duorum cubitorum, extensio geminae dilectionis Dei, et proximi, sine qua nihil dignum Deo potest offerri; qua plurimum indiget quisquis ad hoc altare hostiam vivam sacrificaturus accedit: anguli eius, longitudo eius, et parietes eius, lignei : totum quippe altaris Christi sacramentum de ligno constat vivificae crucis, quia totius sacrificii summa est passio eius : qui pro omni mundo semetipsum super lignum crucis sacrificavit ; et haec est inquit, mensa coram Domino, subauditur sola, et unica. Nam iudaici mensa sacrificii iam non est coram Domino : ne offeratis, inquit, ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi: item; numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo ? subauditur : non ; sed quid? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.*

Habacuc item verba : *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius*, gravissimi Patres censuerant, Dominicae crucis vaticinium praeseferre: hi sunt sanctus Augustinus (*de Civit. Dei lib.* 110. *cap.* 32), sanctus Hieronymus (*epist.* 103), sanctus Isidorus (*de Pas. Dom. cap.* 35), Rupertus (*in Habac. c.* 3), necnon Iulius Firmicus (*cap.* 22. *de mysteriis profanorum religionum*), ubi scribens Constantino, et Constanti Augusto Magni Constantini imperatoris filiis, ad pium, et religiosum Dominicae crucis cultum eos exhortans, sapienter dixit: *Cornua nihil aliud, nisi venerandum crucis signum monstrant : huius signi uno extento a directo cornu, mundus sustentatur, et terra constringitur, et e duorum, quae per latus vadunt, compagine, Oriens tangitur, Occidens sublevatur, ut sic totus orbis tripartita stabilitate firmatus, confixe operis immortalitatis, radicis fundamenta teneamur. Hoc secretum nobis venerandum Prophetae oraculum tradidit : invenimus enim in Habacuch ita esse praescriptum : Texit coelos virtus eius, et laude eius plena est terra, et splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius. En veneranda crucis cornua. En sanctae virtutis immortale fastigium. En gloriosi operis divina compago.*

His omnibus adiungo Aggaei prophetae vaticinium dicentis: *Cum intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagaenas, et fiebant viginti.* Super quem locum erudite satis, et ingeniose, ut assolet, haec Rupertus scripsit: *Crux, et mors eius, torcular extitit : unde et propheta alius prospiciens eum, ait: Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? et ipse respondens, Torcular, inquit, calcavi solus. Hoc torcular quinquaginta lagaenas, idest peccatorum remissionem facit : numerus namque iste, scilicet quinquagenarius, remissionem significat secundum legem, quae anno quinquagesimo remissionem sacravit. Unde annus Iubilaeus, idest dimittens, dicitur. Sed vos, o Iudaei, cum intraretis ad torcular lagaenarum quinquaginta, factae sunt vobis lagaenae viginti, qui numerus longe est a numero quinquagesimo numero remissionis: plusquam dimidium vobis defecit: nam totius, quod erat reponendum, tres vobis partes desunt, et tantummodo duae susceptae sunt. Quaenam sunt duae partes, quas suscepistis? videbatis natum ex Maria, passumque, vel mortuum, quamvis perverso corde, non ignoratis. Quae sunt tres partes, quas omisistis? nimirum resurrexisse, in coelum ascendisse, atque ad iudicandum vivos, et mortuos venturum esse non creditis.*

Tandem, ne in longius sermonem protraham; omissis aliis vaticiniis, illud solum Malachiae apponam: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me ? et dixistis : In quo configimus te ? in decimis, et primitiis, et in penuria vos maledicti estis ; et me vos configitis gens tota.* Super quae verba sanctus Isidorus (de *Pas. Dom. cap.* 36) ait: *Ita enim idem Dominus de semetipso dixit: Si affiget, inquit, homo Deum, quia vos configitis me ? et dixistis, in quo configimus te? et subiecit Deus posthaec illis: me vos configitis gens tota : quod pertinet ad mysterium Dominicae passionis, in qua Iudaei Christum crucifixerunt, quando sceleratas manus iniecerunt in eum.*

Et Ioannes Cassianus (*de Incarnatione Verbi*) aperte docet Prophetam ibi locutum fuisse in persona Christi : sic enim ait : *Ut evidentiora utique fierent, quae prophetabantur, quod de passione Domini nostri propheta cecinit, quasi ipsius, de quo dicebat ore praedixit. Si affiget, inquit, homo Deum suum, quia vos affigitis me? nonne tibi quaeso, dixisse hoc Dominus Deus noster, quasi ad crucem ductus, videtur ? cur quaeso Redemptorem vestrum non agnoscitis ? cur Deum indutum pro vobis carne nescitis ? Salvatori vestro necem paratis, auctorem vitae ad mortem ducitis? Deus vester sum, quem suspenditis, Deus vester, quem crucifigitis. Quis rogo, hic error, aut quae insania est? Si affiget homo Deum suum, quia vos affigitis me ?* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXVIII.

*De titulo cruci Christi Domini apposito, in illa verba:* Scripsit autem et titulum *Pilatus*, et posuit super crucem ; erat autem scriptum: Iesus Nazarenus rex Iudaeorum.

Ut sacri huius tituli recondita mysteria penetremus, a materia eius, si placet, exordiamur: quam etsi omnes silentio obvolvant, venerabilis Beda non praeterivit, sed disertis verbis tradit, tabulam tituli super caput Christi positam fuisse buxeam : de qua in sensu mystico non incongrue intelligi posse autumo illud Isaiae : *Scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium, usque in aeternum.* Haec autem buxi materies inscriptioni mirifice quadrat: nam, teste d. Isidoro, arbor ista dura est, solida, et nodosa, quae soliditatem regni Christi, quod praedicabat titulus, aperte significabat. Est etiam, ut adnotavit Angles (*l.* 17. *c.* 20), arbor virorem semper conservans, ut scriptionem tituli nunquam esse delendam, id frustra Iudaeis procurantibus, manifeste monstraretur. Addit etiam idem auctor, buxum arborem esse figurae in ea exaratae tenacissimam; quod non obscure comprobat tituli huius tabella, quam a me visam testor Romae in templo sanctae crucis in Hierusalem, quae inscriptio post mille fere, et sexcentos annos legi facile potest. Quamvis autem doctissimus noster Nicolaus de Lyra existimaverit titulum in charta tabulae affixa fuisse conscriptum ; aperte tamen constat omnibus, qui tabellam inspeximus, characteres tituli ferreo aliquo instrumento in ipsa lignea materia fuisse insculptos.

Fuisse vero huiusmodi characteres rubro colore tinctos refert ex antiquo Diario rerum Romanarum Bosius (*lib.* 1. *de Triumph. Cruce*). Moris enim fuit apud antiquos ea quae magno

pretio habebant, ac proinde diu durare desiderabant, rubro colore depingere; unde Homerus non parum celebrat naves rubro colore depictas, et Ovidius solitum fuisse innuit librorum titulos minio insigniri:

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Immo et sepulcrorum epitaphia rubris characteribus describebantur, ut auctor est Plinius; qui etiam affirmat hunc apud eos morem viguisse, quia illi, et praesertim Romani, minium sacram quandam auctoritatem praeseferre iudicabant; et ideo faciem Iovis, necnon et vultus triumphantium minio decolorabant. Unde Camillus rubro colore triumphavit, et Aethyopes venerationis causa Idolorum statuas minio tingebant, ut tradit idem Bosius praecitato loco. Immo Romae observavimus in sacris caemeteriis sanctorum martyrum, quae subtus terram sunt, in ore sepulcrorum defunctorum nomina rubro colore esse conscripta. Quamvis autem hoc eodem colore fuerit Dominicae crucis titulus conscriptus, in tabella tamen eius, quam Romae vidimus, prae nimia vetustate, et ob maximam eius contrectationem, rubeus color penitus abiit, sicut et candidus reliquarum partium, candidum enim fuisse, tradit Arnoldus Marmannaeus (*lib. de Cruce*), omnino abolitus est, naturali solum ligni colore superstite. Non est autem, cur cruentus canis Calvinus adversus tabellam hanc tituli, quae Romae extat, oblatret, dicens etiam Tholosae, et in aliis Ecclesiae Romanae subiectis civitatibus tabellam tituli Dominicae crucis demonstrari, cum revera ea quae Romae observatur, non tota et integra tabella sit, et ideo reliquae partes possunt alibi ostendi.

Et quamvis etiam sapientissimus Salmeron doceat, tabellam inter duo cornua crucis funiculo hinc inde alligatam fuisse, maiorem tamen censemus fidem adhibendam esse d. Cypriano dicenti (*ser. de fin. et sion.*): *Pilatus in capite ligni clavis tabulam cum nomine regis Iudaeorum confixit:* quod idem lego apud Nonnum, dum ait: *Pilatus spectabilem inscripsit testificante clavo inscriptionem.* Porro quot, et quibus linguis fuerit titulus scriptus, duo Evangelistae tradunt, triplici, hebraica, graeca, et latina; quod non ita intelligendum est, ut partim hebraice, partim graece, partim latine conscriptus, sed totus integer hebraice, totus graece, totus latine scriptus fuerit. Ubi observandum est latinam in honoratiori loco positam esse, non solum quia vicinior capiti Christi, sed quia ultimus locus honoratior erat apud Romanos, ut egregie probant Gretserus (*in aureo illo suo lib. de Cruce*), et cardinalis Baronius (*in suis annalibus*). Unde Nicolaus Papa (*in Epist. ad Michaelem Imperatorem*), qui in linguam latinam debacchabatur, ait: *Latina lingua cum hebraea, et graeca in titulo Domini a reliquis discreta, insignem principatum tenens, omnibus nationibus praedicat Iesum Nazarenum regem Iudaeorum.* Nec potest dici, hebraeam, aut graecam linguam in honoratiori loco fuisse constitutam; tum quia, ut tradit d. Chrysostomus, hebraea lingua Romanis maxime despectui erat; tum quia Romani tanti latinum sermonem fecerunt, ut in ipsa Graecia, Valerio Maximo id attestante, licet graece doctissimi essent, non nisi latine responsa darent. Quibus consonat illud Thryphonii iuris consulti (*in l. decreta ff. de re iud.*) dicens: *Decreta a praetoribus latine interponi debent.* Quae omnia confirmat d. Augustinus, dum ait (*lib. 19. de Civit. Dei cap. 7*): *Opera data est, ut imperiosa civitas non solum iugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per speciem societatis imponeret.* Cur autem non eodem idiomate, sed pluribus conscriptus fuerit titulus, alia est ratio facti, alia sacramenti: causa facti in promptu est, ut a pluribus legeretur: ut enim tradit d. Lucas in Actis Apostolorum: *Tunc in Hierusalem erant viri habitantes ex omni natione, quae sub coelo est.*

Huius rationis meminit Prudentius, dum eleganter cecinit (*in Apot. adv. gentes*):

Pilatus iubet ignorans, tu scriba tripictis,
Dirige versiculis, quae sit suffixa potestas,
Fronte crucis titulus triplex, et triplice lingua,
Agnoscat Iudaea legens, et Graecia norit:
Et venerata Deum percenseat aurea Roma.

Meminit etiam eiusdem Sedulius (*lib. 4. operis Paschalis*):

Scribitur, et titulus: Hic est rex Iudaeorum.
Quod nihil a deitate vacet, nam coelitus actum:
Hoc hebraea refert, hoc graeca, latinaque lingua,
Hoc docet una fides, unum ter dicere regem.

Simile quid legimus apud Iulium Capitolinum in vita Gordiani de Augusti militibus, qui sepulcro Gordiani titulum apposuerunt litteris graecis, latinis, persicis, iudaicis, et aegyptiacis, ut ab omnibus facile legeretur. His autem tribus linguis magis usus fuit Pilatus, quam aliis, quia ceteris erant clariores, et copiosiores. Ratio autem sacramenti ea potest assignari, quod tres nationes Christi fidem ardentius erant accepturae, sed hoc ordine, quod religio Christiana primum ab Hebraeis ad Graecos, deinde a Graecis ad Latinos profectura erat. Lucas vero non absque mysterio post Graecos, et Latinos ultimo loco posuit Hebraeos, ad id profecto respiciens, quod ultimo loco ad fidem essent convertendi: cum enim plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet, ut Apostolus inquit. Aliam etiam sacramenti rationem acute excogitavit d. Cyrillus, qui (*lib. 12. in Ioan.*), de titulo agens, ait: *Divinitus, ut ego puto, factum est, ut trium linguarum, quae praecipuae sunt, litteris scriptus titulus fuerit: omnium enim gentium regnum Christo attributum esse significavit: Ipsi enim, inquit Daniel, honor, et regnum datum est, et omnes tribus, et linguae ipsi servient.* Fuit autem titulus ad caput Christi positus, et non ad pedes: tum quia regnum Christi non erat terrestre, profanam pompam redolens, sed coeleste ac divinum, iuxta id, quod ipse dixerat: *Regnum meum non est hinc:* tum quod regnum eius non esset tyrannicum,



aut violentum, velut est omnium illorum, qui subditos calcant, spoliant, atque diripiunt, sed regnum charitatis, quo rex tanquam verus pastor, ovem errantem super humeros portat: tum tandem, quia ut ait d. Ambrosius: *Merito supra crucem titulus: non enim humani corporis, sed divinae potestatis est regnum, quod habet Christus; merito supra crucem titulus, quia licet in cruce erat Dominus Iesus, supra crucem tamen regis maiestate radiabat.*

Sed iam sacrae Scripturae testimonia, quibus Spiritus sanctus inscriptionem huius tituli vel praedixerat, vel adumbraverat, in medium producamus. Figuratum arbitror illum apud Ezechielem (*c.39*): nam post verba illa: *Erit eis memorata dies, in qua glorificatus sum,* paulo post subiicit: *Cumque viderint os hominis, statuent iuxta illud titulum, donec sepeliant illud pollinctores.* Tunc solum visum est os, et facies hominis perfecti, quando visum est os, et facies Christi; tunc appositus est titulus, donec pollinctores Ioseph, et Nicodemus illum sepelierunt. Extat ad idem vaticinium Isaiae, dicentis: *In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti, et titulus Domini iuxta terminum eius, et erit in signum, et testimonium Domino, et mittet eis Salvatorem, et propugnatorem, qui liberet eos.* Testimonium istud ad hoc propositum adducit doctissimus Archiepiscopus Paleottus (*in explic. sacrae Sindonis*), et eundem locum versans exemplo vitae, ac doctrina insignis noster Angelus de Pas. (*in suo symbolo*) ita exponit: *Erit altare Domini in medio terrae Aegypti, idest mundi perversi, et obscuri, et titulus Domini iuxta terminum eius, titulus inquam triumphalis pro belli victoria, titulus praeconii, et dignitatis pro agnoscenda familiae dignitate, qui portis solet affigi; et titulus memorialis posteris, ut videant, et discernant, in quem pupugerunt.*

Porro cum ea limpidior cognitio rei habeatur, quam per rei causam venamur, unde philosophi hoc cognitionis genus notitiam a priori vocarunt, oportebit ad exactam arcanorum cognitionem, quae in scriptione huius tituli latent, varias illius causas, tam litterales, quam mysticas diligenti indagine investigare. Prima causa, ob quam titulum cruci imponi Pilatus praecepit, ea certe est, et omnino litteralis, quia moris erat apud antiquos, causam mortis, aut supplicii, vel publica praeconis voce divulgari, ut testatur Spartianus (*in Severo*), dicens: *Fustibus eum sub elogio praeconis caecidit,* et confirmat Lampridius (*in Alexandro*), dum ait, quod cum quidam damnatus esset ad mortem fumi, praeco valenti voce clamabat: *Fumo necatur, qui fumum vendidit;* vel grandiusculis litteris scriptam indicare, prout tradit Svetonius (*in Caio c. 32*) ubi ait: *Manibus abscissis, atque ante pectus, et collo pendentibus praecedente titulo, qui causam poenae indicaret, inter epulantium coetus circumduci iussit.*

Et Eusebius (*lib. 5 Eccl. histor. c. 1*), s. Attali martyris passionem narrans, inquit: *Ac cum undique per amphitheatrum circumduceretur, tabula, in qua latinis litteris haec inerat inscriptio, Hic est Attalus Christianus, praecedente.* Accedit Svetonius, qui scribens Domitiani Imperatoris vitam ait: *Patrem familias, quod Thracem Mirmilloni parem, Munerario imparem dixerat, detractum e spectaculis in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo: Impie locutus Parmularius.* Persimilis est huic locus ille Dionis asserentis punitum fuisse quemdam servum a Domino suo, *cum litteris sive titulo, quae causam mortis aperirent.* Et Quintilianus in quadam delcamatione meminit crucis cuiusdam inscriptae hoc modo: *Servo danti venenum Domino.* Huius etiam consuetudinis vestigia quaedam lego in martyrologio Romano, et in alio Usuardi sub vigesima die Ianuarii, ubi haec verba habentur: *Ibidem ad catacumbas sancti Sebastiani martyris, qui Diocletiano imperatore cum haberet principatum primae cohortis, sub titulo Christianitatis, iussus est ligari in medio campi, et sagittari a militibus,* non sub praetextu, vel causa, ut quidam antiquitatis ignari autumant, sed sub tabella quae patienti, vel loco supplicii affigebatur, ut constat ex Actis martyrum, et ex Baronii Martyrologio, et ex passione s. Cypriani, necnon ex Tertulliano. Ac tandem Romae usque modo haec consuetudo viget, quae rationi valde consentanea est: nam cum titulus praemittitur, qui delicti gravitatem aperiat, indicatur supplicium illud inferri non ex Principis tyrannide, aut iudicis malevolentia, sed ob delicti atrocitatem, genus illud supplicii exposcentem. Huic ergo Romanorum consuetudini Pilatus se conformans, titulum crucis patibulo superposuit, supplicii causam exprimentem: unde et Matthaeus, et Marcus titulum ipsum causam mortis vocarunt.

Secundam rationem adhibet d. Chrysostomus (*ho. 48. in Io.*), his verbis: *Scripsit autem, et titulum Pilatus, tum ut Iudaeos ulcisceretur, tum ut Christum excusaret: nam cum tanquam pravum tradidissent, et sententiam hanc latronum societate confirmare vellent, ne quis tam turpem mortis notam inurere, et tanquam malum, et perditum accusare posset, ut calumniantibus os obstrueret, in regem suum surrexisse denunciat;* haec ille. Itaque asserit Chrysostomus, Pilatum totum crimen in Iudaeorum malitiam, et invidiam reiecisse, ac proinde mortem Christi in eorum dedecus, et infamiam redundare, qui in regem, ac Messiam proprium usque ad crucis necem insurrexissent: unde gravati Iudaei illo titulo, proclamabant, teste d. Ioanne (*c.19*): *Noli scribere rex Iudaeorum, sed, quia ipse dixit, rex sum Iudaeorum,* id est falso se de regno iactavit, regiamque coronam usurpavit. Persistens tamen Pilatus respondit, *quod scripsi, scripsi:* praedixerat enim regius Vates in multis Psalmis inscriptionem tituli numquam fore delendam: tribus namque Psalmis hunc titulum praeposuit: *Ne corrumpas tituli inscriptionem:* ita explicat d. Augustinus, cuius aurea verba subnectere non pigebit: *Quod scripsi, scripsi. O ineffabilem vim divinae operationis, etiam in cordibus ignorantium! nonne occulta vox quaedam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante in Psalmorum litteris prophetatum est, ne corrumpas tituli inscriptionem? Ecce tituli*

*inscriptionem non corrumpit,quod scripsi,scripsi, et addit: Quid loquimini insani pontifices? numquid propterea non erit verum, quia Iesus ait,rex sum Iudaeorum?si corrumpi non potest, quod Pilatus scripsit, corrumpi potest, quod veritas dixit? Ideo enim Pilatus, quod scripsit scripsit, quia Dominus quod dixit dixit;* haec d. Augustinus.

Tertiam rationem valde diversam adhibet Rupertus: existimat enim, ut Caiphas in illis verbis: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat*, alium sensum habuit, et alium Spiritus sanctus, ita hunc titulum alio sensu impositum a Spiritu sancto, et alio a Pilato: nam ille in gloriam, hic in ludibrium, et iocum illum apposuit, et putabat se gloriari posse apud Caesarem, quod pro eius fide hominem affectantem regnum, et quem multa illius gentis turba cum ramis palmarum receperat, regiasque laudes illi acclamaverat, dicens (*Luc.* 19): *Benedictus qui venit rex in nomine Domini*, atrocissimo crucis supplicio affecisset, iactans se certe, velut olim Adonibezec gloriabatur, septuaginta regum manus abscidisse, quod prudentius fecisset, quam fecerat Herodes, qui regem natum a Magis illusus interficere non potuisset. Hanc rationem amplectens Caietanus (*in loa.*) asserit, Pilatum, sicut et Herodem illum, qui Dominum illusit in veste alba, tanquam stultum Christum habuisse, ac proinde titulum illum irrisorie apposuisse.

Quartam causam assignavit sapientissimus Archiepiscopus Paleottus (*in explic.sacrae Sindon. c.*5) in haec verba: *Titulus iste Servatori perbelle convenire visus est, tanquam qui hostibus triumphum duxaret maximo regi; cum praesertim vetus inolevisset mos, in triumphis arcuatos extruere fornices, et in ipsis titulos, nomine, patria, et devictarum gentium prae nomine triumphantis, ad laudem peregregie inscripto: hinc factum est, ut isti,* ignorantes tamen quid facerent, *sanctissimo caeli, terrarumque regi, in triumpho, quem devictis diabolo, morte, ac peccato reportavit, crucis arcum erexerint, infixo titulo, in quo nomen Iesus, Nazarena patria, regia dignitas, subditi quoque Iudaei inscripti fuere.* Hanc rationem iam antea, breviter tamen, indicaverat d. Chrysostomus his verbis: *Tanquam trophaeo cuipiam litteras insculpsit clara voce, et victoriam, et regnum profitentes.* Haec ratio, quia finem praeintentum a Deo, ut scilicet in maiorem Christi gloriam, et honorem titulus hic cederet, exprimit, placet in ea illustranda paulo amplius immorari. Memini Festum docuisse, *Titulum*, a tuendo dictum, sicut et de templo id tradidit Varro (*l.*6. *de lingua Latina*). Titulus ergo superpositus capiti Christi, scilicet *Iesus Nazarenus rex Iudaeorum*, tuetur manifeste Christum a calumniis, et cavillis adversariorum, eiusque innocentiam, et dignitatem mirifice praesefert. Nam prima dictio eius, quae est *Iesus*, Salvatorem significat. Si ergo est Salvator, non erat crucifigendus. Secunda est *Nazarenus*, quae floridum significat; flos autem innocentiae symbolum est. Si ergo innocens, non erat morte mulctandus. Tertia est *rex*. Si rex: non igitur infami supplicio afficiendus. Si enim Ionathas a morte servatus est, quia erat filius regis, multo magis rex a crucis supplicio est liberandus. Quarta dictio erat *Iudaeorum*, populi scilicet Deo chari, et inter omnes nationes pietate insignis: non ergo execrandam illam impietatem crucifixionis Christi committere debebat. Aliter etiam possumus in hunc modum eadem verba exponere ad maiorem Christi gloriam. Si enim *Iesus* est Salvator: ergo potest salvos facere: *Deus noster*, inquit David (*Ps.* 69), *Deus salvos faciendi*. Nam sicut medici officium est aegrotis adhibere remedium, et advocati vincere causam clientis, et cuiuslibet artificis praestare, quod ars eius postulat: ita et salvos facere munus erit Salvatoris. Dicitur etiam Nazarenus, id est floridus, quia *Flos erat, et lilium convallium*, ut ipse praedixerat, per cuius odorem sacrificium Patri offerebat, et in cuius repraesentatione sacrae litterae testantur Deum odoratum fuisse sacrificia Abel, Noe, et Abraham. Inscribitur quoque *rex*, dum in cruce pendet, quoniam ab ea regnare coepit, ut praedixerat David: *Regnavit a ligno Deus.* Qua in re valde differt eius regnum ab aliorum principum regnis: nam illorum imperia in morte pereunt, at regnum Christi in morte incepit. Quarto tandem addit *rex Iudaeorum*, idest confitentium, et laudantium, in quo sensu Ioannes (*Apoc.* 2): *Ecce dabo de synagoga satanae, qui dicunt se Iudaeos, et non sunt, sed mentiuntur*; mendacium autem erat, quod cum Iudaeus confitentem significet, ipsi Christum non confitebantur. Sed ut uno verbo dicam, quid aliud sibi vult titulus ille *Iesus Nazarenus rex Iudaeorum*, quam vivat Iesus, vivat Nazarenus, vivat rex, et vivat rex confitentium, et laudantium Deum? ne aliam iacturam salutis, sanctitatis, regiminis, et confessionis nostrae faciamus? nam si pereat salus, quomodo salvabimur? si sanctitas, quomodo sanctificabimur? si rex, quis reget nos? si rex Iudaeorum, quis agnoscet nos, ut Christum confitentes? In eo autem mirum in modum titulus hic honorem Christi tuetur, quod ad id divino consilio appositus fuerit, ut omnibus palam fieret, crucem esse trophaeum, et triumphum Christi: trophaeis enim, et triumphis, atque ornamentis triumphalibus solitos fuisse addi titulos, multa antiqua monumenta testantur: nam praeter fornices Romanorum imperatorum, de Saule legitur, quod reversus a caede Amalech erexit sibi fornicem triumphalem, ut constat (*ex* 1. *Reg.* 15): probat etiam id, quod ut tradit Stobaeus (*ser. de fortitud.*) nobilis Theseus, hostibus devictis, trophaeum erexit, et utens, velut atramento, proprio sanguine, hunc titulum inscripsit: *Lacedaemones de Argivis.* Facit etiam ad idem illud Svetonii (*cap.* 37): *Iulius Caesar Pontico triumpho inter pompae fercula trium verborum praetulit titulum, Veni, Vidi, Vici.* Erat igitur crux Christi arcus triumphalis, in quo Dominus pactum pepigit, velut olim (*Genes.* 9) de non amplius immittendo diluvio in mundum; et sicut in arcu nomen victoris proprium, patria, et dignitas, seu officium apponi con-



suevit, ita in hoc triumphali arcu haec omnia apposita fuere inscripto titulo, *Iesus Nazarenus rex Iudaeorum.* Quod si ibi non nominatur provincia debellata, ut in aliis fieri solebat, dicebantur enim aut Africani, aut Parthici, aut Germanci, id certe fuit, quia latissime patet Christi triumphus, ut in nomine Iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum.

Quintam rationem subiungamus, quod sacer locus, et maxime templum, vel altare semper olim consuevit aliquo speciali titulo insigniri: unde Iacob cum vidisset scalam illam mysticam summitate sua caelum pertingentem (*Gen.*28): *Erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper*: et cum acervum lapidum in testimonium initi cum Laban foederis fecisset, vocavit illum, *titulum*; et cum Deus loquutus esset Moysi, et 70 senioribus, duodecim titulos exexerunt. Et hinc est, quod Deus in Levitico idololatriam damnans, prohibet titulos Diis excitari, dicens (*Levit.*26): *Nec titulos erigatis*; et libro Numerorum erectos iam confringi praecepit: *Confringite*, inquit (*Num.*32), *titulos, et statuas.* Cum ergo crux locus sacer esset, et velut altare sanctissimum, quo Christus Dominus quasi summus Pontifex, et orator, Deum deprecatur, et ut sacerdos sacrificium obtulit Deo Patri, missamque summa religione celebravit, cuius introitus fuit per Incarnationem; Gloria in excelsis Deo in Nativitate; orationes, cum pernoctabat orans in deserto; Lectio Epistolae, declarando legem, et Prophetas; Evangelium, quando divinam illam doctrinam, quam a Patre acceperat, evangelizabat; consecrationem fecit, quando se consecratum in coenaculo morti obtulit; hostiam vero elevavit, dum se exaltatum in cruce toti mundo ostendit; complevitque sacrificium, cum dixit: *Consummatum est;* in quo fecit summam et compendium quoddam omnium sacrificiorum veteris legis: erat enim *agnus* propter innocentiam; *ovis* propter mansuetudinem; *aries* propter ducatum gregis Christiani; *vitula rufa* ob effusionem sanguinis sui extra Hierusalem; *bos laboriosus* crucis aratro terram proscindens; *hircus, sive hoedus* propter similitudinem carnis peccati; *columba*, quia sine felle alicuius doli; *turtur gemebunda*, quia cum clamore valido, et lacrymis preces, supplicationesque pro nobis offerens exauditus est; *passer solitarius*, quia torcular crucis calcavit solus. Cum ergo sacrosancta Christi crux ara esset, et ara certe ignoti Dei, sicut olim eaquam d. Paulus Athenis invenit cum hac tituli inscriptione, *Ignoto Deo*, voluit Deus, ut titulus apponeretur ad exprimendum eum, cui sacrabatur: et quia hic erat *Iesus Nazarenus rex Iudaeorum*, ideo hac inscriptione verticem crucis cohonestari fecit. Atque huc faciunt carmina Sedulii (*lib.*4.*op.pauli*):

Scribitur et titulus, hic rex est Iudaeorum,
Quod nihil a deitate vacet, cum caelitus actum.
Hoc hebraea refert, hoc graeca, latinaque lingua,
Hoc docet una fides, unum ter dicere regem.

Sextam subnectamus rationem ex variis causis contextam, ob quas titulus apponi consuevit. Propertius (*l.* 4) refert titulum apponi solitum ad ostendendam rem esse venalem, ita ut etiam servis vendendis titulus apponeretur e collo pendens, qualitatem eius describens. Non incongrue hac ratione titulus cruci appositus est, in qua Deus operatus est salutem venalem in medio terrae, ipso dicente: *Emite absque argento, et absque ulla commutatione*, quia haec salutis propriae emptio non pecunia, sed peccatorum contritione, et cordis suspiriis celebratur, nec iustitiae obligationem inducit, ut in aliis emptionibus, quia salus peccatori mere gratis datur. Svetonius autem narrat victimis in capitolium deductis fuisse praelatum titulum; sic enim ait: *Nonnulli patrum familiarum testamento caverunt, ut ab haeredibus suis victimae praelato titulo in capitolium ducerentur, votumque pro se solveretur, quod superstitem Augustum reliquissent.* Cum igitur Christus Dominus ductus fuerit in capitolium montis Calvariae, ut victima fieret pro nobis Deo Patri, voluit illo titulo insigniri, prout olim in victimis fiebat. D. vero Augustinus (*in Ps.* 21) tradit, ad custodiendam domum, ne ab hostibus irrueretur, titulos potentissimorum Principum solitos fuisse collocari: verba eius sunt: *Ne domum ipsius invadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces; ipse vult esse possessor, et frontem suam de titulo alieno muniri, ut cum titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia hominis, abstineat ab invasione.* Olim crucis patibulum ignominiosum fuisse supplicii genus, et omnibus detestabile, satis illud Deuteronomii probat, ubi maledictus vocatur, qui pendet in ligno; ut tamen iam homines crucem non despicerent, aut contumelia aliqua eam afficere auderent, praemunivit illam Deus honorifico potentissimi principis Christi Domini titulo, honorificum eius nomen praeseferente, quo inspecto, conterriti potentia tanti nominis, infestissimi hostes Christi ab invasione abstineant, ut verbis d. Augustini utar. Titulos etiam libris apponi, auctorem, et argumentum libri exprimentes satis compertum est. Erat Christus liber vitae intus, et exterius scriptus, de quo d. Bernardus loquens ait (*ser.de Christ.ref.*): *Vere Christus est liber ille, quem Ioannes in sua Apocalypsi conscripsit, scriptus intus, et foris: foris enim Christi vulnera cernimus, sed intus immensi eius erga nos amoris incendia contemplamur: hunc docti, et indocti vident, hunc omnes legunt, sed non eodem modo eius mysteria omnes intelligunt.* Et b. Laurentius Iustinianus (*de Triump. Chri. ag.*) non minus pie, quam docte haec ad idem scribit: *Poterat plane homo quamdiu in mundo conversatus est Christus, de pacis bono, quam idem perficere venerat, dubitare; at ubi patibulo effusus est cruor, de ipsa certificatus est pace. Hanc itaque non in membranis, non in lapide, neque in ligno, sed sanguine proprio in sua carne conscripsit: librum hunc, ut ab universis legatur, publice exposuit, non autem sermone composito, vel humanae sapientiae exaratus est verbis, sed hominum interveniente malitia, digito Dei scriptus, nempe saevientibus*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Gentilibus, atque Iudaeis depictus est foris; virtute autem, et sapientia Christi formatus est intus. Habet foris simplex, et indoctus quid legat, habet spiritualis, et perfectus, quod intus intelligat: legit simplex, et laetificatur, atque compungitur; exercitatus vero intelligens, irradiatur, atque accenditur. Quisnam nisi sapientia doctrix poterat paucis tam multa colligere? abbreviatam equidem legem legalia sacramenta, charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam, et totum humanae redemptionis modum, ordinemque in hoc sui corporis inclusit volumine. Quamobrem cum scribere complesset, nihilque superesset, scribendum inquit consummatum est*; haec ille. Est igitur Christus Dominus, iuxta horum Patrum doctrinam, liber scriptus digito Dei in incarnatione; publicatus, et in lucem editus in nativitate; rubricatus per sanguinis circumcisionem; approbatus a Patre (*Matth.* 3): *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite;* inauratus charitatis operibus; furto sublatus, ac venditus a Iuda triginta argenteorum pretio; reprobatus, ut falsus, ac mendax a Pontificibus; ac tandem scissus, ac ruptus in cruce tam ratione vulnerum carnem rumpentium, quam ipsius mortis animam a corpore dividentis, quod proprium ruptionis est. Cum ergo Christus Dominus in cruce vere sit liber vitae, oportebat apponi ei titulum, auctorem et argumentum libri exprimentem, quod egregie praestat titulus hic, Iesus Nazarenus rex Iudaeorum. Hunc librum considerans eruditissimus Salmeron exclamat, dicens (*to.* 19. *tr.* 37): *O librum super omnem librum: hunc expedit nocturna versare manu, versare diurna, qui desiderio progrediendi in via salutis tenetur; hic sit nostrum enchiridion, isagoge ad sapientiam, verbum abbreviatum, contemptus mundi, soliloquium, stimulus divini amoris, itinerarium mentis in Deum, summa totius scripturae, et quod dici solet, vade mecum, et dormi secure.* His omnibus addamus, quod non solum S.R.E.Cardinalis, sed et summus ipse Pontifex titulum specialem habet alicuius ecclesiae, est enim Episcopus ecclesiae s. Ioannis Lateranensis Cum ergo Christus Dominus esset summus Pontifex, titulum sibi reservavit s. crucis in Hierusalem, hic autem erat ille, qui in cruce divino consilio inscriptus fuit: *Iesus Nazarenus rex Iudaeorum.*

Ultimam causam docuit me d. Cyrillus, qui eo quo solet ingenii acumine, singularem quandam excogitavit rationem in haec verba: *Omnes declinaverunt, et simul inutiles facti sunt: et diabolo servientes turpissime degebamus. Habebat autem diabolus adversus naturam nostram chirographum, maledictionem legis divinae transgressoribus debitam, et priscam Dei sententiam, uae adversus primum hominem iustissime fuit 'olata, in quo genus universaliter nostrum, ia nemo absque peccato est, condemnatum fuit. 'm ut Adam peccavit, sic et ceteri post ipsum ndatum Dei neglexerunt; quare de uno adns omnes sententia fuit prolata. Hoc igitur rsus genus nostrum chirographum titulo in confixo Salvator delevit: liquido namque 'tulus mortem in ligno suam significavit, pro condemnatorum vita passus est, et pro delictis poenam dedit sufficientem;* haec d. Cyrillus: quibus similia lego apud d. Ambrosium (*in Luc. c.*23), dum ait: *Scribitur autem titulus etiam secundum Ioannem, ut affixo cruci chirographo, quod erat contrarium nobis, sententia vetusta cessaret, non infra crucem: quia principium super humerum eius; principium autem quid est? nisi sempiterna virtus eius, atque divinitas? Unde et ipse interrogatus, tu qui es? Respondit: Principium, qui et loquor vobis. Merito supra crucem titulus, quia non humani corporis, sed divinae potestatis est regnum quod habet Christus.* Non tamen praetermittam hic adiungere, quae perdoctus quidam noster frater Minorita, qui, etsi se ob insignem eius humilitatem simplicem appellet, doctrina tamen conspicuus, in historia, quam tam pie, quam docte scripsit, de Dominica passione, arcana in hoc titulo abscondita, atque involuta. in hunc modum explicat: *Triplici famoso idiomate scriptus est titulus, hebraice, graece, et latine. Hebraei sacerdotium hab.bant, et theologiam; Graeci industriam, et sapientiam; Latini imperium, et monarchiam. Christus ergo ut verus sacerdos se ipsum obtulit in sacrificium: ut theologus primam vocem tituli vult esse Iesus, mysteriis amplissimam: ut sapiens, et industrius, artem diaboli optima arte delusit: ideo Nazarenus, id est florens in sapientia; ut rex, et monarcha constitutus est rex super Sion montem sanctum eius, et rex in misericordia. Quare profert edictum pietatis, dicens: Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt, et sic se declarat regem Iudaeorum. Adde quod Iudaei signa quaerunt, Graeci sapientiam, Romani imperia; ideo Christus Iudaeis signum esse voluit, Graecis sapientia, Latinis imperium.*

Ad extremum hic apponere libet, quomodo inventa fuerit Romae tabella, quae titulum Dominicae crucis continet. Refert illud ex antiquo Diario Romano Laelii Petronii, Pauli de Magistris, et Stephani Infessura, Nobilis atque eruditus auctor Bosius (*lib.* 1. *de Triumphante Cruce*): verba ibidem relata sunt haec: *Die prima mensis Februarii anni* 1492. *venerunt nova de partibus Africanis, dictumque fuit qualiter rex Hispaniae habuit victoriam de Granata, ipsamque cepit, et dominatus est, et iam fuisse captam pactis omnibus, et faederibus: nam iamdiu ante oppresserat eam. Quibus autem pactionibus, non bene scitur. Eadem die miraculum in urbe fuit: nam cum Dominus Petrus Gondisalus de Mendoza cardinalis sanctae crucis, de sua impensa faceret incrustare, et dealbare dictam ecclesiam; quando operarii tetigerunt summitatem arcus existentis in medio Ecclesiae, iuxta tectum, ubi adhuc sunt duae pravae columnae, senserunt ibi certum vacuum; cumque aperuissent, invenerunt unam parvam fenestram, in qua erat una capsula plumbea duorum palmorum, bene clausa, et super eam erat lapis quidam quadrangulus marmoreus, ubi erant sculptae istae litterae, videlicet:* Hic est titulus vere crucis: *in qua capsula, reperta fuit quaedam parva tabula longitudinis unius palmi cum dimidio, quae ab uno latere erat comesa, et vetustate corrosa; ibique erant cavatae, et deinde colore rubro tinctae inscriptae litterae, sive verba:* Iesus Nazarenus rex Iudaeorum. *Sed illud Iudaeorum non erat perfectum, quia illud,* um, *non nisi usque ad R inclusive remanserat, et illud,* um, *ceciderat, ut dixi: quia erat tabula ab ea parte corrosa, et vetustate defecit. Et primus versus erat scriptus litteris latinis, secundus vero litteris graecis, et tertius litteris hebraicis. Ad quem locum quasi tota urbs accessit, et Papa Innocentius etiam post triduum vidit eam, iussitque permanere in dicta capsula cum quadam lamina vitrea super altare in festivitate dictae ecclesiae. Et est omnium aestimatione digna illa tabula, quam Pilatus posuit in cruce super caput Salvatoris nostri Iesu Christi;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA XXIX.

*De triumpho Dominicae crucis, ubi de pristina eius ignominia in summum iam gloriae splendorem conversa, tum ex profanis, quam ex sacris litteris, et sanctis Patribus copiose disseritur.*

Unanimi Philosophorum sententia, immo et experientia ipsa docemur, inter symbola, seu similia extrema faciliorem esse transitum, difficiliorem vero, quanto inter se ipsa dissimiliora sunt. Unde conversio, seu transitio, ut amore Theologorum loquar, panis in corpus Christi, inter omnes conversiones, tam natura, quam divina virtute hucusque confectas, ob hanc inter alias rationes praestantissima a Theologis censetur, quod extrema eius, panis scilicet, et caro Christi Domini, sint adeo dissimilia, ut in paucissimis conveniant. At si conversio ignominiae Dominicae crucis in gloriam, quam iam sibi comparavit, cum panis conversione in carnem Christi conferatur, tanto certe illam prae ista, si difficultatem rei pensemus, mirabiliorem, quanto et difficiliorem facili negotio detegemus: illa enim nullius creaturae virtute obsistente, aut potentia repugnante quotidie conficitur; ista vero infinitis propemodum potentissimis Principibus invitis, et reluctantibus, ac multifariam multisque modis contra nitentibus facta est. Ista minus symbola habet extrema, quam illa, cum panis, et caro Christi intra rationem substantiae, ut Philosophorum more loquar, multipliciter conveniant; ignominiam autem, et gloriam, quae extrema sunt istius conversionis, per omnia inter se dissidere nullus inficiatur, omnes consentiunt. Quid enim commune habet infamia cum fama, turpitudo cum honore, dedecus cum gloria, abiectio cum celsitudine? Est igitur conversio haec ignominiae crucis in gloriam ardua magis ac difficilis, quam conversio panis in corpus Christi. Cum tamen iuxta Philosophi doctrinam in omni conversione duplicem necesse sit terminum adhibere, a quo, ut aiunt, et ad quem; ille scilicet, qui excluditur, et alius, qui acquiritur, explicaturus hanc mirabilem conversionem ignominiae Dominicae crucis in gloriam eiusdem, prius de pristina eius, qua quondam fuerat deturpata, infamia, deinde de eximia eius comparata gloria disserere compellor. Crucem olim turpe, et abiectum supplicii genus extitisse, tam Ethnicorum, quam Catholicorum, necnon sacrorum voluminum monumenta aperte satis comprobant. Eloquentiae parens de cruce Gaviana agens: *Facinus*, ait, *est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest:* et (*oratione pro Rabirio*) magis adhuc illud exaggerat dicens: *Nomen ipsum crucis absit non modo a corpore civium Romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus;* haec ille. Plerosque autem saeculo illustres, ut infames redderentur ob facinora ab ipsis patrata, suspendio periisse profanae litterae contestantur. Ovidius ait in Ibim, Achaeum Lydiae regem a populo cruci traditum, et Artagetem regis Persarum praefectum a Xantippo Atheniensium duce captum mortem crucis subiisse, dum eorum rempublicam depraedaretur. Herodotus (*lib.*7) similiter scribit Histicum Milesium inter Milesios principem in Harpagi Darii tribuni manus cum venisset, crucis patibulo tamquam hostem damnatum fuisse. Idem pertulit supplicium Capronia virgo vestalis ob stuprum commissum, nec non et Bomilchar, eo quod cum Agathocle in patriam conspirasset, ut tradit Iustinus. Glaucus etiam medicus Alexandri Macedonis, eo quod suum dilectum Hephaestionem male curasset, iussus est infami crucis supplicio mulctari, ut auctor est Plutarchus (*in Alexandro*). Hinc Apuleius crucem vocat damnatam, Seneca infelix lignum, infelicem stipitem, Tacitus servile supplicium, Lactantius supplicium homine libero indignum. Unde in vita Alexandri legimus, quod cum urbem quandam Tyri ingrederetur, cuius cives pervulgata fama erat, cum servi essent, dominos suos interemisse, tanquam infames plerosque illorum crucibus affigi iussit. Latrones etiam in cruce suspendi solitos tradunt Philo, Seneca, Apuleius, et Lipsius. Quid plura? Gracchus nihil contra Popilium turpius proferre potuisse putavit, quam si diceret dignum fuisse, qui mala cruce periret. Plutarchus deinde singulis annis refert tempore suo morem fuisse, ut canis cruci affixus per civitatem circumduceretur, quo significare volebant eum, qui bono reipublicae non vigilabat, dignum esse non secus, ac mutum canem pro custodia domus non latrantem, turpissimo crucis supplicio affici. Iurisconsultus etiam in lege, qui liberorum. ff. de iis, qui notantur infamia, suspendiosos ait non esse eligendos. Ad haec in Africa, ut testatur Plinius (27. *c.* 4.9.*C.*), leones hominum aggressores non alio mortis genere, quam crucis tormento afficiebantur. Ac tandem crucis antiquam turpitudinem satis aperte ostendit, quod teste Scaligero, cum Romani honoris cupidissimi iniuriam aliquam passi fuissent, quam tamen nulla ratione vindicare possent, illam a se propulsasse arbitrabantur se ipsos inter-

ficiendo, a qua insania cum nullatenus dimoveri possent, illud praesentissimum remedium excogitatum est: publica scilicet lege caveretur, ut quicumque se interfecisset, cadaver eius in crucem ignominiose ageretur: cuius sane ignominiosae comminationis timore ita omnes perterriti fuere, ut nemo esset, qui violentas manus sibi imponere turpissimum non iudicaret.

Deinde in idem argumentum non desunt clarissima Patrum testimonia, et praesertim d. Chrysostomi, qui *propterea*, inquit (*in cap.* 1. *ep. ad Philipp.*), *Iudaei studio ista morte interimere satagerunt, ut probrosum quoque efficerent, ut etsi nemo propterea ab ipso abstineret, quod occisus est, abstineret tamen vel ideo, quod hoc pacto occisus esset*: et (*in hom. alia*) ait: *Mors turpis, et exprobrabilis, est enim poenalis mors, et omnium teterrima, et apud Iudaeos maledicta, et inter Gentiles abominanda.* Et d. Augustinus (*tra.* 36. *in Io.*) id ipsum his verbis confirmat: *Creator hominis homo esse dignatus est; factus est quod fecerat, ne periret quem fecerat. Quid huic misericordiae addi potest? Et tamen addit: parum fuit ei hominem fieri, voluit etiam ab hominibus reprobari: parum fuit reprobari, parum etiam occidi, sed addit: mortem autem crucis; illa morte peius nihil fuit inter omnia genera mortium*: et (*ibid.*) subdit: *Elegit extremum et pessimum genus mortis.*

Verum non solum sancti Patres, sed et sacra ipsa volumina pristinam crucis infamiam attestantur: nam apud Geneseos historiam pistorum magister, eo quod frumentum absconderat, primo suspensus legitur: et apud Iosue, ipse regem Hai propter idololatriam suspendit in patibulo usque ad vesperam, et solis occasum. Gabaonitae filios septem Saul crucifixerunt in Gabaa in poenam violati foederis a Saul. Aman quam paraverat Mardochaeo crucem, ob conspirationem in populum innocentem ipse sustinuit, eius etiam et participes facti sunt postmodum decem filii, ut qui patris superbiam imitabantur, sentirent eiusdem ignominiam. His ergo omnibus tanquam turpissimum mortis genus crucis supplicium datum est. Unde ait Sapiens: Impii vocem illam contra Christum elevarunt: *Morte turpissima*, hoc est crucis morte, *condemnemus eum*. Idem etiam Sapiens (*Sap.* 10) crucem appellavit humiliatum, et contemptibile lignum: tantaque fuit eius turpitudo, et omnium in illam contemptus, ut et maledictam eam vocitarent, *quia maledictus* a Deo est, *qui pendet in ligno*, et pendentem in ea indignum haberent, ut in hominum conspectu appareret, ideoque iubebatur condi, et sepeliri, ne terra contaminaretur: *Eadem die*, inquit sacer textus, *sepelietur, et nequaquam contaminabis terram.* Et hinc est, quod volens divus Paulus profundissimam Christi humilitatem explicare, non aliter expressit, quam dicens: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: tanta tunc erat crux commaculata infamia. At postquam Christus Dominus in ea suspensus fuit, omne dedecus a cruce discessit, cunctaque eius ignominia in summam gloriam commutata, atque conversa est, ut impleretur divina promissio ab Ezechiele promulgata: *Et Dominus humiliavit lignum sublime, et exaltavit lignum humile.* Quae verba tametsi d. Hieronymus, et Paraphrastes Chaldaeus de populo gentili exaltando, et Iudaico humiliando intelligant; multi tamen interpretes, Glossa id attestante, ad crucem referunt; ita ut post resurrectionem ipsum lignum sublimatum fuerit, quod prius morte siccatum fuisset, ut verbis eius utar, ita ut sensus sit: Lignum crucis, quod tempore mortis Christi humile, et abiectum erat, post Christi resurrectionem exaltandum esse, et omnem eius ignominiae obscuritatem in fulgentissimum gloriae splendorem commutandam fore. Unde iam non amplius crux, arbor infelix dicitur, *sed arbor decora, et fulgida, ornata regis purpura*: immo, et beata arbor; tum quia eius brachiis, *saecli pependit pretium*; tum quia iam inter omnes arbores primatum tenet: *Arbor una nobilis, nulla silva talem profert fronde, flore, germine.* Haec perpendens Andreas: *O bona crux*, inquit, *quae decorem ex membris Domini suscepisti*: et d. Augustinus: *Cum sub antiquis*, ait, *scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur, Crux honorata est, finita est in poena, manet in gloria: a locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum: quae tantum honorem dedit poenis suis, quid servat fidelibus suis?* D. Chrysostomus (*homil. quod Christ. sit Deus*): *In purpuris*, ait, *crux, in diadematibus crux, in precibus crux, in armis crux, in mensa sacra crux, et in toto orbe crux, et super solem fulget crux*: et Sedulius (*de Christ. et eius Cruc.*) in idem cecinit:

Poenam vestivit honore,
Suppliciumque dedit signum magis esse salutis,
Ipseque sanctificans in se tormenta beavit.

D. Cyprianus in idem argumentum sic loquitur: *Sed in cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit sacramenta; sine quo signo nihil est sanctum, neque alia consecratio meretur effectum. Hinc omnium sanctificationum exurgit sublimitas, et profundum, et longe, lateque plenitudo defenditur gratiarum.*

S. Augustinus (*in Ioan. tract.* 118) idipsum confirmat, dicens: *Crucis signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquae, ex qua regenerantur, sive oleo quo chrysmate unguntur, sive in sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.*

Et (*in append. tom.* 10. *serm.* 59) idipsum confirmat, dicens: *Mors Christi signum est nostrae salutis. Hoc enim signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismalis, initiantur etiam presbyteri, et ceteri gradus ecclesiastici, et omnia quaecumque sanctificantur, hoc signo Dominicae crucis cum invocatione Christi nominis consecrantur.*

Et reddens rationem huiuscemodi honoris, qui Dominicae cruci defertur (*sermon.* 18. *de Verb. Dom.*) hanc tradit: *Quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine saeculi, prius honoravit crucem suam in hoc saeculo, ut terrarum Principes, credentes in eum, prohiberent aliquem nocentium crucifigi; et quod cum magna insultatione persecutores Iudaei Domino procurarunt, magna fiducia servi eius, etiam reges, in fronte nunc portant.*

Ac tandem Sedulius (*in oper. pasch. l.* 4) eleganter cecinit:

Pax crucis ipsa fuit, violentaque robora membris
Illustrans propriis, poenam vestivit honore,
Suppliciumque dedit, signum magis esse salutis:
Ipsaque sanctificans in se tormenta beavit.

Atque hinc est, quod in sexta Synodo (*cap.* 63) legimus, prohiberi imaginem crucis in pavimento designari, ne imago, quae digna est adorari, pedibus conculcetur: *Cum crux nobis vivifica salutare ostenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum, quem par est, honorem habeamus. Quamobrem, et mente, et sermone, et sensu, adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quae a nonnullis in solo, ac pavimento fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium conculcatione, victoriae nobis trophaeum, iniuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps crucis signum in solo construunt, segregari decernimus.*

Hinc crucis gloriam apud Gentiles quondam praesignatam fuisse, multa, eaque gravissima suadent: nam teste Sozomeno Sibyllicum extat carmen, id plane attestans:

O lignum felix in quo Deus ipse pependit.

Et ut ait Rufinus (*lib.* 2. *cap.* 2), Ægyptii colebant litteram quandam sacerdotalem crucis figuram praeseferentem, qua secundum peritos hieroglyphicarum notarum, vitam venturam significari aiebant. Et apud eosdem, Caelio Rodigino (*lib.* 10. *cap.* 8) referente, crucis figura omnium perfectissima, coeli, et siderum domina, et mirabilium effectrix habita est. Unde in Serapidis pectore depingebatur, ut ipse ait, ex Arabum sententia. Refert etiam Iustus Lipsius (*de cruc. cap.* 8) eosdem Ægyptios litterae crucis formam gerenti, circulum superponere solitos, qui nihil aliud erat, quam oculus; significabant autem per oculum solem, quem prius oculum vocare consueverant, ut docent Macrobius (*lib. prim. Saturn. c.* 15), et Pausanias (*in Corinth.*). Merito oculus, seu sol circulo designatus cruci adiungebatur, cum in cruce aliquando futurum esset ut suspenderetur verus Sol iustitiae, mundique oculus Christus, qui suo splendore radiis solaribus splendidiorem illam redderet.

Sed iam singillatim, in quibusnam haec Dominicae crucis gloria praefulgeat, speculemur: *Adeamus*, inquit d. Paulus, *ad thronum gloriae eius, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus.* Thronus iste crux sancta est, ante quem viginti quatuor illi seniores Apocalypsis 4. mittebant, ut ait d. Ioannes, coronas suas. Unde d. Leo (*in serm.* 2. *de pass.*) explicans illa Christi verba: *Hodie mecum eris in Paradiso: Promissio ista*, ait, *non tam de ligno crucis, quam de throno editur potestatis.* Ut tamen quam apte crucem Christi Domini thronum appellarit, clarius constet, insignem Isaiae locum id manifeste asserentem proferemus, multisque modis illustrabimus. In persona Dei loquens ait: *Dabo clavem domus David super humerum eius, et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriae domus Patris sui*, ecce thronum: *et suspendam super eum omnem gloriam domus Patris eius, vasorum diversa genera.* Clavem in primis domus David ego cum d. Hieronymo (*sup. c.* 22. *Isai.*) sanctam crucem intelligo, quae in Apostolica Ecclesia per domum David significata, eapropter clavis officium obtinet, quia vel clavis scientiae est ad reseranda sacrorum voluminum arcana, iuxta illud (*Luc.* 24): *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Aperuit enim dum dicere coepit: *Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* Notavit id d. Augustinus (*hom.* 34. *de verb. Dom.*) dicens: *Ipse tanquam clavem crucis suae sacramentum exercet.* Vel certe crux clavis est, quia regni coelestis portas poenitentibus patefecit, dicente Chrysostomo (*to.* 2. *ho. de divit. Laz.*): *Crux Christi clavis paradisi est, crux Christi aperuit nobis paradisum.* Nec mirandum est, clavem illam ligneam fuisse: nam cum sera, qua primus parens coelum clausit, fuerit lignea, etiam oportebat ligneam esse clavem ad illud reserandum. Et cum deinde sacer textus ait, *et figam illum paxillum in loco fideli*, de Ecclesia catholica loquitur, ubi solum viget crucis fides, virique Christo fideles inveniuntur, iuxta illud Apocalypsis: *Rex regum est, et qui cum illo sunt vocati, electi, et fideles.* In medio ergo Ecclesiae crucis paxillus collocatus est, non secus atque olim lignum vitae in medio paradisi: apte enim crucem lignum vitae compellari arbitror: nam si Moyses loquens de eo, iuxta sententiam d. Damasceni, praedixerat: *Erit quasi vita tua pendens ante te*; et ipse Christus ait (*Ioann.* 14): *Ego sum via, veritas, et vita*; plane efficitur, crucem lignum vitae fuisse: siquidem vitae auctorem, tanquam fructum appendentem continebat. Subdit Propheta: *Et erit in solium gloriae Domini Christi sui.* Solium hoc crux est, unde Christus regnavit, David canente (*Psal.* 95): *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno*: quod sane carmen ita Iudaeis infestum extitit, ut verba illa, *A ligno*, ab ipsis expuncta fuisse testetur Iustinus (*dial. cum Tryph.*). Sed Tertulliani verba in eorum explicatione pietate, et eloquentia plena audiamus: *Age nunc si legisti penes David, Dominus regnavit a ligno, expecto quid intelligas, nisi forte lignarium aliquem regem significari Iudaeorum, et non Christum, qui exinde a passione ligni, superata morte, regnavit. Etsi enim mors ab Adam regnavit usque ad Christum, cur Christus non regnasse dicatur a ligno, ex quo crucis ligno mortuus, regnum mortis exclusit? proinde, et Isaias: quoniam, inquit, puer natus est nobis, quid novi, si non de Filio Dei dicit? Et datus est nobis, cuius imperium factum est super humerum ipsius. Quis omnino regum insigne potestatis suae humero praefert, et non aut capite diadema, aut manu sceptrum, aut aliquam propriae vestis notam? sed solus novus*

*rex novorum aevorum Christus Iesus, novae gloriae et potestatem, et sublimitatem suam humero extulit, crucem scilicet, ut secundum superiorem prophetiam, Dominus regnaret a ligno. Hoc lignum et Hieremias tibi insinuat, dicturis praedicans Iudaeis: Venite, mittamus lignum in panem eius, utique in corpus*; haec Tertullianus. Atque his nos adiungamus, crucem Christo solium, et thronum fuisse, unde ipse et mundum, et principem eius regia auctoritate iudicavit, ut palam proximus morti ipse docuit, dicens (*Ioan.*12): *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Quod si, ut ait Salomon (*Prov.* 10): *Rex, qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo;* non inepte crediderim Christum Dominum in solio crucis existentem intuitu suo omnes daemonis insidias in conspectu oculorum eius dissipasse, quod haud obscure his verbis praedixerat Iob (*c.* 40): *In oculis eius quasi hamo capiet eum*, hamo scilicet crucis, ut explicat d. Athanasius (*in vita d. Antonii*). Illud tamen mirabile est, quod chirographum decreti, quod contrarium erat nobis, et quod hostis humani generis penes se diligenter custodivit, Christus Dominus potenter abstulit ab eo, affigens illud cruci, ut ait d. Paulus (*ad Colos.*2): *Et expolians potestates, et principatus, triumphans illos in semetipso*, vel ut legit Origenes, *triumphans illos in ligno crucis.* Tandem concludit Isaias (*c.* 32): *Et suspendam super eum omnem gloriam domus Patris eius, vasorum diversa genera.* Per gloriam hanc a cruce suspensam apte satis primum intelligi potest Christus Dominus, qui non solum, ut Filius Dei Patris est, dicente Paulo (*ad Heb.*1). *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius*, etiam ut homo vitae suae integritate, et sanctitate Patrem mirum in modum clarificavit, et glorificavit, ut ipse testatus est (*Ioan.* 27): *Ego te clarificavi super terram.* Unde ipse Pater Christum tanquam hominem alloquens, gloriam suam illum vocat (*Ps.* 36): *Exurge gloria mea.* Possumus secundo congrue satis per hanc gloriam a cruce suspensam intelligere supernaturalia dona, gratiae scilicet, et virtutum dotes, quas regius Vates gloriam, et divitias s.Ecclesiae appellavit, dicens (*Psal.* 111): *Gloria, et divitiae in domo eius.* Animae dotes, et ornamenta, quae sunt universa gloria eius, ut idem testatur, cum inquit (*Psal.* 44): *Omnis gloria eius filiae regis ab intus*, vere a ligno Dominicae crucis, tanquam a causa, et perenni fonte pendent, ut recte observavit d.Leo (*ser.*8.*de pass.*), ubi ait: *Crux tua fons est omnium benedictionum, omnium causa gratiarum, in qua datur credentibus virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Si autem sequamur Graeci interpretis translationem, qui, ubi nostra vulgata legit: *Et suspendam*, ipse vertit: *et suspendent super eum omnem gloriam*, interpretari licebit hunc locum per illum Ezech: *Viri bellatores tui clypeum, et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.* Hi bellatores sunt illi, qui audientes regnum caelorum vim pati, et violentos rapere illud, adversus diabolum, carnem, et mundum acriter dimicantes, de omnibus illis gloriose triumpharunt; probe tamen agnoscentes in virtute s. crucis victoriam illam reportasse, omnia spiritualia arma, quibus hostes superaverunt, in cruce, tanquam eius ornamenta, suspendunt, ingenue fatentes, quod brachia sua non liberaverunt eos, ut praedixerat David (*Ps.* 43): *Et brachium eorum non salvavit eos*, sed s. crucis, ubi abscondita erat fortitudo Christi. Verum cum non solum militum Christi arma, sed ipsos etiam SS. milites ab ea suspensos intueor, dicente Iob, crucem Christi praevidens: *Elegit suspendium anima mea*, et Paulo praedicante (*ad Gal.* 2): *Christo confixus sum cruci;* in eam ducor sententiam, ut per hanc gloriam in cruce suspensam ipsos etiam Sanctos apte intelligi posse autumem: nam si spolia victoris, gloria eius sunt, cum Sancti omnes spolia sint crucis victricis, seu Christi in cruce vincentis; non immerito nomine gloriae in cruce suspensae veniunt ipsi intelligendi. Vocat autem illos Propheta vasorum diversa genera, quia alii apostoli, alii martyres, alii doctores, unusquisque secundum gratiam a Domino sibi donatam in Ecclesia Dei fulget.

Sed iam aliam viam ingrediamur ad aperiendam eiusdem crucis ineffabilem gloriam. Experientia compertum est, fontium aquas, quanto plus in inferiorem locum descendunt, tanto altius postea conscendere: non secus mihi videtur cruci accidisse, quae quanto inferius antea ex hominum opinione depressa decidit, tanto altius iam in eorum existimatione exaltata conscendit. Contemplemur parumper si placet mirabilem hunc ascensum. Sponsus crucem respiciens, palmam vocavit, dicens (*Can.* 7): *Ascendam in palmam.* Et merito quidem, quia ut mea fert sententia, eapropter victoriae symbolum, et insigne apud varias nationes semper extitit, quod id peculiare habeat, ut quanto maius pondus ad eam deprimendam illi superponitur, tanto fortius contra nititur ad erigendum se, unde a gravitate ponderis numquam superatur, sed ipsa potius ponderis gravitatem mirabiliter vincit. Refert Niceph. (*in eodem loco*), ubi Christi crux sita erat, simulacrum Veneris collocatum fuisse ab idolorum cultoribus, ut sic crucis memoriam a mortalium mentibus penitus abolerent. Verum tanta huius mysticae palmae, nempe crucis, extitit virtus, ut tam gravis sarcinae ponderi sibi superimposito non cederet, nec succumberet, sed maiorem potius conatum exhibens in sublime se erexerit, et in altissimum locum conscenderit. Ascendit enim ad nobilium pectora, quae honoris causa, rubea d. Iacobi, et Calatravae, alba d. Ioannis, viridi Alcantarae cruce magis illustrantur, et nobilitantur, licet alioquin ipsos sanguinis nobilitate conspicuos unanimi multorum testium consensu necessarium sit comprobari: indecorum enim esset, ut a minoribus originem trahentes, qui ad infamiam Christi humero crucem imposuere, ipsi ad proprium honorem, et gloriam Christi cruce nobilitentur. Ascendit sane crux non solum ad illustrium pectora, sed ad principum vexilla, et clarissima stemmata, quibus infinitas propemodum hostium turmas crucis



signo in eis insculpto, aut exarato, gloriosissime profligarunt. Ascendit ad naves, ad arcium, et turrium cacumina, ubi apud fideles collocari consuevit; immo et ascendit ad regia diademata, ad Imperatorum coronas, ad Pontificum tiaras. Audiamus Chrysostomum (*ho. de cruce*) ista, et alia plura cogitantem: *Crucem*, inquit, *ubique celebrari, videlicet in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in navigiis, in insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in sypotiis, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in brutis male affectis, in corporibus daemonibus obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in monachorum ordinibus, adeo certatim donum hoc rapiunt omnes;* haec divus Chrysostomus. Quibus addo, quod cum Christus ad iudicandum venerit, praecedet illum ad caelum usque exaltata, iuxta illud (*Matthaei* 24): *Tunc patebit signum filii hominis in caelo:* quod de crucis signo contra perfidum Calvinum intelligendum esse, unanimi consensu docent omnes Patres. Divus Augustinus (*tom.* 3. *de temp.*), Cyrillus, Hieronymus, Hilarius (*in cap.* 24. *Matt. lib.* 2.*cap.*1), Beda, Theophylactus, et Euthymius, Athanasius (*de incarnatione Verbi contr. Paul. Samosaten.*), et Chrysostomus (*hom. de cruce, et Latrone*); cuius solius verba referam: *Sicut*, inquit, *coruscatione flammante, superfluum est de coruscatione requirere: sic post praesentiam requirere non necessarium est, si venit Christus. Sed utrum cum cruce veniat, requiramus. Non enim hanc quaestionem aliquando oblivione praetereo. Et audi: Tunc, inquit, tunc quando veniet, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum. Tanta enim lux ipsius luminis praeclarescet, ut eius radiis lumina clara vincantur. Tunc et stellae cadent, et tunc Signum videbitur Filii hominis in caelo. Vidisti gloriam Signi, idest crucis. Solis lumen reddetur obscurum, lunae non dabitur gratia, sed illud lumen radiabit, et lucebit. Et sicut Imperatorem regalis pompa praecedit, et militaris ordo praeeundo, vexilla humeris portare consueverunt, et his eius declaratur adventus: sic Domino de caelo veniente, angelorum coetus, et archangelorum multitudo illud signum portabunt humeris excelsis, et regalem nobis adventum nunciabunt.* Immo non desunt gravissimi doctores, qui per signum, non imaginem crucis futuram esse in caelo, sed ipsam ligneam crucem, in qua auctor vitae pependit, intelligendam esse censeant. Putant enim prudenter satis crucem illam redintegratum iri, regemque ad iudicandum venturum tanquam vexillum eius, ipsam fore praecessuram. Huic sententiae adhaeret Sozomenus (*lib.*2.*cap.*1), adiiciens Sibyllica illa carmina:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed caeli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Divus Chrysostomus (*homil. de cruce, et Latron.*) ait: *Cum ipsa veniet, et cum ipsa secundum suam praestantiam faciet:* et (*ibid.*): *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam levavit ad caelum.* Divus Ephrem (*libro de vera poenit. c.*4): *Ubi*, inquit, *viderint omnes regium istud, ac tremendum sceptrum revelari, iam tunc agnoscent singuli continuo ipsum quoque regem revelandum, qui in illo clavis affixus est.* Eiusdem sententiae sunt Hilarius (*l.*3.*de Trin.*), divus Augustinus (*ser.*130. *de tem.*), Leo Papa (*ep.*97. *ad Leonem imper.*), Hieronymus, Beda, Theophylactus, et Euthymius (*in Matthaeum*). Hos Patres sequitur insignis ille Waldensis (*n.* 6. *tit.* 20. *c.*58), nec non Iulianus Archiepiscopus Toletanus (*l.tertio progn.c.*3), Immo pie, et prudenter nonnulli existimarunt, Dominicam crucem tanquam insigne Christi trophaeum, in caelo empyreo perpetuo conservandam, et incorruptibilitate instar corporis gloriosi donatam iri, eo quod speciali quadam ratione fuerit instrumentum victoriae Christi, et redemptionis humanae: quod non incongrue adumbratum putaverim in gladio illo, quo David caput gigantis Goliath praecidit, et populum ab eius tyrannide liberavit, quem, ut sacra narrat historia, in templo voluit semper conservari, et a sacerdotibus custodiri pallio involutum post Ephod.

Tandem illud crucis gloriam non parum ostendere existimarim, quod a Catholicis adoretur, adorarique praecipiatur in Synodo sexta (*cap.* 73): unde divus Hieronymus elucidans verba illa Psal. *Adorate scabellum pedum eius*, nomine scabelli crucem intelligit, cui Christi pedes affixi extitere. Et divus Damascenus accommodat cruci illud Davidis: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius*, et addit: *Quod vero crucem significet, ostendit quod subdit: Surge Domine in requiem tuam, sequitur enim crucem resurrectio.* Iacob etiam cum Ioseph virgam osculatus est, crucem Christi in ea adorasse, communis est Patrum sententia. Unde permulti Episcopi, qui in Synodo Nicaena ab hac veritate deviaverant, postquam convicti fuere, cum lacrymis discesserunt, crucemque Dominicam reverenter adorarunt. Arbitror autem cum divo Thoma adorationem debitam cruci esse latriam, quae est supremum adorationis genus, atque adeo cultu divino colendam fore, prout dicit habitudinem ad prototypum, hoc est ad Christum, quem refert, et cum quo habet unitatem quandam, non in esse naturae, sed in esse obiecti adorabilis propter praedictam revelationem signi, et imaginis ad illam. Atque hanc veritatem, quae innumeris haereticis infesta semper extitit, ea efficaci ratione fulcire possumus, quia idem est motus animi in imaginem, ut imago est, et in rem significatam, ut docuit Aristoteles (*l. de memoria*); sed adoratio est quidam motus in id quod adoratur. Igitur eadem adoratione latriae, qua adoratur Crucifixus, adoratur et crux, prout est eius imago. Unde divus Basilius (*lib. de Spiritu sancto cap.* 18) ait: *Imaginis honor ad exemplar, seu ad prototypum transit:* et divus Athanasius (*serm.* 4. *contra Arr.*). *Qui adorat*, inquit, *imaginem, in illa adorat ipsum regem; quipe cum ipsa imago nihil aliud sit, quam regis forma, atque species:* et addit, *imaginem regis si loqui posset, dicturam:*

*Ego et rex unum sumus: Ego enim in illo sum, et ille in me.* Et Nicephorus haereticorum obiectioni respondens sapienter valde dixit: *Cum haereticus quaerit, ubi scriptum sit, esse adorandam Christi imaginem? Respondendum, ibi scriptum esse, ubi scriptum est, adorandum esse Christum; siquidem inseparabilis est a prototypo effigies eius.* Unde cum divus Paulus (*ad Heb.* 1) ait: *Et adorent eum omnes angeli eius*, ibi etiam eius imaginem adorandam monet, eo quod illum referat, atque adeo ad illum referatur. Omnia ista ex verbis, quibus catholica Ecclesia Romana crucem adorat, mirum in modum corroborantur:

O crux, inquit, ave spes unica
Auge piis iustitiam
Reisque dona veniam.

Ecce, quae propria sunt Dei, Ecclesia tribuit cruci. Putat ergo adorandam esse eodem genere latriae, quo Deum. Quare licet Salomon merito navigantis stultitiam reprehendat, qui tempestate ingruente ligneum Deum invocabat: *Ligno*, inquit, *portante fragilius lignum invocat:* et Habachuc etiam hanc eandem dementiam deploret: *Vae*, inquiens, *qui dicit ligno, expergiscere;* tamen ligneae cruci Christi pie, religiose, et prudenter dicitur, libera me, salva me; tum quia in se pendentem habuit Salvatorem mundi: tum quia imago, in qua brachia sua extendit, formam crucis gerit. Hoc ipsum ex verbis d. Pauli convenienter satis mihi persuadeo: nam postquam dixerat: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, continuo subdit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Si ergo iudicaret non idem esse gloriari in cruce Domini, ac in Domino, utique ipse non diceret gloriari se in cruce Domini, sed potius in Domino. Sicut igitur, qui gloriatur in cruce Domini, gloriatur in Domino, iuxta divi Pauli sententiam, consimili ratione, qui adorat crucem Domini, adorat ipsum Dominum, atque adeo eodem genere adorationis, quo colitur Deus, adoratur et crux, tanta est eius gloria, tanta celsitudo, atque maiestas; licet alioquin in modo adorandi hoc sit discrimen, quod illam non catholicus adoret tanquam honoris praecipuum, et ultimum terminum, quod soli Deo debitum est; catholicus vero non ut terminum, sed ut medium quoddam, cuius interventu honor ad ipsum Christum deferatur.

Verum obiiciunt nobis inimici crucis Christi. *Quorum*, ut ait divus Paulus (*ad Phil.* 3), *finis interitus est, et gloria in confusione*, quod non modo stultus, sed ingratus iudicaretur filius, qui amaret, et coleret patibulum, in quo parens eius fuisset suspensus. Ingrati igitur sunt, qui colunt crucem, instrumentum, quo Dominus non modo crudelissime cruciatus, sed et necatus fuit. Cavillus iste facile diluitur, si perpendamus, non esse eandem rationem de illo patibulo, ac de isto: nam hoc fuit instrumentum nostrae salutis reparandae, et in illo Christus non sua, sed nostra peccata expiavit. Insuper etiam omne maledictum, et quidquid in eo execrabile erat, ab eo abstulit, eo solo relicto, quod honorificum, clarum, amplum, et gloriosum erat. Unde crucis patibulum adorare non ingratitudinem, sed potius pietatem, et religionem redolet. Sed replicant: crux attulit Christo dolorem, et ignominiam: est igitur detestanda ab illis, qui Christum amore prosequuntur. At cum non solum ignominiam, eamque temporaneam, sed aeternam famam, immortalem gloriam, incredibilem honorem, et maximam sui nominis exaltationem attulerit, dicente Paulo (*ad Phil.* 2): *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*, facile futilis haec haereticorum argumentatio evanescit. Quod si adhuc contra crucem cunctis gentibus venerandam debacchantes obiiciant: si colendae sunt omnes cruces, quia Christus pependit in cruce; eadem ratione colendi essent omnes clavi, quia clavis confixus fuit, et omnes spinae, quia spinis coronatus est, et omnia sepulcra, quia sepulcro conditus fuit. Vires huius calumniae facile enervantur ex divi Augustini doctrina, in hunc modum loquentis: *Omne ovum omni ovo, in quantum ovum, simile est, sed ovum perdicis quamvis ovo gallinae simile est, tamen imago eius non est, quia non est de illa expressum;* haec divus Augustinus. Quibus satis ingeniose docet, ad imaginem non satis esse similitudinem naturae, vel artis, sed opus esse, ut alterum ex altero imitatione quadam efformetur. Quia ergo omnes cruces fiunt ad imitationem crucis Christi, ita ut illius figurae, typi, et imagines sint, non autem ad imitationem sepulcri Christi sepulcra omnia fabricentur, inde fit, cruces omnes esse adorandas, non autem omnes clavos, spinas, aut sepulcra, quia non omnia imagines eorum sunt; erunt tamen si construantur, ut saepissime fieri solet in Ecclesia, ad imitationem, et repraesentationem clavorum, spinarum, et sepulcri Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXX.

*De crucis, et clavorum inventione per Helenam Constantini imperatoris matrem.*

De felici sacrosanctae crucis inventione pro modulo nostro acturi, prius eius historiam, quae dicendorum basis mihi futura est, paucis perstringere libet. D. Helenam Christianissimi Imperatoris Constantini matrem divino Spiritu fuisse afflatam ad inquirendum crucis vexillum, praeter Socratem (*lib.* 2. *c.*17), verbis tradit d. Ambr. (*in orat. in funere Theodosii*), ubi introducit illam dicentem: *Ego in regnis, et crux Domini in pulvere? Ego in aulis, et in ruinis latet Christi triumphus?* Divina ergo inspiratione regina Helena commota anno reparatae salutis 326. post Concilium Nicaenum, imperante Constantino, et Silvestro Papa Ecclesiam Dei regente, quem ad investigandam crucem sibi socium adhibuit, si credimus Zonarae (*lib.* 1. *adnot.* 325), ad Calvariae montem octogenaria perrexit, ut refert Theodoretus. Tradunt autem d. Hieronymus (*ad Paulinum de instit. monac.*), et Sozomenus (*lib.* 20), quod cum christianae religionis persecutores illam penitus excindere omnibus suis viribus niterentur, inter alia hoc execrandum facinus excogitarunt, ut in loco crucis fanum Veneris extruerent, existimantes fidem crucis abolituros, si sacrum illum locum hoc spurcissimo idolo polluissent, et hinc crevit difficultas inveniendi illam. Quamvis enim regina Helena divini Spiritus instinctu de eo perquirendo admonita fuerit, ut ait Theodoretus; de loco tamen definito, ubi sacrosanctum lignum delitesceret, edocta non fuit, ut dicit d. Ambr. (*ubi supra*), quidquid reclamet Sozomenus supra relatus, ut sic laboriosa eius inquisitio copiosioris meriti sibi causa existeret. Cum primum autem pervenit Helena ad locum Calvariae, ingentem fossorum multitudinem adhibuit, ut varia loca explorantes, tandem felicem crucis locum detegerent; unius tamen Iudae indicio, qui postea ad fidem conversus episcopus et martyr fuit, ut tradit Beda in suo martyrologio, praecipue inventa fuit: ex traditione namque a maioribus accepta destinatum locum noverat, quem tamet si propalare omnino recusaverat, mortis tamen minis perterritus per reginam ei illatis, tandem illum prodidit, ut testantur Gregorius Turonen. (*lib.* 1. *hist. Fran. c.* 26), et Sozomenus (*ubi supra*). Aperta igitur humo, et decusso pulvere, cruces tres repertae fuere, quas ruina contexerat, inimicus absconderat; quaenam tamen illarum esset Christi crux, anxia dubitatio coepit subito reginae animum premere, ut auctor est Paulinus. Licet enim Chrysostomus (*ho.* 84), et d. Ambrosius (*ubi supra*), eapropter agnitam credant, quod titulus, *Iesus Nazarenus*, affixus ei inerat, cuncti tamen historici unanimi consensu repugnant, Nicephorus (*lib.* 10. *c.* 13), Sozomenus (*ubi supra*), Rufinus (*lib.* 1. *c.* 7. *et* 8), Sulpitius (*lib.* 2. *sacrae hist.*), et alii, dicentes avulsum esse titulum: unde ambigente Helena, quaenam ex illis crux esset, semimortuum, ut ait Rufinus, aut omnino mortuum, ut verius tradit Sozomenus, afferri iussit, quo allato, una de crucibus admovetur, deinde alia, sed earum ligna mors sprevit; cum primum tamen tertia admota fuit, Dominicam esse prodidit mortui surrectio: nam ad salutaris ligni tactum morte profuga corpus surrexit, et velut alter Lazarus quondam vinculis expeditus inter apportatores suos redivivus incessit. Venerabilis Beda (*lib. de loco sancto cap.* 3) testatur in eodem loco, ubi mortuus mirabili crucis virtute revixit, in sempiternum patrati miraculi monumentum columnam quandam erectam fuisse. Itaque illud discrimen inter crucem Christi, et latronum innotuit, quod istae mortuae, illa, quasi viva, vivificandi virtutem habuit. Sed nec in hoc solum vitam continere ostendit, sed in eo etiam, quod cum religionis, et pietatis causa pleraeque particulae ab ea detraherentur; certe in materia insensata vim vivam tenens, et quasi intrinseco vitae principio, ac humido radicali pollens, similes particulas germinabat, quibus detractae restaurabantur, ut testatur Cyrill. (*Catech.* 10), et Paulinus (*ad Severinum epist.* 11), quos refert cardinalis Baronius (*lib.* 1. *Annalium, anno Christi* 84. *fol.* 182). Contemplatur autem d. Ambrosius post repertum crucis thesaurum Helenam in haec verba prorupisse: *Quid egisti diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vinceceris? Vicit te Maria, quae genuit triumphatorem, et quae sine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, et mortuus subiugaret: vinceris et hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat: illa fecit ut Deus inter homines videretur; ego ad remedium peccatorum divinum de ruinis elevabo vexillum;* haec ille. Addit etiam Helenam clavos, quibus Dominus cruci affixus fuit, quaesivisse, et invenisse; quorum duos misit ad filium, unum ad intexendum in diademate, alterum ad inserendum in fraeno: illum ad decorem, hunc ad fortitudinem. Ne autem quispiam a pietate alienum iudicet clavum tanta alioquin veneratione dignum fraeno imposuisse, audiat eundem d. Ambrosium: *Non insolentia, ait, ista, sed pietas est recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi praesidium:* et paulo post: *Sed quare super fraenum, nisi ut Imperatorum insolentiam refraenaret, et omnibus illis sancto dicere Spiritu videretur: Nolite fieri sicut equus, et mulus, sed in chamo, et fraeno maxillas eorum constringe.* Audiat etiam Theodoretum (*lib.* 1. *c.* 18), qui Helenam ait, clavorum partem in Imperatoris galeam artificiose includendam curasse, quo capiti filii consuleret, et hostium tela depellerentur; partem equi illus fraeno admiscuisse, quo tum Imperatorem securum redderet, tum veterem prophetiam explere posset: nam olim praedixerat Zacharias proph. (*c.* 84): *In die illa erit, quod super fraenum equi est, sanctum Domino omnipotenti.* Quam prophetiam, tametsi d. Hieronymus (*super cap. ult. Zach.*) de clavo Christi, fraeno equi Imperatoris inserto, nulla ratione intelligendam contendat; illam tamen expositionem approbant Gregorius Turonensis (*de gl. mart. c.* 8), Sozomenus (*l.* 2. *c.* 1), et Nicephorus (*l.* 8. *c.* 29); immo d. Cyrillus absque ulla haesitatione illam acceptat, et nihil improbabilitatis habere docet, quod Zacharias ibi rei valde memorandae, et regis valde pii meminerit: eandem etiam amplectuntur d. Ambrosius, et Lyra. Sed ut ad Dominicae crucis inventionem revertamur, quam praecipuum nostri sermonis scopum praefiximus, inde placet praefatae historiae glossema exordiri, quod Graeci festum hoc, quod nos crucis inventionem appellamus, apte satis crucis resurrectionem vocitant: nam cum tot annis emortua fuerit, quot sub humo sepulta delituit, certe cum industria Helenae e visceribus terrae prodiit, quasi resurrexisse videtur, ascensura postea in coelum, cum Dominus ad iudicandum venerit, ut tradunt Chrysostomus (*hom. de Cruc. et Pas.*), Ephrem (*lib. de ver. poen. cap.* 4), Uvaldensis (*tom.* 2. *tit.* 20. *c.* 158), et alii. Sacra narrat Machabaeorum historia solem-



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Ego et rex unum sumus: Ego enim in illo sum, et ille in me.* Et Nicephorus haereticorum obiectioni respondens sapienter valde dixit: *Cum haereticus quaerit, ubi scriptum sit, esse adorandam Christi imaginem? Respondendum, ibi scriptum esse, ubi scriptum est, adorandum esse Christum; siquidem inseparabilis est a prototypo effigies eius.* Unde cum divus Paulus (*ad Heb.* 1) ait: *Et adorent eum omnes angeli eius*, ibi etiam eius imaginem adorandam monet, eo quod illum referat, atque adeo ad illum referatur. Omnia ista ex verbis, quibus catholica Ecclesia Romana crucem adorat, mirum in modum corroborantur:

> O crux, inquit, ave spes unica
> Auge piis iustitiam
> Reisque dona veniam.

Ecce, quae propria sunt Dei, Ecclesia tribuit cruci. Putat ergo adorandam esse eodem genere latriae, quo Deum. Quare licet Salomon merito navigantis stultitiam reprehendat, qui tempestate ingruente ligneum Deum invocabat: *Ligno*, inquit, *portante fragilius lignum invocat:* et Habachuc etiam hanc eandem dementiam deploret: *Vae*, inquiens, *qui dicit ligno, expergiscere;* tamen ligneae cruci Christi pie, religiose, et prudenter dicitur, libera me, salva me; tum quia in se pendentem habuit Salvatorem mundi: tum quia imago, in qua brachia sua extendit, formam crucis gerit. Hoc ipsum ex verbis d. Pauli convenienter satis mihi persuadeo: nam postquam dixerat: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, continuo subdit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Si ergo iudicaret non idem esse gloriari in cruce Domini, ac in Domino, utique ipse non diceret gloriari se in cruce Domini, sed potius in Domino. Sicut igitur, qui gloriatur in cruce Domini, gloriatur in Domino, iuxta divi Pauli sententiam, consimili ratione, qui adorat crucem Domini, adorat ipsum Dominum, atque adeo eodem genere adorationis, quo colitur Deus, adoratur et crux, tanta est eius gloria, tanta celsitudo, atque maiestas; licet alioquin in modo adorandi hoc sit discrimen, quod illam non catholicus adoret tanquam honoris praecipuum, et ultimum terminum, quod soli Deo debitum est; catholicus vero non ut terminum, sed ut medium quoddam, cuius interventu honor ad ipsum Christum deferatur.

Verum obiiciunt nobis inimici crucis Christi. *Quorum*, ut ait divus Paulus (*ad Phil.* 3), *finis interitus est, et gloria in confusione*, quod non modo stultus, sed ingratus iudicaretur filius, qui amaret, et coleret patibulum, in quo parens eius fuisset suspensus. Ingrati igitur sunt, qui colunt crucem, instrumentum, quo Dominus non modo crudelissime cruciatus, sed et necatus fuit. Cavillus iste facile diluitur, si perpendamus, non esse eandem rationem de illo patibulo, ac de isto: nam hoc fuit instrumentum nostrae salutis reparandae, et in illo Christus non sua, sed nostra peccata expiavit. Insuper etiam omne maledictum, et quidquid in eo execrabile erat, ab eo abstulit, eo solo relicto, quod honorificum, clarum, amplum, et gloriosum erat. Unde crucis patibulum adorare non ingratitudinem, sed potius pietatem, et religionem redolet. Sed replicant: crux attulit Christo dolorem, et ignominiam: est igitur detestanda ab illis, qui Christum amore prosequuntur. At cum non solum ignominiam, eamque temporaneam, sed aeternam famam, immortalem gloriam, incredibilem honorem, et maximam sui nominis exaltationem attulerit, dicente Paulo (*ad Phil.* 2): *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*, facile futilis haec haereticorum argumentatio evanescit. Quod si adhuc contra crucem cunctis gentibus venerandam debacchantes obiiciant: si colendae sunt omnes cruces, quia Christus pependit in cruce; eadem ratione colendi essent omnes clavi, quia clavis confixus fuit, et omnes spinae, quia spinis coronatus est, et omnia sepulcra, quia sepulcro conditus fuit. Vires huius calumniae facile enervantur ex divi Augustini doctrina, in hunc modum loquentis: *Omne ovum omni ovo, in quantum ovum, simile est, sed ovum perdicis quamvis ovo gallinae simile est, tamen imago eius non est, quia non est de illa expressum;* haec divus Augustinus. Quibus satis ingeniose docet, ad imaginem non satis esse similitudinem naturae, vel artis, sed opus esse, ut alterum ex altero imitatione quadam efformetur. Quia ergo omnes cruces fiunt ad imitationem crucis Christi, ita ut illius figurae, typi, et imagines sint, non autem ad imitationem sepulcri Christi sepulcra omnia fabricentur, inde fit, cruces omnes esse adorandas, non autem omnes clavos, spinas, aut sepulcra, quia non omnia imagines eorum sunt; erunt tamen si construantur, ut saepissime fieri solet in Ecclesia, ad imitationem, et repraesentationem clavorum, spinarum, et sepulcri Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XXX.

*De crucis, et clavorum inventione per Helenam Constantini imperatoris matrem.*

De felici sacrosanctae crucis inventione pro modulo nostro acturi, prius eius historiam, quae dicendorum basis mihi futura est, paucis perstringere libet. D. Helenam Christianissimi Imperatoris Constantini matrem divino Spiritu fuisse afflatam ad inquirendum crucis vexillum, praeter Socratem (*lib.* 2. *c.*17), verbis tradit d. Ambr. (*in orat. in funere Theodosii*), ubi introducit illam dicentem: *Ego in regnis, et crux Domini in pulvere? Ego in aulis, et in ruinis latet Christi triumphus?* Divina ergo inspiratione regina Helena commota anno reparatae salutis 326. post Concilium Nicaenum, imperante Constantino, et Silvestro Papa Ecclesiam Dei regente, quem ad investigandam crucem sibi socium adhibuit, si credimus Zonarae (*lib.* 1. *adnot.* 325), ad Calvariae montem octogenaria perrexit, ut refert Theodoretus. Tradunt autem d. Hieronymus (*ad Paulinum de instit. monac.*), et Sozomenus (*lib.* 20), quod cum christianae religionis persecutores illam penitus excindere omnibus suis viribus niterentur, inter alia hoc execrandum facinus excogitarunt, ut in loco crucis fanum Veneris extruerent, existimantes fidem crucis abolituros, si sacrum illum locum hoc spurcissimo idolo polluissent, et hinc crevit difficultas inveniendi illam. Quamvis enim regina Helena divini Spiritus instinctu de eo perquirendo admonita fuerit, ut ait Theodoretus; de loco tamen definito, ubi sacrosanctum lignum delitesceret, edocta non fuit, ut dicit d. Ambr. (*ubi supra*), quidquid reclamet Sozomenus supra relatus, ut sic laboriosa eius inquisitio copiosioris meriti sibi causa existeret. Cum primum autem pervenit Helena ad locum Calvariae, ingentem fossorum multitudinem adhibuit, ut varia loca explorantes, tandem felicem crucis locum detegerent; unius tamen Iudae indicio, qui postea ad fidem conversus episcopus et martyr fuit, ut tradit Beda in suo martyrologio, praecipue inventa fuit: ex traditione namque a maioribus accepta destinatum locum noverat, quem tamet si propalare omnino recusaverat, mortis tamen minis perterritus per reginam ei illatis, tandem illum prodidit, ut testantur Gregorius Turonen. (*lib.* 1. *hist. Fran. c.* 26), et Sozomenus (*ubi supra*). Aperta igitur humo, et decusso pulvere, cruces tres repertae fuere, quas ruina contexerat, inimicus absconderat; quaenam tamen illarum esset Christi crux, anxia dubitatio coepit subito reginae animum premere, ut auctor est Paulinus. Licet enim Chrysostomus (*ho.* 84), et d. Ambrosius (*ubi supra*), eapropter agnitam credant, quod titulus, *Iesus Nazarenus*, affixus ei inerat, cuncti tamen historici unanimi consensu repugnant, Nicephorus (*lib.* 10. *c.* 13), Sozomenus (*ubi supra*), Rufinus (*lib.* 1. *c.* 7. *et* 8), Sulpitius (*lib.* 2. *sacrae hist.*), et alii, dicentes avulsum esse titulum: unde ambigente Helena, quaenam ex illis crux esset, semimortuum, ut ait Rufinus, aut omnino mortuum, ut verius tradit Sozomenus, afferri iussit, quo allato, una de crucibus admovetur, deinde alia, sed earum ligna mors sprevit; cum primum tamen tertia admota fuit, Dominicam esse prodidit mortui surrectio: nam ad salutaris ligni tactum morte profuga corpus surrexit, et velut alter Lazarus quondam vinculis expeditus inter apportatores suos redivivus incessit. Venerabilis Beda (*lib. de loco sancto cap.* 3) testatur in eodem loco, ubi mortuus mirabili crucis virtute revixit, in sempiternum patrati miraculi monumentum columnam quandam erectam fuisse. Itaque illud discrimen inter crucem Christi, et latronum innotuit, quod istae mortuae, illa, quasi viva, vivificandi virtutem habuit. Sed nec in hoc solum vitam continere ostendit, sed in eo etiam, quod cum religionis, et pietatis causa pleraeque particulae ab ea detraherentur; certe in materia insensata vim vivam tenens, et quasi intrinseco vitae principio, ac humido radicali pollens, similes particulas germinabat, quibus detractae restaurabantur, ut testatur Cyrill. (*Catech.* 10), et Paulinus (*ad Severinum epist.* 11), quos refert cardinalis Baronius (*lib.* 1. *Annalium, anno Christi* 84. *fol.* 182). Contemplatur autem d. Ambrosius post repertum crucis thesaurum Helenam in haec verba prorupisse: *Quid egisti diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vincereris? Vicit te Maria, quae genuit triumphatorem, et quae sine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, et mortuus subiugaret: vinceris et hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat: illa fecit ut Deus inter homines videretur; ego ad remedium peccatorum divinum de ruinis elevabo vexillum;* haec ille. Addit etiam Helenam clavos, quibus Dominus cruci affixus fuit, quaesivisse, et invenisse; quorum duos misit ad filium, unum ad intexendum in diademate, alterum ad inserendum in fraeno: illum ad decorem, hunc ad fortitudinem. Ne autem quispiam a pietate alienum iudicet clavum tanta alioquin veneratione dignum fraeno imposuisse, audiat eundem d. Ambrosium: *Non insolentia*, ait, *ista, sed pietas est recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi praesidium:* et paulo post: *Sed quare super fraenum, nisi ut Imperatorum insolentiam refraenaret, et omnibus illis sancto dicere Spiritu videretur: Nolite fieri sicut equus, et mulus, sed in chamo, et fraeno maxillas eorum constringe.* Audiat etiam Theodoretum (*lib.* 1. *c.* 18), qui Helenam ait, clavorum partem in Imperatoris galeam artificiose includendam curasse, quo capiti filii consuleret, et hostium tela depellerentur; partem equi illius fraeno admiscuisse, quo tum Imperatorem securum redderet, tum veterem prophetiam explere posset: nam olim praedixerat Zacharias proph. (*c.* 14): *In die illa erit, quod super fraenum equi est, sanctum Domino omnipotenti.* Quam prophetiam, tametsi d. Hieronymus (*super cap. ult. Zach.*) de clavo Christi, fraeno equi Imperatoris inserto, nulla ratione intelligendam contendat; illam tamen expositionem approbant Gregorius Turonensis (*de gl. mart. c.* 8), Sozomenus (*l.* 2. *c.* 1), et Nicephorus (*l.* 8. *c.* 29); immo d. Cyrillus absque ulla haesitatione illam acceptat, et nihil improbabilitatis habere docet, quod Zacharias ibi rei valde memorandae, et regis valde pii meminerit: eandem etiam amplectuntur d. Ambrosius, et Lyra. Sed ut ad Dominicae crucis inventionem revertamur, quam praecipuum nostri sermonis scopum praefiximus, inde placet praefatae historiae glossema exordiri, quod Graeci festum hoc, quod nos crucis inventionem appellamus, apte satis crucis resurrectionem vocitant: nam cum tot annis emortua fuerit, quot sub humo sepulta delituit, certe cum industria Helenae e visceribus terrae prodiit, quasi resurrexisse videtur, ascensura postea in coelum, cum Dominus ad iudicandum venerit, ut tradunt Chrysostomus (*hom. de Cruc. et Pas.*), Ephrem (*lib. de ver. poen. cap.* 4), Uvaldensis (*tom.* 2. *tit.* 20. *c.* 158), et alii. Sacra narrat Machabaeorum historia solem-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ni pompa olim apud Hebraeos celebratum fuisse festum, quando sacrum ignem invenerunt, qui per multos annos latuerat. Ignis sane est lignum sanctae crucis, quem Christus Dominus venit mittere in terram: cuius inventio ignis illius inventione felicior, et celebrior reputanda est: ut enim sacer ille ignis in aquam crassam conversus, denuo post inventionem accensus est, pristinamque naturam induit; ita crucis gloria tot annis sepulta, post inventionem demum, toto terrarum orbe exaltari, et clarescere coepit. Quid? quemadmodum olim repertus liber sub Iosia rege, ruina fuit, et excidium omnis idololatriae, quae mirum in modum apud Hebraeos invaluerat; ita crux reperta idololatriam antea collabi incipientem penitus pessum dedit, adeo ut velut novo sole in mundum illato, certatim homines idololatriae tenebras deserentes, catholicae Ecclesiae se aggregaverint. Quod proculdubio metuens, atque praesagiens humani generis hostis, crucem in abditissimo loco recondi, et per multos annos ignotam humi delitescere curavit, ut hac ratione idolorum cultus non impediretur, et ipse damna per crucem sibi illata resarciret. Spes tamen haec illum fefellit, *et mentita est iniquitas sibi:* nam cruce per Helenam reperta, et omnium oculis exposita, gladius detectus est, quo veri Goliath caput cum summo eius dedecore fuerat amputatum, et idolorum cultus, qui valde increbuerat, mirum in modum imminutus decrescit. Unde sicut quondam sacrae litterae referunt, festum, quod vocabant Mardochaei, ab Hebraeis institutum fuisse, eo quod ignominia ab Amane illi parata in ipsius Amanis ignominiam commutata fuit: sic merito dies hic nobis celebris esse debet, quo crux Christo, et Christianis media felici eius inventione, mediantibusque portentosis miraculis ab ea tunc patratis, in honorem, victoriam, et gloriam Christi cedit. Curaverant olim Philistaei obstruere puteos, quos foderant servi Abraham, sed Isaac iam obstructos eruderavit, nec aquam latere passus est. Ad eundem certe modum inferorum Philistaei, daemones intelligo, crucis omnium bonorum, et spiritualium charismatum altissimum puteum, terra, et lapidibus, immo et libidinosae Veneris simulacro obstruxerunt; sed non secus ac Isaac, Helena Constantini mater illum divinitus edocta effodit, nec tantum thesaurum diutius latere passa est: thesaurum dico in agro montis Calvariae absconditum, quem cum Helena invenit, non dubito, quin, iuxta parabolam Evangelicam, si ad emendum illum oportuisset omnibus bonis se expoliasse, cuncta illa alacriter vendidisset, ut Ecclesiam catholicam tam pretiosi pignoris thesauro ditaret. Non incongrue quispiam inventam Christi crucem, inventum thesaurum appellari arbitretur: quippe quia sicut thesauri in terrae visceribus saepe absconditi sunt, et ita crux. Et sicut aurum, gemmae, et margaritae a mirabili radiorum solis influxu omnem suam virtutem accipiunt; sic lignum sanctae crucis a Sole iustitiae, in eo tanquam in curru suo sedente, suoque splendore illud irradiante, omnem suam virtutem, et efficaciam mutuavit; unde fit, quod inter alia, quibus inaestimabilis iste crucis thesaurus alios Orientalis Indiae exsuperat, illud mirabile est, quod ex mineralibus nec aurum elaboratum, sed rude procedit, nec gemmae, pretiosique lapides, religiosae alicuius figurae sculptura insignitae prodeunt; at istud vivificae crucis lignum clavorum opera elaboratum, et purpurei sanguinis Christi cruore depictum, velut pretiosissimam gemmam, imaginem crucifixi praeseferens ab Helena feliciter repertum novimus. Et quemadmodum historiae naturalium rerum auctores referunt in montibus Riphaeis pretiosissimos thesauros delitescere, quos immanissimi gryphi vigilantissime custodiunt, quapropter, qui ab illis thesaurum aliquem extorquet, rem magnam fecisse, ingentemque difficultatem superasse sibi videtur; ita sane, cum sanctae crucis thesaurus sub inculta humo latens ab Hebraeis tanquam ab immanissimis gryphis custodiretur, Helena regina, a Iuda, et ab aliis per minas mortis, thesaurum salutaris signi extorquens, rem proculdubio cunctis saeculis memorandam, et incredibili gloria dignam peregit. Quare hodie fratres charissimi, quasi reperto communi totius mundi thesauro laetari, et gaudere debemus. Gaudeat ergo primo sancta Mater Ecclesia, et gaudeat et regina Helena, quae inventa perdita drachma convocaverit amicos, et vicinos, ut gratularentur ei, dicatque non secus ac illa: congratulamini mihi, quia inveni crucis drachmam, quam perdideram. Nos etiam invento iam deperdito thesauro, non quem Christus perdiderat, sed quo nos perditos acquisierat, iustum est non solum exultare, sed et gloriari; praesertim cum Apostolus dicat (*ad Gal.* 2): *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi:* tantoque propensius spiritualem laetitiam pie, ac religiose concipere debemus, quanto non ignoramus ipsum humanae salutis inimicum suspirare. Desiderabat namque diabolus ad evadendum ignominiosae suae confusionis opprobrium, quod triumphale vexillum, sub quo victus, prostratus, et captivus fuerat, diu maneret occultum: sic enim ruinae suae dedecus, quod succumbendo contraxerat, videbatur sibi oppresso signo victoriae, ut poterat, compensare; sed sicut olim per Mariam caput eius contritum est, ita sane modo per Helenam in astutia sua comprehensus fuit, quia quanto ipse diabolica arte crucis vexillum supprimere curavit, tanto Helenae opera magis erectum, et exaltatum est in gloriam, et honorem Christi Domini. Amen.

# DE
# SEPTEM VERBIS CHRISTI DOMINI
## DE TESTAMENTO
### AC LACRYMANDA EIUS MORTE
#### NECNON DE VARIIS ARCANIS IN HIS OMNIBUS RECONDITIS

# LIBER UNDECIMUS

## HOMILIA PRIMA

*Verba Christi Domini:* Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, *multiplici sacrae Scripturae, et sanctorum Patrum eruditione illustrantur: ac de efficacia verbi divini, et inimicorum dilectione pleraque tam fructuose, quam curiose disseruntur.*

Divini verbi efficacitas adeo omnibus, et ubique gentium se ostentavit, ut mirabilem eius virtutem nemo sit qui non agnoverit. Si enim rerum naturalium opificium contemplemur, omnia solo verbo Dei existentiam accepisse reperiemus: nam, ut ait Apostolus (*Rom.* 4): *Vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt.* Vocavit lucem, et statim adfuit (*Gen.* 1): *Dixit Deus, fiat lux, et facta est lux.* Vocavit firmamentum, et non distulit adventum suum (*ibid.*): *Fiat firmamentum, et factum est firmamentum.* Vocavit coelos, et subito comparuerunt (*Psalm.* 32): *Verbo Domini coeli firmati sunt.* Vocavit stellas, et ut ait Baruch, responderunt: *Adsumus, et luxerunt ei cum iucunditate.* Ac tandem necessaria adeo est rebus producendis divini Verbi foecundissima virtus, ut illud idem, quod de Verbo increato dixit Ioannes, de ipso etiam creato Dei verbo omnimoda veracitate dici possit (*Ioan.* 1): *Et sine ipso factum est nihil.* Quod si altius ad rerum supernaturalium ordinem mentis aciem convertamus, quid quaeso excogitari potest, quod virtute huius verbi in lucem non prodierit? Verbo hoc Verbum caro factum est: dicente enim b. Virgine, cuius verba Verbum ipsum divinum posuit in ore eius: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, Verbum aeternum carnem induit humanam, eaque indutum portentosa illa, quae edidit miracula, medio verbo patravit. Vocavit discipulos (*Matth.* 4): *Venite post me; et continuo relictis retibus sequuti sunt eum.* Loquutus est ventorum turbini, et tumentibus fluctibus maris, et sedati sunt, omnibus prae admiratione dicentibus (*Luc.* 4): *Quis est hic, quia venti, et mare obediunt ei?* Locutus est febri, imperans ut abiret, et obedivit ei, Luca attestante: *Imperavit febri, et dimisit eam.* Locutus est morti, et fugavit illam: *Adolescens tibi dico, surge: Lazare veni foras.* Quid plura? Virtus quaedam divina singularis adeo inerat verbis eius, ut Ioannes dicat (*cap.* 12): *Ecce mundus totus abit post illum.* Sed quid mirum? Nam si M. Antonii verba ea fuere virtute praedita, ut conversos in se gladios longe a se averteret: *Sermone eius stupefacti,* ait Valerius, *districtos iam, et vibratos gladios, cruore vacuos vaginis reddiderunt:* et si orationis Rectoricae tanta vis est, ut eloquentiae parens dicere non dubitarit: *Tantam vim habet illa quae a bono poeta dicta est flexanima, et omnium regina rerum oratio, ut hanc illi facultatem flectendi animos sapientissimi viri tribuerint:* et si Herculis facundia, admirabilisque in dicendo energia talis noscitur fuisse, ut ad eam significandam, Luciano id attestante, catenam quandam depingerent ab ore eius egredientem, qua ad auditorum aures perveniente fortius, quam magnes ferrum ad se pertrahebat; quid mirum, si tanta hominum verbis inerat virtus, talem verbis Christi infuisse, ut mundus totus post illum abiret, dicens (*Ioan.* 7): *Numquam sic locutus est homo?* In hoc etiam haec divini verbi virtus mirum in modum praefulget, quod verba ministrorum Dei similem virtutem ab ea mutuarint: nam ut dixit d. Augustinus (*de doct. Christ. cap.* 2): *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum:* quod sane multo ante praenunciaverat regius Vates cum cecinit: *Vox Domini super aquas:* ecce sacramentum baptismi, cuius materia est aqua: *Vox Domini in virtute:* ecce confirmationis sacramentum, et virtutem, et fortitudinem, prae-

ni pompa olim apud Hebraeos celebratum fuisse festum, quando sacrum ignem invenerunt, qui per multos annos latuerat. Ignis sane est lignum sanctae crucis, quem Christus Dominus venit mittere in terram: cuius inventio ignis illius inventione felicior, et celebrior reputanda est: ut enim sacer ille ignis in aquam crassam conversus, denuo post inventionem accensus est, pristinamque naturam induit; ita crucis gloria tot annis sepulta, post inventionem demum, toto terrarum orbe exaltari, et clarescere coepit. Quid? quemadmodum olim repertus liber sub Iosia rege, ruina fuit, et excidium omnis idololatriae, quae mirum in modum apud Hebraeos invaluerat; ita crux reperta idololatriam antea collabi incipientem penitus pessum dedit, adeo ut velut novo sole in mundum illato, certatim homines idololatriae tenebras deserentes, catholicae Ecclesiae se aggregaverint. Quod proculdubio metuens, atque praesagiens humani generis hostis, crucem in abditissimo loco recondi, et per multos annos ignotam humi delitescere curavit, ut hac ratione idolorum cultus non impediretur, et ipse damna per crucem sibi illata resarciret. Spes tamen haec illum fefellit, *et mentita est iniquitas sibi:* nam cruce per Helenam reperta, et omnium oculis exposita, gladius detectus est, quo veri Goliath caput cum summo eius dedecore fuerat amputatum, et idolorum cultus, qui valde increbuerat, mirum in modum imminutus decrescit. Unde sicut quondam sacrae litterae referunt, festum, quod vocabant Mardochaei, ab Hebraeis institutum fuisse, eo quod ignominia ab Amane illi parata in ipsius Amanis ignominiam commutata fuit: sic merito dies hic nobis celebris esse debet, quo crux Christo, et Christianis media felici eius inventione, mediantibusque portentosis miraculis ab ea tunc patratis, in honorem, victoriam, et gloriam Christi cedit. Curaverant olim Philistaei obstruere puteos, quos foderant servi Abraham, sed Isaac iam obstructos eruderavit, nec aquam latere passus est. Ad eundem certe modum inferorum Philistaei, daemones intelligo, crucis omnium bonorum, et spiritualium charismatum altissimum puteum, terra, et lapidibus, immo et libidinosae Veneris simulacro obstruxerunt; sed non secus ac Isaac, Helena Constantini mater illum divinitus edocta effodit, nec tantum thesaurum diutius latere passa est: thesaurum dico in agro montis Calvariae absconditum, quem cum Helena invenit, non dubito, quin, iuxta parabolam Evangelicam, si ad emendum illum oportuisset omnibus bonis se expoliasse, cuncta illa alacriter vendidisset, ut Ecclesiam catholicam tam pretiosi pignoris thesauro ditaret. Non incongrue quispiam inventam Christi crucem, inventum thesaurum appellari arbitretur: quippe quia sicut thesauri in terrae visceribus saepe absconditi sunt, et ita crux. Et sicut aurum, gemmae, et margaritae a mirabili radiorum solis influxu omnem suam virtutem accipiunt; sic lignum sanctae crucis a Sole iustitiae, in eo tanquam in curru suo sedente, suoque splendore illud irradiante, omnem suam virtutem, et efficaciam mutuavit; unde fit, quod inter alia, quibus inaestimabilis iste crucis thesaurus alios Orientalis Indiae exsuperat, illud mirabile est, quod ex mineralibus nec aurum elaboratum, sed rude procedit, nec gemmae, pretiosique lapides, religiosae alicuius figurae sculptura insignitae prodeunt; at istud vivificae crucis lignum clavorum opera elaboratum, et purpurei sanguinis Christi cruore depictum, velut pretiosissimam gemmam, imaginem crucifixi praeseferens ab Helena feliciter repertum novimus. Et quemadmodum historiae naturalium rerum auctores referunt in montibus Riphaeis pretiosissimos thesauros delitescere, quos immanissimi gryphi vigilantissime custodiunt, quapropter, qui ab illis thesaurum aliquem extorquet, rem magnam fecisse, ingentemque difficultatem superasse sibi videtur; ita sane, cum sanctae crucis thesaurus sub inculta humo latens ab Hebraeis tanquam ab immanissimis gryphis custodiretur, Helena regina, a Iuda, et ab aliis per minas mortis, thesaurum salutaris signi extorquens, rem proculdubio cunctis saeculis memorandam, et incredibili gloria dignam peregit. Quare hodie fratres charissimi, quasi reperto communi totius mundi thesauro laetari, et gaudere debemus. Gaudeat ergo primo sancta Mater Ecclesia, et gaudeat et regina Helena, quae inventa perdita drachma convocaverit amicos, et vicinos, ut gratularentur ei, dicatque non secus ac illa: congratulamini mihi, quia inveni crucis drachmam, quam perdideram. Nos etiam invento iam deperdito thesauro, non quem Christus perdiderat, sed quo nos perditos acquisierat, iustum est non solum exultare, sed et gloriari; praesertim cum Apostolus dicat (*ad Gal.* 2): *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi:* tantoque propensius spiritualem laetitiam pie, ac religiose concipere debemus, quanto non ignoramus ipsum humanae salutis inimicum suspirare. Desiderabat namque diabolus ad evadendum ignominiosae suae confusionis opprobrium, quod triumphale vexillum, sub quo victus, prostratus, et captivus fuerat, diu maneret occultum: sic enim ruinae suae dedecus, quod succumbendo contraxerat, videbatur sibi oppresso signo victoriae, ut poterat, compensare; sed sicut olim per Mariam caput eius contritum est, ita sane modo per Helenam in astutia sua comprehensus fuit, quia quanto ipse diabolica arte crucis vexillum supprimere curavit, tanto Helenae opera magis erectum, et exaltatum est in gloriam, et honorem Christi Domini. Amen.

# DE
# SEPTEM VERBIS CHRISTI DOMINI
## DE TESTAMENTO
### AC LACRYMANDA EIUS MORTE
#### NECNON DE VARIIS ARCANIS IN HIS OMNIBUS RECONDITIS

---

## LIBER UNDECIMUS

---

### HOMILIA PRIMA

*Verba Christi Domini:* Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, *multiplici sacrae Scripturae, et sanctorum Patrum eruditione illustrantur: ac de efficacia verbi divini, et inimicorum dilectione pleraque tam fructuose, quam curiose disseruntur.*

Divini verbi efficacitas adeo omnibus, et ubique gentium se ostentavit, ut mirabilem eius virtutem nemo sit qui non agnoverit. Si enim rerum naturalium opificium contemplemur, omnia solo verbo Dei existentiam accepisse reperiemus: nam, ut ait Apostolus (*Rom.* 4): *Vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt.* Vocavit lucem, et statim adfuit (*Gen.* 1): *Dixit Deus, fiat lux, et facta est lux.* Vocavit firmamentum, et non distulit adventum suum (*ibid.*): *Fiat firmamentum, et factum est firmamentum.* Vocavit coelos, et subito comparuerunt (*Psalm.* 32): *Verbo Domini coeli firmati sunt.* Vocavit stellas, et ut ait Baruch, responderunt: *Adsumus, et luxerunt ei cum iucunditate.* Ac tandem necessaria adeo est rebus producendis divini Verbi foecundissima virtus, ut illud idem, quod de Verbo increato dixit Ioannes, de ipso etiam creato Dei verbo omnimoda veracitate dici possit (*Ioan.* 1): *Et sine ipso factum est nihil.* Quod si altius ad rerum supernaturalium ordinem mentis aciem convertamus, quid quaeso excogitari potest, quod virtute huius verbi in lucem non prodierit? Verbo hoc Verbum caro factum est: dicente enim b. Virgine, cuius verba Verbum ipsum divinum posuit in ore eius: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, Verbum aeternum carnem induit humanam, eaque indutum portentosa illa, quae edidit miracula, medio verbo patravit. Vocavit discipulos (*Matth.* 4): *Venite post me; et continuo relictis retibus sequuti sunt eum.* Loquutus est ventorum turbini, et tumentibus fluctibus maris, et sedati sunt, omnibus prae admiratione dicentibus (*Luc.* 4): *Quis est hic, quia venti, et mare obediunt ei?* Locutus est febri, imperans ut abiret, et obedivit ei, Luca attestante: *Imperavit febri, et dimisit eam.* Locutus est morti, et fugavit illam: *Adolescens tibi dico, surge: Lazare veni foras.* Quid plura? Virtus quaedam divina singularis adeo inerat verbis eius, ut Ioannes dicat (*cap.* 12): *Ecce mundus totus abit post illum.* Sed quid mirum? Nam si M. Antonii verba ea fuere virtute praedita, ut conversos in se gladios longe a se averteret: *Sermone eius stupefacti*, ait Valerius, *districtos iam, et vibratos gladios, cruore vacuos vaginis reddiderunt:* et si orationis Rectoricae tanta vis est, ut eloquentiae parens dicere non dubitarit: *Tantam vim habet illa quae a bono poeta dicta est flexanima, et omnium regina rerum oratio, ut hanc illi facultatem flectendi animos sapientissimi viri tribuerint*: et si Herculis facundia, admirabilisque in dicendo energia talis noscitur fuisse, ut ad eam significandam, Luciano id attestante, catenam quandam depingerent ab ore eius egredientem, qua ad auditorum aures perveniente fortius, quam magnes ferrum ad se pertrahebat; quid mirum, si tanta hominum verbis inerat virtus, talem verbis Christi infuisse, ut mundus totus post illum abiret, dicens (*Ioan.* 7): *Numquam sic locutus est homo?* In hoc etiam haec divini verbi virtus mirum in modum praefulget, quod verba ministrorum Dei similem virtutem ab ea mutuarint: nam ut dixit d. Augustinus (*de doct. Christ. cap.* 2): *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum:* quod sane multo ante praenunciaverat regius Vates cum cecinit: *Vox Domini super aquas:* ecce sacramentum baptismi, cuius materia est aqua: *Vox Domini in virtute:* ecce confirmationis sacramentum, et virtutem, et fortitudinem, prae-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stans ad fidei confessionem, et defensionem: *Vox Domini in magnificentia;* ecce eucharistia, in qua Christus Dominus summam ostentavit non solum liberalitatem, sed et magnificentiam, divinitatis, et humanitatis suae thesauros in hoc uno dono profundens: *Vox Domini confringentis cedros;* ecce sacramentum ordinis, quod potestate absolvendi, quam praestat, potentissimos saeculi Principes sacerdotum pedibus subiicit, et eorum superbiam confringit: *Vox Domini intercidentis flammam ignis:* ecce matrimonium, quod concupiscentiae, et libidinis flammas extinguit: *Vox Domini concutientis desertum:* ecce poenitentiae sacramentum, per quam Deus desertum a se peccatorem, quia prius ipse illum deserueral, dolore concutit, et ad bonum impellit: *Vox Domini praeparavit cervos:* ecce adumbratam extremam unctionem, cuius hoc est singulare munus, ut ad fontem vitae aeternae sitientes cervos ituros, iustos intelligo, peccatorum reliquiis expiet, praeparet, ac ultima manu disponat. Atque ex his Davidicis verbis ansam sumere libet, ad varias septem horum verborum imagines in medium producendas: septies enim repetita *Vox Domini*, ut quid septem Christi verba praesignasse non putaverim? Sed et illa, ni fallor, praenunciarunt septem, quae terrefaciebant, Apocalypsis tonitrua, septem candelabra aurea, septem stellae lucentes, septem tubae ad bellum spirituale excitantes, quarum septima victoriam, et imperium portendebat: prolato enim a Christo septimo verbo, *Consummatum est*, consummatam daemonis victoriam obtinuit. Quid plura? septem haec verba, septem sunt illae oscitationes, quibus Elisaeus puerum mortuum suscitavit; septem crines Samsonis, quae absconditam fortitudinem continebant; septem aspersiones sanguinis ad expiandam malitiam; septem illa astra Pleiadum chorum constituentia; septem gradus templi, per quos ad vestibulum ascendebatur; septem spicae pullulantes ex grano frumenti in monte Calvariae sato; septem etiam panes, quibus famelicam turbam Christus satiavit; septem tandem verba protulit, contra septem illas plagas novissimas Apocalypsis, et contra septem capita draconis, et contra septem diademata eius, et contra septem phialas, ira Dei plenas, et contra septem illos spiritus nequissimos, de quibus apud undecimum caput Lucae: et contra septem denique vitia capitalia, de quibus non incongrue mystice intelligi potest illud (*Deut.*18): *Per unam viam venient ad te*, id est per viam observationis mandatorum Dei, *et per septem fugient a facie tua*, per septem videlicet peccata capitalia. Ea autem ratione opinor numero septenario in his verbis usum fuisse Christum Dominum, quia numerus hic sacer est in sacra Scriptura, ut non leviter nuper commemorata indicant. Unde et orationem Dominicam septem petitionibus exornavit; sacramenta in Ecclesia septem instituit; virtutes septem infudit, Theologicas tres, fidem, spem, et charitatem; cardinales quatuor, iustitiam, temperantiam, fortitudinem, et prudentiam. Dona Spiritus sancti totidem esse constituit; beatificas dotes in septenarium numerum retulit, visionem, amorem, et fruitionem in anima, subtilitatem, claritatem, agilitatem, et impassibilitatem in corpore: quae omnia non obscure indicant Christum Dominum instaurationem mundi elaborantem primam eius efformationem in numero septem dierum imitari voluisse: sicut enim mundum condens sex diebus fabricatus est illum, et *septimo die requievit ab omni opere, quod patrarat;* ita septimum proferens verbum, *consummatum est* dicens, requievit a laboribus suis: et sicut sacer textus ait, *sanctificavit Deus diem septimum*, ita morte sua sanctificationem diei Dominicae, quae septima est, sicut et exaltationem sui nominis promeruit. Et sicut septimo die, sacra Geneseos commemorante historia, Noe columbam liberam ab arca emisit; ita cum septimum verbum protulit Dominus, continuo exhalavit animam, *et inclinato capite emisit spiritum*. Et sicut post septem dies, ex quo ingressus est Noe in arcam, factum est diluvium; non dissimiliter prolato iam septimo verbo, inundatio facta est aquae, et sanguinis, ex latere Christi copiose profluentis, Ioanne dicente (*c.*19): *Exivit sanguis, et aqua*. Ac tandem sicut Deus in signum foederis, et reconciliationis arcum variis coloribus insignitum in nubibus posuit; ita Christus in crucis brachiis extensus signum erat placationis divinae irae, et reconciliationis Dei cum hominibus, ut dixit Apostolus (2.*Cor.*5): *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi.* Obtinuit Christus Dominus hanc reconciliationem, cum effusione sacri cruoris, tum petitione veniae pro inimicis; de qua, quia Deo dante multa nobis effundenda sunt, figuris, et Prophetarum vaticiniis, quibus haec celeberrima Christi postulatio et adumbrat a, et praedicta fuit, exordiendum duxi: illam enim praesignavit primo id, quod (4.*Reg.*18) legimus de Davide, qui pro Absalone machinante sibi mortem, non solum orationem, sed et lacrymas fudit. Secundo figuravit eam, quod in Exodo narratur de Moyse, orante pro Israelitis volentibus illum lapidare; necnon etiam, quod de Aarone (*Num.*16) habetur, ad quem, ingrato illo populo in eos excandescente, dixit: *Tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis: iam enim egressa est ira a Domino, et plaga desaevit:* et alibi etiam ipse Moyses dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo.* Pulchre etiam idem delineavit tertio, quod Ioseph fratribus dixit: *Vos cogitastis de me malum, Deus autem vertit illud in bonum: ego pascam vos, et parvulos vestros.* Ac tandem hanc Christi orationem pro inimicis exorantis disertis verbis praedixit David, cum in persona Christi ait: *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam:* quibus consonat aliud Isaiae vaticinium dicentis: *Et cum sceleratis reputatus est, et ipse multorum peccata tulit, et pro transgressoribus rogavit.*

Desideravit olim Deus, ut Ezechiel commemorat, iustum aliquem, qui pro peccatoribus apud eum enixe intercederet: *Quaesivi*, inquit, *de eis virum, qui interponeret sepem, et*



*staret oppositus contra me pro terra ne disperderem eam, et non inveni.* At Christus Dominus Patris desiderium exacte in cruce explevit, advocati munus exercens pro peccatoribus apud Deum, clamans ad eum: *Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Mirabile certe, et inauditum advocati ingenium, singularis, ac rara conditio: alii clientis tutelam non nisi soluto pretio, aut spe illius suscipiunt; Christus autem pro iis, qui non aliud pretium ei exsolvunt, quam opprobria, et contumelias, preces ad Deum fundit, et advocati munus perfectissime explet, ut concinne dixit mellifluus Bernardus: *Securum habes accessum homo ad Deum, ubi mater ante filium, Filius ante Patrem: mater ostendit filio pectus, et ubera, filius Patri latus, et vulnera. Non poterit ulla esse repulsa, ubi tot sunt insignia charitatis.* Admiratione dignum esse reor, quod cum Christus Dominus in horto pro se oraret, non absolute, sed conditionate loquutus est: *Pater si possibile est, transeat a me calix iste;* at quando a Patre expostulat, ne inimici eius damnationis calicem bibant, non conditionata, sed absoluta verba profert: *Pater dimitte illis*, quod ardentem Christi charitatem aperte indicat, eo pervenientem, ut nostram salutem propriae vitae praeferens huius conditionatum illius absolutum desiderium habuerit. Cum etiam ante tribunal Caiphae, Herodis, et Pilati, qui iudex erat vivorum, et mortuorum, iudicandus adesset, multisque accusationibus graviter impeteretur, tacet, silet, non se tuetur; at cum ante tribunal crucis crucifixorum causa agitur, ipso crucifixionis execrando scelere adversus ipsos proclamante, velut advocatus suos clientes ita cruciantes se defendit, et pro eis veniam postulat, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.*

Inter alias Iacob benedictiones illam huic argumento verba ista Christi Domini explicanti satis consentaneam esse reor, quia dixit (*Gen.*49): *Nephthali cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis.* Scio Hebraeos doctores dicere, quod Iacob hic prophetavit de bello contra Sisaram, in quo Barach accepit secum decem millia de filiis Nephthali, qui iverunt prompte, et expedite, quasi cervus emissus: et inde habita victoria Debbora, et Barach cecinerunt canticum Domino, ut habetur (*Iudicum quinto*); et ideo aiunt subdi, *dans eloquia pulchritudinis*, id est eloquia divinae laudis. Nec me etiam latet, Nicolaum de Lyra (*in c.*49.*Gen.*) in hunc modum praefata verba interpretari, ut sensus sit, quod sicut cervus velocior, et celerior est aliis animalibus ad currendum, ita pars terrae, quae sorte illi contingere debebat, ob eximiam eius ubertatem celerius maturos fructus redditura foret: et hinc factum iri, ut Sacerdotes oblatis sibi huiusmodi fructibus arborum celeriter ita maturescentium, divinas laudes Deo essent decantaturi; quae merito eloquia pulchritudinis vocari merentur. Verum, ut recte adnotavit Rupertus, hunc locum intelligendum arbitror cum glossa ordinaria de verbis Christi Domini, ac mirabili eius doctrina: verba Ruperti sunt: *Melius est, si cuncta ad doctrinam Salvatoris referamus, eo quod ibi vel maxime praedicaverit, dans eloquia pulchritudinis, quippe cui verissime dictum est: Diffusa est gratia in labiis tuis;* haec ille. Inter pulchra autem Christi eloquia nulla quidem pulchriora censeri possunt, quam ea, quae eximiam eius charitatem praeseferunt, cuiusmodi sunt haec: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Unde illa expendens d. Anselmus, et excellentiam charitatis Christi admirans, dixit: *Christus in cruce lecatur, irridetur, blasphematur, et ecce dicit: Pater ignosce. O verbum magnae dulcedinis, magni amoris, et indicibilis charitatis. Ecce enim non suam attendit iniuriam, non poenam reputat, non sentit contumelias, non obliviscitur misereri, sed ipsis potius a quibus patitur, ille compatitur; a quibus vulneratur, ipse medetur, vitam procurat; a quibus occiditur, orat pro eis, et non petit ultionem. Sic igitur anima mea, quid in cruce agat, percontare, et respondebit tibi illud Psalmographi: Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam;* haec d. Anselmus. Quibus non dissimilia tradit d. Bernardus (*l. de praecep. et de poet.*), dum ait: *Pater ignosce illis, quasi quaeretur indulgentiae ratio in tam horrendo facinore; sequitur, quia nesciunt quid faciunt, ac si diceret, eo digni venia, quo et pusilli scientia sunt, ideo ignosco illis, quia non agnoscor ab illis: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Ut tamen excellentia huius charitatis Christi Domini magis effulgeat, in memoriam quaeso revocemus, quae sanctissimi olim viri horribilia supplicia in hostes exercuerunt. Noe illusus a proprio filio Cham, continuo illum maledixit (*Genes.* 9): *Maledictus Chanaam, servus servorum erit fratribus suis.* Elias venientibus ad se quinquaginta militibus cum eorum duce ab Ochozia rege missis, audiens verba ducis (4. *Reg.* 1): *Serve Dei rex praecepit, ut descendas*, ipse respondit: *Si servus Dei sum, descendat ignis de coelo, et devoret te, et quinquaginta tuos:* continuo descendit ignis de caelo, et devoravit eos. Elisaeus cum audiret pueros per irrisionem ei dicentes: *Ascende calve, maledixit iis in nomine Domini*, ut ait sacer textus (3. *Reg.*2): *Et egressi duo ursi de saltu, laceraverunt ex eis quadraginta duos.* David etsi mansuetissimus, proximus iam morti filio suo Salomoni praecepit, ut debitas poenas sumeret de Ioab, qui per proditionem duos praeclaros viros occiderat, et insuper Semei, qui ipsum maledixerat, capitis plecteret supplicio. Quid plura? Zacharias lapidibus impetitus vindictam a Deo postulans dixit: *Videat Dominus, et requirat.* Discipuli etiam Christi, ut d. Lucas commemorat, incuriam et inurbanitatem Samaritanorum execrantes, qui eos hospitio suscipere renuerant, in eos graviter animadvertere volentes, dixerunt magistro (*Luc.* 9): *Vis dicamus, ut ignis descendat de coelo, et consumat illos?* at Christi caritas tantopere excelluit, ut neque irrisus in cruce, ut Noe (*Marc.* 18): *Vah, qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reaedificas illud:* neque rogatus, ut Helias, ut descendat, Iudaeis dicentibus (*Mar.*15): *Si filius Dei est, descendat de cruce:* neque provocatus, ut olim Elisaeus, ascensum eius in crucem



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

postulantibus, cum dicebant, *Crucifige crucifige:* neque offensus, ut David, ab iis qui eum maledixerant, et infinitis propemodum conviciis, et contumeliis affecerant, vindictam aliquam sumpsit: non maledictione, ut Noe: non igne devorante, ut Elias: non ursis irruentibus, ut Elisaeus: non publico mortis supplicio, ut David: non flammis urentibus, ut discipuli, hostes consumere satagit, sed potius tanti sceleris veniam postulans ait (*Luc.* 23): *Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*, ut non immerito d. Paulus (*ad Heb.* 12) dixerit: *Ad sanguinis aspersionem accessistis melius loquentem, quam Abel.* Egregie quidem ait melius loquentem, quia illa vindictam fratris, ista veniam inimicorum expostulat; haec considerans d. Bernardus (*serm. de pas. in fer.* 4. *hebdo. pent.*) aiebat: *Vide nunc opera Domini, quae posuit prodigia super terram, flagellis caesus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor; Ignosce ait illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Bone Deus, quanta sonorum diversitas auribus meis perstrepit? audio sonum clavorum manus, et pedes Christi terebrantium; audio verba, et contumelias irridentium; audio clamorem Christi veniam pro inimicis exposcentem. Spiritus sanctus dixit (*Eccles.* 22): *Musica in luctu importuna narratio*; at in lacrymanda Christi passione canticum hoc: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*, quod velut cygnus iam moribundus cecinit, non importuna, sed alacris, et laeta narratio, cum nihil charius debitori sit, quam quod debitum ei diminuatur. Ut tamen naturam huius coelestis cantus melius percipiamus, non abs re erit, ni fallor, duorum illorum meminisse fratrum, de quibus sacra Geneseos narrat historia, unum *Iubal*, alterum *Tubalcain* nominatos; primum fuisse patrem canentium cithara, et organo; secundum vero malleatorem, et fabrum ferrarium. Adnotant autem antiqui Hebraei, hac ratione artem canendi Iubal adinvenisse, quod secundum diversitatem sonorum, quos Tubalcain faber ferrarius incudem percutiens causabat, diversos ipse vocum concentus efformabat. Non dissimiliter Christus Dominus velut alter Iubal dulcissimae illius musicae, dilectionis intelligo inimicorum, primus inventor, ut satis innuunt verba eius (*Ioan.* 13): *Mandatum novum do nobis*, ad sonum ictuum clavorum manus, et pedes confodientium, nec non, et verborum, quae contumeliose in illum iactitabant, ipse suavem illum orationis suae concentum adinvenit: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Narrat sacra Scriptura (1. *Reg.*), adeo mirabilem vim habuisse concentum, et musicam Davidis, citharam tangentis, ut impium spiritum Saulem obsidentem longe ab eo abigeret: sic enim ait sacer textus: *Quando spiritus malus arripiebat Saul, David sumebat citharam, ac percutiebat manu sua, et recedebat a Saul spiritus malus.* Non secus proculdubio Christus Dominus suavitate concentus orationis suae multorum corda ad se convertit, et a peccatorum obsidione, et daemonis tyrannide liberavit. Ut enim testatur d. Augustinus (*de sept. verb. Dom.*), suavitas huius orationis bonum latronem, Centurionem, et illos omnes, de quibus ait Evangelista, quod *revertebantur percutientes pectora sua*, efficaciter ad veritatis agnitionem pertraxit: et d. Leo (*ser. de pass.*) ait: *De cuius utique orationis potentia fuit, ut praedicatio Petri Apostoli ex iis, qui dixerunt, sanguis eius super nos, et super filios nostros, et multorum ad poenitentiam corda converteret, et uno die baptizarentur tria fere millia Iudaeorum, fieretque omnium cor unum, et anima una paratorum iam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi;* et d. Hieronymus versans verba illa Isaiae: *Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domus Iacob*, ait: *Propter hoc, id est, propter Christi orationem auferetur peccatum eius, si voluerit agere poenitentiam, et merebitur benedictionem Dei, qui sibi maledictionem fuerat imprecatus, dicens: Sanguis eius super nos, et super filios nostros:* et d. Cyprianus (*ser. de pas.*) tradit, propter hanc Christi orationem Iudaeorum supplicium per quadraginta et eo amplius annos dilatum esse, ut possent si vellent, poenitentiam agere, suique peccati remissionem consequi.

Verum iam singula huius divini concentus verba expendamus. Primum est, *Pater;* quasi dicat, non clamo ad te tanquam ad iudicem, ut severo iudicio in inimicos meos inveharis; non tamquam ad regem, qui potentia regiae maiestatis velut immanes hostes comprimas, atque coerceas; sed te invoco tamquam Patrem benignissimum, ut propter dulcedinem huius nominis, et propter amorem, et obedientiam, quam tibi Patri, ut obsequentissimus Filius impendo, etiamsi illi sint ingrati, et inobedientes, ad me respiciens, propter me veniam illis impertiaris. Secundum verbum fuit, *dimitte illis;* quasi dicat, ego salutem eorum propriae vitae praefero, ergo et tu praeferre debes charitatem, qua pro illis sanguinem fundo, iniquitati eorum, ita ut in conspectu tuo praeponderet magis charitas haec ad dimittendam eis hanc noxam, quam iniquitas eorum, ad illam graviter puniendam: ergo *dimitte illis*; si enim mors in arbore paradisi praevaluit, ecce mortem in arbore crucis confixam. *Dimitte* ergo *illis*, ne mortem incurrant: si peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, et ex arbore illa oblatum fuit pomum ligni vetiti fructus: ecce me in eius compensationem velut arboris crucis fructum ex eo pendentem, accipe solutionem illius debiti; dimitte ergo illis tandem Pater sancte. Profunda humilitas, inaudita patientia, ardentissima charitas, et aliae excellentissimae virtutes, quas in me agnoscis, a te hoc praemium obtinere expostulant, ut tantum facinus patrantium corda contritionis dolore emollias, et ad te supremum, et ultimum omnium finem convertas. Tertium verbum fuit, *quia nesciunt quid faciunt.* D. Augustinus (*lib. quaest. veter. Testam.*) sacramenta huius verbi reserans, ait: *Quid est, quod in cruce positus Salvator ait, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt? si enim nesciunt, quid est quod ignoscitur? maxime cum dicat rex Abimelech ad Deum; nunquid gentem ignorantem perdes? non*



*omnis ignorans immunis a poena est, ille autem ignorans potest excusari a poena, qui a quo disceret, non invenit; istis autem hic ignosci petit, qui habentes a quo discerent, operam non dederunt, huiusmodi scire, quae non licet ignorare. Accipant ergo veniam si convertantur.* His adnectere placet illustre testimonium Simonis Cassiani, qui in haec verba perdocte satis scripsit: *Sciunt quia crucifigunt: ignorant, quem crucifigunt; Romani enim erant, aut de gentibus incircumcisis ministri, et milites Pilati, qui hoc ministerium exercebant, et enutriti sub cultura perfidiae, quae dicebatur servitus idolorum, nec assueti erant vaticiniis Prophetarum, ut coniecturare possent, aliquando Dei Filium in carne potuisse venire; unde omnino nesciebant, quem crucifigebant. Quamobrem misericorditer subvenit eis gratia Salvatoris, et omnis culpa est mitior, faciliusque meretur veniam, quae ab ignorantia, quam quae a malitia sumit exordium: nesciebant enim quid facerent, cum fidem credulam adhiberent diffamationibus Iudaeorum, et eis placere gestientes, animosius poenis Christum afficiunt:* et infra: *Potest autem ex Christi magna benignitate comprehendi, quod etiam Iudaei ad hanc intercessionem pro consequenda indulgentia pertinerent, illi dumtaxat, qui Christum nullo modo cognoverunt; si vero scientes in istam orationem venissent, frustra remissionis, seu dimissionis causam invenisset Salvator, quia nesciunt quid faciunt: est siquidem, Quia, semper redditio causae;* haec ille. Cuius sententia videtur certe Augustini testimonio confirmari posse: nam ille ponderans Iudaeos mente compunctos, quod Messiam occidissent, ad praedicationem Petri dixerunt: quid faciemus? (*tract.* 31. *in Ioann. post med.* 19) ita scribit: *Viderunt enim se ingenti crimine impietatis adstrictos, quando illum occiderunt, quem venerari, et adorare debuerunt, et hoc putabant esse inexpiabile: magnum enim facinus erat, cuius consideratio illos faceret desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus est dignatus orare: dixerat enim, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Videbat quosdam suos inter multos alienos, illis iam petebat veniam, a quibus adhuc accipiebat iniuriam: non enim attendebat, quod ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. Multum est, quod illis concessum est ab ipsis, et pro ipsis, ut nemo de sui peccati dimissione desperet, quando illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt;* haec ille. Verum duae hic non contemnendae obiectiones se offerunt. Prima, quomodo cohaerent verba haec, *nesciunt quid faciunt*, cum verbis illis, quae antea Christus Dominus praedixerat, *et viderunt, et oderunt me, et Patrem meum;* et illa alia, *scitis, et unde sim scitis.* Huic obiectioni occurrimus, Christum Dominum illis verbis, *nesciunt quid faciunt*, locutum esse de crucifixoribus militibus Romanorum, et multis etiam vulgaribus Iudaeis, qui sacramenta legis, et Prophetarum ignorabant; in aliis vero verbis, quibus fatetur hostes suos illum non ignorasse, de principibus sacerdotum loquitur, qui horrendum illud crucifixionis scelus Iudaeis suggerebant, et ut illum persequerentur, a principio excitarunt, immo et impulerunt. Secunda vero obiectio est, quia cum Christus Dominus posset ex cruce non minus facile peccatorum remissionem inimicis suis impertiri, quam antea Magdalenae impertitus fuerat, dicens: *Remittuntur ei peccata multa:* quare ipse imperio, et potestate excellentiae utens, non dixit eis, ignosco vobis? Huic obiectioni non aliter respondere duxi, quam divus Chrysostomus (*in Matth. c.* 5) respondit his verbis: *Dominus dixerat, orate pro persequentibus vos, hoc etiam crucem ascendens fecit, dicens: Pater dimitte illis; non quod ipse non posset relaxare, sed ut pro persequentibus orare doceret, non solum verbo, sed opere;* haec ille. Quibus etiam aperte indicat praecipuum fructum, quem ex Christi oratione decerpere debemus, hunc esse, nimirum, ut ad imitationem Servatoris inimicis nostris facile iniurias condonemus: hoc enim arbitror esse praeceptum illud, de quo regius Vates Christum alloquens dixit (*Psal.* 7): *Exurge Domine in praecepto, quod mandasti, et synagoga populorum circumdabit te.* Novi certe priscos Patres, et recentiores etiam quosdam interpretes aliter interpretari hunc locum; Hieronymi versio sic habet: *Consurge ad me in iudicio quod mandasti:* Felix autem vertit: *Exurge ad me iudicium praecepti*, vel excita pro me iudicium, quod praecepisti. Consonat his translatio Chaldaica, *Accelera mihi iudicium, quod mandasti.* Unde sensum volunt esse, quod sicut ipse praeceperat iudicibus, ut in flagitiosos animadverterent; ita ipse consurgeret adversus eos, ut timore supplicii conterriti ad ipsum confluerent, illumque circumdarent. Subscribit huic interpretationi Theodoretus (*in Psal.* 7) dicens: *Tu legem sanxisti, ut iniuria affectos ulcisceremur: quod igitur alios facere mandasti, tu ipse Domine perfice, tu ipse mihi Domine auxilium impertire: nam hac ipsa providentia tua declarata omnes tibi hymnos offerent, Deumque altissimum, ut qui rerum omnium curam habes, et digna iniustis supplicia irrogas, appellabant.* D. Basilius de praecepto honorandi parentes praedicta verba exponit: *Deum*, inquit (*sup. Psal.* 7), *rogat, ut ad vindictam praecepti neglecti, quod mandavit, exurgat: praeceptum autem erat hoc a Deo praescriptum, honora patrem tuum, et matrem tuam, quod filius ipsius transgressus erat; ideo rogat, ut et eum ipsum corriget, atque castiget, et exemplum multis sit, quo admoniti resipiscant.* Remigius vult hoc praeceptum, de quo Propheta, humilitatis, et obedientiae praeceptum esse: *Manifestare*, inquit, *in praecepto quod mandasti primis parentibus, scilicet in obedientia, et humilitate, ut per illam convertas eos ad te, ut discant per humilitatem eum vincere, qui per superbiam primum parentem superavit, et cum sic apparueris, synagoga populorum circumdabit te, id est congregatio fidelium, et infidelium circumdabit te, illi ad imitandum, isti ad perdendum.* Paulus Burgensis (*in Ps.* 7) aliam viam ingressus in expositione huius Psalmi, ait: *Quia Aethiops ille Semei volebat praetendere, quod David invasisset regnum, vel intrusive, idcirco David petit stabilitatem regni sui, quod legitime habuerat, tum per institutionem divinam per Sa-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*muelem: unde dicit:Exurge Domine in praecepto quod mandasti, in confirmatione regni mei, quod ex praecepto habuit ; tum quia regnum habuit ex electione humana , conformando se divinae institutioni; unde dicit, et synagoga populorum circumdabit te, quia populi congregati , scilicet in Hebron , et in Hierusalem sequendo mandatum Dei, ipsum David receperunt in regem, ut patet secundo regum.* Christopolitanus Episcopus diversam aliam adhibet intelligentiam in haec verba:*Exurge Domine Iesu Christe in praecepto, quod promisisti , quando flevisti super Hierusalem , dicens : Circumdabunt te inimici tui vallo, et non relinquent in te lapidem super lapidem, quasi dicant, imple illud dictum, et prophetiam, et praecipe Romanis , ut veniant contra Hierusalem, ad vindicandum mortem tuam, quia synagoga , id est congregatio omnium populorum gentilium, circumdabit te , et venient ad destruendam Hierusalem , te verum Messiam recipiendo.* Ceterum licet has omnes expositiones veneremur , aliam d. Chrysostomi nostro argumento omnino consentaneam hoc loco sequendam duxi: *Quid est,* inquit, *in praecepto, quod mandasti? ut opem feramus his qui iniuria officiuntur, et non negligamus eos , quibus extruuntur insidiae : quod tu ergo nobis lege constituisti, hoc etiam facto nobis exprime:* et subdit hoc praeceptum intelligi etiam de eo , quod iussit non habere odio inimicos, et concludit: *Nihil humanum ne hic quidem suspiceris: etsi enim tales sunt dictiones , sunt tamen sensa, quae Deo conveniant. Quid est ergo circumdabit te, pro eo quod est canet tibi, laudabit te, quoniam hoc per choros faciebant in orbem circumsistentes in templo, et in altari.* Richardus hanc secutus expositionem ait: *Exurge Domine Deus meus in praecepto quod mandasti, id est in charitate,quod est novum mandatum; et sic synagoga populorum , id est congregatio fidelium, circumdabit te, ad imitandum.* Hoc igitur charitatis praeceptum,ad cuius publicam impletionem ut omnes stimularentur , regius Vates Christum Dominum invitabat, ipse in cruce perfecta , atque omnibus numeris absoluta observatione implevit: nam cum ipse hoc praeceptum dederat: *Diligite inimicos vestros,* certe Patri dicens: ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt , doctrinae opera conformans, quod docuerat, re ipsa exequitur, ut sic ad inimicorum dilectionem amplectendam non solum verbo instrueret , sed exemplo fortius excitaret, ac vehementius impelleret. Mundus, velut olim Lacedaemoniorum respublica , legem tulit de vindicandis iniuriis; at sicut quondam Trasibulus, qui post partam Atheniensium victoriam eam dulcissimam legem condidit , ne quis quempiam de quacumque iniuria praeterita sibi illata accusare posset , quam apte oblivionis legem vocavit; ita Christus Dominus legem condidit dilectionis inimicorum, legem certe oblivionis iniuriarum, ne quis eas ulcisci audeat; tamen quia hoc profanis mundi sectatoribus arduum, ac perdifficile praeceptum semper visum fuit, id solum probare, Deo auspice , adnitar , observationem huius divinae legis animae, corpori, et honori mirum in modum utilem, et consentaneam esse, ut saltem tam mirificae utilitatis praemio fidelium animi allecti, difficultatem,quam imbecillis caro adeo exhorrescit, Salvatoris gratia facile superent. Et quidem in primis dilectionem inimicorum utilem valde esse animae, praeterquam rem catholicis viris indubitatam assero , tria praecipue id satis probare autumo.Primum quidem inter omnia dona divinitus elapsa, unica hypostatica unione excepta , quae naturalem Dei filiationem Christo contulit, nullum excellentius excogitari potest , quam filium Dei adoptivum esse: sic enim homo fit consors divinae naturae; medium autem ad obtinendam hanc adoptivam filiationem, Christo Domino id attestante, dilectio inimicorum est,*Diligite inimicos vestros, Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.* Sicut enim parentibus similes filii evadere solent , in eo praecipue filii Deo Patri assimilantur, quod inimicis parcere, et sicut ille , beneficia conferre non dubitent. Unde cum Christus Dominus in cruce pro inimicis oravit , et cum clamore maximo expirasset, continuo Centurio eo signo cognoscens filium Dei esse, proclamavit (*Marc.* 15): *Vere hic homo Filius Dei erat*. Atque huc facit, quod sacra Scriptura (1. *Reg.*) commemorat, Saulem nunquam Davidem filii nomine donasse, nisi quando,ipso in spelunca existente,David non voluit, cum alioquin facile posset , ab eo vindictam sumere. Itaque non nominavit illum filium , quando gigantem Goliath viriliter interfecit,nec quando hostes alios fortiter expugnavit , nec tandem, quando propriam filiam Michol in uxorem ei dedit, sed solum cum vidit ab opportuna vindicta se abstinuisse, tunc dixit:*Numquid vox tua haec est fili mi David ?* Ac tandem legimus Moysem tunc solum vocatum Deum: *Ego te constitui,* ait Dominus, *Deum Pharaonis,* quando perpluries dimissurus erat Pharaoni. Scio multos Doctores eapropter existimasse vocasse illum Deum , quia decreverat virtutem illi impertiri ad patranda portentosa illa prodigia, quorum effectio solius omnipotentiae Dei propria est; Clemens tamen Alexandrinus ideo ait vocasse illum Deum, quia illuc usque velut homo se gesserat in Ægyptium animadvertens , et illum occidens , nunc Dei constitutionem, et ingenium induens saepe verbo, et opere Pharaoni ignositurus erat, in quo quia valde Deo similis fiebat, ideo illum Deum vocitavit, dicens:*Ego te constitui Deum Pharaonis.* Haec aperte nobis indicant , eum nomine filii Dei dignum esse, qui cum possit de inimicis debitas poenas sumere, accensus tamen charitatis ardore ad imitationem Christi iniurias ulcisci minime tentat. Huc etiam pertinet, quod insigne discipulorum Christi, quo ab aliis secernuntur, dilectio inimicorum est, ut palam ipse testatus est, dicens (*Ioan.* 13): *In hoc cognoscent , quod discipuli mei estis , si dilectionem habueritis ad invicem:* quae verba ut aliquantulum illustremus, observandum est, tam principes , quam alios insignes viros consuevisse in annulis, vel vexillis, et similibus insignia nonnulla exsculpere , quibus ipsi tam praesentibus , quam posteris magis innotescerent. Romani enim, ut refert Richardus, Aquilam, et Minotaurum vexillis imprimebant; Assyrii columbam Semiramis reginae; milites Darii regis accipitres tres , significare volentes armorum unguibus regem Darium praecipuas mundi partes arrepturum. Plato refert regem Gygem solitum portare in annulo singularem quendam lapidem,qui in capite draconis reperitur,et symbolum pacis est,ut se amantissimum illius portenderet. Alexander etiam ab Alexandro (*l.2.c.*19),et Solinus de Pyrrho Epirotarum rege,tanta illum erga Deum Apollinem religione viguisse narrant,ut in pretioso cuiusdam annuli lapide effigiem eius frequenter secum afferret, quam novem Musis circumdari fecit, ut se poesis amantissimum esse,omnibus innotesceret. Catonem item memini legisse annulum quendam portare solitum, cui haec inerat inscriptio: *Amicus unus, inimicus nullus.* Itaque omnes isti eorum, quae amabiliora,et chariora habebant , certa argumenta , et indicia posteris relinquere curarunt, quibus eorum animos, et affectus magis omnibus propalarent.Non secus Christus Dominus, ut se, et discipulos suos omnibus gentibus palam faceret, amorem inimicorum , et dilectionem ad invicem, tamquam stemma , et insigne religionis Christianae posteris suis reliquit: ad quod sane alludens d. Paulus dixit (2. *Cor.* 1): *Unxit nos Deus , qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Primum ait, *unxit nos,* ut lapideum cor nostrum divina unctione emolliens ad sigillationem , et impressionem , quam intentabat, magis disponeret. Secundo ait, *signavit* , eo quidem signaculo , de quo (*Cant.* 8): *Pone me signaculum super cor tuum.* Tertio ait impressisse *pignus spiritus in cordibus nostris,* quod non aliud, quam charitatem esse, et dilectionem proximi, nemo sanae mentis ambigere potest, Apostolo dicente (*ad Ro.*5):*Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Secundum principale caput, unde facile venari possumus , quantum dilectio inimicorum utilitati animae conferat, illud esse reor, quod nullum peccati genus severius puniat Deus , quam inimicorum vindictam , charitati e diametro repugnantem : in cuius figura legimus Deum in Deuteronomio camelum reprobasse , indignum,ut ei in sacrificium offerretur, propterea arbitrans , quia iniuria lacessitus eius ulciscendae libidine vehementer flagrat. Hericium etiam similiter reprobavit, eo quod aculeis pungentibus circumdatus, alia sibi adhaerentia animalia facile lacerat. Legimus etiam in Levitico reprobasse aquilam, milvum , accipitrem, et alias rapaces aves, quae unguibus suis alias inclementer exulcerantes iniuriarum acerrimi vindices sunt. Haec ad umbram pertinent odii, quo Deus inimicos odientes prosequitur. Veniamus ad ea quae clarius id exprimunt, et absque ullo aenigmate manifestant. Refert sacra Scriptura libro Exodi , Amalecitas contra Israelitas ira percitos transitum eis impedisse, ne quo desiderabant proficisci possent ; quadraginta tamen annis transactis eos in hunc modum Deus punivit ; vocavit Saul , dicens ei (1. *Reg.* 15): *Recensui quaecumque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Aegypto: nunc ergo vade, et percute Amalech, et demolire universa eius, non parcas ei , sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum, atque lactentem, bovem , et ovem, camelum, et asinum.* Libro etiam Iudicum rex Adonibezec immaniter adeo se gerebat adversus inimicos , ut cum reges quosdam captivos duceret , postquam graviter eos percuti iusserat , easdem quas canibus escas edendas porrigebat, legem tamen talionis Deus tanquam acerrimus vindex eum subire coegit, rege ipso dicente (*Iudic.* 1): *Septuaginta reges amputatis manuum, ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias, sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Aman similiter, eo quod viderat Mardochaeum non sibi genu flectere, tanto iracundiae fervore incaluit , ut illum in ligno suspendere tentaret. At Deus iudex aequissimus vindictam hanc , quam de hoste sumere cupiebat, in illum convertit: nam ut habetur eodem libro Esther, quodam eunucho dicente Regi (*lib.Esth.*7): *En lignum, quod paraverat Mardochaeo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman , habens altitudinem quinquaginta cubitos,* respondit Rex: *Appendite eum in eo;* et subdit sacer textus:*Suspensus est itaque Aman in patibulo , quod paraverat Mardochaeo.* His addamus insigne aliud supplicium quo Deus regem Achab , et reginam Iezabel , severo , sed iusto iudicio mulctavit. Hi reges contra Nabot indignati, quod unicam vineam, quam habebat, eis concedere renuisset, mortem illi machinati sunt , falsum illi praecipientes imponi testimonium. Adiudicatus est a iudicibus, ut lapidaretur, lapidatusque est Nabot, et mortuus est, et sanguinem eius linxerunt canes. Elias tamen praedixit Regi supplicium, quod a Deo sibi imminebat: *Haec dicit Dominus, in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Nabot,lambent quoque sanguinem tuum:* et paulo post ait:*Sed et de Iezabel locutus est Dominus, dicens:Canes comedent Iezabel in agro Iezabel.* Sententiam hanc tulit Deus contra hos reges, executionem autem eius habes libro quarto Regum, ubi sacer textus commemorat, carnes Iezabel a canibus fuisse devoratas. Rex tamen quia humiliavit se coram Deo, non induxit Deus malum super illum in diebus suis , sed post mortem tamen septuaginta filios eius iugulari praecepit; et quia fructus Nabot in plures cophinos collegerat , ideo capita filiorum abscissa in cophinis posita fuere, ut quemadmodum ipse vindemiaverat alienae vineae fructus , ita mors vindemiaret fructus viscerum eius, nempe septuaginta eius filios: sic enim ait historia ( *lib.* 4. *Regum* ): *Tulerunt filios regis , et occiderunt septuaginta viros , et posuerunt capita eorum in cophinis, et miserunt ad eum in Iezrael. Venit autem nuncius , et indicavit ei dicens , attulerunt capita filiorum regis; qui respondit , ponite ea ad duos acervos iuxta introitum portae usque mane.* Ac tandem cum quinque illi reges expugnare moliti sunt Gabaonitas, eo quod pacem cum populo Dei inire vellent , desiderabant enim , ut Gabaonitae secum solum amicitiae foedere essent coniuncti , populo vero inimici , Deus pacis amantissimus , indignatus contra illos , quod non vellent illum imitari in eo , quod

solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super iustos, et iniustos, luce solis, et pluvia eos debellari, et profligari facit: nam postquam copiosam grandinem in eos misit, quae ad modum tormenti bellici omnes exulcerabat, atque interficiebat, ita ut sacer textus dicat (*Iosue* 10): *Mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserunt filii Israel*: ultra hoc inquam supplicium aliud etiam immisit, quod stare fecit solem, ne tenebris noctis ingruentibus, incepta expugnatio ad finem usque perduci non posset: unde Iosue dixit: *Sol contra Gabaon ne movearis. Stetitque sol in medio coeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei.* Ecce quam solicita divina iustitia fuerit in plectendis odio inimicos prosequentibus.

Tertium caput, unde facile deprehendere possumus, quam utilis sit animae inimicorum dilectio, a contrario argumentando facile colligi potest, cum nemo sit, qui malum inferens inimico, gravius nocumentum animae suae non inferet. Sicut enim apis aculeo suo pungens, vitam amittit, ita qui alium laedit, seipsum prius interficit, iuxta illud Davidis (*Psal.* 36): *Gladius eorum intrat in corda eorum.* Unde sicut vulpes Samsonis igne, quem in caudis portabant, agros devastantes maius nocumentum sibi quam agris intulerunt; ita qui in inimicos invehuntur, acrius se, quam illos exulcerant. Hanc veritatem non parum illustrari posse existimo ex illo Genesis 27. ubi legimus, quod quando Rebecca advertit Esau machinari mortem fratri suo Iacob, misit illum in domum Laban, dicens: *Cur utroque orbabor in uno die?* Probe enim agnoscebat, quod Esau Iacob interficiente, seipsum etiam graviori morte afficiebat; et ideo quasi uterque moriturus foret, dicebat, cur utroque, scilicet filio, orbabor? Atque hinc est, Boetii sententiam plurimum commendatam fuisse, dum dixit: miserior est iniuriae illator, quam acceptor.

Sed quam utilis etiam corpori sit inimicorum dilectio, nunc videamus. Id perspicue ostendit antiqua illa priscorum imago, teste Chartario, qui Deam Martem pugione pectus terebrante depingebant, et pedibus, nigra, ac densissima nube irretitis; quibus innuere volebant, odium inimici immanem mucronem esse, viscera hominis confodientem; et passionem iracundiae, velut densissimam nebulam, mentis claritatem obscura caligine obscurare. Hoc idem egregie exprimit, quod Abigail dixit regi David, ut persuaderet illi, ne vindictam de marito suo sumeret (1. *Reg.* 25): *Non erit*, inquit, *tibi hoc in singultum, et in scrupulum cordis domino meo.* Quin et eodem loco bonum ei praenunciavit, quod si parceret Nabal marito suo, etiamsi inimici irruerent in eum, Deum fore illum incolumem, et illaesum servaturum: *Si enim*, ait, *surrexerit aliquando homo persequens te, et quaerens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum.* Deinde finge Deum tibi hanc legem imposuisse, ut iniurias omnes a quocumque tibi illatas ulcisci deberes sub aeternae damnationis poena, nonne corpori gravior haec lex, et intolerabilior foret? ut saepe ad id longissima itinera peragere, ingentes sumptus facere, et vitae discrimini saepe se exponere oportet, maxime si a potentiori vindictam sumere deberes. Legem igitur dilectionis inimicorum vindictam hanc prohibentem, corpori utilem valde esse nemo prudens negabit. Sed iam quam honori etiam consentanea sit, diligenter perpendamus. Si enim nihil honorificentius excogitari potest, quam creaturam imitatricem esse Creatoris sui, nihil consequenter honoratius erit, quam inimicis iuxta morem, et ingenium Dei benefacere. Ex quo facile elicio, quam absurda loquendi ratio sit ea, quae multis fidelibus familiaris esse solet, contra proprium videlicet honorem esse, illatam iniuriam non vindicare: id enim existimaverim implicite, et involute errorem contra fidem catholicam continere: est enim manifestus error asserere, observare legem divinam cum proprio honore pugnare: at lex divina inimici vindictam prohibet: ergo asserere contra honorem esse hanc custodire legem, involutum, et implicitum continet errorem. Deinde si nobili alicui viro manibus, et pedibus ligatis alius alapam impingeret, quis adeo insanae mentis esset, ut propterea putaret illum proprio honore expoliatum iri? immo potius qui illum ligatum aggressus est, proprium honorem denigravit. Igitur cum Dei praecepta, inter quae inimicorum dilectio continetur, ligamina quaedam sint, quibus fideles constringuntur, iuxta illud Ecclesiastici (*c.* 6): *Vincula eius alligatura salutis*, quibus omnia et singula eorum membra alligata sunt, ne proximo iniuriam aliquam inferre possint: nemo prudens, inimicis parcere, eorumque vindictam execrari dedecori aut infamiae adscribet.

## HOMIMIA II.

*Boni Latronis conversio quam mirabilis, ac portentosa fuerit, in illa verba:* Dominae memento mei, cum veneris in regnum tuum. *Quae multiplici sacrae Scripturae, et sanctorum Patrum doctrina palam fit.*

Antequam abdita mysteria, reconditaque sacramenta, quibus proposita verba scatent, delegamus, prius nodum illum enodandum duxi, an latro iste Christum Dominum in cruce existentem blasphemaverit: totaque dubitandi ratio inde emergit, quod d. Matthaeus dicat (*c.* 27): *Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, d. vero Lucas asserat: *Unus autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum.* Huic apparenti contradictioni occurrit Seraphicus noster d. Bonaventura, duplicem viam aperiens ad Evangelistarum concordiam: sic enim ait: *Haec contrarietas dissolvitur dupliciter: uno modo, quod verbum Matthaei intelligatur per synecdochem, ut quod est partis, attribuatur toti: vel quod ambo principio blasphemarunt, sed alter tantum perstitit.*



Ex duplici hac solutione primam docuerunt d. Augustinus (*lib.* 3. *de cons. Evang. c.* 16), d. Epiphanius (*haer.* 66. *in catal. haer.*), d. Hieronymus (*in cap.* 27. *Matth. t.* 9), Beda (*in c.* 23. *Luc. lib.* 6. *t.* 6), d. Ambrosius (*lib.* 10. *in Lucam t.* 5), dicentes, utrumque latronem blasphemantem induci a d. Matthaeo per tropum synecdoches, aut per enallagen, ut habet d. Augustinus, vel per syllepsim, ut loquitur divus Hieronymus, ita ut numerus multitudinis pro singulari sit positus, et pro uno latrone pluraliter latrones dicantur blasphemasse, sicut et Lucas pluraliter dixit milites obtulisse acetum, cum ex aliis Evangelistis manifeste constet, unum ex eis id fecisse: hunc enim modum loquendi frequenter reperimus in sacra Scriptura. Unde in Exodo 32. de illo vitulo aureo dicitur: *Hi sunt Dii tui Israel:* et in Daniele: *Sidrach, Misach, et Abdenago, Deos ait nostros non colitis*, et loquitur de statua aurea: et (*l. Iudicum* 12) habetur: *Sepultus in urbibus Galaad*, id est in una urbium: et David (*Ps.* 2) in illis verbis: *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum*, pluralem numerum ponit pro singulari, ut constat ex Actis Apostolorum: nam reges propter Herodem, Principes propter Pilatum intellexit d. Lucas, qui testimonium hoc Davidis adhibet. Et cum d. Paulus (*ad Heb.* 2) ait: *Concluserunt ora leonum*, de solo Daniele, qui id fecit, loquitur: et cum addit, *Secti sunt*, de solo Isaia est sermo, qui sectus fuit: et cum ait: *Circuierunt in melotis*, de solo Elia est sermo, qui melotem solus induisse fertur. Communis etiam modus loquendi idipsum comprobat, cum dicimus, hi Annibales, isti Sciplones, atque Metelli. Usitata item phrasis est dicere, et rustici mihi insultant, cum tamen unus dumtaxat sit, qui insultet. Hoc ergo loquendi genere usus d. Matthaeus pluralem numerum pro singulari accepit. Atque hanc interpretationem id confirmare videtur, quod latro numquam se accusarit, quod convicium aliquod dixisset in Iesum, quod et verba illa non obscure indicant (*Luc.* 23): *Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Nam si ipse Christo improperasset, non ita acriter in latronem alterum excandescere posset, cum eum qui alium carpit, ea labe carere oporteat, inauditumque sit, ut eiusdem delicti reus in alterum blasphemiae verba iactet.

Secundam vero interpretationem, d. Bonaventurae scilicet, utrumque latronem a principio blasphemasse, sed postea cum aliter resipisceret, a blasphemiis se abstinuisse, et alterum blasphemantem, et improperantem compescuisse, docuerunt gravissimi Ecclesiae Patres, d. Hieronymus (*in c.* 27. *Matthaei*), Chrysostomus (*ibid.*), Cyrillus Hierosol. (*Catech.* 13), Hilarius (*can.* 23. *in Matth.*), d. Thomas (3. *p. q.* 46. *art.* 11), Origenes (*trac.* 25. *in Matt.*), Theophylactus (*in c.* 27. *Matt.*), Euthymius (*ibid.*), quia id disertis verbis dixisse videntur d. Matthaeus, et d. Marcus, quibus secundum hanc interpretationem nullatenus contradicit d. Lucas, cum hic loquatur post conversionem latronis, illi vero ante eandem. Quae omnia paucis perstrinxit d. Ambrosius (*lib.* 10. *in Lucam*), dicens: *Fortasse et iste prius conviciatus est: sed repente conversus*, ecce primam expositionem: et subdit: *Potuit enim de uno pluraliter dicere, sicut est illud ad Hebraeos: In pellibus caprinis, secti sunt, obturaverunt ora leonum, cum solus Elias melotem habuisse, Isaias sectus esse, Daniel a leonibus intactus mansisse doceatur:* ecce secundam interpretationem. Ego, ut verum fatear, huic secundae sententiae magis adhaereo, quia quanto latro gravioribus peccatis infirmabatur, eo magis facultas medici commendatur: nam ut recte d. Augustinus (*ser.* 13. *de tem. ante med. t.* 10) dixit: *Quemadmodum medicum tunc maxime admiramur, cum viderimus eum difficiles hominum valetudines curantem, mortisque pericula medendi arte vincentem; ita et Christum admirari iustum est, quando insanabilia vulnera in corporibus, et mentibus curat*, hactenus d. Augustinus. Quanto etiam latro atrocius deliquit, Christo improperans, tanto Christi ei parcentis misericordia clarius splendet, dum a maiori miseria illum sublevat. Unde propheta Isaias in persona Christi id praedixisse videtur, dum ait (*c.* 43): *Glorificabit me bestia agri, dracones, et struthiones:* quasi dicat, nihil mirandum, quod me laudent astra matutina, et iubilent filii Dei, ac omnes angelorum chori a laudibus meis non cessent, cum et maiestatem meam per longum tempus agnoverint, et a me pene infinitis beneficiis cumulati sint. Id tamen admiratione dignius est, quod bestia campi, latro, qui in campestribus depraedabatur, qui in nemoribus, ut viatorum bona raperet, velut cruenta bestia fame stimulata, eos excarnificare solebat, iam in mansuetam ovem conversa, ad primam pastoris vocem continuo accurrens, illi se subiiciat, et tamquam Deum suum revereatur. Haec considerans Iob, egregiam quandam, ac singularem metaphoram usurpans, ait: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quae praeparavi in tempus hostis in diem pugnae, et belli?* Hanc interrogationem fecit Deus amico suo Iobo, ut magnitudinem sapientiae suae ei ostentaret. Id tamen mirabile est, quod ad id explicandum dicat Deum plures nivis, et grandinis thesauros congregasse, cum copiosissima horum congeries non ingentes divitiarum copias, aut magnam alicuius principis potentiam praeseferant, atque portendant. D. Gregorius (*c.* 21. *Moral. in comm. huius loci*) egregiam quandam moralem expositionem illi adhibet: docet enim nive, quae frigida est, et grandine duritiem habente, gelidos peccatores designari, iuxta illud Hieremiae (*cap.* 6): *Sicut frigidam fecit cisterna aquam, sic frigidam facit animam malitia sua.* Unde etiam est illud (*Matth.* 24): *Quoniam abundavit malitia, refrigescet charitas multorum.* In hac ergo peccatorum hominum nive, et grandine Deus adservatos habet thesauros mirabiles, maiestatem eius, et potentiam mirum in modum ostentantes. Nam dum ex sceleratioribus hominibus sanctiores reddit, excellentius misericordiae, et potentiae suae incomparabiles divitias omnibus palam facit. Unde inter tres illustriores illas, quas legimus con-

versiones, Magdalenae, Pauli, et Latronis, haec me tertia in maiorem rapit admirationem: primam enim effecit Deus vitae aura fruens, et mortali corpore indutus; secundam in coelo iam regnans: tertiam tamen in cruce moribundus existens, cum videretur sui magis, quam aliorum curam habiturus. Magdalena quidem si convertitur, portentosa eius miracula vidit, doctrinam eius in concionibus audierat, exempla sororis Marthae ad conversionem invitabant, et quodammodo trahebant. Paulus si convertitur, vidit Christum splendentibus gloriae fulgoribus radiantem, et clarius sole fulgentem. At bonus latro, nec doctrinae Christi auditor exliterat, nec ut Magdalena, exemplo socii excitatus, qui potius ad improperandum Christo illum alliciebat, nec, ut divus Paulus, Christum splendoribus coruscantem vidit, sed potius leprosum, ut ait Isaias, et tanquam facinorosum hominem, infami crucis patibulo vitam iam exhalantem. Licet ergo utraque illa conversio Magdalenae, et Pauli, gratiae copia, et donis caelestibus illustrior fuerit; haec tamen latronis admiratione dignior, cum secundum bonam philosophiam, quo magis termini, a quo, et ad quem, distantes sunt, et quo breviori tempore motus inter eos peragitur, eo mirabilior sit. Latronem autem, qui toto ferme tempore suae vitae latrociniis, et homicidiis vacaverat, a vera charitate remotiorem fuisse quis non videat? ergo illam brevissimo tempore assequutus, mirabiliorem reddit suae conversionis supernaturalem motum. Aliunde etiam effulget valde omnipotentia Christi Domini in hac boni Latronis conversione, dum militem hunc daemonis militiae adscriptum, ab eo etiam invito, et reluctante extorquet: nam ut ipse dixit (*Luc.* 11): *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet; si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet in quibus confidebat.* Latrones arma daemonis esse, nemo ambigit; sed Christus Dominus eo fortior superveniens, insignem Latronem hunc ab eo eripuit, ut proprii daemonis armis eum expugnet. Hoc enim in magnum gloriae Christi splendorem, et omnipotentiae eius ostentationem cedit, ut subobscura illa metaphora curruum explicuit egregie Sponsus dicens (*Cant.* 1): *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* Loquitur hoc loco Sponsus, alludens ad equos, quos rex Ægyptius Salomoni mittebat, quibus tamquam strenuis magis, et aptioribus ad bella ineunda ipse Salomon postea usus est ad eorundem Ægyptiorum expugnationem: quod in maiorem procul dubio illorum tristitiam, et moerorem, sicut et in maiorem Salomonis honorem cedebat, cum armis ab eis subministratis eos devinceret. Ita sane cum latro hic inter arma daemonis, quibus ipse Christum debellare tentabat, non infimum locum teneret, in magnum Christi honorem vergit, quod arma isthaec, in quibus confidebat, in ipsum daemonem detorserit, et proprio gladio ipsum iugulaverit. Divino consilio factum arbitror, ut portentosa prodigia tempore, quo Christus pendebat de cruce, omnium oculis apparerent, ut inde magis potentia Christi, et maiestas eluceret. Sol obscuratus, et terra commota est, petrae collisae sunt, monumenta aperta, et corpora multorum resurrexerunt; at inter omnia haec portenta nullum cum conversione latronis comparari posse facili negotio convincemus: nam si mirabile est obscurari solem, mirabilius est obstinatum ac caecum illuminari latronem: et si mirabile est petras inter se collidi, mirabilius est Christum Dominum, quem petram vocavit divus Paulus: *Petra autem erat Christus*, lapideum latronis cor tangere, et inde ardentes amoris scintillas elicere: et si mirabile est terram tremefieri, mirabilius est intrepidum ad patranda latrocinia latronis animum vocem Christi audientem sancta, et religiosa trepidatione commoveri; et si mirabile fuit sepulcra aperiri, mirabilius est, os latronis, quod velut sepulcrum patens verborum foetorem antea exhalabat, nunc ad verba salutis proferenda pandi; ac tandem si mirabile fuit corpora ad vitam animalem redire, mirabilius sane, ac excellentius est latronis animam ad spiritualem vitam revocari. Hoc igitur conversionis istius portentum reliqua omnia commemorata longe antecedit. Unde d. Leo (*serm.* 2. *de pas.*) ait: *Mira utique mutatio, insidiator viarum usque ad crucem reus fit Christi repente confessor, et inter illos acerrimos corporis, animique cruciatus, quos simul et instantia, et difficultas mortis augebat, mira conversione mutatus, memento mei, ait.*

Sed praeter omnipotentiam Christi, in hac latronis conversione mirum in modum splendentem, singularis eius industria non minus effulget, quam ex duplici praesertim capite deprehendo. Primum munus Christi Domini fuit, venatorem, et piscatorem animarum esse; unde et discipulis suis hanc venandi, et piscandi curam tradit, ut Hieremias praenunciaverat (*c.* 16): *Mittam eis multos venatores, et venabuntur:* et Dominus ipse eisdem inquit (*Mat.* 4): *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.* Inter venatores quidam passerum, et avicularum capturae vacant, quod pueris frequens esse solet; alii aquaticis canibus venationi insistunt, in aqua multa venantes; alii in saltu tormentis manuariis Silvestres feras insequentes venantur; alii, quod excellentius venandi genus est, velocissimas aves per aera volitantes, singulari venandi dexteritate capiunt. Haec omnia venationis genera Christum Dominum exercuisse comperio. Nam in primis cum puer erat, intra matris viscera reconditus, inde venatus est suavissimi concentus passerculum, Ioannem Baptistam intelligo, deserti philomelam, qui a bimatu incola deserti fuit. Postea secus aquas maris Tiberiadis venatus est Petrum, et Andream; Matthaeum vero in caeno telonii iacentem aucupatus est; necnon pene infinitos alios doctrinae reti captavit: nunc autem excellentius venationis genus exercens, latronem, velut rapacem aquilam in aere existentem, corpore proximum, sed animo remotissimum, ardentis amoris iaculis ferit, et velut divinus magnes ad se trahit. In eo etiam valde splendet rara, ac inaudita Christi Domini industria, quod in



hac latronis conversione, multa inter se contraria, variaque inter se dissidentia extrema, simul in unum copulavit. Ecclesiastis enim tertio capite dicitur: *Tempus nascendi, et tempus moriendi; tempus plantandi, et tempus evellendi; tempus occidendi, et tempus sanandi; tempus ridendi, et tempus aedificandi; tempus flendi, et tempus ridendi; tempus spargendi lapides, et tempus colligendi; tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexu; tempus acquirendi, et tempus perdendi; tempus custodiendi, et tempus abiiciendi; tempus scindendi, et tempus consuendi; tempus tacendi, et tempus loquendi; tempus dilectionis, et tempus odii; tempus belli, et tempus pacis.* Haec omnia inter se pugnantia extrema in unum hodie coniunxit sapientia Christi. *Tempus,* ait, *nascendi, et tempus moriendi:* ecce latronem eodem die morientem, et nascentem; moritur mundo, nascitur Christo, maxime quod mors iustorum natalis vocatur. *Tempus plantandi, et tempus evellendi:* ecce Christum Dominum e latronis anima culpam evellentem, et gratiam gloriae semen plantantem. *Tempus occidendi, et tempus sanandi:* mundus Christo lethalia vulnera infligit, Christus latronis vulnera sanat. *Tempus destruendi, et tempus aedificandi,* quia nunc *corpus peccati destruitur* in latrone, ut Paulina phrasi loquar, et ipse superaedificatur super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ut de omnibus iustis testatur Paulus (*ad Eph.* 2). *Tempus flendi, et tempus ridendi:* ecce deflens latro peccata, paradisum ingressus eodem die plorat, et ridet. *Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi,* quia quo tempore lapides sanctuarii, Apostolos intelligo, dispersi sunt, eodem Christus impolitum hunc latronis lapidem perpolivit, suoque coaptavit loco, sacris aedificiis in aeternum permansurum. *Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexu:* hoc namque tempore latro ab amplexibus fallacis Dalilae se abstinet, et Christus brachiis in cruce extensis spiritualibus amplexibus eum prosequitur. *Tempus acquirendi, et tempus perdendi:* nunc enim latro bonus aeternam vitam lucratur, et malus in sua obstinatione persistens vitam aeternam amittit, eo quod in statera crucis appensus inventus est minus habens. *Tempus abiiciendi, et tempus custodiendi:* nunc enim Christus Dominus improperantem sibi perfidum latronem a se longe abiicit; bonum vero latronem, quia de numero illarum ovium erat, de quibus Christus dixerat (*Ioan.* 10): *Nec rapiet eas quisquam de manu mea,* diligenter illum a faucibus cruenti leonis custodivit. *Tempus scindendi, et tempus consuendi:* quia hoc tempore, quo milites vestem Christi scindunt, ut eam inter se dividerent, Christus ipse splendidissimam gloriae vestem latroni contexuit. *Tempus tacendi, et tempus loquendi:* quo enim tempore adstantes blasphemias adversus Christum loquebantur, et ipse tacens, ac silens patienter eas sustinebat, bonus latro partes eius agens, honorem Christi tuebatur, dicens: *Hic autem quid mali fecit?* Rursus *tempus dilectionis, et tempus odii.* Adumbrant enim hos latrones Iacob, et Esau: unde sicut de illis ait d. Paulus, quod Deus *Iacob dilexit; Esau odio habuit,* ita Christus bonum latronem diligens, malum odio habuit. *Tempus* tandem *belli, et tempus pacis:* quia in hoc bonus iste latro vitia debellans, propriaque peccata expugnans, stabilem, ac perennem, et in aeternum duraturam pacem cum Christo inivit.

Sed iam proposita latronis verba Christum alloquentis multis modis expendere, et exornare properemus. *Memento,* ait, *mei,* iustus latro, *cum veneris in regnum tuum.* Egregiam huius deprecationis imaginem secundo Regum reperio, cum Semei, qui David improperaverat, postea resipiscens occurrit ei, veniam ab eo humiliter deprecans: *In die,* inquit, *qua egressus es domine mi rex de Hierusalem, agnosco servus tuus peccatum meum: et idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum domini mei regis.* Semei, qui Davidi maledixerat, latronem, qui ante conversionem suam Christo improperabat, ut tradit divus Matthaeus, egregie adumbrat; mansuetissimus verò David Hierusalem egressus, Christum extra portam Hierusalem in cruce existentem apte repraesentat: et sicut Semei David primus occurrens peccatum suum agnovit, et veniam petiit; ita primus latro Christo in cruce pendenti veniam petiturus occurrit, sed non sicut Semei, veniam ad tempus limitatum, sed sempiternam obtinuit: licet enim David usque ad mortem noxam dimisit Semei, tamen iamiam moribundus praecepit filio suo Salomoni, ut illum interficeret: itaque supplicium non abstulit, sed distulit; at venia, quam Christus contulit latroni, omnibus numeris fuit absoluta, omnem culpam abrasit, totum reatum poenae delevit, cuncta debita remisit, nec laxavit ad tempus, sed in aeternum duraturam veniam ei impertitur. Illud tamen diligenti inquisitione nobis investigandum est, unde latro iste adeo bene Christum Dominum cognoverit, ut quem tanquam infamem hominem in cruce pendentem aspiceret, regem esse non diffiteretur. Quidam non contemnendae auctoritatis Doctores ex beato Anselmo referunt, Matrem Virginem cum infante Iesu, et sponso Iosepho in Ægyptum proficiscentem in manum latronum incidisse, quorum unus nomine Dimas infantis pulchritudinem, ac singularem vultus splendorem admirans dixit: si fieri posset Deum carnem assumere, non dubitarem infantem hunc Deum esse asserere; eiusque precibus reliqui latrones placati, sacros hos viatores illaesos dimiserunt. Christus ergo, inquiunt, volens rependere latroni hoc beneficium, in se, et Matrem collatum, interiorem sui notitiam ei exhibuit. D. Vincentius Ferrerius (*ser. de bon. latr.*) ait, fidelem hunc latronem ad dextram Christi fuisse versus aquilonem, et ideo in meridie umbram corporis Christi obumbrasse illum, et virtute illius, sicut umbra Petri infirmos sanabat, ut refert d. Lucas, latronem excitatum fuisse ad se in Christum convertendum. Idque sane videtur praedixisse David, dum in persona latronis loquens ait: *Exaudi Domine vocem deprecationis meae,* deprecatio erat: *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum;* et continuo subiungit: *Domine Domine virtus*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*salutis meae, obumbrasti super caput meum in in die belli*; quasi diceret, umbra tui sacri corporis cooperuisti me, quae ad deprecationem hanc efficiendam, virtutem, ac vires subministravit. Origenes (*tract.* 35. *in Matth.*), putans latronem hunc non solum famam miraculorum Christi audisse, sed etiam nonnulla vidisse, facile responderi ait posse, ab his permotum fuisse. Theophylactus (*sup. Luc. cap.* 23), et Euthymius motum arbitrantur latronem audita Christi Domini oratione pro inimicis exorantis; unde aiunt illum agnovisse ex immensae charitatis,et misericordiae signis, quae in cruce edidit, quae non nisi Dei videbantur propria. D. Hilarius (10. *de Trin.*), et d. Bonaventura (*in Luc.*) docent,latronis viscera commota fuisse, visa inaudita patientia Christi, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur,non comminabatur, sed tamquam agnus mansuetissimus cruentam victimam se offerebat. D. Ioannes Chrysostomus (*homil.* 2. *de cruc. et latr.*), Origenes (*tract.* 35. *in Mat.*), prodigia illa, et portenta obscurationis solis, et aliorum, quae Christo in cruce pendente acciderunt, motiva fuisse conversionis huius latronis. Subscribit huic sententiae d. Hieronymus (*in cap.* 27. *Matth.*): *Sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unum latronem coepisse credere, et confiteri Iesum*. Petrus Damianus existimat beatam Virginem, quae adstabat Christo crucifixo ex parte dextra, ubi aderat latro, pro eo preces fudisse, et propterea conversum fuisse. Verum licet multa ex his, quae commemoravimus, profuisse potuerint latroni, ex parte obiecti, et velut motiva ad suam conversionem; interna tamen motio, et illustratio Spiritus sancti, quia *Spiritus ubi vult spirat*, praecipua fuit conversionis eius causa, ut recte adnotavit Cyrillus (*cat.* 13), dicens: *Quae virtus te illuminavit, o latro? quis te docuit adorare contemptum, et simul cruci affixum? o lumen perpetuum, illuminans obscuratos!* Quod idem d. Augustinus (*serm.* 132. *de temp.*), divus Chrysostomus (*serm. de latr. et serm.* 1. *de cruc. et latr.*), divus Leo (*serm.*2. *de pas.*) diserte tradidere. Sed numquid latronem alium non etiam illuminavit? illuminavit sane: siquidem *Lux erat illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*. Quomodo ergo ille convertitur, et iste avertitur a Deo? Paulus respondet: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!* Cum igitur investigationi iudiciorum Dei omnem praecludat viam d. Paulus, solum nobis admirationis aditus patebit. Merito namque admirari possumus impletum videntes illud Matthaei (c. 24): *Erunt duae molentes in mola: una assumetur, et alia relinquetur*. Intuemur Iosephum eodem carcere inter duos socios commorantem, quorum unus in suspendium mittitur, alius ad epulas convivantium fertur. Videmus summum sacerdotem Aaron suae humanitatis thuribulo per vulnerum ora suavissimum odorem exhalantem, inter duos sacrificium offerre, quorum unus periit, alter superstes manet. Quid plura? Quis quaeso in admirationem non rapiatur, prodigium illud Iobi considerans, quod hic re ipsa intueri licet? *Penna*, inquit, *struthionis similis est pennis herodii:* et nihilominus licet exteriori specie similitudinem habeant effectibus,tamen tanta dissimilitudine dissident, ut struthio nec palmi mensura a terra se erigere possit, herodius vero tanta velocitate volitet, ut velocissimos accipitres longe saepe superet Quis deinde non stupeat medium Iesum stantem inter duos latrones, tamquam firmamento aquas dividentem? *Fecit Deus*,inquit Moyses (*Gen.* 1), *firmamentum in medio aquarum, divisitque aquas, quae erant sub firmamento ab iis,quae erant super firmamentum*. Firmamentum hoc in medio aquarum, Christum Dominum mystice intelligo, quem sic appellavit David, dicens (*Psal.* 17): *Dominus firmamentum meum*. Quod si, ut Ioannes dixit: *Aquae multae sunt populi multi;* nihil mirum, si dicamus aquas sub firmamento reprobum significare latronem, aquas vero super firmamentum, latronem bonum, et a Deo electum, et supra paradisi firmamentum exaltatum apte adumbrare. Video tandem Christum Dominum, prout praeviderat David, cum dixit (*Psal.* 74): *Veruntamen in manu Dei calix vini meri plenus misto, et inclinavit ex hoc in hoc*, latroni bono dulcem porrigere salutis potum, perfido vero latroni damnationis calicem propinare. Hanc tantam sortium diversitatem maxime eo tempore, quo Christus Dominus sanguinis sui thesauros largissime profundebat, stupore dignam nemo non iudicabit. At nonnihil cessabit admiratio, si crucem Christi Domini, tribunal iusti iudicii sibi fuisse contemplemur: ut enim ait sapienter Augustinus: *Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim iudice constituto, unus, qui credidit, liberatus est, alter, qui insultavit, damnatus: iam significabat quid facturus esset de vivis, et mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram*. Quibus consonant verba divi Leonis Papae (*serm.* 4. *de pas.*): *Duo latrones, unus ad dexteram, et alter ad sinistram crucifiguntur, ut in ipsa patibuli specie demonstraretur illa, quae in iudicio omnium hominum facienda est discretio: cum et salvandorum fides credentes exprimeret, et damnandorum formam blasphemantis impietas demonstraret*. Itaque licet iuxta angelici Doctoris sententiam praedestinationis, et reprobationis nulla propria assignari possit causa ex parte boni, et mali latronis; recte tamen illam assignamus, ut praemii, aut supplicii iustam iudicis sententiam ante tribunal crucis subituri accesserunt: nam cum Ioannes dicat (*Apocal.* 14): *Opera enim illorum sequuntur illos*, merito boni latronis praemium operibus eius meritoriis adscribendum, perfidi vero latronis supplicium demeritis eius tribuendum iudicabimus. Quae autem fuerint boni latronis meritoria opera, in sequenti homilia ex professo disseremus. Illud tamen has inaequales horum latronum sortes consideranti animadvertendum duxi, omnino cuique cavendum esse, ne in alterum ex duobus illis extremis confidentiae nimiae, aut stultae desperationis prolabatur: inter spem, et timorem semper vitam agendam esse, ne alias Apostoli Thadaei maledictionem incurrat, dicentis: *Vae illis qui in viam Cain abierunt:* ecce desperationis maledictum: Cain enim dixit: *Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear; et mercede Balaam effusi sunt:* ecce nimiae fiduciae maledictionem: Balaam enim pravis moribus cum esset imbutus, et multis sceleribus implicatus, feliciter moriturum prae stulta confidentia falso sibi blandiebatur, dicens (*Num.* 23): *Moriatur anima mea morte iustorum*. Ne igitur quis desperationis Charibdin vitare cupiens in stultae fiduciae Scyllam incidat, inter timorem et spem semper incedat.



## HOMILIA III.

*Prosequimur conversionem boni latronis, heroica eius virtutum opera commemorantes, quibus se ad primam gratiam disposuit, et vitam aeternam promeruit.*

De heroicis boni latronis operibus sermonem habiturus, divi Gregorii Magni, hoc idem argumentum ingeniose pertractantis, vestigiis insistentes, prius de virtutibus eius theologicis, deinde de moralibus, quibus exiguo illo tempore mirifice praefulsit, disseremus. Sed ut felix huius homiliae sit exordium, placet illud mutuare ex eodem divo Gregorio (*li.* 8. *mor.*), in haec verba sic scribente: *In cruce clavi manus eius, pedesque ligaverant, nihilque in eo a poenis liberum, nisi cor, et lingua remanserant: inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum invenit, ut iuxta hoc, quod scriptum est, corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem. Theologicas virtutes, quas Apostolus commemorat subito repletus gratia, et accepit latro, et servavit in cruce: fidem namque habuit, qui regnaturum Dominum credidit, quem secum pariter morientem vidit: spem habuit, qui regni eius aditum praestolavit, dicens: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum: charitatem quoque in morte sua vivaciter tenuit, qui fratrem, et collatronem pro simili scelere morientem, et de iniquitate sua arguit, et ei vitam, quam non cognoverat, praedicavit, dicens: Nec tu times Deum qui in eadem damnatione es;* hactenus d. Gregorius: quae tamen fusius pertractare oportebit. Non possum sane non vehementer mirari excellentiam fidei huius fidelis latronis. Si enim olim credidit Abraham, credidit Deo sibi magna auctoritate loquenti pariter et dicenti: *Ego sum merces tua magna nimis;* hic vero credidit Christo summa infamia ex cruce pendenti. Si Isaias credidit Deo, videbat tamen illum in excelso throno sedentem, seraphinis acclamantibus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus;* hic autem non videt eum, nisi abiectissimo patibulo clavis confixum, et multis blasphemiis, et contumeliis despectum. Si Moyses credidit Deo, vidit illum in rubo spinarum, qui ardebat, et non cremabatur, et quod spinae non pungebant eum; hic tamen cernit Christi caput spinis redimitum, quae illum vehementer pungebant. Si tres illi discipuli credunt, Petrus, Ioannes, et Iacobus, viderunt Christum in vertice montis Thabor transfiguratum, et faciem eius splendentem, sicut solem, et vocem illam de coelo elapsam audierunt: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* latro tamen videt illum non in monte Thabor, sed in monte Calvario; non inter Moysem, et Eliam viros spectatissimos, sed inter duos insignes praedatores; non vultu splendenti, sed facie sputis foedata, et colaphis denigrata; non audivit vocem de coelo dicentem: *Hic est filius meus dilectus*, sed vocem illam cum valde despicientem: *Si Filius Dei es, descende de cruce*. Si Paulus credidit, raptus fuit usque ad tertium caelum, et reserata sunt ei arcana, quae non licet homini loqui. Si reliqui Apostoli crediderunt, portentosa miracula Christum Dominum patrantem conspexerunt. Si Nicodemus,et Nathanael crediderunt, Scripturis commoniti fuere. Si credidit Chananaea, prius fuit signorum claritudine attracta; sed latro nec raptus fuerat usque ad tertium coelum, nec legerat Scripturas, nec adfuerat eius miraculis: et nihilominus, quando princeps Apostolorum negat Christum Dominum, Iudas vendidit, discipuli fugiunt, nec ullus ex eis coram servis Pontificis ausus est confiteri illum; latro intrepide coram Principibus populi, palam illum confitetur Regem coelorum, et Dominum. Porro ut excellentiam huius fidei, qua mirifice splenduit hic latro, clarius illustremus, acutissima Patrum testimonia, qui diligentissime de illa disseruerunt, in medium producamus. Divus Augustinus (*ser. de fer.* 3. *Pasch.*) ait: *Huic fidei quid addi possit ignoro: titubaverunt, qui viderunt Christum mortuos suscitantem, credidit ille, quem videbat secum in ligno pendentem: quando illi titubaverunt, tunc ille credidit: Qualem fructum Christus de arido ligno percepit?* et (*serm.* 144) inquit: *Vim fecisti, credidisti, rapuisti, hodie mecum eris in paradiso. Non te differo; tantae fidei hodie reddo, quod debeo. Latro dicit, Memento mei Domine,cum veneris in regnum tuum. Non solum credebat surrecturum, sed etiam regnaturum*. Divus Leo (*de pass.in princ.*), hanc latronis fidem admirans, in haec verba prorupit: *Quae istam fidem exhortatio persuasit? quae doctrina imbuit? quis praedicator accendit? non viderat prius acta miracula; cessaverat tunc languentium curatio, caecorum illuminatio, vivificatio mortuorum: ea ipsa, quae mox erant gerenda, non aderant, et tamen Dominum confitetur, et regem, quem vidit supplicii sui esse consortem;* haec magnus ille Pater. Audiamus nunc divum Chrysostomum (*hom. de Cruce*): *Iste*, ait, *videt Salvatorem non in regali solio, sed in poena, sociatum latronibus: videt in cruce pendentem, et orat quasi in coelis sedentem; videt condemnatum, et invocat regem; Iudaei crucifigunt qui noverunt legem, et tu latro unde talia philosopharis?* Hic adiungamus Eusebium Emissenum (*hom.de bon.lat.*),in hunc modum loquentem: *Ecce inter signa, atque virtutes, attestantibus miraculis, et acclamantibus, aliquoties in discipulis mens iam robusta titu-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*salutis meae, obumbrasti super caput meum in in die belli;* quasi diceret, umbra tui sacri corporis cooperuisti me, quae ad deprecationem hanc efficiendam, virtutem, ac vires subministravit. Origenes (*tract. 35. in Matth.*), putans latronem hunc non solum famam miraculorum Christi audisse, sed etiam nonnulla vidisse, facile responderi ait posse, ab his permotum fuisse. Theophylactus (*sup. Luc. cap.* 23), et Euthymius motum arbitrantur latronem audita Christi Domini oratione pro inimicis exorantis; unde aiunt illum agnovisse ex immensae charitatis, et misericordiae signis, quae in cruce edidit, quae non nisi Dei videbantur propria. D. Hilarius (10. *de Trin.*), et d. Bonaventura (*in Luc.*) docent, latronis viscera commota fuisse, visa inaudita patientia Christi, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, sed tamquam agnus mansuetissimus cruentam victimam se offerebat. D. Ioannes Chrysostomus (*homil.* 2. *de cruc. et latr.*), Origenes (*tract.* 35. *in Mat.*), prodigia illa, et portenta obscurationis solis, et aliorum, quae Christo in cruce pendente acciderunt, motiva fuisse conversionis huius latronis. Subscribit huic sententiae d. Hieronymus (*in cap. 27. Matth.*): *Sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unum latronem coepisse credere, et confiteri Iesum.* Petrus Damianus existimat beatam Virginem, quae adstabat Christo crucifixo ex parte dextra, ubi aderat latro, pro eo preces fudisse, et propterea conversum fuisse. Verum licet multa ex his, quae commemoravimus, profuisse potuerint latroni, ex parte obiecti, et velut motiva ad suam conversionem; interna tamen motio, et illustratio Spiritus sancti, quia *Spiritus ubi vult spirat*, praecipua fuit conversionis eius causa, ut recte adnotavit Cyrillus (*cat.* 13), dicens: *Quae virtus te illuminavit, o latro? quis te docuit adorare contemptum, et simul cruci affixum? o lumen perpetuum, illuminans obscuratos!* Quod idem d. Augustinus (*serm. 132. de temp.*), divus Chrysostomus (*serm. de latr. et serm. 1. de cruc. et latr.*), divus Leo (*serm. 2. de pas.*) diserte tradidere. Sed numquid latronem alium non etiam illuminavit? illuminavit sane: siquidem *Lux erat illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quomodo ergo ille convertitur, et iste avertitur a Deo? Paulus respondet: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!* Cum igitur investigationi iudiciorum Dei omnem praecludat viam d. Paulus, solum nobis admirationis aditus patebit. Merito namque admirari possumus impletum videntes illud Matthaei (*c.* 24): *Erunt duae molentes in mola: una assumetur, et alia relinquetur.* Intuemur Iosephum eodem carcere inter duos socios commorantem, quorum unus in suspendium mittitur, alius ad epulas convivantium fertur. Videmus summum sacerdotem Aaron suae humanitatis thuribulo per vulnerum ora suavissimum odorem exhalantem, inter duos sacrificium offerre, quorum unus periit, alter superstes manet. Quid plura? Quis quaeso in admirationem non rapiatur, prodigium illud Iobi considerans, quod hic re ipsa intueri licet? *Penna*, inquit, *struthionis similis est pennis herodii:* et nihilominus licet exteriori specie similitudinem habeant effectibus, tamen tanta dissimilitudine dissident, ut struthio nec palmi mensura a terra se erigere possit, herodius vero tanta velocitate volitet, ut velocissimos accipitres longe saepe superet. Quis deinde non stupeat medium Iesum stantem inter duos latrones, tamquam firmamento aquas dividentem? *Fecit Deus*, inquit Moyses (*Gen.* 1), *firmamentum in medio aquarum, divisitque aquas, quae erant sub firmamento ab iis, quae erant super firmamentum.* Firmamentum hoc in medio aquarum, Christum Dominum mystice intelligo, quem sic appellavit David, dicens (*Psal.* 17): *Dominus firmamentum meum.* Quod si, ut Ioannes dixit: *Aquae multae sunt populi multi;* nihil mirum, si dicamus aquas sub firmamento reprobum significare latronem, aquas vero super firmamentum, latronem bonum, et a Deo electum, et supra paradisi firmamentum exaltatum apte adumbrare. Video tandem Christum Dominum, prout praeviderat David, cum dixit (*Psal.* 74): *Veruntamen in manu Dei calix vini meri plenus misto, et inclinavit ex hoc in hoc*, latroni bono dulcem porrigere salutis potum, perfido vero latroni damnationis calicem propinare. Hanc tantam sortium diversitatem maxime eo tempore, quo Christus Dominus sanguinis sui thesauros largissime profundebat, stupore dignam nemo non iudicabit. At nonnihil cessabit admiratio, si crucem Christi Domini, tribunal iusti iudicii sibi fuisse contemplemur: ut enim ait sapienter Augustinus: *Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim iudice constituto, unus, qui credidit, liberatus est, alter, qui insultavit, damnatus: iam significabat quid facturus esset de vivis, et mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram.* Quibus consonant verba divi Leonis Papae (*serm. 4. de pas.*): *Duo latrones, unus ad dexteram, et alter ad sinistram crucifiguntur, ut in ipsa patibuli specie demonstraretur illa, quae in iudicio omnium hominum facienda est discretio: cum et salvandorum fides credentes exprimeret, et damnandorum formam blasphemantis impietas demonstraret.* Itaque licet iuxta angelici Doctoris sententiam praedestinationis, et reprobationis nulla propria assignari possit causa ex parte boni, et mali latronis; recte tamen illam assignamus, ut praemii, aut supplicii iustam iudicis sententiam ante tribunal crucis subituri accesserunt: nam cum Ioannes dicat (*Apocal.* 14): *Opera enim illorum sequuntur illos*, merito boni latronis praemium operibus eius meritoriis adscribendum, perfidi vero latronis supplicium demeritis eius tribuendum iudicabimus. Quae autem fuerint boni latronis meritoria opera, in sequenti homilia ex professo disseremus. Illud tamen has inaequales horum latronum sortes consideranti animadvertendum duxi, omnino cuique cavendum esse, ne in alterum ex duobus illis extremis confidentiae nimiae, aut stultae desperationis prolabatur; inter spem, et timorem semper vitam agendam esse, ne alias Apostoli Thadaei maledictionem incurrat, dicentis: *Vae illis qui in viam Cain abierunt:* ecce desperationis maledictum: Cain enim dixit: *Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear; et mercede Balaam effusi sunt:* ecce nimiae fiduciae maledictionem: Balaam enim pravis moribus cum esset imbutus, et multis sceleribus implicatus, feliciter moriturum prae stulta confidentia falso sibi blandiebatur, dicens (*Num.* 23): *Moriatur anima mea morte iustorum.* Ne igitur quis desperationis Charibdin vitare cupiens in stultae fiduciae Scyllam incidat, inter timorem et spem semper incedat.



## HOMILIA III.

*Prosequimur conversionem boni latronis, heroica eius virtutum opera commemorantes, quibus se ad primam gratiam disposuit, et vitam aeternam promeruit.*

De heroicis boni latronis operibus sermonem habiturus, divi Gregorii Magni, hoc idem argumentum ingeniose pertractantis, vestigiis insistentes, prius de virtutibus eius theologicis, deinde de moralibus, quibus exiguo illo tempore mirifice praefulsit, disseremus. Sed ut felix huius homiliae sit exordium, placet illud mutuare ex eodem divo Gregorio (*li.* 8. *mor.*), in haec verba sic scribente: *In cruce clavi manus eius, pedesque ligaverant, nihilque in eo a poenis liberum, nisi cor, et lingua remanserant: inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum invenit, ut iuxta hoc, quod scriptum est, corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem. Theologicas virtutes, quas Apostolus commemorat subito repletus gratia, et accepit latro, et servavit in cruce: fidem namque habuit, qui regnaturum Dominum credidit, quem secum pariter morientem vidit: spem habuit, qui regni eius aditum praestolavit, dicens: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum: charitatem quoque in morte sua vivaciter tenuit, qui fratrem, et collatronem pro simili scelere morientem, et de iniquitate sua arguit, et ei vitam, quam non cognoverat, praedicavit, dicens: Nec tu times Deum qui in eadem damnatione es;* hactenus d. Gregorius: quae tamen fusius pertractare oportebit. Non possum sane non vehementer mirari excellentiam fidei huius fidelis latronis. Si enim olim credidit Abraham, credidit Deo sibi magna auctoritate loquenti pariter et dicenti: *Ego sum merces tua magna nimis;* hic vero credidit Christo summa infamia ex cruce pendenti. Si Isaias credidit Deo, videbat tamen illum in excelso throno sedentem, seraphinis acclamantibus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus;* hic autem non videt eum, nisi abiectissimo patibulo clavis confixum, et multis blasphemiis, et contumeliis despectum. Si Moyses credidit Deo, vidit illum in rubo spinarum, qui ardebat, et non cremabatur, et quod spinae non pungebant eum; hic tamen cernit Christi caput spinis redimitum, quae illum vehementer pungebant. Si tres illi discipuli credunt, Petrus, Ioannes, et Iacobus, viderunt Christum in vertice montis Thabor transfiguratum, et faciem eius splendentem, sicut solem, et vocem illam de coelo elapsam audierunt: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* latro tamen videt illum non in monte Thabor, sed in monte Calvario; non inter Moysem, et Eliam viros spectatissimos, sed inter duos insignes praedatores; non vultu splendenti, sed facie sputis foedata, et colaphis denigrata; non audivit vocem de coelo dicentem: *Hic est filius meus dilectus*, sed vocem illam cum valde despicientem: *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Si Paulus credidit, raptus fuit usque ad tertium caelum, et reserata sunt ei arcana, quae non licet homini loqui. Si reliqui Apostoli crediderunt, portentosa miracula Christum Dominum patrantem conspexerunt. Si Nicodemus, et Nathanael crediderunt, Scripturis commoniti fuere. Si credidit Chananaea, prius fuit signorum claritudine attracta; sed latro nec raptus fuerat usque ad tertium coelum, nec legerat Scripturas, nec adfuerat eius miraculis: et nihilominus, quando princeps Apostolorum negat Christum Dominum, Iudas vendidit, discipuli fugiunt, nec ullus ex eis coram servis Pontificis ausus est confiteri illum; latro intrepide coram Principibus populi, palam illum confitetur Regem coelorum, et Dominum. Porro ut excellentiam huius fidei, qua mirifice splenduit hic latro, clarius illustremus, acutissima Patrum testimonia, qui diligentissime de illa disseruerunt, in medium producamus. Divus Augustinus (*ser. de fer. 3. Pasch.*) ait: *Huic fidei quid addi possit ignoro: titubaverunt, qui viderunt Christum mortuos suscitantem, credidit ille, quem videbat secum in ligno pendentem: quando illi titubaverunt, tunc ille credidit: Qualem fructum Christus de arido ligno percepit?* et (*serm.* 144) inquit: *Vim fecisti, credidisti, rapuisti, hodie mecum eris in paradiso. Non te differo; tantae fidei hodie reddo, quod debeo. Latro dicit, Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Non solum credebat surrecturum, sed etiam regnaturum.* Divus Leo (*de pass. in princ.*), hanc latronis fidem admirans, in haec verba prorupit: *Quae istam fidem exhortatio persuasit? quae doctrina imbuit? quis praedicator accendit? non viderat prius acta miracula; cessaverat tunc languentium curatio, caecorum illuminatio, vivificatio mortuorum: ea ipsa, quae mox erant gerenda, non aderant, et tamen Dominum confitetur, et regem, quem vidit supplicii sui esse consortem;* haec magnus ille Pater. Audiamus nunc divum Chrysostomum (*hom. de Cruce*): *Iste, ait, videt Salvatorem non in regali solio, sed in poena, sociatum latronibus: videt in cruce pendentem, et orat quasi in coelis sedentem; videt condemnatum, et invocat regem; Iudaei crucifigunt qui noverunt legem, et tu latro unde talia philosopharis?* Hic adiungamus Eusebium Emissenum (*hom. de bon. lat.*), in hunc modum loquentem: *Ecce inter signa, atque virtutes, attestantibus miraculis, et acclamantibus, aliquoties in discipulis mens iam robusta titu-*

*bavit, et nunc Christi suppliciis quodammodo contradicentibus fides novella convaluit. Sub ipso passionis tempore ab ancilla interrogatus unus ex discipulis beatus Petrus, peculiaris Christo cognitus, ita respondit: Non novi hominem istum: et iste, qui antea non noverat, exclamat, Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Quam singularis, et quam stupenda devotio? Sub illo tempore credidit reus, quo negavit electus. Advertamus plenius, quo tempore Dominum confitetur, fervebat impietas negantium, exultabat impietas blasphemantium, contritio livoris, et vulnera Christum solum hominem demonstrabant, sacrarum manuum in lignum crucis extensio, et reverenda confixio per omnia infirmitatem hominis asserebat, tantum abscondebat Dominum; aliis post divina miracula desperantibus, hic non acquiescit scandalo crucis, et mortis; hic est testis maiestatis, qui socius probatur doloris.* Merito sancti Patres hanc latronis fidem exaltant: nam si fides est de rebus obscuris, et non apparentibus, divo Paulo illam vocante (*Heb.* 11), *Argumentum non apparentium;* ibi sane tanto magis elucebit fides, quanto obscurius, et minus apparens est quod creditur. Quid autem obscurius, quam quod sub crucifixo homine lateret divinitas, et quid minus apparens, quam quod sub tanta abiectione delitesceret divina maiestas? Cum ergo latro id firmissime crediderit, inde valde commendatur eius credulitas.

Porro postquam latronis fidem contemplati sumus, perscrutemur parumper eius spem, atque singularem in Deo fiduciam. Quando alii clamabant diffidentes (*Mar.* 15): *Se ipsum salvum facere non potest*, latro firma quadam in Christum confidentia, gratiam, et gloriam ab eo postulabat: nec dubitabat ab eo petere veniam, quem tamquam reum in cruce suppliciis affectum videbat. Sapiens ait (*Sap.* 16): *Exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt;* quasi diceret, credentes se homines navi, longissimum quod per terram foret iter, brevissimo temporis spatio absolvunt; non dissimiliter contigit latroni, qui ligno crucis animam suam credens, et in Christo illius mysticae navis perilissimo nauta confidens, brevissimo temporis intervallo in praemium suae confidentiae longissimum ad paradisum iter confecit. Idem etiam Sapiens ait (*Eccl.* 36): *Quis credit ei, qui non habet nidum, et commoranti ubicumque advesperascit, quasi succinctus latro exiliens de civitate in civitatem?* Quasi dicat, quis confidet, inopiam suam ab eo esse sublevandam, quem neque domum, neque lectum, in quo iaceat, habere cernit? Sane Christus Dominus in eam paupertatem devenit, ut diceret (*Matth.* 6): *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet:* quod eo in cruce iacente satis innotuit, ubi omni capitis reclinatorio caruit. Fiducia autem latronis eo tempore, quo Christi paupertas magis vigebat, adeo ipsa viguit, ut ab eo regnum coeleste obtenturum firmiter speraret. Ut tamen eximiam huius latronis fiduciam, ac firmissimam, quam in Christo collocavit spem, amplius illustremus, tam humanas, quam sacras litteras consulamus. Narrat Orosius, quod Alexandro gravissimo contractionis membrorum morbo laboranti, Philippus eius medicus tamquam praesentissimum illius morbi antidotum, potionem quandam hauriendam propinavit. At rex per epistolam certior factus, medicum venefica illa potione mortem illi parare; tanta fuit Alexandri erga fidelem medicum fiducia, quod simul, et semel una manu epistolam medico porrigens, alia potionem ori admovit, et eam ebibit. Insignis sane fiducia, non inficior, sed quae cum fiducia huius latronis non valet comparari: tum quia Alexander multis retro diebus medici illius fidelitatem expertus fuerat, eiusque bonam ingenii indolem noverat; at latro Christum prorsus ignoraverat, nihil boni in eo antea expertus fuerat; et tamen totam suam fiduciam in eo collocat: tum quod Alexander credidit medico vitam corporis; at latro confidit, et credidit Christo salutem, et vitam animae, quae tanto excellentior est, quanto spiritus praestat corpori. Danielis, dum in lacu leonis versaretur, mira fuit in Deo fiducia: licet enim transacti fuissent sex dies, confidit in divina providentia, non sibi defuturam, ut necessarium sibi cibum exhiberet. Unde Dominus angelum misit, qui alimento eum confortavit. Sed quid mirum, quod Daniel sperarit se cibum a Deo accepturum, per quem ab unguibus leonum immunis inter ipsos degebat? At bonus hic latro nullum de Christi protectione periculum fecerat, non a leonibus se liberatum eius auxilio expertus fuerat. Moyses quamvis summa atque portentosa illa Dei prodigia oculis suis conspexerat, aquas in sanguinem conversas, mare rubrum divisam, populum Dei sicco pede illud transeuntem, Ægyptios in eodem submersos, aquis discontinuis iterum se continuantibus, ut illos absorberent; nihilo minus tamen Exodi 17. legimus diffidentiae morbo adeo laborasse, ut carnibus saturandam ingentem illam Hebraeorum multitudinem, ut Deus pollicitus fuerat, minime speraret. At fidelis huius latronis fiducia crevit adeo, ut nullis antea visis portentosis Christi miraculis, ab eo speraverit coelestibus bonis saturari. Adamussim sane latro hic observavit consilium illud Isaiae (*c.* 50): *Speret in nomine Domini, et innitatur supra Deum suum:* sicut Sponsa, quae dicitur (*Cant.* 8): *Innixa super dilectum.* Hieremias propheta refert Deum idololatrae Abdemelech Æthiopi cuidam dixisse: *Liberabo te in die illa, et non traderis in manus virorum, quos tu formidas. Sed eruens liberabo te, et gladio non cades, sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam.* Si ergo Deus propter naturalem quandam fiduciam, idololatram hominem dignatus est ab hostibus liberare, latronem fiducia supernaturali in Christo Domino sperantem compertum erat ab eo subveniendum fore. Subventus sane fuit in extremo periculo, cum iam iam ob latrocinia facta ab inferni faucibus deglutiendus erat; sed non id solum praestitit, sed et coeleste ei contulit regnum, dicens (*Luc.* 23): *Hodie mecum eris in paradiso.* Hactenus de spe, et fiducia latronis; iam de ardenti eius charitate dicamus. Charitatis duo praecipui actus sunt, primus erga Deum, secundus erga proximum. Divino quidem amore erga Deum ita incaluit, ut antiquissimus Renaldus Abbas, nono tractatu de septem Verbis Christi Domini, qui invenitur in bibliotheca sanctorum Patrum, non dubitarit dicere, propter excellentiam charitatis eius in ea sede, a qua Lucifer deiectus fuit, ipsum locatum fuisse. Amore etiam erga proximum ita ferbuit, ut salutem alterius latronis a sinistra existentis vehementer cupiens fraterna correctione, quae actus est charitatis, illum increparit, dicens (*Luc.* 23): *Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Ecce latronem a charitate magistra edoctum, factum iam concionatorem. Templum concionis eius mons Calvariae fuit: suggestum crux: auditores socius, et alii circumstantes: concionis thema fuit: *Nec tu times Deum?* Sicut autem boni concionatoris munus est vitia extirpare, et sacrae Scripturae mysteria, et Theologiae arcana pro auditorum captu reserare; haec adamussim implevit novus hic concionator: nam ut obstinationis impii illius latronis duritiem extirparet, acriter illum reprehendit. Praecipuum vero sacrae Scripturae arcanum adstantibus omnibus revelavit, ingenue confitens, Christum Dominum verum Deum esse, ac regem coeli, et terrae. Huc usque divi Gregorii vestigia sequentes de theologicis latronis virtutibus breviter disseruimus; eadem etiam brevitate ad morales eius virtutes sermonem convertamus. Fortitudinem eius illud mirum in modum commendat, quod huius virtutis praecipuus actus est martyrium, ut docet divus Thomas (*secunda secundae*), cuius lauro latro hic minime caruit, ut ex divo Cypriano refert divus Augustinus (*lib. primo de ani. orig. tomo septi.*), in haec verba: *Latro ille non ante crucem Domini sectator, sed in cruce confessor, a Cypriano sancto inter martyres computatur.* Verba vero sancti Cypriani haec sunt: *Sic in cruce latro confitens, non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, praemissus est in paradisum, et factus est particeps regni, per confessionem factus collega martyrii.* Sed obiiciet quispiam, divum Augustinum (*lib.* 3. *contra Cresconium c.* 4), et (*in Ps.* 34. *concione secunda*) dixisse, *Martyrem non poena, sed causa facit.* Cum autem latro ad crucis poenam ob causam fidei damnatus non fuerit, non videtur qua ratione potuerit martyr esse. Arbitror sane, si divus Cyprianus (*ser. de pass. Domini*), non solum voluit illum fuisse martyrem desiderio, sed re ipsa, milites quando latronis fregerunt crura, id non solum effecisse, quia ita moris erat crucifixos hoc supplicii genere, antequam morerentur, afficere, sed simul etiam ex odio in Christum, quia viderant latronem eum coluisse, et tamquam regem coeli, et terrae confessum fuisse. Haec ergo sustinens latro illata tormenta propter egregiam, ac praeclaram, quam de Christo protulerat, confessionem, non dubitarim illum cum d. Cypriano martyrem vocitare. Tandem fortitudo eius invincibilis in eo satis splenduit, quod ipse non ignorabat, Christum innocentem, iustum, et sanctum acclamando, Pilatum, principes, et pharisaeos, qui morti eum adiudicarant, apertissime damnare, et ex consequenti evidenti periculo se exponere, ut in eum invehentes novis suppliciis afficerent. Ipse tamen has omnes difficultates superans, innocentiam Christi fortissime defensavit, palam enuncians: *Hic autem quid mali fecit?* quasi diceret: Sanavit infirmos, caecis visum, surdis auditum, famelicis alimentum, mortuis vitam donabat: quid mali fecit? docebat ignorantes, avocabat errantes, consolabatur tristes: quid mali fecit? catholicam fidem promulgabat, coelestem legem exponebat, Prophetarum vaticinia elucidabat: quid mali fecit? famem ipse passus est, ut nos saturaremur; peregrinatus est, ut nos quiesceremus; asperas vias ambulavit, ut planas ac notas coeli vias faceret: quid mali fecit? corpus, et sanguinem in cibum, et potum nobis dedit, ut coelesti cibo nutriremur, ac tandem in cruce mori voluit, ut nos in aeterna beatitudine in aeternum gloriosi, et triumphantes viveremus. Quid ergo mali fecit? Hic ergo latro, quamvis illuc usque, multa etiam aliorum furta celaverat, cum tamen videret honorem Christi depraedantes, dum eum morte dignum iudicarent, confestim sacrilegum illud furtum delegit, clara voce proclamans eius innocentiam: *Hic autem quid mali fecit?* In quo non solum mira eius fortitudo, sed iustitiae virtus enituit, cum ad hanc pertineat innocentem ab iniusta accusatione defendere, et cum etiam munus eius sit unicuique quod suum est tribuere, id latro exacte observavit: nam sibi, et socio digna supplicia, Christo autem tamquam iusto, et innocenti immunitatem ab omni poena deberi dixit, et ei tamquam creatori suo se totum praebuit, atque ad extremam usque vitae periodum pro eo constanter propugnavit. Unde non immerito praefiguratum illum existimaverim per strenuum Ionathae famulum. Legimus enim libro primo Regum c. decimoquarto, quod cum Ionathas Philistaeorum castra ingressus fuit, non alium, quam hunc secum tulit, qui tanta animi fortitudine, et constantia pollebat, ut principi Ionathae dixerit: *Perge, quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris.* Hoc idem videtur mihi pollicitus fuisse Petrus, ut narrat d. Lucas, cum Christo dixit: *Tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire.* At non ipse tempore passionis promissionem hanc, sed latro implevit, Christi sanctitatem, et innocentiam ad mortem usque viriliter defendens. Cuius testimonium tametsi latronis sit, non parvi momenti existimandum est, quia, ut habetur in l. si decedens ff. de probationibus, quando reus ex patibulo iam iam moribundus aliquem a culpa imposita excusat, eius excusatio innocentiae rei non leve argumentum est. Quid de misericordia eius dicam, quam erga Christum sitientem exercuit? Agnovit certe non tam illum aquae, quam animarum sitim premere, et ideo velocius, quam tres fortissimi viri, qui sitienti Davidi aquam de cisterna Bethlehem attulerunt, ei occurrit, conversionem suam tamquam desideratum ab eo potum ei propinans. Quod si opus misericordiae est aquae potum tribuere, corporalem sitim extinguentis; excellentius sane misericordiae genus



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuit spirituali Christi siti, quantum potuit, subvenire. Arbitror quidem hoc latronis obsequium Christo adeo placuisse, ut sicut olim Ioseph recens sibi nato filio Manasse dixit (*Gen.* 41): *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum;* ita Christus Dominus hoc sibi virtute effusi sanguinis recens regenerato filio, praeteritos labores oblivioni tradens merito dicere potuisset: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Quid tandem de poenitentia eius dicam? Humilis, et poenitentis est peccata recognoscere, insuper et illa detestari, et odio habere; latronem autem hunc utrumque praestitisse ex verbis eius aperte liquet: nam dicens (*Luc.* 23): *Nos quidem digna factis recipimus,* propria peccata agnovit; socium vero latronem reprehendens, odium, quo peccata prosequebatur, aperte ostendit. Praeexcellentem etiam contritionem in eo fuisse dubitare fas non est, cum uberrimus eius fructus, totius scilicet poenae, tot latrociniis debitae copiosa remissio fuerit, ut nullam purgatorii satisfactionem opus fuerit pertulisse. Hanc latronis poenitentiam, et humilitatem pariter d. Augustinus (*serm.* 8. *de verb. Domin.* et 48. *de temp.*) considerans, ita locutus est: *Considerabat facinora sua, et pro magno habebat, si ei vel in fine parceretur: salutem suam longe futuram sperabat, et post longum tempus accipere contentus erat:* et (*serm.* 120) idem Augustinus ait: *Nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia status sui in momento ultimo infelici fraude posuit, nec redemptionis suae spem in desperationis novissimum reservavit, nec religionem ante, nec Christum scivit. Quod si scivisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in regno.* Et d. Chrysostomus (*hom. de bon. latr.*), eandem latronis humilitatem, et poenitentiam contemplans, dixit: *Electus peccatum agnovit, et confessus est publice, dicens: Nam et nos digna factis recipimus; spemque in Deo inviolatam statuit, unde et oravit.* Quid ultra in laudem sancti huius latronis proferam? nisi quod impletum fuit in eo id, quod fuit dictum in Isaia: *Glorificavit me bestia agri.* Fabulantur Poetae monstrum quoddam, quod chimaeram vocitarunt, ex variis bestiarum membris compactum, cuius collum fingebant esse caprae, corpus leonis, caudam draconis, os vero ex igne flammifero. Scio alios dixisse chimaeram non fuisse nisi montem, in cuius extremitate dracones demonstrabantur, et paulo superius leones, deinde in altiori parte caprae silvestres, et tandem in cacumine eius os cernebatur, ardentes ignis flammas instar Ætnae montis evomens. Quidquid tamen sit chimaera illa; haec quae fabulosa sunt, in latrone vera cernere est. Erat velocissimus velut silvestris capra, ut viatores caperet: erat ferox, et immanis velut leo ad crudeliter eos pertractandos: erat veneficus velut draco, ut eos depraedaretur commodius; habebat insuper os flammigerum, eas, quas solent huiusmodi scelerati homines, effutiens in Deum blasphemias: tamen postquam Christus Dominus factus est ei sapientia, cum iam potuisset dicere illud, quod postea Paulus (1. *Cor.* 2): *Non iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum;* postquam Christus factus est ei iustitia, cum unicuique iam tribueret, quod suum esset, sibi peccata, Iesu innocentiam adscribens; postquam Christus factus est ei sanctificatio, illum iustificans; postquam tandem factus est ei redemptio, tamquam primitias sui sanguinis iam effusi offerens illum Patri, adeo in alterum virum mutatus fuit, ut prudentia vigeret, ut draco; fortitudine polleret, ut leo; velocitate in salute aeterna quaerenda capreae velocitatem excelleret; ac tandem amoris flammis inardescens variis modis illas ore foras emiserit, dicens: *Hic autem quid mali fecit:* haec enim pro Christo defensio ardentis eius amoris non exiguum indicium erat. Has omnes virtutes tam theologicas, quam morales, quibus latro hic mirifice effulsit, brevi sermone perdocte comprehendit Arnoldus Abbas Bonaevallis (*tract. de novis. septe. verb. Christ.*) in haec verba: *Dictator Evangelii latro efficitur, et, quod persuaderi illa hora difficile erat, Christum Deum in cruce fatetur: ibi orat, ibi adorat, multa simul pietatis officia complectitur, credit, timet, compungitur, et poenitet, confitetur, et praedicat, amat, confidit, et orat; fide illuminatur, timore subditur, compunctione molitur, poenitentia concutitur, confessione purgatur, praedicatione zelatur, dilectione dilatatur, confidentia sperat, oratione impetrat.* Verum si verba ipsius latronis perpendamus, hae quae sequuntur virtutes, aperte colliguntur. Ait, *Nec tu times Deum,* ecce correctionem fraternam: *Qui in eadem damnatione es,* ecce instructionem, et doctrinam; *Nos quidem digna factis recipimus,* ecce propriam sui cognitionem, et humilem accusationem; *Hic autem quid mali fecit?* ecce Christi defensionem ex amore erga illum procedentem: *Memento mei,* ecce peccatorum veniae postulationem: *Dum veneris in regnum tuum,* ecce divinae, ac humanae regiae potestatis Christi celebrem confessionem, ac omni exceptione maiorem attestationem. Tandem hic latro ex Christi gratia *consummatus in brevi explevit tempora multa.* Illi sit gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA IV.

*De eximia Christi liberalitate erga bonum latronem, ac de felicissima eius sorte, in illa verba:* Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso: *quae multiplici sacrae Scripturae eruditione illustrantur.*

Proposita verba explicaturus, arcanum a paucis observatum, quod in primo illo verbo, *Amen*, delitescit, primo loco mihi reserandum est. Etenim voluit Christus Dominus singulare quoddam detegere discrimen, quod intererat inter antiquas veteris legis benedictiones, et eas, quae in lege gratiae ab ipso iustis conferuntur. Legimus enim libro Deuteronomii vigesimo septimo, et vigesimo octavo, quod olim, quando illi, quibus ex divino praecepto legis praevaricatoribus maledictiones imprecari incumbebat, dicebant: *Maledictus, qui non honorat patrem: maledictus, qui errare facit caecum,* et similia, singulis his maledictionibus respondebatur, *Amen.* Quando vero Levitae eos, qui divinam legem ad unguem observabant, benedictionibus prosequebantur, dicentes: *Benedictus in civitate, benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae:* nulli harum, et similium benedictionum vel semel, *Amen*, respondebatur. Cuius discriminis rationem eam absque dubio autumaverim fuisse, ut innotesceret, quantum propter Christi in carne adventum super veterem legem gratiae lex praestaret: in illa enim maledictiones, et calamitatum supplicia re ipsa implebantur, et ideo convenienter singulis illis singula *Amen* respondebant. *Amen* autem idem est, quod *ita sit.* Quia tamen benedictionum adimpletio uberrima in lege gratiae per Christum servabatur efficienda, ideo tunc benedictionibus non dabatur *Amen.* Unde d. Theodoretus (*in loc. cit. Deuter.*) observavit, quod tribus illae, quibus incumbebat benedictionum proclamatio, erant ex illis, de quibus Christus Dominus secundum carnem descendere debebat, ut significaretur, benedictionum cumulum per Christum Dominum a nobis obtinendum: quod verba d. Pauli aperte satis indicant, dum ait (2. *Cor.* 1): *Quotquot enim promissiones Dei sunt in illo, ideo et per ipsum amen Deo ad gloriam nostram.* Ecce quomodo Paulus ait, quod *amen* illud, quod non respondebatur benedictionibus antiquis, nunc per merita Christi datur: *Per ipsum, Amen.* Quare nunc e contra se res habent, quia tunc maledictionibus respondebatur, *Amen*, nunc vero benedictionibus. Dicens ergo Christus Dominus latroni (*Luc.* 2): *Amen dico tibi,* significabat promissionem, quam ei fecerat, impletionem sine dubio habituram: idque etiam clare ostendit sequens illud verbum, *Hodie mecum eris.* Licet enim quidam legant, *Amen dico tibi hodie:* ac postea subiungant, *Mecum eris in paradiso,* quam lectionem secuti sunt Theophylactus (*sup. Luc. c.* 23), et biblia Tiguri. (*super Luc.* 23) ex Graecorum officina, lectio tamen haec minus catholica est, eamque optime labefactat Cassianus (*collat.* 1), et pugnat quidem cum ratione ipsa. Quid enim opus erat dicere: *Ego tibi dico hodie?* de omnibus enim, quae locutus fuit illa sexta feria, posset dici, *Ego tibi dico hodie.* Ad haec latro petierat modeste, et humiliter, ut quando veniret in regnum, sui meminisse dignaretur; Christus tamen largitatem suam, ac munificentiam ostentans, non pollicetur memoriam illius in futurum, sed quod multo maius est, et excellentius, divinam eius liberalitatem commendat, *Hodie,* inquit (*Luc.* 23), *mecum eris in paradiso:* id est, hoc ipso die implebitur desiderium tuum, et satiaberis, quia sine dilatione apparebit tibi gloria mea. Unde recte d. Ambrosius (*ser.* 8. *in Psal.* 118. *sub init. tom.* 4) dixit: *Futurum promittit, sed id, quod futurum est, unius diei spatio non patitur protelari.* Idem etiam Christi Domini liberalitatem in hac pollicitatione splendentem commendans ait: *Pulcherrimum dat conversionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, et uberior est gratia, quam precatio: semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur. Ille rogabat, ut sui memoriam haberet dum veniret in regnum suum, sed iste obtulit ipsum regnum.* Hanc Ambrosii doctrinam verissimam esse sacrorum voluminum aperte satis comprobant monumenta. Petiit olim Abraham a Deo filium haeredem, sed Dominus donavit filium, ex quo etiam Christus descenderet, quod maius, et excellentius donum fuit. Precatus fuit Iacob, ut reduceret Beniamin, quem mittebat in Ægyptum, reductus est, et cum eo frater Ioseph princeps Ægypti. Orabat bonus Tobias (*c. quint. et dec.*), ut reduceret filium salvum, sed Dominus donavit, ut rediret non solum salvus, sed dives, et uxoratus. Iudith (9. *et seq. et cap.* 13) postulavit a Deo, ut solveret obsidionem civitatis, non tamen id solum praestitit, sed Holophernem exercitus ducem in manus eius dedit, ut proprio hostis gladio capite eum truncaret. Anna uxor Elcanae petiit filium a Domino, et obtinuit non filium solum, sed filium Samuelem, insignem virum, sanctum, et Prophetam. Salomon cum primum creatus est rex, precatus est Deum, ut sapientiam vellet ei impertiri, et non solum sapientiam, sed et ingentes ei divitias liberaliter elargitus est. Rex Ezechias petiit a Deo cum lacrymis iam morti adiudicatus vitae prolongationem, et Dominus non contentus in annum ei vitam prolongare, quindecim annos vitae eius adiecit. Postulavit alius debitor a patrefamilias Deum exprimente, ut solutionem debiti posset in longius differre tempus: *Patientiam habe in me;* ipse tamen integrum debitum dimisit, et ab obligatione quidquam solvendi immunem penitus fecit. Tandem nunc bonus latro postulat a Christo Domino, ut memor sit illius in regno suo, sicut olim Ioseph dixit pincernae Pharaonis (*Gen.* 40): *Memento mei, cum bene tibi fuerit, ut educas me de carcere isto;* sed Christus Dominus non solum non est oblitus, ut fecit pincerna, sed regnum coeleste eodem die sibi dandum pollicetur. Plutarchus (*de Alex.*) liberalitatem Alexandri memorans refert, quod cum Perillus ab Alexandro exiguam pecuniae quantitatem pro nubendis filiabus peteret, quingenta ei talenta donarit. Illo autem dicente, decem satis esse, respondit Alexander: *Satis erit tibi id accipere, sed mihi non satis est tibi donare, quia Alexander daturus est, ut Alexander;* ita bono latrone memoriam sui in regno Dei postulante, quia Christus daturus erat, ut Christus, hoc est, ut Deus homo, et Rex regum, et Dominus dominantium, coeleste regnum se daturum ei pollicetur. Referunt etiam alii de Alexandro, quod cum Abolominus hortulanus eximiam Alexandri liberalitatem audisset, rogavit eum, ut se illius periculum aliquod facere permitteret, et continuo ei annuens Alexander regnum Sion liberalissime ei donavit. Verum licet haec summa inter homines videatur magnificentia, cum ea tamen,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qua in latronem usus est Christus, non valet comparari: nam Alexander hortulano, Christus latroni regnum donat; Alexander regnum terrenum, Christus caeleste. Darii regis, et Herodis tyranni liberalitatem plurimi olim antiqui fecerunt; eo tamen solum pervenit, ut medietatem regni sui, ille Esther reginae, hic Herodiadi promitteret: *Si dimidiam partem regni mei petieris, dabo tibi.* At haec liberalitas inferior satis est liberalitate Christi: nam illi medium regnum, Christus integrum pollicetur: illi nec dimidium re ipsa donarunt, sed Christus integrum re ipsa latroni largitus est. Idcirco haec non ignorans d. Paulus dixit de eo (*Ephes.* 3): *Qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus.* Unde Ecclesia catholica hac Pauli doctrina edocta ait in quadam oratione: *Qui merita supplicum excedis, et vota.*

Ceterum hic nobis occurrunt discutienda: Primo, quid latro iste in Christo Domino animadvertit, unde deprehendere valeret, quod crucifixus homo ab omnibus despectus, et tamquam ridiculus rex ludibrio habitus, posset caeleste regnum ei conferre? Huic obiectioni non aliunde, quam ex sententia, et ex verbis d. Augustini responsionem mutuabo; sic enim ait (*sermone primo in Parasceve*): *Dicito mihi regnum petens, quid in eo tale vides, unde istud petas? nam quod in conspicuo est, clavos, et crucem cernis:* et continuo introducit latronem in hunc modum respondentem: *Haec crux ipsa regni insigne est, et propter eam Iesum regem appello, quia video crucifixum: opus enim regis est vitam suam pro iis, quibus regnat, ponere; nam bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

Secundo oportet discutere id quod et Patres acute, et diligenter excusserunt, quid est, quod Christus Dominus hunc latronem tot sanctissimis viris anteposuit, et depraedatore homine associatus voluerit in regnum coelorum introire, cum ad honorem triumphi ascensionis eius spectare videretur, ut non latronibus, sed viris illustrissimis stipatus ascenderet, ita ut in eius comitiva nec unus latro reperiretur. Hanc difficultatem praesentientes Patres, multa sapienter edixere: nam d. Cyprianus (*ep.* 73) ait: *Quid tu Domine amplius Stephano contulisti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui super pectus tuum in coena recubuit? quid amplius Pauli meruere sudores? quid labores sanctorum? quid tot annorum tormenta? quid martyrum plagae? Una hora huic collatum est praemium, ad quod illi per discrimina pervenerunt. Si tu, Domine, armentarios statim prophetas, opiliones reges, telonarios Apostolos, piscatores doctores facis, Dei perfecta sunt opera?* Huic d. Cypriani obiectioni respondeo ex d. Cyrillo Hierosolymitano, in hunc loquente modum: *Qui tulerunt pondus diei, et aestus, nondum ingressi sunt, et qui undecima hora venit, ingressus est. Nemo murmuret contra patremfamilias, cum ille dicat; amice, non facio tibi iniuriam. Nonne potestatem habeo in meis facere, quod volo?* Quod autem Christo non sit ignominiosum, sed honorificum potius, et gloriosum secum ducere latronem, et in regium palatium illum introducere, acute, et eleganter docuit his verbis Augustinus: *Nemo regum aliquando passus est latronem hominem, aut quemquam alium eiusdem naturae conservum secum assumens ita in civitatem introducere; sed Christus hoc fecit, qui mortis, et diaboli victor, et sacratissimam ingrediens patriam, secum latronem introducit; non conculcans paradisum isto pietatis opere, sed honorans; neque confundens latronis introitu, sed illustrans. Honor namque paradisi est, talem Dominum habere, qui etiam latronem dignum facere posset paradisi delitiarum. Etiam cum publicanos, et meretrices introduceret in regnum coelorum, non confudit, sed extulit illud: neque deiecit, sed potius honoravit paradisum;* hactenus d. Augustinus.

Tertio elucidandum nobis est, quid est, quod permulta a Deo petentes insignes Dei amici, tam in veteri, quam in nova lege, saepe ea non obtinuerant, et tamen simplici cuidam latronis petitioni ita benigne acquiescat Dominus, ut coeleste regnum nullo dierum interposito intervallo liberaliter donarit? Abraham post longam peregrinationem, et tentationem, circa Ur Chaldaeorum superatam, post varia, quae Deo praestiterat obsequia, interrogavit eum, dicens: *Domine Deus quid dabis mihi?* Cui respondit: *Suspice coelum, et numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Moyses insignis Dei amicus deprecatus est Deum, ut dignaretur vultum suum sibi detegere (*Exod.* 33): *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Sed hanc solam responsionem accepit: *Posteriora mea videbis, faciem meam videre non poteris.* Philippus, tametsi Christi Apostolus erat, cum simile quid ab eo postularet, dicens: *Domine ostende nobis Patrem*, non aliud responsum audivit, quam illud: *Qui videt me, videt et Patrem meum;* claram tamen Patris visionem minime tunc illi tribuit. Paulus petiit sibi stimulum carnis, quem angelum satanae se colaphizantem vocavit, auferri, et non obtinuit. Et his similia extant innumera in divinis litteris. At bonus iste latro, et felix semel petiit, ut Christus memor sui esset in regno suo, et continuo coeleste regnum obtinuit. Multiplex hic occurrit responsio. Primum enim aio, permultum referre, opportunam nancisci ad postulandum occasionem. Hanc prae aliis felix hic latro nactus fuit. Accessit enim, quando flammeus gladius ad ianuam Paradisi appositus a Christo removebatur, et sic facilem ad paradisum ingressum habuit. Unde d. Cyrillus (*lib.* 17. *de ador.*) ait: *Avertit Dominus gladium, qui nos inde arcebat, liberque est deinde credentibus ingressus, ipso omnia per pristinum statum instaurante.* Accessit, quando regnum coelorum expugnabatur ab invictissimo duce Christo Domino, et cum scalam crucis videret erectam, per quam ascendebatur ad praedam, ipse cum esset famosus latro, et in latrociniis non parum versatus, novit bene per illam ascendere. Accessit tempore, quo divus Paulus (*Heb.* 9) ait de Christo: *Quod introivit semel in Sancta*, quando clave crucis coelorum seras reserabat, et ideo illum solum tunc ad ianuam pulsantem Christus in caeleste regnum admisit. Accessit



tempore, quo Christus Dominus regni in throno crucis possessionem accepit, quia, ut dixit David: *Regnavit a ligno Deus.* Et sicut reges consueverunt eo praecipue die, quo possessionem regni capiunt, pecunias effundere, et liberales erga egenos se exhibere, idcirco indigenti latroni, et veniam postulanti, veniam, et regnum caeleste liberaliter impertivit. Accessit, cum Christus Dominus volebat illius divinae theriacae sui sanguinis periculum facere, ut omnibus mira eius virtute innotescente, pro peccati veneno extinguendo ad eum confugerent. Sicut autem theriacae periculum fieri solet in eo, qui venefici serpentis morsu infectus noscitur esse; certe cum latro hic tunc temporis adesset peccati veneno infectus, voluit Christus Dominus effusi sanguinis antidotum praesentissimum, velut probatissimam theriacam ei adhibere: cuius virtus adeo mirabilis fuit, ut ad eius praesentiam peccati venenum prorsus evanesceret, et qui infirmus erat, absque ulla mora adeo bene convalesceret, ut confestim longissimum in caeleste regnum iter arripere posset, prout re ipsa arripuit ex divino praecepto, mellifluo ex Christi ore audiens (*Luc.* 23): *Hodie mecum eris in paradiso.* Deinde aliter eidem obiectioni respondeo. Arbitror enim Christum Dominum consulto liberalem erga latronem adeo se exhibuisse, ut nemo quantumcunque peccatis onustus de divina misericordia desperaret, sed ad thronum misericordiae confidenter adeat, ut miseriae suae sublevationem accipiat. Hanc rationem egregie prosequitur Arnoldus Abbas in haec verba: *Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas divina clementia; sit qui invocet, erit qui exaudiet: sit qui poeniteat, non deerit, qui indulgeat. Non huic poenitenti multorum annorum ieiunia imponuntur, non nudipedalibus, vel sacco afficitur: simul et confitetur, et iustificatur, et glorificatur. Vide horam, nota personam. Ultima hora, peccatrix persona; multa, antiquaque peccata illico abolet gratia; nec processu morae temporis indulgentia limat, colliditque culpae rubiginem; sed ubi repente facto caelitus sono Spiritus sanctus illabitur, quidquid immaduerat, peccati tabe, siccatur: nec superest ullum foeditatis vestigium vulneri, quod misericordiae abluit lavacrum. Foetebat etiam quatriduanus in monumento Lazarus, suscitatus non tabescit languore, erigitur, solvitur, et statim convescitur. Nulla leprae crepido, nullum signum in facie Simonis superest. Hospes incolumis curatori suo hilarem exhibet famulatum. Nullum signum horroris comitantibus magistrum, idem convica, et magister praetendit. Maria Magdalena ad pedes Christi plorat, et orat, tergit, et ungit; nec improperat Christus vitam infamem et inverecundiam, nec opponit, quod diluit; nec exprobrat, quod ignoscit: quidquid agit in huiusmodi, celeri nutu Spiritus sancti consummat: nec emendicat aliunde suffragia, qui quod illuminat, format: qui statim piscatores facit doctores, et idiotas praedicatores. In hac gratia non affligitur expectatio dilatione, nec intervallum est inter optatum, et datum. David dicit, peccavi: et Propheta: translatum est peccatum tuum. Ad mulierem in adulterio deprehensam: non te condemnabo, noli ultra peccare. Quid commemorem Ninivitas, quorum poenitentia subito iudicem amovet a sententia? Quid Achab et Manassem, reges impios, quorum contritionem in angustiis non est aspernata divina clementia? Inter cetera pietatis exempla latro noster nobis occurrit, poenitentiae regula, confessionis forma, indulgentiae praeco, spei exemplum, qui dum ingemit, subito quod quaerit, invenit, quod petit, accipit, et illico audit: Hodie mecum eris in paradiso. Non ad loca purgatoria, flammasque peccatorum ultrices confitens destinatur: non ad loca tenebrosa, et tormenta deducitur: nullam pars adversa gratiae Dei praesumit inferre calumniam: una crucis poena omnia abolet crimina: immo non poena, sed gratia. Praemittitur igitur in Paradisum hic nostrae nuncius absolutionis, et primitias libertatis nostrae testis libertate donatus, paradisi civibus id expectantibus, et desiderantibus, primus invexit;* hactenus haec magnus ille pater Arnoldus. Inter alias autem causas, propter quas Deus facile hominibus miseretur, eam non infimum locum tenere arbitror, quod probe Deus agnoscit infirmitatem, et fragilitatem humanae naturae, qua post lapsum primi parentis proclivior adhuc facta est ad malum: unde David dicebat (*Ps.* 102): *Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: recordatus est, quoniam pulvis sumus.* Paraphrastes Chaldaeus vertit: *quoniam ipse novit fomitem pravum, qui peccatum suggerit;* quasi dicat: Deo manifestum, et exploratum est, per omnes nos peccati fomitem grassari, qui ad peccatum excitat, et stimulat. Egregie hoc ipsum Iob declaravit, cum dixit: *In angelis suis invenit pravitatem, quanto magis, qui habitant domos luteas, quae terrenum habent fundamentum, consumentur velut tinea?* quasi dicat: si fortissimae angelorum arces corruerunt, quanto magis luto, et paleis contextae hominum domus, flante tentationis vento, aut ingruente suggestionis pluvia, decident? Sequentia Iobi verba id magis exprimunt: *Consumentur a tinea:* perpulchram enim metaphoram tangit ad humanam imbecillitatem detegendam: nam sicut tinea nascens ex ipso ligno, instar filii viperae, eius viscera corrodit; ita fomes peccati intra nos originali labe infectos nascens, quantum est ex se, nisi divina gratia impediatur, spirituale humidum radicale absumit, quo nos infirmiores, et ad superandas difficultates imbecilliores reddit. Atque hinc est, quod d. Gregorius (*lib.* 5. *Moral. c.* 9) ea ratione autumat hominem, et non angelum apud divinam clementiam misericordiam invenisse, quia angeli peccatum fuit ex malitia, hominis vero ex fragilitate. Ne tamen quispiam in peccatis perseverans, de divina misericordia veniam obtenturum sibi falso blandiatur, audiat quod in hoc genere argumenti perdocte satis Eusebius Emissenus (*ho. de latron.*) scripsit: *Ne forte dicat aliquis in corde, non me usque adeo contristet culpabilis vita, video sub exiguo spatio, video sub momento latroni crimina fuisse donata. Immittit diabolus securitatem, ut inferat perditionem: nec dinumerari possunt, quan-*



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*da haec inanis spei umbra deceperit. Deterreant quaeso, vos ab hac persuasione innumerabiles populi, sub tanta securitate nudi, et vacui bonis, et malis pleni ex hac luce praerepti. Quotidie expavescenda transitus nostri, et commigrationis incerta hora: praeveniendus est dies, qui praeveniri consuevit. Periculosissima est in ultimum diem promissa securitas;* haec ille. Persuadet id ipsum singularis comparatio d. Maximi, qua bonum latronem cum Iuda proditore confert. Ille enim divina misericordia usus, iste abusus: Iudas discipulus quasi trium annorum, latro trium nondum horarum: ille osculo tradidit, iste reverenter adorat: ille pecuniae avidus, iste regni cupidus: ille dixit: *Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam?* iste vero ait: *Hic autem quid mali fecit?* ille simulate, *Ave Rabbi;* iste absque fictione clamat: *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.* Tandem sortes eorum inaequales adeo fuere, ut Iudae dictum sit: *Abiit in locum suum, et suspensus crepuit medius;* latroni vero, *Hodie mecum eris in paradiso.* Neminem ergo fratres, falsa securitas decipiat, quia licet certum sit, summam in Deo misericordiam esse, incertum tamen, si ea vobiscum utetur, in dies vestram procrastinantibus conversionem. Tandem duplex occurrit ratio, ob quam latro tanta celeritate, et intra tam breve temporis spatium peccatorum veniam, gratiam iustificantem, ac tandem regnum coelorum assequutus est. Prima est, quod ipse latronis artem, quam exercuerat, non deserens, sed in melius commutans, eo die cognovit ostium regni coelorum esse apertum: Christus enim dixit: *Ego sum ostium, si quis per me introierit, pascua inveniet.* Hoc ostium erat tunc quinque patentibus vulneribus reseratum. Videns ergo latro tot foramina aperta, et neminem ingressum, caelestisque thesauri rapinam impedientem, duplicem pretiosissimum praedatus est thesaurum, et praesentis gratiae, et futurae gloriae. Hanc latronis in rapiendo industriam admiratus d. Cyprianus (*ser. lib.* 60. *Latron.*) in haec verba prorupit: *Nullus latro huic valet comparari: nam alii latrones latrocinio vitam perdunt; hic autem latrocinio vitam furatur sempiternam.* Famosa quaedam latrocinia sacra volumina commemorant. Rapuit sane primus parens pomum sibi a Deo prohibitum, pomum sane maioris discordiae, quam illud Paridis: et in supplicium latrocinii, licet alioquin materia videbatur levis, caelestibus iustitiae originalis donis expoliatus fuit, et a paradiso terrestri relegatus ex sententia iudicis audivit: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* At latro iste fructus arboris crucis sibi usurpat, et divinis nihilominus donis impletur, in paradisum introducitur, et ingratam illam sententiam: *Pulvis es, et in pulverem reverteris,* minime audit, sed iucundam hanc: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Pulchram Rachelem narrat sacra Scriptura idola quaedam patris sui furatam fuisse, et ut quidam volunt, auri, vel argenti cupiditate allectam; vel ut verius existimo, ut a patre idololatriae occasionem removeret. At furtum huius latronis mirabilius est: nam ibi Rachel falsos Deos, hic autem Deum vivum, et verum furatus est. Achan olim contra divinum praeceptum virgam auream, et pallium coccineum clam surripuit, et iussu Dei capite mulctatus est. Latrocinium hoc peccaminosum fuit; at latrocinium fidelis huius latronis sanctum, et Deo gratissimum extitit: rapuit enim regnum coelorum, quod omni auro, et coccino pretiosius est. Sacerdotes quidam: Idololatrae varias, quas rex Darius idolorum altari apponebat, epulas nocte surripiebant, quorum furtum Danielis industria detectum fuit, ingentemque sustinuerunt confusionem, et ignominiam. At latro noster non terrestres, et usu consumptibiles, sed incorruptibiles, et coelestes dapes furatus est, non confusionem sustinens, sed summum honorem, et gloriam sibi comparans. Tandem exploratores terrae promissionis uvarum racemum, seu botrum ab ea praedati fuere, ut pulchritudine, et magnitudine eius perspecta, ad terram illam expugnandam militum animos excitarent. Utile sane latrocinium, sed utilius multo latroni, quod dulcem botrum Sponsae rapuerit, de quo ipsa (*Cant.* 1): *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Et quidem licet ipsa diligenter botrum hunc custodiret, et in sinu suo absconderet, ut satis indicant verba, quae subdit (*ibi.*): *Inter ubera mea commorabitur;* tanta fuit latronis huius industria, ut sibi illum surriperet: *Quia nullus latro huic latroni valet comparari.* Memini iure caveri, ut habetur l. 1. ff. de poenis, ut si contigerit quempiam in arte sua famosum, et insignem artificem in capitale aliquod delictum prolabi, pro prima vice ignoscatur. Cum ergo latro hic adeo latrocinandi arte peritus fuerit, ut adhuc existens in crucis patibulo, in quod propter latrocinia ascenderat, ibi celeberrimum omnium furtum fecerit, regnum coelorum rapiens, et illud quod Christus Dominus dixerat implens (*Matt.* 11): *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud;* non solum morte non plecti, sed summis laudibus ad coelum usque efferri meretur. Ad id autem, quod non paucos in admirationem rapit, ut supra vidimus, nimirum, ut non contentus Dominus latroni polliceri regnum coelorum, eodem prorsus die illud obtenturum ei enunciaverit, dicens (*Luc.* 23): *Hodie mecum eris in paradiso.* Unde d. Ambrosius (*in Psal.* 118. *ser.* 8) dixit: *Futurum promittit, sed id, quod futurum est, unius diei spatio non patitur protelari, ne dilatione gratia minueretur:* Dicendum quidem arbitror, summa sapientia Christum Dominum id effecisse: voluit enim, ne magis iustitia, quam misericordia eluceret, sed e contra, quia misericordia superexaltat iudicium; saepe autem iustitia sine dilatione merita punierat, ut constat ex (*Psal.* 77): *Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos:* et (*lib.* 4. *Reg. c.* 2), ubi habetur, pueros quosdam illudentes Elisaeo continuo ab ursis dilaceratos, et in frusta discerptos fuisse. Oportebat ergo similiter non differri misericordiam, sed quod quemadmodum divina iustitia, cum primus Adam velut latro vetitum pomum surripuit, illum e paradiso eiecit; ita divina misericordia latroni parcens



eo ipso die, quo veniam petiit, veniam daret, et in coelestem paradisum introduceret. Unde Glossa ordinaria ait: *Qua hora Adam e paradiso eiectus fuit, eadem admissus latro ad paradisum, quantum ad promissionem;* et merito quidem: nam si Adam excusans se, et Deum accusans: *Mulier quam dedisti mihi, etc.* absque mora e paradiso expulsus fuit, rationi consentaneum erat, ut latro hic accusans se: *Nos quidem digna factis recipimus*, et excusans Christum a calumniis ei falso impositis: *Hic autem quid mali fecit*, absque interposita dierum mora in paradisum introduceretur.

Ceterum restat exponere, ut proposita e principio verba omni ex parte elucidata maneant, quid nomine paradisi in illa Christi promissione (*Luc.* 23), *Hodie mecum eris in paradiso*, veniat intelligendum: totaque ratio dubitandi inde emergit, quod Christus eo die non ascendit in coelum, sed descendit in infernum, Apostolico dicente Symbolo: *Descendit ad inferos.* D. Iustinus martyr (*de bono latrone*) ait, intelligi paradisum terrestrem, a quo primus parens eiectus fuit. Subscribit eidem expositioni Irenaeus (*lib.* 5. *in Hieremiam*), et probat testimonio presbyterorum Asiae, qui fuerunt discipuli Apostolorum. Duplex fuit horum Patrum fundamentum. Primum, quod putabant animas iustorum ante iudicium non clare visuras Deum: sed fundamentum iam damnatum est in Concilio Florentino sub Eugenio quarto, quod tamen tunc non ita exploratum habebatur, et ideo inculpabiles erant Patres illi. Secundum, quod in sacra Scriptura nomine paradisi intelligitur ille, quem primus parens incoluit. Quod hoc loco videtur manifestius, cum nomine paradisi non possit intelligi regnum coelorum, cum illo die non fuerit illud ingressus Christus Dominus, sed post quadraginta dies. At hoc fundamentum debile, et infirmum etiam est: tum quia, ut patet ex Xenophonte, horti, in quibus Persarum Reges deliciabantur, paradisi soliti erant vocari: tum ex Eccl. 2. nam ubi dicitur, Salomonem fecisse hortos, et pomaria, Septuaginta transtulerunt, *Paradisos:* tum denique, quia d. Paulus ait se raptum fuisse in paradisum, et d. Ioannes (*Apocal.* 2) in persona Christi ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.* Falsum ergo est, quod nomine paradisi in sacra Scriptura solum intelligatur paradisus terrestris. Quare germanus sensus est, latronem dici introductum illo die in paradisum, quia eodem die vidit claram divinam essentiam. Illa enim clara Dei visio nostrum regnum, nostrum coelum, et noster paradisus est; quem nobis praestare dignetur Dominus Iesus, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA V.

*De causis, ob quas Christus e cruce pendens beatissimam Virginem vocaverit mulierem, et non matrem, et de mutua relatione matris, et filii inter ipsam, et d. Ioannem Evangelistam, in illa verba:* Mulier, ecce filius tuus; deinde dicit discipulo, Ecce mater tua: et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Divus Ioannes Chrysostomus (*hom.* 83. *in Io. tom.* 3), proposita verba elucidans, admiratus, quod Christus Dominus beatissimam Virginem mulierem, non matrem appellarit, solita sua eloquentia in haec verba exclamat: *O bone Iesu, quid matrem tuam erubuisti, quae te tam diligenter nutrivit, reverenter tractavit, dulciter lactavit? tam dure loqueris, mulierem inquiens?* Continuo tamen huic obiectioni respondens sanctus Doctor ait: *Ideo factum esse arbitror, ne materno nomine amplius dolorem excitares: non enim tempus tunc erat matrem dulciter alloquendi, nec nomen matris exprimendi.* Eandem rationem reddidit Baptista Mantuanus (*lib.* 3. *Marian.*), hoc duplici eleganter carmine:

Talibus admonuit matrem sine nomine matris:
Ne materna pium laceraret viscera nomen.

Verum quia non absque singularissimo Dei consilio Christus Dominus beatissimam Virginem mulierem appellavit, non matrem, varia quae in hac appellatione delitescunt sacramenta, aperire exordiamur. D. Epiphanius (*in hunc locum*) vocasse ait illam mulierem, non matrem, quia mater in communi hominum acceptione virginitatem excludebat, mulier vero non. Ad quod etiam videtur respexisse divus Paulus (*Galat.* 4), dicens: *Misit Deus filium suum factum ex muliere:* non dixit ex matre, licet re ipsa verissima mater esset. Ipse etiam divus Epiphanius (*in hunc locum*) aliam singularem reddit rationem: ait enim consulto illam vocasse mulierem, ne mundus deciperetur, Deam illam proclamans, tanta erat eius sanctimonia, et vitae integritas. D. Augustinus ait, id Christum fecisse propter exemplum nostrum: dixerat enim (*Matt.* 23): *Nolite vocare vobis patrem super terram.* Unde ipse implere volens, quod docuerat, non vocavit Virginem matrem, sed mulierem. Burgensis Christum Dominum tradit praescire Virgini ex magna eius humilitate placuisse, nominari se humiliori nomine; filius vero matris voluntati annuens nomen matris Dei, quod excellentissimam dignitatem Virginis praedicat, non usurpavit, sed mulieris tantum, quod commune nomen est. His addamus nos, vocasse illam mulierem, quia mulier idem est, quod molliens virum. Ipsa autem fuit, quae divinum cor adversus homines propter eorum peccata induratum emollivit, ne in genus humanum desaeviret. Vocat mulierem antonomastice, ut notavit divus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*do haec inanis spei umbra deceperit. Deterreant quaeso, vos ab hac persuasione innumerabiles populi, sub tanta securitate nudi, et vacui bonis, et malis pleni ex hac luce praerepti. Quotidie expavescenda transitus nostri, et commigrationis incerta hora: praeveniendus est dies, qui praeveniri consuevit. Periculosissima est in ultimum diem promissa securitas;* haec ille. Persuadet id ipsum singularis comparatio d. Maximi, qua bonum latronem cum Iuda proditore confert. Ille enim divina misericordia usus, iste abusus: Iudas discipulus quasi trium annorum, latro trium nondum horarum: ille osculo tradidit, iste reverenter adorat: ille pecuniae avidus, iste regni cupidus: ille dixit: *Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam?* iste vero ait: *Hic autem quid mali fecit?* ille simulate, *Ave Rabbi;* iste absque fictione clamat: *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.* Tandem sortes eorum inaequales adeo fuere, ut Iudae dictum sit: *Abiit in locum suum, et suspensus crepuit medius;* latroni vero, *Hodie mecum eris in paradiso.* Neminem ergo fratres, falsa securitas decipiat, quia licet certum sit, summam in Deo misericordiam esse, incertum tamen, si ea vobiscum utetur, in dies vestram procrastinantibus conversionem. Tandem duplex occurrit ratio, ob quam latro tanta celeritate, et intra tam breve temporis spatium peccatorum veniam, gratiam iustificantem, ac tandem regnum coelorum assequutus est. Prima est, quod ipse latronis artem, quam exercuerat, non deserens, sed in melius commutans, eo die cognovit ostium regni coelorum esse apertum: Christus enim dixit: *Ego sum ostium, si quis per me introierit, pascua inveniet.* Hoc ostium erat tunc quinque patentibus vulneribus reseratum. Videns ergo latro tot foramina aperta, et neminem ingressum, caelestisque thesauri rapinam impedientem, duplicem pretiosissimum praedatus est thesaurum, et praesentis gratiae, et futurae gloriae. Hanc latronis in rapiendo industriam admiratus d. Cyprianus (*ser. lib.* 60. *Latron.*) in haec verba prorupit: *Nullus latro huic valet comparari: nam alii latrones latrocinio vitam perdunt; hic autem latrocinio vitam furatur sempiternam.* Famosa quaedam latrocinia sacra volumina commemorant. Rapuit sane primus parens pomum sibi a Deo prohibitum, pomum sane maioris discordiae, quam illud Paridis: et in supplicium latrocinii, licet alioquin materia videbatur levis, caelestibus iustitiae originalis donis expoliatus fuit, et a paradiso terrestri relegatus ex sententia iudicis audivit: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* At latro iste fructus arboris crucis sibi usurpat, et divinis nihilominus donis impletur, in paradisum introducitur, et ingratam illam sententiam: *Pulvis es, et in pulverem reverteris,* minime audit, sed iucundam hanc: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Pulchram Rachelem narrat sacra Scriptura idola quaedam patris sui furatam fuisse, et ut quidam volunt, auri, vel argenti cupiditate allectam; vel ut verius existimo, ut a patre idololatriae occasionem removeret. At furtum huius latronis mirabilius est: nam ibi Rachel falsos Deos, hic autem Deum vivum, et verum furatus est. Achan olim contra divinum praeceptum virgam auream, et pallium coccineum clam surripuit, et iussu Dei capite mulctatus est. Latrocinium hoc peccaminosum fuit; at latrocinium fidelis huius latronis sanctum, et Deo gratissimum extitit: rapuit enim regnum coelorum, quod omni auro, et coccino pretiosius est. Sacerdotes quidam: Idololatrae varias, quas rex Darius idolorum altari apponebat, epulas nocte surripiebant, quorum furtum Danielis industria detectum fuit, ingentemque sustinuerunt confusionem, et ignominiam. At latro noster non terrestres, et usu consumptibiles, sed incorruptibiles, et coelestes dapes furatus est, non confusionem sustinens, sed summum honorem, et gloriam sibi comparans. Tandem exploratores terrae promissionis uvarum racemum, seu botrum ab ea praedati fuere, ut pulchritudine, et magnitudine eius perspecta, ad terram illam expugnandam militum animos excitarent. Utile sane latrocinium, sed utilius multo latroni, quod dulcem botrum Sponsae rapuerit, de quo ipsa (*Cant.* 1): *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Et quidem licet ipsa diligenter botrum hunc custodiret, et in sinu suo absconderet, ut satis indicant verba, quae subdit (*ibi.*): *Inter ubera mea commorabitur;* tanta fuit latronis huius industria, ut sibi illum surriperet: *Quia nullus latro huic latroni valet comparari.* Memini iure caveri, ut habetur l. 1. ff. de poenis, ut si contigerit quempiam in arte sua famosum, et insignem artificem in capitale aliquod delictum prolabi, pro prima vice ignoscatur. Cum ergo latro hic adeo latrocinandi arte peritus fuerit, ut adhuc existens in crucis patibulo, in quod propter latrocinia ascenderat, ibi celeberrimum omnium furtum fecerit, regnum coelorum rapiens, et illud quod Christus Dominus dixerat implens (*Matt.* 11): *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud;* non solum morte non plecti, sed summis laudibus ad coelum usque efferri meretur. Ad id autem, quod non paucos in admirationem rapit, ut supra vidimus, nimirum, ut non contentus Dominus latroni polliceri regnum coelorum, eodem prorsus die illud obtenturum ei enunciaverit, dicens (*Luc.* 23): *Hodie mecum eris in paradiso.* Unde d. Ambrosius (*in Psal.* 118. *ser.* 8) dixit: *Futurum promittit, sed id, quod futurum est, unius diei spatio non patitur protelari, ne dilatione gratia minueretur:* Dicendum quidem arbitror, summa sapientia Christum Dominum id effecisse: voluit enim, ne magis iustitia, quam misericordia elucerel, sed e contra, quia misericordia superexaltat iudicium; saepe autem iustitia sine dilatione merita punierat, ut constat ex (*Psal.* 77): *Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos:* et (*lib.* 4. *Reg. c.* 2), ubi habetur, pueros quosdam illudentes Elisaeo continuo ab ursis dilaceratos, et in frusta discerptos fuisse. Oportebat ergo similiter non differri misericordiam, sed quod quemadmodum divina iustitia, cum primus Adam velut latro vetitum pomum surripuit, illum e paradiso eiecit; ita divina misericordia latroni parcens eo ipso die, quo veniam petiit, veniam daret, et in coelestem paradisum introduceret. Unde Glossa ordinaria ait: *Qua hora Adam e paradiso eiectus fuit, eadem admissus latro ad paradisum, quantum ad promissionem;* et merito quidem: nam si Adam excusans se, et Deum accusans: *Mulier quam dedisti mihi, etc.* absque mora e paradiso expulsus fuit, rationi consentaneum erat, ut latro hic accusans se: *Nos quidem digna factis recipimus*, et excusans Christum a calumniis ei falso impositis: *Hic autem quid mali fecit*, absque interposita dierum mora in paradisum introduceretur.

Ceterum restat exponere, ut proposita e principio verba omni ex parte elucidata maneant, quid nomine paradisi in illa Christi promissione (*Luc.* 23), *Hodie mecum eris in paradiso,* veniat intelligendum: totaque ratio dubitandi inde emergit, quod Christus eo die non ascendit in coelum, sed descendit in infernum, Apostolico dicente Symbolo: *Descendit ad inferos.* D. Iustinus martyr (*de bono latrone*) ait, intelligi paradisum terrestrem, a quo primus parens eiectus fuit. Subscribit eidem expositioni Irenaeus (*lib.* 5. *in Hieremiam*), et probat testimonio presbyterorum Asiae, qui fuerunt discipuli Apostolorum. Duplex fuit horum Patrum fundamentum. Primum, quod putabant animas iustorum ante iudicium non clare visuras Deum: sed fundamentum iam damnatum est in Concilio Florentino sub Eugenio quarto, quod tamen tunc non ita exploratum habebatur, et ideo inculpabiles erant Patres illi. Secundum, quod in sacra Scriptura nomine paradisi intelligitur ille, quem primus parens incoluit. Quod hoc loco videtur manifestius, cum nomine paradisi non possit intelligi regnum coelorum, cum illo die non fuerit illud ingressus Christus Dominus, sed post quadraginta dies. At hoc fundamentum debile, et infirmum etiam est: tum quia, ut patet ex Xenophonte, horti, in quibus Persarum Reges deliciabantur, paradisi soliti erant vocari: tum ex Eccl. 2. nam ubi dicitur, Salomonem fecisse hortos, et pomaria, Septuaginta transtulerunt, *Paradisos:* tum denique, quia d. Paulus ait se raptum fuisse in paradisum, et d. Ioannes (*Apocal.* 2) in persona Christi ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.* Falsum ergo est, quod nomine paradisi in sacra Scriptura solum intelligatur paradisus terrestris. Quare germanus sensus est, latronem dici introductum illo die in paradisum, quia eodem die vidit claram divinam essentiam. Illa enim clara Dei visio nostrum regnum, nostrum coelum, et noster paradisus est; quem nobis praestare dignetur Dominus Iesus, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA V.

*De causis, ob quas Christus e cruce pendens beatissimam Virginem vocaverit mulierem, et non matrem, et de mutua relatione matris, et filii inter ipsam, et d. Ioannem Evangelistam, in illa verba:* Mulier, ecce filius tuus; deinde dicit discipulo, Ecce mater tua: et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Divus Ioannes Chrysostomus (*hom.* 83. *in Io. tom.* 3), proposita verba elucidans, admiratus, quod Christus Dominus beatissimam Virginem mulierem, non matrem appellarit, solita sua eloquentia in haec verba exclamat: *O bone Iesu, quid matrem tuam erubuisti, quae te tam diligenter nutrivit, reverenter tractavit, dulciter lactavit? tam dure loqueris, mulierem inquiens?* Continuo tamen huic obiectioni respondens sanctus Doctor ait: *Ideo factum esse arbitror, ne materno nomine amplius dolorem excitares: non enim tempus tunc erat matrem dulciter alloquendi, nec nomen matris exprimendi.* Eandem rationem reddidit Baptista Mantuanus (*lib.* 3. *Marian.*), hoc duplici eleganter carmine:

Talibus admonuit matrem sine nomine matris:
Ne materna pium laceraret viscera nomen.

Verum quia non absque singularissimo Dei consilio Christus Dominus beatissimam Virginem mulierem appellavit, non matrem, varia quae in hac appellatione delitescunt sacramenta, aperire exordiamur. D. Epiphanius (*in hunc locum*) vocasse ait illam mulierem, non matrem, quia mater in communi hominum acceptione virginitatem excludebat, mulier vero non. Ad quod etiam videtur respexisse divus Paulus (*Galat.* 4), dicens: *Misit Deus filium suum factum ex muliere:* non dixit ex matre, licet re ipsa verissima mater esset. Ipse etiam divus Epiphanius (*in hunc locum*) aliam singularem reddit rationem: ait enim consulto illam vocasse mulierem, ne mundus deciperetur, Deam illam proclamans, tanta erat eius sanctimonia, et vitae integritas. D. Augustinus ait, id Christum fecisse propter exemplum nostrum: dixerat enim (*Matt.* 23): *Nolite vocare vobis patrem super terram.* Unde ipse implere volens, quod docuerat, non vocavit Virginem matrem, sed mulierem. Burgensis Christum Dominum tradit praescire Virgini ex magna eius humilitate placuisse, nominari se humiliori nomine; filius vero matris voluntati annuens nomen matris Dei, quod excellentissimam dignitatem Virginis praedicat, non usurpavit, sed mulieris tantum, quod commune nomen est. His addamus nos, vocasse illam mulierem, quia mulier idem est, quod molliens virum. Ipsa autem fuit, quae divinum cor adversus homines propter eorum peccata induratum emollivit, ne in genus humanum desaeviret. Vocat mulierem antonomastice, ut notavit divus

Cyrillus (*epistola* 28), quasi alludens ad mulierem illam, de qua Salomon (*Prov.* 3): *Mulierem fortem quis inveniet?* sed praecipue ad illam, de qua in creatione mundi dixerat (*Gen.* 2): *Inimicitias ponam inter te, et mulierem.* Haec enim Virgo ipsa erat, ut Patres omnes explicant. Itaque sicut Christus dicitur filius hominis per antonomasiam, ita beata Virgo mulier per excellentiam. Vocat etiam eam mulierem, non matrem, quia qui se experiebatur derelictum a Patre, quatenus nullam ei coelitus consolationem mittebat, voluit quoque eo solatio, dulcedine, et suavitate, quae in nomine matris delitescit, et quam ipse percipere solitus erat, animam suam privare. Tandem vocat illam mulierem, quia si dixisset: *Mater ecce filius*, ambiguum valde redderet sermonem, quia tunc hunc sensum possent verba illa reddere, ut respiceret se ipsum tot doloribus affectum; vel certe, quod loqueretur ad matrem Ioannis, quae ibi aderat, et ei diceret: Ecce filius tuus fidelissimus inter omnes, qui a lecto crucis non recedit. Propter igitur haec omnia convenienter Christus matris appellationem reticens, mulieris nomine usus est. Porro iam sequentia verba: *Ecce filius tuus*, quae singularem divi Ioannis Evangelistae excellentiam continent, illustrare properemus. In illis latet afflictio Virginis; latet et solamen doloris eius. Afflictio quidem, quia intimabant verba illa mox spoliandam esse dilectissimo filio suo. Unde d. Augustinus (*epist.* 50. *ad Paul.*), et d. Bern. (*super signum magnum*), hunc Virginis moerorem considerans, ait: *An non tibi plus quam gladius fuit sermo ille, revera pertransiens animam, usque ad divisionem animae, et corporis, mulier ecce filius tuus? O commutatio! Ioannes tibi pro Iesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedaei pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero: quomodo afflictissimam tuam non pertransiret animam auditio illa, quando nostra, licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatione scinduntur?* Fateor quidem verba haec: *Mulier ecce filius tuus*, vulnus animae matris intulisse, sed simul vulneris praesentissimam medelam attulisse, non inficiabor. Voluit enim Christus, desolatam matrem contemplans, propter suam futuram absentiam, in solatium eius, ut solet inter amantes, imaginem aliquam ad vivum ipsum repraesentantem ei in pignus sui amoris relinquere; quia tamen nulla erat, quae ita expresse ipsum referret, sicut Ioannes, idcirco loco suo illum substituit. Ut autem huius imaginis magna cum prototypo, Christo scilicet Domino, similitudo clarius innotescat, a nominis comparatione eam ostendere inchoemus. Christus unctionem gratiae denotat; Ioannes gratiam significat: cognomen Christi dilectus est (*Matt.* 17): *Hic est filius meus dilectus;* Ioannes dilecti cognomine etiam gaudet (*Ioan.* 13): *Discipulus ille, quem diligebat Iesus:* Christus sapientia Patris paterni cordis arcana novit; Ioannes sapientior reliquis, ac Theologorum facile princeps e corde Christi divina mysteria hausit. Si de Christo dicitur (*Ioan.* 1): *Qui est in sinu Patris, ipse narrabit.* De Ioanne dicam, qui est in sinu Christi ipse nobis coelestia sacramenta reseravit. Adde, quod si unica Virginis salutatio, ut testatur d. Lucas, Ioannem Baptistam in utero matris suae sanctificavit, quid putabimus frequentem, ac diuturnam Mariae conversationem in Ioanne Evangelista effecisse? Et si Christus fuit genitus in pectore Patris: Ioannes regeneratus in pectore Christi (*Ioan.* 21): *Qui recubuit super pectus Domini.* Et si in Christo duplicem nativitatem agnoscimus, unam ex Patre, alteram ex Matre; duplicem aliam fateri oportet in Ioanne; primam, per quam factus est filius Dei: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; secundam, per quam factus est filius Virginis: *Ecce filius tuus.* Ubi observatione dignissimum arbitror, quod sicut Ioseph, quamvis haberet fratres undecim, erant tamen semifratres, quia tantum ex parte patris, solusque Beniamin erat integer frater eius, quia tam ex patre, quam ex matre: ita Christus frater erat omnium nostrum, D. Paulo dicente (*Rom.* 8): *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*; frater tamen solum ex parte Patris; unde non nisi semifratres eius sumus: Ioannes vero non solum frater ex parte patris, sed ex parte matris existit, cum revera speciali ratione a Christo Domino factus fuerit filius Virginis, cum dixit, *Ecce filius tuus.* Unde sicut de Christo dixit Isaias (*c.* 53): *Generationem eius quis enarrabit?* non immerito hanc novam Ioannis generationem ex matre contemplantibus, licebit similia verba usurpare. *Generationem Ioannis quis enarrabit*, cum in filium Matris Dei denuo genitus sit? Quia tamen Christus Dominus nativitatem Ioannis Baptistae multis coelestibus cohonestatam donis fuisse noverat, excellentioribus aliis voluit novam hanc Ioannis Evangelistae nativitatem ex Virgine matre cumulari. Si Baptistae nativitatem Angelus nunciavit, dicens (*Luc.* 1): *Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium*; Christus angelorum Dominus nativitatis Ioannis praenuncius fuit, dicens (*Ioan.* 19): *Ecce filius tuus.* Si Baptistae nativitatis nuncium datum fuit *a dexteris altaris incensi*, ut ait d. Lucas (*c.* 1); nuncium nativitatis Ioannis datum fuit in sacro crucis altari, Christo dicente (*Ioan.* 19): *Ecce mater tua.* Et si illud datum fuit tempore, quo sacerdos Zacharias sacrificium offerre venerat; hoc certe datum tempore, quo summus sacerdos Christus Dominus cruentum corporis sacrificium Patri in templo montis Calvariae offerebat. Quod si Baptista natus est ex matre sterili, Ioannes, quod excellentius est, ortus spiritualiter ex matre virgine. Verum quia de natura huius filiationis video multos inter se digladiantes, non possum duas extremas, et inter se pugnantes sententias non in medium proferre; quibus prolatis, et confutatis, veriorem, et rationi magis consentaneam proferemus. Graves quidam Doctores referunt, existimasse nonnullos, Christum Dominum verbis illis (*Ioan.* 19): *Ecce filius tuus*, Ioannem filium naturalem beatae Deiparae constituisse, ita ut sicut illa verba (*Matt.* 26): *Hoc est corpus meum*, virtutem habent conficiendi verum corpus Christi: sic et illa (*Ioan.* 19): *Ecce filius tuus*, efficiendi naturalem relationem filii in Ioanne, atque adeo ad constituendum illum naturalem Mariae filium.



Meminit huius sententiae insignis ille Archiepiscopus Valentinus nomine Villanova (*concione de s. Ioanne Evang.*), et Romae quidam nomine Baurion publica disputatione illam defensavit: contra quem scripsit Brixiensis Episcopus sub Pio secundo Pontifice Maximo. Verum haec opinio ad commendationem Ioannis minime necessaria, quam secundum bonam philosophiam fere omnes impossibilem iudicant, docentes filiationem essentialiter, et intrinsece subsequi generationem, et in ea fundari: unde et ipse aeternus Pater reddens rationem quare Christus Dominus naturalis Filius eius sit, non aliam adhibuit, quam quod fuerat genitus ab eo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cum ergo Ioannes non fuerit naturaliter genitus a Virgine, neutiquam habere potuit filiationem naturalem, quae in passiva generatione necessario fundatur; haec inquam, commentitia opinio nullum dignum Ioanne praeconium profert. Nam si demus, possibilem esse illam naturalem filii relationem, et potuisse a Deo produci in Ioanne, etiam illam potuisset producere in homine peccatore. Quodnam autem, quaeso, speciale laudis genus est Ioanni, id habere quod possibile est inesse homini peccatori? Alii per oppositum extremum in contrariam omnino sententiam abeuntes, contendunt per verba illa, *Ecce filius tuus*, Ioannem non solum non constitutum fuisse filium naturalem Virginis, sed neque adoptivum: nam ad adoptionem, inquiunt, requiritur admissio ad ius haereditarium; beata autem Virgo tunc temporis non habebat, ex quibus Ioannem haeredem constitueret: nulla ergo ibi fuit in filium adoptio. At satius mihi videor dicere, quod sicut antiquo iure Romano solus Imperator concedebat mulieri viduae, quae in bello unicum filium amisisset, ut in solatium suum alium adoptaret; ita Christus Dominus, coeli et terrae supremus Imperator, moriens in bello, cum tamen esset unicus matris suae, filiali benignitate concessit ei, ut haberet filium alium spiritualiter adoptatum: unde contrarium opinantes advertere debuissent, quod sicut adoptio temporalis praebet ius ad bona temporalia, ita etiam adoptio spiritualis ius tribuit ad bona spiritualia adoptantis. Licet autem Virgo sanctissima bonis terrenis pauperrima esset, divinis tamen charismatibus locupletissima erat. Sicut ergo Elisaeus dicitur duplicem spiritum Eliae haereditasse, eo quod Elias in filium suum spiritualem illum adoptaverat, et precatione sua a Deo obtinuerat, ut duplici spiritu Elisaeum ornaret; ita sacer Ioannes Evangelista tanquam filius spiritualis adoptivus Virginis singulari quadam imitatione haeres fuit virtutum, quae singulariter in sacra Virgine emicuerunt. Si enim d. Paulus (*Galat.* 4) evidentem censuit illam consequentiam: *Quod si filius, et haeres;* satis utique compertum arbitror, quod si Ioannes filius fuit Virginis, Christo dicente (*c.* 15): *Ecce filius tuus*, etiam bona matris spiritualia haereditavit: *Quia si filius, et haeres.* Unde beata Virgo Ioannem alloquens usurpare posset illa verba Lucae: *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.* Arbitror autem id speciale habuisse hanc adoptivam filiationem Ioannis prae reliquis, quod verbis illis, *Ecce filius tuus*, Christus Dominus divinam virtutem contulit, ut imprimerent cordi virgineo singularem quendam amorem maternum in Ioannem fortiorem, et ardentiorem, quam soleat matribus natura ipsa tribuere; visceribus etiam sancti Apostoli reverentiam filialem erga Virginem talem insererent, qualem nullus filius natura habuit unquam in matrem suam: quod aureis his verbis praedixit magnus pater Arnoldus: *Vices filii naturalis filius accipit adoptivus, et transfunditur in ministrum filialis affectus, formaturque, et firmatur in ambobus pietatis unicae gratus concorsque complexus, non ex traduce naturae, sed ex munere gratiae;* haec ille. Igitur ex his omnibus efficitur, quod cum Ioannes, sicut Christus fuit, et est naturalis Patris figura, ita fuerit expressa quaedam sanctitatis, et morum Christi mystica imago, nihil sane ad solatium Virginis in absentia naturalis filii tam prodesse poterat, quam Ioannem in filium sibi datum. Quemadmodum enim d. Ambrosius (*lib. de fid. resurr. tom.* 4), et Plinius (*lib.* 10. *natu. hist.*) referunt, quod phoenix, quae unica est, quamvis inter flammas odorantium lignorum emoriatur, in superstite filio successore eius viva remanet; ita quamvis Christus divini amoris flammis velut phoenix exustus moreretur, in superstite Ioanne filiationis suae substituto vivus permansit, ut non immerito de eo dici possit illud Ecclesiastici (*c.* 30): *Mortuus est frater eius, et quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se: reliquit enim defensorem domus contra inimicos.* Duo continent haec verba, quae excellentiam Ioannis valde commendant. Primum est, cum Christo similitudo propter morum conformitatem, ob quam non potuit non cedere in magnum Virginis solatium, Ioannem in filium habere. Unde quemadmodum, cum Eva propter mortem innocentis Abel ploraret, dedit ei Dominus Seth filium alium loco eius, Seth namque, *positio*, interpretatur, quia positus fuit loco Abel occisi: unde Eva dixit: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain;* ita Christus Dominus praevidens ingenti tristitia materna viscera Virginis eius absentia afficienda fore, Ioannem loco sui in filium matris substituit, dicens ei: *Mulier ecce filius tuus.* Unde et beata Virgo iure optimo dicere potuisset illud, quod olim Eva: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*, hoc est Ioannem pro Christo, quem occidit impia Synagoga. Sed quam egregie sequentia verba illa Ecclesiastici (*c.* 30): *Reliquit enim defensorem domus contra inimicos*, beatissimo Ioanni congruant, parumper contemplemur. Haec enim nova Ioannis filiatio erga Virginem matrem clypeus est invincibilis ad matris virginitatem tuendam, et ab haereticorum calumniis vindicandam. Quod ne nostro marte confingere videamur, hanc Ambrosii, et Cypriani sententiam expressam esse affirmo. Divus enim Ambrosius (*l. de instit. Virg. initio tom.* 1), de testamento Christi in cruce agens, ait: *Legatur matri pudoris defensio, testimonium*

*integritatis: legatur etiam discipulo matris custodia, pietatis gratia commendatur.* Similia dicit beatus Arnoldus Abbas (*de septem verbis Domini in Biblioth. Sanct. Patr.*): *Non est passus Christus, ut Iudaica rabies in sanctuarium suum profanam mitteret manum, vel aliqua infestatione violaretur illud templum Spiritus sancti: positus est fidelis aedituus ad tanti thesauri custodiam:* et paulo post: *Probato, dilectoque discipulo pudor virgineus, matris thalamus, et sanctimoniae integritas assignatur, ut testis esset idoneus virgo Virgini.* Sed clarioribus adhuc verbis idipsum edixit divus Cyprianus (*de passione Domini*): *Nunc materno,* inquit, *moeroris affectu, et thalamum humanitatis tuae cubiculario dilecto commendas, et provides sedulo apostolicam clientelam, et obsequium Virginis virgini discipulo tradis, ut iam non Ioseph tanti mysterii honoretur praepositura, sed Ioannes: quia iam exigebat ratio, ut coniugii removeretur opinio, nec ultra pater Christi aestimaretur, qui eatenus vicem patris, et coniugis tenuerat. Habebat Ioseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum; sed quia in spiritu actum erat coniunctionis illud mysterium, passus est Ioseph aequanimiter sibi cum in hoc servitio praeponi, quem digniorem se iudicabat, et quia magistri electio sic negotium ordinabat;* haec ille. Scio divum Epiphanium contra Antidicomarianitas (*haer.* 78) ex eo, quod Christus matrem discipulo commendavit, colligere, quod vir eius Ioseph mortuus erat; sed alii nullum reputant inconveniens, quod sicut Ioannes habens matrem commendatus est Virgini, ita Virgo superstite viro commendaretur Ioanni. Cum ergo haec tota Ioannis filiatio erga dilectissimam Virginem ad integerrimae virginitatis eius defensionem praecipue ordinata fuerit, recte de Ioanne praedicta Ecclesiastici verba verificantur: *Reliquit enim defensorem domus contra inimicos.* Domus haec beata Virgo est, quam Christus Dominus per novem menses habitavit, de qua dixerat David (*Ps.* 92): *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.* Inimici huius domus haeretici Helvidiani fuere, puritatem huius domus labefactare contendentes. Defensor vero illius domus contra hos infestissimos hostes Ioannes est, qui ardenti filii zelo accensus pudorem matris Dei, et suae hac sua filiatione acerrime defensavit, ut praecitati Patres aperte contestantur.

Hactenus de prioribus illis Christi verbis egimus: *Ecce mulier filius tuus;* iam de sequentibus sermonem instituamus: *Deinde dixit discipulo, ecce mater tua.* Verum antequam ad eorum explicationem accedamus, piae cuidam interrogationi facere satis opus erit. Cum enim vox illa, *ecce,* adverbium demonstrativum sit, quaerunt quidam, quibusnam signis demonstravit Christus matri filium, et filio matrem. Huic quaestioni respondet his verbis beata Birgitta (*lib.* 4. *c.* 70. *circa med.*): *Quod dixit, ecce mater tua, et ecce filius tuus, capitis, et oculorum nutu tam matrem discipulo, quam discipulum matri designavit.* Vel dicamus aliter, quod sicut proprium est ovis, ut inter mille agnos clamantes proprii filii vocem agnoscat; ita beata Virgo, quae ovis mansuetissimum illum agnum in cruce oblatum pepererat, cum primum eius vocem audivit, *ecce mulier*, ad se filium sermonem direxisse probe agnovit. Unde divus Bernardus (*super signum magnum apparuit in caelis*) hoc ipsum contemplans ait: *Quid igitur demonstrativum signum quaeris, ubi non digitus foris, sed gladius penetrans intus ostendit? ubi non connivens oculus, sed verbum mentis insinuat, ut et pastorem, et agnum nullo intercedente ovis intelligat?* haec ille. Ad proposita verba redeamus, *Ecce mater tua.* Inter omnia, quae Christus possidebat, duo omnium pretiosissima habebat, inaestimabilem margaritam beatam Virginem, et probatissimum topazium Ioannem Evangelistam. Per hanc enim petram designatur, inter duodecim illas quas ipse vidit, duodecim apostolos significantes. Cum ergo Christus Dominus Virginem matrem prae ceteris amore prosequeretur, ut qui in finem diligeret eos, amoris argumenta praebens beatae Virgini, pretiosum Ioannis topazium in pignus dilectionis suae reliquit. Tria observatione digna de topazio reperio huic argumento satis apta. Primum est, facilem esse ad recipiendam artificis sculpturam: bona adeo animi indoles Ioanni infuit, ut volens Christus in eo simul insculpere tamquam supremus artifex triplicis hierarchiae munera, et catholicae Ecclesiae officia, apostoli, evangelistae, doctoris, confessoris, martyris, et virginis, et alia pene innumera donorum coelestium charismata, facile in se omnia reciperet. Secundo habet topazium hanc proprietatem, ut in bullientem calorem immissus, liquoris calor continuo tepescat. Hoc ipsum experientia ipsa comprobante cernimus in Ioanne, qui in ferventis olei dolium immersus, confestim fervorem eius evanescere fecit. Unde ex eo non modo non laesus, sed vegetior prodiit. De Philone referunt historiographi, quod cum topazium ad oram maris invenisset, tamquam singularis pretii pignus Ptolomaei regis matri in donum obtulit, cuius oblatione mirifice ipsa laetata fuit. Non dissimiliter Christus Dominus cum hunc pretiosissimum topazium, Ioannem intelligo, iuxta mare Galilaeum invenisset; *Ambulans Iesus iuxta mare Galilaeae,* etc. donavit illum sacratissimae matri suae, dicens ei: *Ecce filius tuus.* Dilecto autem discipulo inaestimabilem margaritam beatae Virginis in argumentum amoris sui liberaliter elargitus est, dicens ei: *Ecce mater tua.* Sane singularis fidelitas, quam inter omnes eius condiscipulos erga Christum habuit, meruit tantum hoc sibi donari munus. Quod ut clarius innotescat, in memoriam revocare oportet, quod rerum naturalium auctores cum nostro Bartholomaeo Anglo adnotarunt. Referunt serpentem, et pelicanum infestissimos ad invicem esse hostes; unde cum serpens pelicani filios mordet, semimortuos illos relinquit. Tunc autem pelicanus paterno amore commotus, proprium pectus percutiens usque ad sanguinis effusionem, illo cruore filiorum vulneribus medetur. At illi pro tanto beneficio patri ingrati illum aufugientes deserunt, uno solo per-



manente, qui tamquam pro accepto beneficio gratias referens in solatium, et societatem eius, a nido minime recedit. Neminem sane ignorare arbitror, per pelicanum Christum significari, Davide dicente (*Psal.* 101): *Similis factus sum pelicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Antiquus serpens filios eius morsu peccati graviter laceravit, quibus ut ipse mederetur, latus dextrum aperiri voluit, ut inde exiret sanguis, et aqua ad eorum vulnera sananda praesentissimum antidotum; at filii eius tanto ingrati beneficio omnes pariter abierunt, solo Ioanne excepto inter omnes eius discipulos, qui a nido crucis, ubi sacer pelicanus Christus Dominus vulneratus iacebat, non recessit, sed invincibili constantia, et ardentissimo amore usque ad extremum vitae halitum eum fidelissime comitatus est. Hanc ergo Christus Dominus remunerans fidelitatem, beatam Virginem, pretiosissimum omnium bonorum suorum donum in testamento suo ei legavit, quasi dicens illud, quod olim Patriarcha Iacob iam moribundus dixit dilecto filio Ioseph (*Genes.* 48): *En ego morior, et erit Deus vobiscum; do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo.* Nemo catholicus ambigit, praecipuam totius patrimonii Christi haereditatem absque controversia fuisse Deiparam Mariam, quam ipse de manu Amorrhaei, hoc est Diaboli, in gladio, et arcu crucis ab immani originalis peccati hoste immunem servavit. Quia ergo Ioannem prae omnibus aliis discipulis speciali dilectione in vita prosecutus fuerat, eandem in morte ei ostendens, pretiosissimum hoc donum intemeratae Mariae Virginis extra omnes illos ei dedit (*Genes.* 43): *Do tibi partem unam extra fratres tuos.* Et sicut olim Patriarcha Ioseph fratres suos ad prandium invitans dilecto Beniamino fratri suo minori meliores, et abundantiores dapes prae omnibus aliis in mensa fecit apponi, ita ut, quod in disco ei apponeretur, *quinque partibus* excederet, ut ait sacer textus; ita divinus Ioseph Christus Dominus dilectum suum Beniaminum Ioannem, quia frater uterinus erat, licet aetate minor, inter omnes discipulos, maioribus, et excellentioribus donis cumulavit, sacratissimam Virginem in matrem ei tradens. Videtur mihi Christus Dominus in hoc opere se gessisse, velut peritus agricultor, qui conditionem, et naturam alicuius plantae cognoscens, pariterque animadvertens, quod si ei alia mater, quae eum foveret, daretur, hoc est alia foecundior terra, copiosos, et perfectissimos fructus produceret, transfert ipsam ad eam; ita Christus Dominus bonam indolem, et ingenium Ioannis agnoscens, vidensque, quod si melior, et praestantior mater daretur, praestantiores bonorum operum fructus producturus foret, praestantissimam omnium matrem, hoc est Matrem Dei, in matrem ei contulit: ut ex illa hora, ut verbis Ecclesiastici utar, *obviaverit illa quasi mater honorificata.* Quo tanto dono ditissimus omnium factus est Ioannes. Nam ut Salomon dixit (*Prov.* 3), quod non solum de sapientia, sed de beata Virgine intelligitur: *Melior est acquisitio ipsius negotiatione auri, et argenti primi, et purissimi, fructus eius pretiosior est cunctis opibus, et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari.* Fateor quidem Petro commendatam fuisse Ecclesiam (*Ioan.* 21): *Pasce oves meas;* Ioanni autem Mariam: *Ecce mater tua:* Petro tumultuosa negotia; Ioanni pacifica, et quieta: Petro atria, et vestibulum, et peccatorum pecora mactanda; Ioanni commendatur altare incensi, et sancta sanctorum: ad culmen ministerii Ioannis nullus admittitur, solus ille assistit Propitiatorio: solus Ioannes vas aureum continens manna divinae legis, tamquam Pontifex destinatus observat. Ac tandem quia Ioannes assuetus erat in pectore Christi Domini reclinare, hoc reclinatorio per mortem Christi ei deficiente, voluit reclinatorium Matris suae, in quo ipse per menses novem recubuerat, loco illius dilecto Discipulo substituere.

Tandem, ut finem dicendi faciamus, ad ultima verba exponenda oportet nostram convertere orationem: *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua.* Quidam cum Beda (*in Ioan. tom.* 5) legunt, accepit eam in suam, id est, in matrem suam, vel curam. D. Epiphanius (*haeres.* 78. *in Antidicomarianitas*) legit: *Ab illa die accepit ipsam ad se ipsum:* quod et Syriacus habet: *Ex illa hora recepit eam Discipulus apud se:* sed melius nostra vulgata, et conformius originali Hebraeo, ut tradunt periti illius idiomatis, vertit: *Accepit eam Discipulus in sua.* Sed quaerit d. Augustinus (*tr.* 116. *in Ioan. sub init. tom.* 9) haec verba explicans, in quae sua Ioannes Matrem Domini accepit: nec enim non ex eis erat, qui dixerant ei: *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.* Eruditissimus Salmeron respondet, Ioannem recepisse Virginem in aedes quasdam, quas ex pecunia haereditatis cuiusdam ad eum devolutae comparaverat.

Quam responsionem mutuavit ex Nicephoro (*libro secundo Ecclesiasticae historiae libro quarto*), qui ex antiqua traditione ait, Ioannem vendito patrimonio domum emisse in monte Sion, in qua Dominus fecit ultimam coenam, et beata Virgo usque ad mortem suam habitavit in ea, ubi Dominus apparuit ianuis clausis, in quam descendit Spiritus sanctus, et fuit prima Ecclesia consecrata ab Apostolis, ut ait Cyrillus Hierosolymitanus. Sed D. Augustinus ubi supra aliter respondet praecitato loco: *Suscepit eam in sua, non praedia, quae nulla propria possidebat, sed officia, quae propria dispensatione compensanda curavit.* Quod si quispiam interroget, quibusnam pecuniis comparare poterat Ioannes necessaria pro alimentis sacrae Virginis, cum ipse pauperrimus esset; facile dicam, quod, ut commemorat divus Lucas, possessores praediorum, vel domorum eas vendentes offerebant pretia, et ponebant ea ad pedes Apostolorum, indeque distribuebatur unicuique, prout singulis opus erat: unde Ioanni putandum est distributum fuisse id, quod opus erat, ut illic beatae Mariae, tamquam matri eius, portio poneretur. Atque hic notat Euthymius (*cap.* 7. *in Ioann.*), Christum Dominum Matrem suam Ioanni commendasse, exemplo nos instituens, ut tamquam filii pii omnem curam

impendamus parentibus subveniendi, eorumque inopiam sublevandi. Atque his omnibus auream coronidem imponamus, aurea doctissimi Arnoldi Abbatis (*tract. de sept. verbis*) verba, tametsi non pauca, referentes, quia pietate, et eruditione plena sunt: *Non est passus Christus, ut Iudaica rabies in Sanctuarium suum profanam mitteret manum, vel aliqua infestatione violaretur illud templum Spiritus sancti. Positus est fidelis aedituus ad tanti thesauri custodiam. Discipulus, qui in coena Dominica cervical sibi in pectore magistri aptaverat, ecce iterum alio privilegio honoratur, et post illud reclinatorium, in quo viderat, in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum: officina illa, in qua Verbum caro factum est, diligenter a filio ei commendatur; probato, dilectoque discipulo pudor virgineus, matris thalamus, et sanctimoniae integritas assignatur, ut testis esset idoneus virgo Virgini, fidelis cubicularius Matris Domini sui, minister devotus: pro reverentia magistri vices filii naturalis filius ac cipit adoptivus, et transfunditur in ministrum filialis affectus; formaturque, et firmatur in ambobus pietatis unicae gratus, concorsque complexus, non ex traduce naturae, sed ex munere gratiae. Unum igitur contubernium Ioannis, et Mariae virginitas accipit: et unius moris in domo, unum integritatis propositum unam habitationem meretur, communemque convictum. Ecce Ioannes piae haereditatis suscipit testamentum: eligeris, et in hoc praeponeris omnibus, Ioseph, qui eatenus ministraverat, et subrogato cedit: Nec maritalia iura opponit, ut obstruatur os loquentium iniqua in posterum, quia matrimonium illud dispensationi divinae, non copulae carnali servierat; ideoque nec Ioseph, cum Ioannes eam suscipit in parentem, queritur de disiuncto connubio, quod dispensatorium fuerat, sine ullo carnalis copulae commercio. Hoc testimonium integritati Matris Christus in fine perhibuit, ut haberet Ecclesia sancta ex Evangelio lapidem, quem Bonosi Helvidiique haereticorum impudenti fronti infigeret, qui in Matris illibatae virginitatem ausi sunt impia blasphemia garrire. Tu igitur Ioannes sancte, ad hoc eligeris, ut ministres, et obsequaris ea dilectione, qua filius; ea obedientia, qua discipulus; ea subiectione, qua minister, et famulus.* Haec in laudem dilecti discipuli Christi. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VI.

*Explicantur varia priscorum Patrum eruditione verba illa:* Clamavit Iesus voce magna, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Antequam proposita verba enucleare incipiamus, duo pestilentissimi errores explodendi sunt. Primus est, quem sectati sunt Eutychiani, qui ex praedictis verbis colligebant, Verbum divinum dereliquisse humanitatem: existimabant enim Verbum esse animam vivificantem illud corpus; contenduntque alii haeretici Eutychianae factionis in eam sententiam Divum Hilarium (*can. 32. in Matthae.*) et d. Ambrosium (*lib. 10. in Lucam cap. 14. sub initio t. 9*) trahere, quia Hilarius ait: *Clamor vero ad Deum corporis vox est, recedentis a se Verbi Dei contestata dissidium.* D. vero Ambrosius inquit: *Clamavit homo divinitatis separatione moriturus.* Sed frustra hi haeretici tantis Patribus errorem suum imponunt, cum re vera, ut patet ex doctçina ab eisdem alibi tradita, et ex contextu verborum illorum, apertissime loquantur de separatione divinitatis, non secundum rem, sed secundum auxilium, et solatium, ut perdocte explicuit Magister sententiarum (*lib. 3. d. 21.*). Et quidem cum Deus a nullo subtrahat habitualem gratiam, nisi praecedente peccato, manifestum est non subtraxisse a Christo gratiam unionis, cum in eo nullum prorsus praecessisset peccatum, qui impeccabilis erat. Ac ne in re catholicis notissima immoremur, si Verbum divinum separatum fuerat in morte a Christo, utique falsae essent omnes illae catholicae veritates, Deus mortuus est in cruce, Deus sepultus est, Deus descendit ad inferos; quas tamen catholica confitetur Ecclesia, in sano sensu intellectas, ut mortuus fuerit Deus in humanitate, sepultus secundum corpus, descenderit secundum animam. Unde Hugo de sancto Victore (*2. de sacram. par. 1*) eleganter, et acute hunc errorem confutans, separationem illam, quam supra praecitati Patres dixere, apto exemplo exponit in haec verba: *Non autem reliquit, quia praesentiam abstulit: protectionem subtraxit, sed non separavit unionem. Tu mecum pergis, simul ambulamus; secutus sum te, quasi amicum meum mecum habens: si hostis meus me vulnerans, tu me plagari cernens nihil moveris, non curans mea vulnera. Bene dico tibi, ut quid me dereliquisti? adhuc stas iuxta me, et causor te recessisse a me; iuxta es loco, sed longe es auxilio.*

Secundus, et impudentissimus error fuit Calvini, (*capite septimo suae institut. sect. vigesimo nono*) quem ore promere animus perhorrescit. Non erubuit mendacissime effutire, Christum Dominum Creatorem coeli, et terrae, humani generis redemptorem, et totius sanctitatis auctorem, qui non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo, in cruce desperasse, cum dixit (*Matt. 27*); *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Nemo sane unquam ex Turcis in Alcorano, nemo ex perfidis Iudaeis in Thalmuld, vel Cabala, nemo ex paganis in comoediis, aut scriptis theatricis Salvatorem omnium Christum, unicum, et naturalem Dei Filium, impie magis, et impudentius Calvino blasphemavit: *Exurge ergo Domine, et iudica causam tuam, qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Sane ex verbis Christi Domini error hic facile evincitur; ait enim: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* quae repetitio amantis, et sperantis est: deinde dixit: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Quomodo, dic impie Calvine, spiritum suum in manus Patris



commendabat, a quo, ut tu mentiris, nullam salutem sperabat? audi Davidem in persona Christi errorem tuum confutantem (*Psal. 15*): *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris semper est mihi, ne commovear.* Commotus tamen vehementer fuisset, si in desperationis barathrum incidisset. Ac tandem, impudentissime Calvine, nonne desperationis peccatum est cadere a spe consequendae beatitudinis: impossibile ergo erat Christum hoc peccati genere infici, cum essentialis beatitudinis actualem possessionem haberet, non spem; at nemo cadit a spe, quam non habe; igitur impossibile erat Christum desperare. Quod si dicas desperasse, quatenus cecidit ab spe, quam habebat beatitudinis, et glorificationis sui corporis, blaspheme oblatras contra Sanctum sanctorum (*2. Cor. 6*): *Quae enim societas lucis ad tenebras? quae conventio Christi ad Belial? quae participatio iniustitiae cum iniquitate? qui tandem consensus templo Dei cum idolis*, ut dixit divus Lucas? ac tandem qui post mortem dixit: *Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* Quomodo gloriam corporis resurgens accepit, si per peccatum desperationis illa privari meruerat? Obmutesce ergo impie Calvine.

His iam confutatis erroribus, quibus impii haeretici in sinistros, et sacrilegos sensus proposita verba intorquebant, ad sanos, et catholicos sermonem convertamus; sed prius de valido illo clamore, de quo divus Matthaeus (*c. 27*) ait: *Clamavit Iesus voce magna*, nonnihil dicamus. Clamor hic praedictus fuit a Davide in persona Christi dicentis (*Psal. 68*): *Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae.* Isaias (*c. 26*) olim dixit: *Sicut quae concipit, cum appropinquaverit ad partum dolens, clamat in doloribus suis.* Quibus verbis similia protulit Christus, dicens (*Ioan. 16*): *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Cum ergo Christus Dominus, velut amantissima mater, nos omnes in visceribus suis portans, ut Isaias praedixerat, *qui portamini a meo utero;* hora iam partus adventante, de qua divus Ioannes, *Sciens, quia venit hora eius*, parturire nos vellet in crucis lecto, prae dolore maximo, velut parturiens clamavit, iuxta illud (*Io. 13*): *Clamat parturiens, et cruciatur, ut pariat.* Coeperunt quidem dolores huius partus acriter urgere in horto Gethsemani, dum dicebat; *Tristis est anima mea usque ad mortem;* tamen in cruce iam iam proximus partui, vehementius illum vexarunt, velut Rachelem in partu Benoni, qui interpretatur, *Filius doloris mei.* Quare autem tunc clamarit Christus Dominus, non ab omnibus eadem adhibetur ratio. Chrysostomus enim (*ho. 81. in Mat. tom. 2*) clamasse ait hora nona, et in fine tenebrarum, ut innotesceret, eum adhuc vivere, et intelligerent ab eo tenebras factas fuisse, ut meliores hac ratione fierent. Voce autem magna usum esse, ut ostenderet infirmitatem humanae naturae, et acerbitatem dolorum, quos patiebatur. Divus Leo (*serm. 10. de pass.*) inquit; *Vox haec doctrina fuit, non querela*, ut nos instrueret, non tepide, sed ardenter, et toto cordis conatu ad Deum clamare debere, ut fecisse legitur Moyses, cum pro populo deprecabatur. Unde ei Dominus dixit (*Gen. 14*): *Quid clamas ad me?* Alii dicunt, clamasse clamore valido, ut ostenderet non coacte, sed voluntarie mori: nam qui infirmo, et exhausto corpori virtutem dabat ad emittendum validissimum illum clamorem, potuisset eandem impertiri, ut non moreretur. Addamus et nos aliam rationem. Iacet Christus in cruce flagellatus, clavis confossus, spinis caput terebrantibus redimitus, despectus, ludibrio habitus, et novissimus omnium virorum reputatus, et tamen propter haec non clamat, neque ulla vocis querela in eo auditur; cum autem modo nullo ei de novo vulnere inflicto a crucifixoribus valide clamat, et conqueritur, sane non potest in hoc clamore non latere aliqua specialis eius causa. Hanc ego existimaverim, quod illuc usque milites vulnera inflixerant; at Pater nunc gravissimum omnium vulnus illi inflixit, derelinquens illum absque omni prorsus in inferiore parte animae solamine eam demulcente; et idcirco tamquam de acerbissimo omnium dolore in clamorem illum prorupit. Atque hinc ansam sumere licet ad primum sensum subiiciendum inter plures, quibus verba Christi Domini, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* sacri interpretes illustrant. Receptissima intelligentia est, quod fuerit Christus Dominus derelictus a Patre, ea derelictione, quae importat carentiam omnis gaudii, et consolationis in portione inferiori animae. Nam sicut in Olympo monte accidit, ut in eius cacumine nulla sit aeris perturbatio, in inferiore vero, et extrema parte eius, venti, et pluviae terram infestent: et sicut (*Ezechielis primo*) visus est vir cum splendore usque ad medium corpus, inde tamen usque ad pedes cum igne devorante: ac tandem, quemadmodum (*Apocalypsis 10*) pes unus Angeli erat in terra firma, alter vero pes in turbulento mari; ita in Christo Domino capite era pax, *et pax, quae superat omnem sensum;* in suburbanis vero cruentum bellum. Pes superioris portionis fixus erat in patria, divina visione fruens; pes vero inferioris partis haerebat in salso mari dolorum, et tribulationum. Unde cernens se a Patre minima etiam consolatione, post tot dolores alleviante prorsus destitutum, clamat: *Deus Deus meus quare me dereliquisti?* quod perinde fuit ac si diceret: Deus meus, qui Noe a diluvio liberasti, Abraham ab Ur Chaldaeorum, Isaac ab evaginato patris ense, Iacob de manu Esau, Ioseph a fratribus adversis, David a gigante Goliath, et a persequente Saule, Ionam a ventre ceti, tres pueros ab ardenti Babylonis fornace, Danielem in lacu a dentibus et unguibus leonum, Susannam a lascivis, et iniquis iudicibus, Tobiam ab immani pisce, malignoque spiritu, Ezechiam a morte, Hieremiam a profunda cavea; quare Deus meus me dereliquisti, solatium Filio naturali tuo denegans, quod servis impendere non renuisti? Quia tamen solet Deus auxiliari in tribulatione, ut iustus desperatione non obruatur, ne quidquam peccet, quomodo Iobo auxiliatus fuit, cum in medio tam acerbae tempestatis, ut sacer textus ait: *Nihil stulte locutus est contra Deum, nec pec-*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*cavit in labiis suis;* certe Christus Dominus in illo modo non fuit derelictus a Patre, quod, ut ipse significaret, dixit (*Ioan.* 16): *Non sum solus, quia Pater mecum est:* et Psalmista praedixerat in persona Dei Patris, dicens (*Psal.* 9): *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* In quo etiam sensu dixit David: *Quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine:* et (*Psal.* 36): *Non derelinquet Sanctos suos.* et ibidem: *Non vidi iustum derelictum.* Secundus sensus est venerabilis Bedae (*hom. de querela Christi*), ubi docet, Dominum non conquestum fuisse de doloribus, quos patiebatur, sed quod Pater non permitteret illi plura alia pati, et ut id significaret, dixisse: *Ut quid dereliquisti me,* non protendens vitam, ut amplius, et amplius patiar? In cuius figura video Iobum in persona Christi clamantem: *Quis det, ut veniat petitio mea, et quod exspecto, tribuat mihi Dominus, et qui coepit, ipse me conterat, solvat manum suam, et succidat me; et haec sit consolatio mea, quod affligens me dolore non parcat?* Unde sicut de Iacob, sic de Christo merito dici potest: *Videbantur ei dies pauci prae amoris magnitudine.* B. Laurent. Iustinian. (*de triump. Christi Cr. c.* 19.) hanc expositionem amplectens ait, Christum illis verbis novum robur, virtutemque patiendi, et ne tam cito extingueretur, a Patre impetravisse. Origenes triplicem expositionem excogitavit. Prima, quod verba illa intelligantur comparative, facta collatione gloriae, et honoris, quem Pater ei impertierat, tot miracula, ac portenta cum eo coefficiens, cum ignominia, et dedecore crucis, quod in publico omnium conspectu sustinebat. Sicut enim respectu prioris dicebatur Deus esse in illo, ita respectu posterioris derelictus ab eo. Secunda Origenis expositio, ut intelligatur non derelictus re ipsa, sed in hominum opinione: qui enim videbant eum in eo statu adeo miserabili, iudicabant eum derelictum a Deo, et illi invisum, iuxta illud Isaiae: *Et nos putavimus eum percussum a Deo, et humiliatum.* Tertia eiusdem Origenis explicatio, quod significabat Christus Dominus fructum suae passionis ad paucissimos perventurum esse; ut sit sensus: Ut quid me dereliquisti cum tam paucis electis, qui meae passionis erunt participes? Theophylactus (*sup. hunc locum*) ait, Christum Dominum locutum fuisse in persona populi Iudaici, qui propter peccata sua adeo derelictus erat a Deo, ut permitteret eum atrocissimum illud peccatum committere occisionis proprii, et unigeniti Filii sui: verba Theophylacti sunt: *Hoc de Iudaeis dixit, quasi ipse secundum carnem Iudaeus existens, ac si Patri diceret, ut quid Hebraicum populum dereliquisti, ut tuum crucifigeret Filium?* Alii, ut refert Incognitus (*super Psal.* 21), arbitrantur, quod Christus loquebatur in persona generis humani, propter peccatum a Deo derelicti; ac si diceret: Ut quid dereliquisti genus humanum in peccatum illud inficiens universam naturam prolabi? Nam ex illa derelictione ut eos redimam, nunc oportet me hos acerbissimos dolores sustinere. Tandem non praetermittam acutissimam aliorum gravissimorum Patrum expositionem, asserentium vocem illam, *Ut quid me dereliquisti,* vocem fuisse nostram, quia etiam e cruce vetus homo noster pendebat, Apostolo dicente (*Rom.* 6): *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati:* ita D. Cyrillus (*de recta fide ad Reginas paulo post principium*), Divus Gregorius Nazianzenus (*lib.4. theo*), Divus Damascenus (*lib.6. de orthod. fide cap. vigesimo* 4), Theophylactus, et Euthymius (*cap.* 67. *in Matth.*), eidemque expositioni assentit divus Augustinus (*in par. vigesimaprima tom.* 8. *et in Psal. quadragesimo* 9) in haec verba: *Unde haec vox, nisi quia in carne infirmitatis agnoscebatur vox peccatoris? qui enim suscepit similitudinem carnis peccati, cur non susciperet similitudinem vocis peccati?* Eandem tandem expositionem amplexus est Iulius Africanus (*lib.* 2. *suarum interrogationum cap. vigesimo*), dicens: *Numquid Deus dereliquit Christum, cum esset Deus in Christo mundum reconcilians sibi? Absit; sed in veteri nostro vox nostra est, quia simul crucifixus est vetus homo noster cum illo, qui de ipso veteri nostro corpus acceperat, id est de Maria, quae de Adam erat.* Quidam contemplativi praedicta verba, *Ut quid dereliquisti me?* ad nos referri contemplantur, ut Christus Dominus singulis peccatoribus dicat: *Ut quid dereliquisti me?* numquid, quia te omnipotentia mea creavi, misericordia redemi, et a faucibus inferni liberavi? Similem querelam proposuit quondam Deus per Hieremiam prophetam (*c.* 2): *Quid invenerunt in me patres vestri iniquitatis, ut derelinquerent me, et abirent post vanitatem? Considerate vehementer si mutavit gens Deos suos, et tamen ipsi non Dii: populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum.* Vae nobis, si dereliquerimus Deum nostrum, quia ipse derelinquet nos, et continuo prae foribus aderit supplicium illud Davidis (*Psal.* 70): *Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite, quia non est qui eripiat.* Et illud: *Armavit Deus omnem creaturam ad ultionem inimicorum.*

Porro duo nobis explicanda restant. Primum est, quare sic Pater aeternus voluerit Filium suum praedicto iam modo derelinquere, cum dolores alii, quos Dominus sustinuerat, et quilibet etiam illorum sufficiens esset ad faciendam integram, et rigorosam satisfactionem omnium debitorum nostrorum, quorum ipse fideiussor factus fuerat. Respondeo, Christum Dominum derelictum fuisse, ne nos derelinqueremur a Deo; immo cum opera Trinitatis indivisa sint ad extra, ut Theologi loquuntur, necesse est dicamus, Filium Dei pro nobis dereliquisse se, et seipsum omni consolatione destituisse, ne nos Deus derelinqueret, sed ea consolatione repleret, quam expertus D. Paulus dicebat (2. *Cor.* 7): *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.* Expertus etiam fuit S. Theodorus, de quo refert D. Augustinus (*libro decimo octavo de Civitate Dei capite quinquagesimo secundo*), quod cum suspensus retraheretur, Eusebius petivit, an equulei cruciatio gravis illi videretur? respondit Martyr, tanta se perfusum alacritate dum torqueretur suspensus, ut aegre tulerit ab illo extrahi cruciatu, eo quod pulcherrimus iuvenis aqua purissima lavaret ei loca plagarum, et linteo tergeret



mundissimo. Itaque voluit pater Filium derelinqui, ut ea derelictione ex iustitia mereretur, ne nos derelinqueret ipse, sed continuis foveret auxiliis: quod sane obtinuit, ut praedixerat Isaias, dicens: *Non vocaberis ultra derelicta.* Secundum est, quare Christus Dominus voluit hanc derelictionem verbis exprimere, cum tamen alios internos dolores ob alias diversas causas eum affligentes reticuerit. Arbitror causam huius fuisse sine dubio, ne quispiam falso putaret se inter acerbissima illa tormenta fuisse a Deo magnis solatiis, et spiritualibus voluptatibus recreatum, ita ut vel non sentiret dolores, vel saltem eorum acrimonia, coelesti dulcedine sibi propinata, minueretur, ut saepe factum est cum Martyribus, qui inter suaves, et odoriferos flores versabantur; et ut etiam contigit antiquis Patribus, qui in eo sperantes, ab eo misericorditer liberati sunt. Unde de Ioseph ait Sapiens (*c.* 10): *Descenditque cum eo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum:* et David de se testatur (*c.* 26): *Abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit te.* Unde (*in Psal.* 21) ex quo Christus Dominus sumpsit illa verba: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* subdit regius Vates: *In te speraverunt Patres nostri, ad te clamaverunt, et liberasti eos:* et postea subiungit: *Ego autem sum vermis, et non homo:* id est, ita me derelinquis, ac despicis, ac si essem abiectissimus vermis, cum tamen in nulla proprii peccati causa, ob quam derelinqui merear, reperiri possit. Id enim sibi vult interrogatio illa: *Ut quid me dereliquisti?* non enim ignorantiam, aut impatientiam indicat; absit hoc, sed ostendit nullam ex parte Christi illius derelictionis adesse causam, sed omnimodam esse illam, quam tradit Isaias (*c.* 3): *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Vel dicamus cum divo Cyrillo Alexandrino (*de recta fide ad Reg.*), saepe in Scriptura particulam, quare, non esse interrogantis, quod ignorat, sed dolentis, et gementis, ita ut idem valeat atque interiectio, heu, quomodo sumitur apud Exod. cum Moyses ait: *Quare irasceris Domine populo tuo?* Et Iob 3. *Quare abscondis faciem tuam a me?* Vel tandem dicamus, quod Christus Dominus petiit rationem a Deo, quare conscius suae iustitiae, et innocentiae derelinqueret eum; ut Deus ad querelam istam saltem miraculis, ut fecit, responderit, docens adstantes eum non derelictum, ut peccatorem, sed ut iustum, qui ad tempus, et in momento, sive in modico, ut ait Isaias, ob magnum aliquem fructum a Deo derelinquitur. Ex quo etiam nos instruimur, ut bono animo internas derelictiones, et desolationes patienter sustineamus, memores quod Christus Filius Dei naturalis existens a Patre derelictus est. Unde si, cum desolatus es, inquiras causam tuae desolationis, respondebit tibi Iob, dicens: *Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit.* Super quae verba D. Gregorius ait, cum semel Christus derelictus fuit, semel nobis loquitur Deus, ut inde sciamus, quandoque derelinquendos nos esse in tribulationibus, ut ei similes efficiamur. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VII.

*De multiplici siti, quam Christus Dominus in cruce pertulit, cum dixit,* Sitio: *cuius verbi varii sensus secundum varias sanctorum Patrum expositiones subiiciuntur.*

Quamvis permulti Patres varios spirituales, et mysticos huius verbi sensus excogitaverint, de quibus plura nobis dicenda supersunt, litteralem tamen sensum minime inficiantur esse, quod vere Christus Dominus corporalem sitim habuerit, prout sitis secundum omnes Philosophos importat appetitum naturalem frigidi, et humidi; unde divus Cyrillus (*sup. Ioan. cap.* 19) affirmat, unum ex gravissimis tormentis, quae Christus Dominus in cruce sustinuit, fuisse sitim hanc corporalem. Etenim cum Christus Dominus ab hora coenae feriae 5. non bibisset, et insuper copiose sudasset, et grave crucis pondus tulisset, et per effusionem sanguinis pene exhaustus esset, ac tandem nudus solis ardori, et vento in cruce pendens expositus pateret, non dubium, quin gravissima siti laboraret. Praenunciarat hanc sitim Sibylla Erithraea, quae praecessit Christum per mille, et quingentos annos: libro enim primo oraculorum ait:

> Et fellis amari
> Apponunt escam potumque immitis aceti.
> Felle fames eius, sitis illudetur aceto:
> Hanc apponet ei gens scilicet hospita mensam.

David eandem vaticinatus fuerat (*Ps.* 68): *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Acerbitatem autem huius sitis satis etiam praedixit David in eius persona, dicens: *Aruit tanquam testa virtus mea, lingua mea adhaesit faucibus meis, ossa mea sicut cremium aruerunt.* Unde Christus Dominus sitiens significatus est per cervum, de quo in Genesi dicitur: *Cervus emissus dans eloquia pulchritudinis.* Cervus sitientissimus est, ut non obscure indicavit David, clamans (*Psal.* 41): *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita anima mea ad Deum fontem vivum.* Sitiens ergo Christus, et dans eloquia pulchritudinis, quia pulchra verba in cruce locutus est, recte cervo comparatur: unde (*in Ps.* 21), qui totus de Christi passione loquitur, specialemque de eius siti, et potu fellis mentionem facit, hunc titulum legimus (*sup. Ps.* 41): *Victori pro cerva matutina,* prout legunt D. Hieronymus, et Doctores Hebraei. Adnotat autem D. Augustinus sitim, qua laborat cervus, ex duplici causa solitam provenire. Primo ex vehementi calore, et celeri eius cursu, motus enim est causa caloris. Iudaei vero per plures vias Christum Dominum crucem gestantem perduxerunt, et tamquam rabidi canes cervum insectantes, ut praedixerat David (*Ps.* 21): *Circumdederunt me canes multi,* vehementissime vexaverunt. Sicut autem inter canes venaticos quidam olfactu ad

detegendam praedam alii dentibus ad capiendam deserviunt; ita inter canes, qui sacrum hunc cervum insectati sunt, Iudas fuit canis olfacticus, qui praedam in horto existentem detexit; alii vero eam comprehenderunt, et *Manus iniecerunt in Iesum.* Secundo oritur sitis in cervo ex eo, quod cum serpentibus pugnans, et morsibus impetens, venenum ebibit: unde interius urgetur, ut aquarum fontes desideret; ita Christus Dominus, velut cervus cum serpente antiquo pugnam iniens, venenum peccatorum nostrorum ad se traxit. Unde Isaias dixit (*c.* 53): *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum;* acciditque illi quod Samsoni, qui interfectis mille Philistaeis dixit (*Iud.* 15): *Tu dedisti in manus servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam, et en siti morior.* Sed proh dolor, tunc certe Deus sitienti Samsoni dedit portatilem fontem aqua scaturientem, quae ex asini mandibula profluxit. Saepe etiam alibi Deum servis suis sitientibus aquam providisse legimus. Sitit populus rebellis, et durae cervicis, a murmuratione nunquam cessans, et, ut habetur (*l. Num. c.* 20), largissimas aquas ex petra protulit ei Deus, melle ipso dulciores. Amarae erant aquae Marath, ita ut bibi non possent, et gratas eas, suaves, ac dulces reddidit. Puer Ismael sitivit in deserto, et matri Agar Angelum misit Dominus, qui aquae puteum ei detegeret. Cum Elias sitiret, de torrente Carith aquam suppeditavit: et cum Manasses rex iussit Isaiam prophetam immani secari serra, siti illum vexante, Deus fontem Siloe miraculose ei contulit, ut refert D. Epiph. (*de vita et morib. Prophet.*). Et cum similiter David siti fatigaretur, tres milites irruentes per medias hostium turmas, cum ingenti vitae suae discrimine ex cisterna Bethleem, unde David bibere desiderabat, potum aquae summa velocitate attulerunt. Christo autem sitienti ne aquae quidem unica gutta porrigitur a Patre, sed quam in corpore habebat, effundere praecipitur: effudit enim aqueum lacrymarum humorem: nam, ut ait Apostolus (*Heb.* 5): *Cum clamore valido, et lacrymis,* animam exhalavit, et iam mortuo, ex latere eius *Exivit sanguis, et aqua,* ut D. Ioannes testatur. Sed, quaeso, bone Iesu, si ipse ais: *Circumdederunt me aquae multae, et pelagus cooperuit caput meum,* quomodo sitis? Agnosco te mihi respondere, quod aquae istae extra te sunt, et quia manus confixas habes, non permitteris illis aquam capessere, simile Tantali tormentum sustinens:

> Tantalus a labris sitiens fugientia captat
> Flumina quid rides? mutato nomine de te
> Fabula narratur.

Nec obstat, quod Christus Dominus diceret (*Ps.* 68): *Intraverunt aquae usque ad animam meam,* quia cum aquae illae, per quas dolores intelliguntur, amarae, et salsae essent, sitim non extinguebant, sed potius augebant.

Porro non immerito quidam interrogabit: Quid est, quod cum Christus Dominus in omnibus partibus sui corporis gravissimos sustineret labores, gustus, et palati solius vexationem expresserit, dicens: *Sitio?* Poterat enim dicere: *Capite doleo,* quia spinis pungentibus terebratum erat, clavorum fixurae manus contorquent, et ingenti dolore afficior, flagellorum vulnera me vehementer excruciant: et nihilominus solius palati, et linguae doloris meminit. Arbitror duplicem responsionem huic quaesito adhiberi posse. Primo quod cruciatus aliarum partium innocentissimi illius corporis omnibus satis innotescebant (*Isai.* 1): *A planta pedis usque ad verticem capitis non erat sanitas in eo.* Linguae vero, et palati dolor latebat; et ideo hunc prae ceteris manifestavit, ne quispiam in illa parte minime torqueri existimaret. Sane Christus Dominus venerat, ut pro peccato Adae plene Deo satisfaceret. Constat autem peccatum illud per linguam, et palatum commissum fuisse, dum vetitum ligni fructum comedit: ideo ergo per linguae, et palati dolorem copiosam exhibet satisfactionem. Secundo factae interrogationi respondeo cum D. Ioanne, Christum Dominum dixisse, *Sitio*, ut consummaretur Scriptura (*Psal.* 98): *Et in siti mea potaverunt me aceto.* Scio multis difficilem videri hanc rationem, quia praedictio Scripturae non fuit causa, ut Christus sitiret, sed quia futurum erat, ut sitim pateretur, ideo id praedictum fuit. Sed nihil obest haec obiectio: omnia namque, quae Christus Dominus tulit, fuerunt ab aeterno praeordinata, et decreta a Deo; et haec ordinatio, et decretum fuit praenunciatum in sacra Scriptura; Christus autem tamquam filius Patri obediens ea patienter sustinuit, ut impleret Patris ordinationem. Et quia illa erat expressa in sacra Scriptura, idcirco ait Evangelista, dixisse Christum: *Sitio, ut compleretur Scriptura.* Illud etiam arcanum, quod huc spectat, aperire hoc loco non praetermittam, quod saepe in Evangelio illud repetitur verbum, *Sicut scriptum est:* latet enim in eo summa Christi liberalitas, et munificentia: nam sicut cum filius alicuius Principis ob eximiam eius largitatem ingentes sumptus facit, solet pater eius taxatos illi redditus in singulos menses praescribere, ita ut non amplius expendere possit, quam in libro expensarum scriptum sit; ita sane aeternus Pater agnoscens Christi summam largitatem, qui velut perennis fons ad omnes se vellet diffundere, unde et ipse dixit (*Psal.* 21): *Sicut aqua effusus sum;* agnoscens etiam eximium eius amorem eo usque pervenisse, ut si pro humani generis redemptione oportuisset eosdem, quos semel pertulit, labores iterum pati, et usque ad diem extremi iudicii in cruce vivum pendere, id nequaquam recusavisset: scripsit, et praescripsit tormenta, quae passurus esset, et immenso illi amoris sui pelago dixit: *Huc usque venies, et non procedes amplius.* Unde nihil molestum Christus sustinuit, quod non fuisset iuxta Patris praeceptum, eius metas nec latum digitum transiliens; et ideo ad id significandum non semel in Evangelio legitur: *Sicut scriptum est.*

Sed hinc iam sumamus ansam ad varias prosequendas explicationes, quas huic verbo, *sitio*, Patres adhibent. D. Augustinus explicat de siti spirituali; diversimode tamen: nam



(*in Ps.* 61), et aliis locis explicat de siti, qua sitiebat fidem, et salutem omnium hominum, etiam eorum, qui eum persequebantur, pro quibus ad Patrem oraverat: haec enim sitis acerbius eum cruciabat, quam corporalis: sic enim ait: *Sitis mea salus vestra est; sitis mea redemptio vestra; sitio fidem vestram, gaudium vestrum, plus animarum vestrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet.* Iob sitim, quam habet daemon nos ebibendi, et deglutiendi, describens ait: *Fiduciam habet, ut Iordanis influat in os eius.* Cupit enim baptizatos in Iordane sanguinis Christi ebibere, et devorare. Nec contentus est undam Iordanis haurire, hoc est, aliquam animam in se traiicere, sed totum integrum vellet ebibere. Christus autem Dominus daemoni per omnia contrarius siti laborat nos ebibendi, ac in se traiiciendi, et ad id significandum clamat in cruce, *sitio*, In Psalmo vero septuagesimo primo verbum, *Sitio*, explicat de siti, quam Christus Dominus habebat plures, ac plures a peccatis purgandi: unde exponens verba illa: *Cucurri in siti*, ait: *Iste cucurrit, et sitit: multos enim bibit, sed numquam erit sine siti.* Medici docent, et experientia satis comprobat, numquam infirmum magis sitire, quam die purgationis, aut copiosae alicuius evacuationis: cum enim Christus, quantum est ex se, omnium peccata in cruce purgasset, unde ab Apostolo (*Hebr.* 1) vocatur, *Purgationem peccatorum faciens*, consequens erat, ut in cruce vehementer sitiret. Sitis itaque, quam Christus Dominus habuit, fuit benefaciendi amplius, et amplius hominibus. Unde sicut Titus, id referente Svetonio, tanto, ac tam ardenti beneficia conferendi siti aestuabat, ut quodam die, quo nullum contulerat beneficium, dixerit: *Perdidimus hunc diem;* ita Christus Dominus cum dixit, *sitio*, sitim, quam nobis benefaciendi habebat, exprimere voluit, persimilem ei, quam antea manifestaverat, quando Samaritanae dixit (*Ioan.* 14): *Mulier da mihi bibere:* sitiebat enim conversionem eius, et desiderabat fontem aquae salientis in vitam aeternam illi aperire. D. Ambrosius explicat sitim hanc de animarum conversione. Unde sicut filia Caleb clamabat, dicens (*Iudic.* 1): *Terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis;* sic cum Pater dedisset Christo Domino domum Iacob, et sedem David, quae arens terra erant, ut ipse dixit (*Psal.* 62): *In terra deserta, invia, et inaquosa:* nunc postulat a Patre, ut praebeat illi populum gentilem, qui futurus erat terra irrigua, nec non foecunda bonorum operum. D. Chrysostomus (*su. c.*19), et d. Cyprianus (*de pas. Dom.*), hanc Christi sitim explicantes aiunt, adeo ardentem eius fuisse erga humanum genus amorem, ut pro illo inextinguibilem plura tormenta patiendi pateretur sitim. Unde praesciens, quod ipso dicente, *sitio,* porrigendum illi erat acetum, iuxta illud (*Psal.* 68): *Et in siti mea potaverunt me aceto;* consulto id dixit, ut sic plura patiendi occasionem haberet. Atque hinc facile intelligemus, cur Ecclesia dulce crucis lignum, dulcesque clavos vocaverit. Cum enim Christus Dominus esuriret, et sitiret gravia pati tormenta pro salute generis humani, et ut ait Salomon: *Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet,* idcirco Ecclesia lignum, et clavos Christum Dominum cruciantes dulces vocitavit; e contra vero lanceam, quae nullum ei cruciatum intulit, minime vocavit dulcem, sed diram: *Diro mucrone lanceae.* Alii cum Ubertino (*super hunc locum*) e contra in oppositum sensum propendent. Aiunt enim, quod cum cerneret Christus Dominus animam suam in superiori eius parte de torrente divinae voluptatis bibere, in inferiore vero parte desolatam, et omni gaudio destitutam aspiceret, sitiebat, ut fluenta illius gloriae in inferiorem partem derivarentur. Sed hanc expositionem minus arbitror probabilitatis habere, cum, postquam eo in horto orante si possibile erat, ut transiret ab eo calix, responsum a Patre accepit, voluntatem suam esse, ut illum ebiberet, numquam deinceps inferior pars inculpabilem illam naturalem renitentiam ostendit.

Sed nunc iam videamus, Christo Domino tam spirituali, quam corporali laborante siti, quodnam potus genus ei porrectum fuerit. Certe si sermo sit de siti corporali, Evangelista respondet: *At illi spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius.* Mirabitur quispiam, quomodo haec tam in promptu essent, cum adstantes minime praenovissent Christum dicturum, *Sitio.* At difficultatem hanc facile diluemus, si animadvertamus, virtutem a natura insitam esse aceto sistendi sanguinem, eandemque hyssopo, et spongiae convenire, ut expresse testatur Plinius (*lib.* 23. *et* 31. *natur. histor.*): hinc est, ut Tertullianus advertit (*de spectac. cap.* 25), moris fuisse gladiatori vulnerato ad siccandum fluentem sanguinem spongiam adhiberi vulneri eius. Atque in hunc finem praeparatam tunc fuisse spongiam cum aceto, comprobat non levis coniectura, quod, ut refert cardinalis Baronius (*ann.* 3. *tom.* 1) spongia illa, qua potatus est Dominus Iesus, quae usque hodie summo adservatur honore in Basilica Lateranensi, quasi aliquando sanguine tincta fuerit, ruborem illum, quem semel imbibit, adhuc retinet. Iudaei autem, ut qui in Christum mille modis insaeviebant, spongiam illam aceto implentes sitientis ori Christi porrexerunt. Quomodo autem fuerit ei datum fel in escam, in haec verba respondet Euthymius (*sup. Evang.*): *Arbitror fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse, ut acetum quidem loco vini esset, illa vero fragmenta pro buccella panis.* Potest etiam dici, quod sicut lac simul est potus et esca; sic etiam acetum illud amaricatum simul in escam, et potum exhibitum Christo fuit: et id significare verba illa (*Psal.* 68): *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Divus Cyrillus (*cathe.* 13. *Psal.* 77) hunc aceti potum Christo exhibitum considerans, acute satis dixit: *Qui ex silice eduxerat aquas, tunc petit potum a Synagoga. Illa vero dat acetum, sic demonstrans suam corruptionem, et degenerationem a sanctitate maiorum suorum. Acetum enim est vinum corruptum et degenerans.* Unde Christus recte dicere potuisset illud Ieremiae (*Thren.* 3): *Circumdedit me felle, replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* Augustinus vero de hyssopo, cu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ius meminit Evangelium loquens, ait: *Hyssopum autem, cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus, quam circumdederunt, et se circumvenisse putaverunt: unde est illud in Psal. Asperges me hyssopo, et mundabor. Christi namque humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum factus obediens usque ad mortem crucis, non utique sanguis eius in peccatorum remissionem, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus.* Sicut autem siti Christi corporali nullum milites exhibuerunt refrigerium, ita et spirituali, quam nostrae salutis habet, et qua usque modo sitit regnans in caelis, paucissimi sunt qui succurrere velint. Quadruplici siti video quam plures laborare, et ab ea graviter vexari. Quidam sitiunt inimicorum vindictam, de quibus intelligi potest illud Isaiae prophetae (*c.*25): *Quasi turbo impellens parietem, et sicut aestus in siti.* Alii sitiunt honores, ambitionis siti aestuantes, de quibus Isaias (*c.* 5): *Nobiles eius interierunt fame, multitudo eius siti exaruit.* Alii sitiunt divitias: hi sunt avari, similes draconibus, elephantis sanguinem sitientibus, de quibus Iob (*c.*5): *Bibent sitientes divitias eius.* Alii tandem sitiunt voluptates, et libidinosas carnis illecebras, quorum meminit Isaias cum dixit (*cap.* 50): *Computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti.* Christo ergo Domino iniuriarum remissionem, divitiarum contemptum, dignitatum, et honoris conculcationem, castitatis amorem sitienti, et enixe ab hominibus postulanti, omnes iam commemorati ita crudeles existunt, ut nec minimum aquae potum ei porrigant. Sed audiant crudelitatis suae debitam poenam, quam vaticinatus fuit Oseas cum dixit (*cap.* 1): *Ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam illam siti.* Hanc sitim expertus fuit ille Epulo, qui petiit ab Abraham guttam aquae ad refrigerandam linguam, quae tamen minime fuit concessa. Verum si in hanc miseram sitim incidere nolumus, oportet, ut sitim, quam habemus bonorum terrestrium, in supernorum donorum, et caelestium charismatum, et gratiarum sitim commutemus, onagros imitantes, de quibus David (*Ps.*103) ait: *Expectabunt onagri in siti.* Haec est natura, et ingenium onagrorum, ut quantumcumque siti nimia vexentur, ex turbidis aquis minime bibant, sed claras, et puras expectant invenire, ut sitim suam expleant. Ita sane oportet, ut qui voluptatum, honorum, et divitiarum sitim patiuntur, ex turbidis fontibus huius saeculi minime bibant, sed expectent pervenire ad perennem illum omnium bonorum fontem, quem desiderabat David, cum dicebat (*Psalm.* 41): *Sitivit anima mea ad te fontem vivum.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VIII.

*Multiplici Patrum intelligentia pulchre exornantur verba illa Christi Domini e Cruce pendentis*, consummatum est.

Proposita verba Christi Domini adeo mysteriis scatent, totque divina arcana in eis delitescunt, ut in eorum expositione, et reseratione non brevem oporteat me habere sermonem. Dum enim Christus Dominus: *Consummatum est*, dixit, pene innumeras, easque heroicas, ac memorandas consummationes ab eo factas brevissimo sermone comprehendit. Prima fuit consummatio omnium sacrorum vaticiniorum. quae de ipso loquebantur. Secunda fuit peccati regni, diaboli, et mortis tyrannice regnantium consummatio, ut praedixerat Daniel (*c.* 9): *Consummabitur praevaricatio, finem accipiet iniquitas, delebitur iniustitia.* De daemone vero Christus Dominus dicens (*Ioan.* 12): *Princeps huius mundi eiicietur foras.* De morte tandem per Oseam inquiens (*Ose.* 13): *Ero mors tua, o mors.* Tertia consummatio fuit potestatis, quae permissa fuit Iudaeis saeviendi in Christum, ipso dicente (*Luc.* 22): *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Haec sane consummata fuit, quia exinde non habuerunt potestatem aliquam in illum: unde tunc fuerunt consummati omnes eius labores. Quarta consummatio fuit legis Mosaycae: nam post mortem Christi cessavit illa congeries praeceptorum veteris legis, quam, ut dixit d. Petrus (*Act.* 15): *Nec nos, nec patres nostri portare potuerunt.* Quinta consummatio fuit iniquitatis, et malitiae Iudaeorum, quae non amplius potuit excrescere, quam ut auctorem vitae, et Creatorem suum interficerent. Ad quod sane alludebat Christus Dominus, cum dicebat eis (*Mat.* 23): *Implete mensuram patrum vestrorum:* id est, implebitis. Solet enim Scriptura non semel imperativum pro futuro usurpare. Fuit sexta consummatio iustitiae Christi erga Patrem, qui pro omnibus peccatis de rigore iustitiae ei satisfecit. Septima consummatio fuit ardentissimi amoris erga homines: quia ut ipse dicit (*Ioan.*15): *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Octava consummatio fuit operis redemptionis, quod ei Pater commiserat, iuxta illud (*Ioan.* 17): *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem.*

Verum haec omnia oportet fusius pertractare, ut mira, quae latent in eis sacramenta, paulatim detegamus. D. Hilarius, quem secutus est antiquissimus Arnoldus Abbas (*tractat. de sept. verb. Dom.*) ait per haec verba, *Consummatum est*, significasse Christum Dominum veteres Scripturas, quae de eo loquebantur, perfecte completas, et consummatas fuisse: verba Arnoldi sunt: *Nec tantum passionum suarum finem, sed illarum etiam observantiarum intelligi voluit, ut postquam advenerat veritas, figurae cessarent, nec ultra superflue vexarentur fideles spinosis circuitionibus per devia aberrantes, cum indicaret eis ipsa Veritas viam, et loqueretur publice; qui loquebar, ecce adsum.* Et quidem in primis sacramentum illud magnum quod de lateris Adae dormientis costa educeretur Eva, iam *consummatum est*, cum ex latere Christi somnum mortis in cruce dormientis diro lanceae mucrone aperto educta fuerit Ecclesia, tot Martyribus, Virginibus, et Confessoribus ornata. Sacramentum illud, quod Cain innocentem fratrem suum Abel occideret, eius cruore terram tingens, iam *consummatum est:* siquidem populus Iudaicus incredibili odio Christum Dominum fratrem suum secundum carnem immanissime interfecit, et sanguinem eius in terram profudit. Sacramentum illud fabricationis Arcae, quam Noe confecit, in quo mundus protegeretur, dum cataractae caeli copiosissimis aquis terram inundarent, iam *consummatum est:* siquidem in Arca crucis divini illius Noe Christi Domini totum genus humanum ab inundante divini furoris proluvio liberationem, et securum refugium invenit. Sacramentum illud, cum arcus variis coloribus depictus in signum pacis in caelo apparuit, iam *consummatum est*, cum Christus Dominus velut arcus extensis brachiis in cruce: *Posuisti ut arcum aereum brachia mea*, variis coloribus, cruore sanguinis, sputorum candore, livore vulnerum diversicolor cerneretur, nos Deo Patri reconcilians, et amabile pacis bonum in terram mittens. Sacramentum illud Isaachi ligna super humeros gestantis, ut in monte sacrificaretur, iam *consummatum est*, cum Christus lignum humero portans in montem Calvariae in ara crucis sacrificandus perrexit. Sacramentum illud Iacobi, manibus pellibus hoedinis coopertis, eas pilosas esse simulantis instar manus Esau, ut patris benedictionem compararet, iam *consummatum est:* siquidem verus Iacob Christus Dominus pellibus hoedinis cooepertus, hoc est, veniens in similitudinem carnis peccati, benedictionem Patris nobis obtinuit. Sacramentum illud Davidis inermis gigantem gloriose devincentis, cum tamen solo baculo, et quinque lapidibus illum invaderet, iam *consummatum est:* siquidem Christus Dominus nudus solo crucis baculo, et quinque corporis sui vulneribus infestissimmum gigantem Goliath (daemonem intelligo) non solum illusit, sed enervavit, et penitus interemit. Sacramentum illud aenei colubri, a Moyse exaltati in ligno; quem morsu serpentis infecti intuentes sanabantur, iam *consummatum est*, cum Christus Dominus velut veneficus serpens (cum tamen re vera omni peccati veneno careret) in crucis ligno exaltatus fuit; quem certe peccati morsu lacerati internis fidei oculis conspicientes, et ei se conformantes, ab omni peccati morsu liberantur. Sacramentum, inquam, illud iam *consummatum est.* Tandem sacramentum rufae vaccae absque macula, quae extra civitatem cremabatur, cuius cineribus exterius sanctificabatur populus, et habilis reddebatur ad ingressum Tabernaculi, iam *consummatum est:* siquidem Christus Dominus velut vacca rufa, hoc est, sanguine suo rubicunda, amoris igne combusta, in ara crucis extra portam civitatis, in sacrificium oblatus est, cuius sanguine peccatores digni efficiuntur, ut media poenitentia in regni caelorum tabernaculum admittantur. Haec et similia, quae prolixum esset recensere, impleta, et consummata tunc fuerunt: *Ut Prophetae tui fideles inveniantur*, et ut ostenderet Christus Dominus, quod nec iota unum, aut unus apex praeterire deberet a lege, donec omnia fierent.

Secundus sensus praedictorum verborum potest esse, ut significare voluerit Christus Dominus, catholicae Ecclesiae aedificium tunc consummatum esse, licet Ecclesiae catholicae fabrica a primis nostris parentibus coeperit; in lege tamen naturae, et scriptae ultimum complementum minime accepit. Unde (*Esdr. libr.* 3) dicitur: *Salmanasarus subiecit fundamenta domus Domini, quae est in Hierusalem, et exinde usque nunc aedificatur, et non accepit consummationem.* Lex quidem naturae iecit fundamenta in Ecclesiae fabrica, lex scripta erexit parietes; sed quia, ut ait d. Paulus (*Hebr.*7): *Nihil ad perfectum adducit lex;* certe aurea lacunaria superaedificare, et ultimam manum imponere huic aedificio Christo Domino in lege gratiae reservabatur. In cuius probationem pulchram lego figuram (1. *Par.* 28), veritatem hanc in Salomone adumbrantem. David enim filium suum exhortans, ut aedificium domus Domini perficeret, et ad finem usque perduceret, dixit ei: *Viriliter age, et confortare, et fac ne timeas, et ne paveas: Dominus enim Deus meus tecum erit, et non dimittet te, neque derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini.* Hoc patris mandatum ad unguem Salomon implevit. Ita aeterno Patre iubente Christo, ut Ecclesiae catholicae aedificium consummaret, ipse perfecte adeo id explevit, ut diceret (*Ioan.* 7): *Opus consummavi, quod dedisti mihi.* Unde D. Paulus (*ad Heb.* 12) vocavit illum *Auctorem, et consummatorem fidei:* et d. Augustinus (*lib.* 4. *de Gen. ad litt.*) docet, quod sicut Deus in mundi primordiis opera omnia creationis sexto die expleverat, ut septimo requiesceret die: tunc enim ait Moyses: *Et requievit ab omni opere, quod patrarat;* ita Christus in redemptione eundem servans ordinem, quem ipse in operibus creationis observaverat, dixit in cruce, *consummatum est*, et septimo die requievit in sepulcro, iuxta illud Davidis (*Ps.* 15) in persona Christi dicentis: *Requiescet caro mea in spe.* Quibus consonant verba Isaiae secundum versionem septuaginta Interpr. *Et erit requies eius honor:* et originale Hebraeum habet: *Requies a laboribus.* Itaque Christus Dominus tamquam sapiens, et locuples architectus propriis expensis, propriaque industria catholicae Ecclesiae aedificium ita perfecte consummavit, ut neutiquam de illo dici possit: *Hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare.*

Tertius sensus dictorum verborum potest esse, ut loquatur de consummatione peccati; ita Augustinus dum ait: *Quis dicere poterat peccatum consummatum esse, nisi is, qui ut peccatum deleret, consummatus est?* Quod mirabile dictum D. Augustini aquilae comparatione intelliges, cui ipse Christus se comparavit, dicens: *Sicut aquila provocans ad volandum pul-*

ius meminit Evangelium loquens, ait: *Hyssopum autem, cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus, quam circumdederunt, et se circumvenisse putaverunt: unde est illud in Psal. Asperges me hyssopo, et mundabor. Christi namque humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum factus obediens usque ad mortem crucis, non utique sanguis eius in peccatorum remissionem, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus.* Sicut autem siti Christi corporali nullum milites exhibuerunt refrigerium, ita et spirituali, quam nostrae salutis habet, et qua usque modo sitit regnans in caelis, paucissimi sunt qui succurrere velint. Quadruplici siti video quam plures laborare, et ab ea graviter vexari. Quidam sitiunt inimicorum vindictam, de quibus intelligi potest illud Isaiae prophetae (*c.*25): *Quasi turbo impellens parietem, et sicut aestus in siti.* Alii sitiunt honores, ambitionis siti aestuantes, de quibus Isaias (*c.* 5): *Nobiles eius interierunt fame, multitudo eius siti exaruit.* Alii sitiunt divitias: hi sunt avari, similes draconibus, elephantis sanguinem sitientibus, de quibus Iob (*c.*5): *Bibent sitientes divitias eius.* Alii tandem sitiunt voluptates, et libidinosas carnis illecebras, quorum meminit Isaias cum dixit (*cap.* 50): *Computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti.* Christo ergo Domino iniuriarum remissionem, divitiarum contemptum, dignitatum, et honoris conculcationem, castitatis amorem sitienti, et enixe ab hominibus postulanti, omnes iam commemorati ita crudeles existunt, ut nec minimum aquae potum ei porrigant. Sed audiant crudelitatis suae debitam poenam, quam vaticinatus fuit Oseas cum dixit (*cap.* 1): *Ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam illam siti.* Hanc sitim expertus fuit ille Epulo, qui petiit ab Abraham guttam aquae ad refrigerandam linguam, quae tamen minime fuit concessa. Verum si in hanc miseram sitim incidere nolumus, oportet, ut sitim, quam habemus bonorum terrestrium, in supernorum donorum, et caelestium charismatum, et gratiarum sitim commutemus, onagros imitantes, de quibus David (*Ps.*103) ait: *Expectabunt onagri in siti.* Haec est natura, et ingenium onagrorum, ut quantumcumque siti nimia vexentur, ex turbidis aquis minime bibant, sed claras, et puras expectant invenire, ut sitim suam expleant. Ita sane oportet, ut qui voluptatum, honorum, et divitiarum sitim patiuntur, ex turbidis fontibus huius saeculi minime bibant, sed expectent pervenire ad perennem illum omnium bonorum fontem, quem desiderabat David, cum dicebat (*Psalm.* 41): *Sitivit anima mea ad te fontem vivum.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VIII.

*Multiplici Patrum intelligentia pulchre exornantur verba illa Christi Domini e Cruce pendentis*, consummatum est.

Proposita verba Christi Domini adeo mysteriis scatent, totque divina arcana in eis delitescunt, ut in eorum expositione, et reseratione non brevem oporteat me habere sermonem. Dum enim Christus Dominus: *Consummatum est*, dixit, pene innumeras, easque heroicas, ac memorandas consummationes ab eo factas brevissimo sermone comprehendit. Prima fuit consummatio omnium sacrorum vaticiniorum, quae de ipso loquebantur. Secunda fuit peccati regni, diaboli, et mortis tyrannice regnantium consummatio, ut praedixerat Daniel (*c.* 9): *Consummabitur praevaricatio, finem accipiet iniquitas, delebitur iniustitia.* De daemone vero Christus Dominus dicens (*Ioan.* 12): *Princeps huius mundi eiicietur foras.* De morte tandem per Oseam inquiens (*Ose.* 13): *Ero mors tua, o mors.* Tertia consummatio fuit potestatis, quae permissa fuit Iudaeis saeviendi in Christum, ipso dicente (*Luc.* 22): *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Haec sane consummata fuit, quia exinde non habuerunt potestatem aliquam in illum: unde tunc fuerunt consummati omnes eius labores. Quarta consummatio fuit legis Mosaycae: nam post mortem Christi cessavit illa congeries praeceptorum veteris legis, quam, ut dixit d. Petrus (*Act.* 15): *Nec nos, nec patres nostri portare potuerunt.* Quinta consummatio fuit iniquitatis, et malitiae Iudaeorum, quae non amplius potuit excrescere, quam ut auctorem vitae, et Creatorem suum interficerent. Ad quod sane alludebat Christus Dominus, cum dicebat eis (*Mat.* 23): *Implete mensuram patrum vestrorum:* id est, implebitis. Solet enim Scriptura non semel imperativum pro futuro usurpare. Fuit sexta consummatio iustitiae Christi erga Patrem, qui pro omnibus peccatis de rigore iustitiae ei satisfecit. Septima consummatio fuit ardentissimi amoris erga homines: quia ut ipse dicit (*Ioan.*15): *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Octava consummatio fuit operis redemptionis, quod ei Pater commiserat, iuxta illud (*Ioan.* 17): *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem.*

Verum haec omnia oportet fusius pertractare, ut mira, quae latent in eis sacramenta, paulatim detegamus. D. Hilarius, quem secutus est antiquissimus Arnoldus Abbas (*tractat. de sept. verb. Dom.*) ait per haec verba, *Consummatum est*, significasse Christum Dominum veteres Scripturas, quae de eo loquebantur, perfecte completas, et consummatas fuisse: verba Arnoldi sunt: *Nec tantum passionum suarum finem, sed illarum etiam observantiarum intelligi voluit, ut postquam advenerat veritas, figurae cessarent, nec ultra superflue vexarentur fideles spinosis circuitionibus per devia aberrantes, cum indicaret eis ipsa Veritas viam,*



*et loqueretur publice; qui loquebar, ecce adsum.* Et quidem in primis sacramentum illud magnum quod de lateris Adae dormientis costa educeretur Eva, iam *consummatum est*, cum ex latere Christi somnum mortis in cruce dormientis diro lanceae mucrone aperto educta fuerit Ecclesia, tot Martyribus, Virginibus, et Confessoribus ornata. Sacramentum illud, quod Cain innocentem fratrem suum Abel occideret, eius cruore terram tingens, iam *consummatum est:* siquidem populus Iudaicus incredibili odio Christum Dominum fratrem suum secundum carnem immanissime interfecit, et sanguinem eius in terram profudit. Sacramentum illud fabricationis Arcae, quam Noe confecit, in quo mundus protegeretur, dum cataractae caeli copiosissimis aquis terram inundarent, iam *consummatum est:* siquidem in Arca crucis divini illius Noe Christi Domini totum genus humanum ab inundante divini furoris profluvio liberationem, et securum refugium invenit. Sacramentum illud, cum arcus variis coloribus depictus in signum pacis in caelo apparuit, iam *consummatum est*, cum Christus Dominus velut arcus extensis brachiis in cruce: *Posuisti ut arcum aereum brachia mea*, variis coloribus, cruore sanguinis, sputorum candore, livore vulnerum diversicolor cerneretur, nos Deo Patri reconcilians, et amabile pacis bonum in terram mittens. Sacramentum illud Isaachi ligna super humeros gestantis, ut in monte sacrificaretur, iam *consummatum est*, cum Christus lignum humero portans in montem Calvariae in ara crucis sacrificandus perrexit. Sacramentum illud Iacobi, manibus pellibus hoedinis coopertis, eas pilosas esse simulantis instar manus Esau, ut patris benedictionem compararet, iam *consummatum est:* siquidem verus Iacob Christus Dominus pellibus hoedinis cooepertus, hoc est, veniens in similitudinem carnis peccati, benedictionem Patris nobis obtinuit. Sacramentum illud Davidis inermis gigantem gloriose devincentis, cum tamen solo baculo, et quinque lapidibus illum invaderet, iam *consummatum est:* siquidem Christus Dominus nudus solo crucis baculo, et quinque corporis sui vulneribus infestissimum gigantem Goliath (daemonem intelligo) non solum illusit, sed enervavit, et penitus interemit. Sacramentum illud aenei colubri, a Moyse exaltati in ligno; quem morsu serpentis infecti intuentes sanabantur, iam *consummatum est*, cum Christus Dominus velut veneficus serpens (cum tamen re vera omni peccati veneno careret) in crucis ligno exaltatus fuit; quem certe peccati morsu lacerati internis fidei oculis conspicientes, et ei se conformantes, ab omni peccati morsu liberantur. Sacramentum, inquam, illud iam *consummatum est.* Tandem sacramentum rufae vaccae absque macula, quae extra civitatem cremabatur, cuius cineribus exterius sanctificabatur populus, et habilis reddebatur ad ingressum Tabernaculi, iam *consummatum est:* siquidem Christus Dominus velut vacca rufa, hoc est, sanguine suo rubicunda, amoris igne combusta, in ara crucis extra portam civitatis, in sacrificium oblatus est, cuius sanguine peccatores digni efficiuntur, ut media poenitentia in regni caelorum tabernaculum admittantur. Haec et similia, quae prolixum esset recensere, impleta, et consummata tunc fuerunt: *Ut Prophetae tui fideles inveniantur*, et ut ostenderet Christus Dominus, quod nec iota unum, aut unus apex praeterire deberet a lege, donec omnia fierent.

Secundus sensus praedictorum verborum potest esse, ut significare voluerit Christus Dominus, catholicae Ecclesiae aedificium tunc consummatum esse, licet Ecclesiae catholicae fabrica a primis nostris parentibus coeperit; in lege tamen naturae, et scriptae ultimum complementum minime accepit. Unde (*Esdr. libr.* 3) dicitur: *Salmanasarus subiecit fundamenta domus Domini, quae est in Hierusalem, et exinde usque nunc aedificatur, et non accepit consummationem.* Lex quidem naturae iecit fundamenta in Ecclesiae fabrica, lex scripta erexit parietes; sed quia, ut ait d. Paulus (*Hebr.*7): *Nihil ad perfectum adducit lex;* certe aurea lacunaria superaedificare, et ultimam manum imponere huic aedificio Christo Domino in lege gratiae reservabatur. In cuius probationem pulchram lego figuram (1. *Par.* 28), veritatem hanc in Salomone adumbrantem. David enim filium suum exhortans, ut aedificium domus Domini perficeret, et ad finem usque perduceret, dixit ei: *Viriliter age, et confortare, et fac ne timeas, et ne paveas: Dominus enim Deus meus tecum erit, et non dimittet te, neque derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini.* Hoc patris mandatum ad unguem Salomon implevit. Ita aeterno Patre iubente Christo, ut Ecclesiae catholicae aedificium consummaret, ipse perfecte adeo id explevit, ut diceret (*Ioan.* 7): *Opus consummavi, quod dedisti mihi.* Unde D. Paulus (*ad Heb.* 12) vocavit illum *Auctorem, et consummatorem fidei:* et d. Augustinus (*lib.* 4. *de Gen. ad litt.*) docet, quod sicut Deus in mundi primordiis opera omnia creationis sexto die expleverat, ut septimo requiesceret die: tunc enim ait Moyses: *Et requievit ab omni opere, quod patrarat;* ita Christus in redemptione eundem servans ordinem, quem ipse in operibus creationis observaverat, dixit in cruce, *consummatum est*, et septimo die requievit in sepulcro, iuxta illud Davidis (*Ps.* 15) in persona Christi dicentis: *Requiescet caro mea in spe.* Quibus consonant verba Isaiae secundum versionem septuaginta Interpr. *Et erit requies eius honor:* et originale Hebraeum habet: *Requies a laboribus.* Itaque Christus Dominus tamquam sapiens, et locuples architectus propriis expensis, propriaque industria catholicae Ecclesiae aedificium ita perfecte consummavit, ut neutiquam de illo dici possit: *Hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare.*

Tertius sensus dictorum verborum potest esse, ut loquatur de consummatione peccati; ita Augustinus dum ait: *Quis dicere poterat peccatum consummatum esse, nisi is, qui ut peccatum deleret, consummatus est?* Quod mirabile dictum D. Augustini aquilae comparatione intelliges, cui ipse Christus se comparavit, dicens: *Sicut aquila provocans ad volandum pul-*

*los suos, etc.* Aquila enim cum draconem videt venientem in nidum ad rapiendos pullos suos, non fugit, sed cum illo acriter pugnat, ut liberet illos; accidit tamen saepe, ut ipsa interficiat draconem, et simul etiam eius veneno infecta moriatur. Ita certe Christo accidit, qui ut nos filios suos liberaret, cum morte, et peccato, eius auctore pugnavit, utrumque superavit, et utrumque interfecit. Sed ipse etiam in bello occubuit: unde impletum est illud (*Hier.* 46): *Fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt.* Sic Samson, qui morte sua Philistaeos perdidit, et Eleazarus morte sua elephantem interfecit, et eos, qui in eo portabantur. Peccatum quidem incoepit in dulcedine pomi in Paradiso, et finem accepit in amaritudine fellis, et mortis Christi in cruce. Unde recte dici posset (*Prov.* 23): *Ingreditur blande, et in novissimo mordebit, ut coluber.*

Quartus sensus sit, ut Christus Dominus, accepto felle, quod erat ultimum supplicium ei inferendum, dicens: *Consummatum est*, significare voluerit iam pertulisse omnes, et singulos labores, quos Pater illi perferendos praescripserat. Unde sicut solent oratores post integram orationis recitationem addere hoc verbum, *Dixi*, ut orationis consummatio omnibus innotescat; ita Christus Dominus, cuius totius vitae curriculum contemplor velut eloquentissimam quandam orationem, habitam in publico huius mundi theatro, ut veniam delictorum nostrorum a Patre obtineret, eius exordium fuit incarnatio: divisio fuit circumcisio: narratio Evangelii praedicatio: confirmatio multiplex miraculorum patratio: epilogus tota Christi passio; ita, inquam, finita oratione, adiecit Christus Dominus, *Consummatum est*, quod perinde fuit, ac si subiungeret, *Dixi*, nihil mihi ultra restat iam patiendum. Nam licet actualis mors restaret, iam tamen aderat in causa; et ideo verissime Christus dixit omnes suos labores iam consummatos esse. Habuit se etiam Christus in hoc velut peritissimus quidam medicus, qui pro salute aegroto praestanda arctiorem victus rationem praescribit; deinde rationes excogitat sudoris excutiendi, quo pravi humores expellantur; postea sanguinis minutionem adhibet, naturam exonerantem; postremo potionem aliquam amaram, qua penitus evacuata morbi radice sanitas restituatur. Ad eum certe modum Christus tamquam prudens medicus, ut nos peccati morbo aegrotantes sanaret, primo quadraginta diebus, et noctibus ieiunavit, nihil prorsus gustans; deinde varios aestus calores sustinens, et horti Gethsemani gravem tristitiam perferens, usque ad sanguinem sudavit: postea in praetorio Pilati copiosam cruoris minutionem passus. Supererat ei sumenda potio aceti amara, quam postquam ori admovit, quae ultima nostri morbi medicina erat, continuo subiunxit, *Consummatum est*, quia nihil acerbum ulterius perferendum ei restabat.

Quintus sensus praedictorum verborum sit, Christum Dominum dixisse, *Consummatum est*, quia cum factus fuisset fideiussor noster, et ratione fideiussionis ad universa nostra debita solvenda teneretur, nunc verbo illo explicat, se pro redemptione nostra perfectam, et consummatam pretii solutionem Deo fecisse, dum in ara crucis tamquam in mensa totum sanguinis pretium profudit, et sacrificium, quod pro expiandis nostris peccatis a principio suae conceptionis offerre coeperat, perfecte tunc consummavit. Si enim attente contemplemur omnia Christi Domini opera, inveniemus universam eius vitam fuisse velut mirabile Missae quoddam sacrificium Deo Patri oblatum. Primo ingressus est templum beatissimae Virginis, ubi *habitu inventus ut homo*, sacerdotales vestes induit, quibus exornatus orare posset Patrem, quia in sola divina natura manens orare non potuisset. Unde Apostolus dixit (*Heb.* 5): *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus.* Introitum dixit, cum primam vocem emisit plorans, ut dixit Sapiens. Gloriam cecinerunt Angeli, dicentes (*Luc.* 2): *Gloria in altissimis Deo.* Epistolam dixit, cum in templo sacrae Scripturae arcana reserabat: Evangelium, cum ad turbas concionem habebat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, pueri in die ramorum intonuerunt, clamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Primum memento pro vivis dixit: *Rogo Pater, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Consecrationem in ultima coena fecit: *Hoc est corpus meum*, dicens. Memento pro defunctis in cruce dixit, dum pro peccatoribus vita gratiae functis oravit. Hostiam levavit, cum ipse factus hostia pro peccatis elevatus fuit in cruce. Agnus huius Missae, quos recitantes pectora percutiunt, qui adstabant sacrificio illi, dixerunt, Evangelista attestante: *Multi revertebantur percutientes pectora sua.* Nunc tandem in cruce dicit, *Ite Missa est*, dum ait, *Consummatum est*, quod perinde fuit ac si diceret, cum iam completum fuerit sacrificium, cuius inaestimabili valore integram, perfectam, ac superabundantem solutionem pro peccatis generis humani, et copiosa eius redemptione Patri obtuli, nihil restat mihi solvendum eorum, quorum fideiussor factus sum. Unde sicut inter nos, cum quis solvit integrum debitum, rumpitur chirographum, obligationem solvendi continens; ita integro soluto pretio a Christo Domino, Deus chirographum nostrae obligationis cassavit, et cancellavit, ut expresse testatus est beatus Paulus, dicens (*Coloss.* 2): *Et vos cum mortui essetis in delictis, et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci.*

Philo Episcopus Carpasius (*in hunc locum*), et hic sextus sensus sit per verba illa: *Consummatum est*, significare ait Christum Dominum, amorem eius ultra progredi non potuisse, quia ut ipse praedixerat (*Ioan.* 19): *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quam interpretationem aliorum expositio confirmat, qui praedicta verba legunt interrogative, *Consummatum est?* Ita ut Christus Dominus prae ardenti eius charitate plura, et plura tormenta pro hominibus pati desiderans, Patrem alloquens, interrogaverit eum, *Consummatum est?*



Septimus sensus sit, ut *Consummatum est*, dicens, pacem, quam mundo in nativitate dare coepit, Angelis proclamantibus, *Et in terra pax hominibus*, morte ipsa consummatam, ac perfecte stabilitam, et obsignatam esse ostenderet. Consuevit non semel longum, ac diuturnum bellum matrimonio aliquo inter dissidentes partes contracto terminari, solutis tamen damnis iniuste illatis a parte illa, quae iniustum bellum foverat. Non dissimiliter orto bello inter Deum, et hominem, ad pacem statuendam sponsalitia celebrata sunt inter unigenitum Dei Filium, et naturam humanam. Restabat tamen ad eandem firmandam pacem, ut humanum genus honori divino illata damna Deo persolveret. Verum cum solvendo illi non esset, idem Dei Filius pro nobis solvere, et Deo nos reconciliare decrevit: unde orta est pax illa consummata, de qua D. Paulus (*Philip.* 4) ait: *Quod exsuperat omnem sensum*, quia Filium Dei naturalem in mortem crucis tradi, ut pacem inter nos, et Deum iniret, humanum, et angelicum superat captum, solumque tantum consilium in mentem Dei cadere potuit.

Alii tandem explicant, ut significare velit, Hebraeorum peccatum consummatum fuisse, ita ut de eo recte dici possit illud (*Iob c.* 1): *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*, mortem quidem Christi. Unde d. Augustinus (*sup. Psal.* 7), in illa verba: *Consummetur nequitia peccatorum, et diriges iustum*, ait: *Tunc consummata est, cum homines in ipsum Deum ausi sunt manus iniicere.* Alii demum volunt per illa verba significare voluisse Christum Dominum mirabilem eius fortitudinem, et constantiam, qui difficillimum redemptionis negotium per varios casus, et per innumera discrimina rerum tandem aliquando ad finem usque perfectissime duxit. Quod praefiguratum videtur in magno sacerdote Aaron, ex cuius fimbria vestimenti mala punica, et tintinnabula pendebant: mala punica, quae coronam habebant, constantiam in coronando incepto opere significabant; sonora vero tintinnabula clamorem adumbrabant, quo verba illa: *Consummatum est*, et: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, in extrema vitae suae hora protulit.

Haec et alia, quibus apte explicantur proposita verba Christi Domini, paucis verbis pulchre comprehendit piissimus ille Taulerus (*in exercitar. de vita Chris. cap.* 49), ubi ait: *Consummatum est quidquid aeterna sapientia constituerat, quidquid iustitia rigida pro singulis quibusque exigebat, quidquid charitas amanter poscebat, quidquid erat promissum Patribus, quidquid mysteria, figurae, caeremoniae, et scripturae praesignarant; quidquid ad nostram redemptionem erat accommodatum, ac necessarium; quidquid in nostris abolendis debitis erat conducibile; quaecumque ad nostras explendas, resarciendasque negligentias conferebant; quidquid gloriosum, atque amicabile esse poterat ad sublimem demonstrandum amorem, quaeque pro nostra spirituali institutione, ac informatione desiderare potuissemus; quidquid demum honestum, atque congruum erat mirificae redemptionis nostrae triumpho celebrando, atque victoriae: cuncta haec ista sunt determinata verbo illo Christi: Consummatum est.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA IX.

*De testamento, quod Christus Dominus, praecipue tamen in ultima coena recumbens, et in lecto crucis iacens condidit, in illa verba:* Clamans voce magna Iesus, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum: *quae Patrum multiplici doctrina locupletantur.*

Non possum non vehementer mirari, quosdam huius nostrae tempestatis scriptores, alioquin doctrina conspicuos, ausos fuisse dicere, non solum contra totam priscorum Patrum antiquitatem, sed adversus clarissima sacrorum voluminum monumenta, Christum Dominum proprie, et vere non condidisse testamentum. Unde aiunt, nullum in verbis Christi prolatis in cruce vestigium fuisse institutionis testamenti. Rem tamen ut altius repetamus, et cunctis catholicis innotescat, Christum Dominum verum condidisse testamentum, partim in discursu suae vitae, quia non semper omnia capita testamenti simul fiunt; partim in ultima coena; partim in cruce pendentem iamiam moribundum: observandum est in primis, satis usitatam esse in sacra Scriptura distinctionem veteris, et novi Testamenti, ut constat ex Hieremiae trigesimo primo, et Paulo (*ad Galat.* 4. *et ad Hebr.* 8). David etiam de veteri Testamento loquens in persona Dei testantis, dixit (*Psal.* 88): *Disposui testamentum electis meis*, id est, Patriarchis, et Prophetis, qui singulares Dei amici erant. Propheta vero Baruch de novo Testamento sermonem faciens in persona Christi, ait: *Statuam eis testamentum alterum sempiternum.* Ubi manifestum est loqui de Testamento novo, cum vetus abolitum in multis fuerit, novum vero remanserit. Inter quae duo Testamenta illud praecipuum intererat discrimen, quod in veteri terrestria bona Deus legabat, in isto Christus aeterna, coelestiaque impertitur, ut notavit d. Paulus dicens (*Galat.* 4): *Melioris testamenti mediator est*, quod melioribus sanctionibus sancitum est. Quamvis autem multi velint, quod non inficior, Christum Dominum testamentum suum facere coepisse a principio suae praedicationis, dum legem implentibus vitae aeternae haereditatem sibi ab eo dandam pollicebatur: unde divus Paulus (*Hebr.* 7) dixit: *Melioris testamenti sponsor factus est Iesus.* Vocat illum sponsorem, quia testamentum Christi partim per modum pacti, et sponsionis factum est, promittendo dona caelestia, et haereditatem aeternam observantibus leges a testatore ipso praescriptas: unde ait: *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis.* Omnes etiam haeredes instituit, quotquot per baptismum in filios legitimos re-

generarentur: nam, ut ait Apostolus (*Rom.* 8): *Si filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* Quamvis, inquam, suum testamentum ab illo praedicationis tempore facere inciperet; illud tamen postea in coena, et cruce prosecutus est. Et ut observarunt divus Damascenus (*lib.* 4. *cap.* 14), Chrysostomus (*ho.* 84), et Tertullianus (*lib. cont. Marc cap.* 40), sicut inter nos sapiens testator in testamento veteri a se facto iamiam moribundus mutat nunc unam, vel alteram clausulam, detrahendo, vel subiungendo novas; ita Christus Dominus sapientia Patris, quia multa, quae erant in veteri testamento, nolebat firma manere, ideo ante mortem plurimas clausulas delevit, quarum loco alias apposuit, quae morte eius penitus confirmatae, et stabilitae permanserunt, Paulo dicente, testamentum firmum non esse, nisi intercedat mors testatoris. Populus Israel in veteri testamento haeres nominatus erat, sed hanc clausulam mutavit. Iam non haereditas mea Israel. Ait enim per Oseam (*cap.* 1): *Non populus meus vos.* Et per Apostolum (*ad Rom.* 9): *Non plebs mea vos:* Gentilitas volo ut in bona mea haeres succedat; illa mihi fidelis, et obediens erit (*Psal.* 17): *Populus quem non cognovi, servivit mihi, et in auditu auris obedivit mihi.* In alia clausula eiusdem veteris testamenti iubebat, ut sacerdotes essent ex progenie Aaron. Deleatur, ait, haec clausula, eligantur deinceps sacerdotes secundum ordinem Melchisedech. Et ego tamquam summus Sacerdos secundum eundem ordinem, ut praedixerat David, instituo Apostolos meos in sacerdotes, et Petrum eorum principem, et Vicarium meum eligo. Sacrificiorum clausulae, quibus praecipiebantur offerri varia animalia, abradantur, quia omnia illa erant figura duplicis sacrificii, cruenti, et incruenti, mortis scilicet Christi in cruce, et Eucharistiae. Cum autem umbram in fugam abire faciat veritas, omnia illa sacrificia aboleri volo. Clausula vero Decalogi mandata continens firma, et stabilis permaneat, quia *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Molesta vero, et gravia caeremonialia praecepta in veteri illo meo testamento praescripta, nullam deinde obligandi vim habeant, quia in lege gratiae, quam condidi, *Iugum meum suave est, et onus meum leve.* Ex praecipuis etiam circumstantiis, quae in ultima coena concurrerunt, haud obscure colligitur, Christum Dominum ibi prosecutum fuisse suum testamentum: nam tunc praecipua legis novae praecepta tradidit discipulis, dicens (*Io.* 13): *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem.* Corpus suum sub sacramento reliquit: *Hoc est corpus meum,* et sanguinem etiam expresse dicens (*Matt.* 26): *Hic est sanguis meus novi, et aeterni testamenti.* Deinde praeceptum novi sacrificii dedit (*Luc.* 22): *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ut olim Alexander, ut (1. *Machab.*) legimus, testamentum condidit: *Cum vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a iuventute sua, et divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret;* ita Christus Dominus discipulis suis, et in illis omnibus nobis dixit (*Luc.* 23): *Ego dispono vobis regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo.* Ac tandem Apostolos sacerdotes, et *dispensatores mysteriorum Dei* designavit, ut loquitur Paulus. Dispensatores autem testamenti quis non videat in ipso testamento institui solitos esse, non extra illud? Quod si in testamento oportet septem adsint testes; certe hic non desiderabantur, cum duodecim adessent legitimi testes, qui futuri erant principes Ecclesiae, et ministri novi testamenti. Ne tamen videar ex proprio marte dicere Christum Dominum in coena partim testamentum condidisse, egregia Patrum testimonia id asserentium subiiciam. D. Damascenus (*lib.* 4. *cap.* 14) ait: *Cum voluntariam mortem nostra causa suscepturus esset, ea nocte, qua seipsum tradebat, testamentum novum sanctis suis discipulis, et Apostolis, ac per illos omnibus, qui in eum credunt, instituit.* D. Chrysostomus (*hom.* 33. *in Matth.*) hoc ipsum docet: *Testamentum novum confirmat, et quemadmodum vetus pecudes, et vitulos habebat, eodem modo novum Dominicum possidet sanguinem.* Tertullianus (*lib.* 4. *cont. Marc. cap.*45), de mysterio in coena peracto loquens, dicit: *In Calicis mentione testamentum constituit sanguine suo obsignatum.* Ecce sacram Scripturam, et Patres aperte asserentes, Christum Dominum verum in coena condidisse testamentum; verum quia plura alia ei leganda erant, non clausit illud, sed ad ultimam horam, quam ipse recte praecognoscebat, cum in lecto crucis iaceret, ultimam manum, et obsignationem eius distulit: ubi revera adeo aperte omnes veri testamenti, seu codicilli conditiones elucent, ut nulla ratione negari posse videatur, nisi in re clarissima caecutiamus, Christum Dominum partim testamentum suum in cruce condidisse. Licet enim bonis temporalibus pauperrimus esset, ipso dicente (*Luc.* 9): *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet;* bonis tamen coelestibus ditissimus erat, et de eis liberum illi erat testamentum condere, et ea, quibus luberet, relinquere. Inter conditiones ad testamentum validum requisitas illam, quae omnino necessaria est, ut scilicet testator mente minime alienatus, sed sciens, et prudens testamentum condat, manifestissimum est hic non defuisse: tum quia testator erat sapientia Patris: tum quia Ioannes expresse dixit (*Ioan.* 13): *Sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Secunda conditio est, ut adsit tabellio testamenti, scriptura sua fidem illius faciens. Adfuit quidem Ioannes, unus et praecipuus inter quatuor Evangelicos tabelliones, qui ut ipse testatur (*Ioan.*5): *Testimonium perhibuit veritati, et verum est testimonium eius.* Tertia conditio, ut testes adsint: quis hanc defuisse dicat, cum coram omni populo, et coram testibus omni exceptione maioribus beata Virgine, et reliquis piis viris, et feminis ibi adstantibus, Christus Dominus ultimam suam voluntatem expresserit? Solent in testamento inimicis iniuriae dimitti apud catholicos: Christus Dominus huius laudabilis consuetudinis primus auctor fuit, dicens tunc (*Luc.*23): *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Solet etiam testator, si matrem, et filios habeat,



illorum protectionem alicui commendare. Christus Dominus matri Ioannem commendavit, et Ioanni matrem: *Mulier, ecce filius tuus: deinde dixit Discipulo, Ecce mater tua.* Praeter id tunc vere, et proprie dicitur aliquis condere testamentum, quando aliquibus bona sua post mortem relinquit habenda; at Christus Dominus latroni paradisum legavit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso:* Militibus vestimenta, quae postea ipsi inter se diviserunt: Ecclesiae crucis vexillum, velut victoriae suae trophaeum reliquit: peccatoribus valorem sanguinis sui effusi elargitus fuit: mortuum corpus suum Nicodemo, et Iosepho ab Arimathaea sepeliendum tradidit. Manifestum ergo est, verum ibi condidisse testamentum. Unde d. Ambrosius (*epis.* 82) dixit: *Testabatur in cruce Christus, et inter matrem, et discipulum dividebat pietatis officia.* Et Arnoldus Abbas (*tract. de sept. verb. Domini*) in illa verba: *Ecce mater tua,* cum Ioanne loquens, ait: *Ecce Ioannes piae haereditatis suscipis testamentum: eligeris, et in hoc praeponeris omnibus.* Tandem tunc dicitur aliquis testamentum novum condere, quando abrogat prius. Christus autem Dominus, dicens (*Matt.* 26): *Hic est sanguis meus novi, et aeterni testamenti,* vetus testamentum abrogavit; quia, ut ait Paulus, *dicendo novum, veteravit prius: quod autem antiquatur, et senescit, prope interitum est.* Hic autem interitus non nimium dilatus fuit: nam in cruce dicens: *Consummatum est,* quo significare voluit, ut d. Thomas (3. p. *q.* 47. *a* 2. *ad* 1) interpretatur, omnes prophetias, omnesque figuras, et umbras completas, et consequenter consummatum, et abolitum testamentum, quod in illis fundabatur, illud prorsus interire fecit. Licet autem in testamentis primum legatum, quod fit, est commendare animam Deo creatori suo, ad ultimam testamenti sui clausulam Christus id reservavit, dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Quia alii commendant Deo animam suam, vel ut illis parcat, vel ut ad claram sui visionem admittat, quod merito omnibus aliis praeponendum est; Christus autem Dominus ex neutro isto capite opus habebat commendare animam, quia et omnis peccati expers fuit, et a principio suae conceptionis clare vidit divinam essentiam. Quae cum ita se habeant, oportet diligenter examinare, quid sibi voluerit Christus Dominus in praedicta Patri animae suae commendatione. Sed prius aperienda sunt sacramenta, quae latent in eo, quod *clamans voce magna,* ut ait Lucas, commendationem illam fecerit. D. Athanasius (*q.* 76. *ad Antioch.*) ait, Christum Dominum validum illum clamorem emisisse, ut suae potentiae virtutem ostentaret. Voce enim illa Iudaeos deterruit, velum templi divisit, petras scidit, et monumenta aperuit. Agnovit Centurio virtutem divinam illius clamoris, siquidem Marco id attestante, videns, quod sic clamans expirasset, ait: *Vere homo hic Filius Dei erat.* Unde acute d. Bern. (*ser.*26.*in Cant.*) dixit: *Ad vocem credidit, ex voce agnovit Filium Dei, et non ex facie. Erat enim ex ovibus eius, de quibus ait: Oves meae vocem meam audiunt.* D. Hilarius ait, clamasse tunc Christum Dominum prae nimio dolore, animam eius velut pugione transfigente, quod praevidebat diram suam passionem, et acerbam mortem paucissimis profuturam fore respectu eorum, ad quos fructus eius perventurus non erat. Eruditissimus Salmeron (*to.* 10. *de pass. tract.* 46) ait: *Clamat voce magna, ut egregius de morte triumphator ingeminans illud, ero mors tua o mors; morsus, tuus ero inferne:* et subdit aliam ingeniosam rationem in haec verba: *Inclamat quoque mortem ad se accedere non audentem, quia cum Christus esset iustus, et innocens, mors nihil iuris habebat super eum; ideo longissime ab eo distabat, ita ut opus fuerit clamare voce magna, quasi ad rem, quae procul ab eo erat; docetque nos suo exemplo, ut tempore mortis clamemus ad Dominum, ut spiritum nostrum suscipiat. Nam ibi iacitur alea, deque extremo capitis nostri periculo agitur.* Ad haec clamat certe, ut a somno excitet dormientes, ut videant hoc mirabile spectaculum, quo Deus patitur, vita moritur. Clamat quasi attentionem captans, ut attendamus eam mortem, quae mortem nostram destruxit, et vitam instauravit. Clamat tamquam ad surdos, ut lectionem eius audiamus, quam ex cathedra crucis nobis legit. Clamat tandem, ut illa sua terribili voce infernus praedam dimittat, quam per tot retro saecula tenacissime in faucibus suis tenebat. Si enim Dominus in Lazari morte clamavit, quando eius animam ab inferni dentibus extraxit; quanto maiori voce congruum erat clamare, ut infernus valido illo clamore deterritus vinctos, quos in lacu tenebat, liberos abire permitteret? His ita praelibatis, ad verba ipsa, quae clamans Christus protulit, redeamus: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* D. Ambrosius (*in Luc.* 23), et Tertullianus (*cont. Prax.*) aiunt, quod quemadmodum si quis per triduum iter facturus amico suo interim confideret, et custodiendam crederet rem pretiosissimam, et sibi charissimam, quam secum haberet; ita Christus Dominus, cuius resurrectio per triduum differenda erat, interim rem pretiosiorem, quam habebat, sanctissimam scilicet animam suam, Patri commendavit. Commendat autem, non ut damnationem non incurrat, cum beatifica visione frueretur, sed ut adnotarunt sapientissimi quidam recentiores interpretes, ne eam relinqueret in inferno per longum temporis spatium, quo descensura erat, et ne daret Sanctum suum videre corruptionem, ut praedixerat David. D. Antoninus (*de pas. Christ.* c. 5. *tit.*5. § 7) aliam expositionem adhibet in haec verba: *Animam commendo in manus tuae potestatis ad carnem resumendam; in manus tuae misericordiae, et benignitatis ad visitandum animas, quae sunt in poenis tenebrarum.* D. Athanasius (*lib.* 11. *de natur. hum. cont. Apoll.*), et d. Anselmus (*de pas. Dom.*) aiunt, Christum ut caput pro membris suis loqui, et in suo spiritu omnes animas sanguine suo redemptas ac vivificatas, quae omnes unum sunt cum illo, quia *qui adhaeret Domino, unus spiritus est,* Patri suo ardenti erga nos charitate commendasse. D. Gregorius (*lib.* 3. *Mor. cap.* 31) eidem expositioni consentiens ait, nomine spiritus non solum animam suam, sed Ecclesiam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

catholicam intellexisse, quam pro amoris magnitudine spiritum suum, ut inter amantes consuevit, vocitabat. Itaque cum Christus spiritum in manus Patris commendavit, volunt hi Patres nos omnes commendasse: unde exinde speciali, et novo titulo coepit verificari illud Sapientis (*Sap.* 3): *Iustorum animae in manu Dei sunt.* Et iusti, qui antea in sinum Abrahae tradebantur, iam in sinum, et manus Dei traduntur. D. Augustinus (4. *de Trinit. c.* 13) clamare Christum ait, ut ostenderet, non necessitate, sed voluntate sua ductum fuisse ad mortem, iuxta illud (*Ioan.* 10): *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum resumendi eam:* idque fundatur in Graeco codice: nam ubi vulgata nostra legit, *commendo,* utitur ille verbo quodam significante dari aliquid in depositum, quod in voluntate dantis est tradere, et reassumere. Unde simul etiam attestatur certitudinem suae resurrectionis. Nam quod in depositum datur, post exiguum tempus potest reassumi pro voluntate eius, qui depositum dedit.

Verum duo, quae hic excutienda se offerunt dubia, quae ad exactius exponenda proposita verba non parum proderunt, minime silentio praeteribo. Primum est, quid sit, quod cum Christus Dominus certissimus esset, animam eius a Patre protegendam, et recipiendam benevole in manus suas, immo et re ipsa receptam esse, cum clara eius visione frueretur; nihilominus tamen singulari conatu, ut clamore illo valido indicavit, animam in Patris manus commendarit. Huic dubitationi multiplex pro responsione occurrit ratio. Primo, quod consulto id fecit Christus Dominus, ad extirpandos, et damnandos varios errores, quos de veritate animae eius praeviderat futuros. Primo namque iugulavit errorem negantium, animas ad propria corpora posse restitui, in quo errore multi antiqui Philosophi velut talpae caecutierunt: nam iuxta lectionem Graecam, quam nuper allegavimus, utentem loco vocis, *commendo,* verbo, in depositum aliquid dare significante, manifeste hic error evincitur, cum depositum ex natura sua non sit perpetuum, sed deponenti aliquando sit restituendum. Quare cum anima in manus Dei, velut in depositum detur, ille tamquam liberalissimus depositarius, cum foenore cumulatiori depositum sibi creditum restituet. Secundo refellit errorem ponentium animas mortales. Nam cum animam suam in manus Patris commendarit, aperte ostendit animam non perire simul cum corpore, sed a Deo in suo proprio esse conservari, atque adeo immortalem, et incorruptibilem esse. Tertio damnat haeresim, asserentem animas ex semine traduci, vel ex sole, et homine gigni, vel ex praeiacente aliqua materia constitui. Quod quidem si verum esset, animae profecto eo redirent, unde originem sumpserunt. Cum ergo non nisi ad manus Dei redeant, non obscure colligitur, a Deo per creationem ex nihilo emanasse. Unde Iob et David (*Psal.* 118) dixerunt: *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me.* Fecerunt quidem quoad spiritum, plasmaverunt quoad corpus. Quarto confutat Arrianorum haeresim, asserentium Christum caruisse anima rationali, Verbo divino eius vices supplente. Nam cum Christus commendaverit spiritum, qui altera pars erat humani sui compositi, apertissime constat, ipsum anima non caruisse. Nam Verbum divinum, cum sit perfectissimum quoddam totum, rationem partis informantis minime induere poterat. Secunda ratio sit, per illa verba Christum Dominum obtulisse Patri spiritum suum, tamquam in pretium nostrae redemptionis, quod Patri gravissimum fuit, quia in spiritu eius nullius prorsus doli vestigium erat. Ut enim in bono numismate, teste d. Isidoro (*lib.* 16. *etym.*), tria praecipue desiderantur, quod sit ex bono metallo, debitam, et veram habeat figuram, ac iustum quantitatis pondus, ne velut adulterina moneta, aliquo illorum deficiente, reprobetur; non dissimiliter Christus Dominus spiritum suum purissimum Patri obtulit, sine aliqua faece peccati; et qui per unionem hypostaticam impressam habebat substantialem ipsam imaginem Dei, ipsum scilicet Verbum divinum, de quo Apostolus (*Heb.* 1): *Cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius:* et qui tandem erat iusti ponderis, ita ut in statera crucis positus, descenderet ad inferiores partes terrae, ut sic humilis nostra natura humana posita in altera lance staterae, elevata fuerit in coelum usque: unde Ecclesia cantat:

Beata cuius brachiis
Saecli pependit pretium,
Statera facta corporis,
Praedamque tulit Tartari.

Et licet verum sit, quod in cruce obtulerat in pretium redemptionis corpus, et sanguinem suum; ut tamen integerrima esset eius oblatio, et omnibus numeris absolutissima, obtulit etiam Patri animam, dicens: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Certe in veteri lege differebat in hoc sacrificium ab holocausto, quod sacrificii pars una Deo offerebatur, altera sacerdoti remanebat; holocaustum vero totum integrum Deo tradebatur. Obtulerat quidem Dominus Iesus Patri corpus suum, quod pars erat sacratissimi illius compositi humani; sed volebat non tantum offerre sacrificium, sed holocaustum, et ideo simul obtulit ei spiritum, ut sic se totum ac integrum illi traderet, dicens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Tertia ratio sit, commendasse Christum Dominum spiritum suum, ut doceret contra errorem Calvini, quem praeviderat, quod cum dixit Patri: *Ut quid dereliquisti me?* nullo motu diffidentiae adductum ea verba protulisse: nam qui commendat aliquid in manus alterius, non diffidit, sed confidit potius in illo. Quarta, et singularissima ratio, observationeque dignissima sit, quod propterea Christus commendarit animam suam Patri, ut ostenderet invincibilem suam constantiam in confitendo se esse Filium Dei, cum adhuc in ultimo verbo suae vitae, tamquam verus, et naturalis Dei Filius Deum ipsum Patrem vocare non cessaret. Unde cum Christus Dominus mortuus fuerit pro hac veritate Catholicae fidei tuenda, quod ipse esset Filius Dei naturalis, fateri tenemur, ipsum proprie, et in rigore fuisse martyrem; immo et martyrum ducem, et coronam, seu per excellentiam, et antonomasiam, martyrem. Ultima tandem ratio sit, Christum Dominum commendasse Patri spiritum suum, ne quispiam quantumvis iustus, et sanctus, tutum se, ac securum a daemone, qui insidiatus calcaneo vitae hominis, falso sibi blandiretur. Refert enim ex Bedae sententia historia scholastica, satanam super brachium crucis sinistrum extitisse, diligenterque observasse, an in animam e corpore Christi egressuram ius aliquod habere posset. Sed cum nullum maculae vestigium inveniret, Christo Domino dicente (*Ioa.* 14): *Venit Princeps huius mundi, et in me non habet quidquam;* recessit confusus, et desiderio suo omnino defraudatus.



Secundum dubium discutiendum est, quare Christus Dominus non dixerit, commendo animam, sed spiritum, cum antea dixisset (*Ioan.* 10): *Potestatem habeo ponendi animam meam.* Existimo rationem huius petendam esse a discrimine, quod versatur inter spiritum et animam. Anima enim dicitur ab animando: et ideo cum spiritus Christi animabat eius corpus, vocavit illum animam. At cum separatus, et non animae, sed spiritualia tantum exercet officia, vocat illum spiritum. Ut melius tamen hanc diffirentiam animae, et spiritus percipiamus, audiamus d. Hieronymum (*in cap.* 5. *ad Galat. ant. med. tom.* 9) id perdocte, et eleganter explicantem in haec verba: *Aliquod sumamus exemplum: Caro terra, anima aurum, spiritus ignis vocetur: quamdiu aurum fuerit in terra, perdit vocabulum suum, et a terra, cui commixtum est, appellatur. Cum vero separatum ab humo, auri et speciem, et nomen acceperit, aurum quidem dicitur, sed necdum probatum. Si autem per ignem excoctum fuerit, et purgatum, tunc auri splendorem, et ornatus sui accipit dignitatem: ita et anima inter humum, et ignem, hoc est, inter carnem, et spiritum consistens, quando se tradiderit carni, caro dicitur: quando spiritui, spiritus appellatur.* Dixit autem Christus Dominus (*Luc.* 23): *Commendo spiritum meum,* et non spiritum absolute: nam licet anima nobis donata sit, non tam noster est, quam Dei, qui donavit. Unde ipse ait per Ezechielem (*cap.*18): *Omnes animae meae sunt.* At licet Christus animam a Deo acceperat, sua tamen erat, cum ipse Deus esset, et illam creasset; et quia per nullum peccatum daemonis potestati eam subdiderat, sicut nos peccando facimus, nisi postea dono Dei nobis restituatur. Tunc enim cum Stephano vere dicemus (*Act.* 7): *Suscipe spiritum meum.*

Demum observatione dignum arbitror, quod Christus Dominus a Patre incepit primam vocem in cruce, dicens (*Matth.* 27): *Pater dimitte illis:* et ad Patrem etiam convertit ultimam hanc (*Luc.* 23): *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Ecce loquentem filium prodigum, sed sancta, et immaculata prodigalitate prodigum; qui cum omnem suam substantiam usque ad sanguinis profusionem cum peccatricibus animabus expenderat, fame, et siti oppressus de reditu ad Patrem cogitat, et oculos ad caelum levans, beatosque spiritus Patris sui ministros regio cibo ali, et caelesti pane saturari contemplans, merito dicere poterat: *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus? ego autem hic fame, et siti pereo.* Ibo ergo ad Patrem meum; *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et cum etiam Deus sit totius bonitatis principium, et origo, voluit Christus Dominus significare, quod sicut a Deo omnis nostra actio, et operatio incipiat oportet, ad eundem tamquam ad bonitatis perennem fontem terminari debet. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA X.

*De variis figuris, mortem Christi Domini adumbrantibus, necnon de quibusdam eius circumstantiis in illa verba:* Et haec dicens expiravit.

Propheta Habacuc contemplans aeternum Patrem ducentem ad mortem primogenitum suum, ait (*Gen.* 22): *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo suo.* Quibus verbis alludere videtur ad egressum Abrahami cum filio suo Isaac ad immolandum illum in monte Moria, qui secundum sententiam divi Augustini (*serm.* 31. *de temp.*) fuit idem locus, in quo Christus Dominus in ara crucis immolatus fuit. Sicut autem ibi non Isaac, sed aries mortem illius loco passus est, ita Christus non in quantum Deus, sed in quantum homo mortem sustinuit. Fuit enim figuratus per arietem, quem Deus in Exodo sibi immolari praecipiebat (*Exod.* 29): *Et offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino odor suavissimus, victima Domini.* Victima haec sacrificium fuit cruentum, quod Christus in crucis altari Deo Patri obtulit. Unde quia sacrificium illius arietis figura erat huius, et eius odorem praeseferebat, ideo dicit: *Oblatio est Domino odor suavissimus.* Huius etiam sacrificii odorem praesensit Dominus post diluvium, quando Noe placationis sacrificium ei obtulit (*Gen.* 8): *Odoratus est Dominus odorem suavitatis, et ait, nequaquam ultra maledicam terrae propter homines.* Ecce quomodo cum primum Deus percepit fragrantiam, et suavem odorem huius sacrificii, confestim quievit ira eius, et placatus est, foederaque amicitiae, et pacis cum homine statuit. Atque huc faciunt verba illa Levitici (*cap.* 2): *Ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino.* Vocat propriissime sacrificium veteris legis memoriale, quia revera erat recordatio illius divini holocausti, quod Christus in crucis ara oblaturus erat. Verum sicut olim Asaele fratre Ioab ab Abner interfecto, omnes qui transibant per locum, in quo ceciderat, subsistebant, ut Regum narrat historia; Amasa quoque per fraudem a Ioab extincto sanguine consperso in via, omnis populus ad videndum

eum gradum sistebat, ut ibidem narratur; ita in admirabili atque stupenda Christi morte oportet nos parumper sistamus. Et quidem licet permulta huic argumento consentanea (*lib.* 10) dixerimus, de Christi crucifixione agentes, plura mihi dicenda supersunt. In Deuteronomio enim habentur haec verba: *Quando inventum fuerit in terra hominis cadaver occisi, et ignorabitur caedis reus, egredientur maiores natu, et iudices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum; et quam viciniorem ceteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, et ducent eam ad vallem asperam, et caedent in ea cervices vitulae.* Videmus hodie in publico foro montis Calvariae nobilis Galilaei corpus mortuum; nullus tamen est, qui fateatur reum mortis esse, unde ad explorandam veritatem oporteat examinare. Iudaei quidem non fatentur se esse reos: dicebant enim (*Ioan.* 18): *Nobis non licet occidere quemquam.* Gentiles vero, qui satellites, et carnifices erant, excusant se, dicentes, ad eos non spectare mulctandorum causam examinare, sed quod eis praecipitur, iuxta munus suum executioni mandare. Iudas etiam se excusat, pretium, quod pro proditione acceperat a Pontificibus, reddens eis. Pilatus lavit manus suas, dicens (*Matth.* 27): *Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* Ac tandem omnes se excusant, culpam in daemonem reiicientes, iuxta illud Christi Domini (*Luc.* 21): *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Verum licet vanae sint, et futiles omnes istae excusationes, quia innocentia Christi Domini omnibus ita patula erat, ut nulla ratione liceret quidquam detrimenti ei inferre, alia principalior, et quae nullam excusationem patitur, mortis Christi causa extitit, quam scilicet Isaias (*cap.* 53) praedixerat: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Re vera peccata omnia instar armatae cladis in Christum Dominum e cruce pendentem immaniter irruerunt: dux illius crudelissimi exercitus superbia fuit, caput omnium vitiorum (*Luc.* 19): *Nolumus hunc regnare super nos.* Avaritia graviter eum percussit, timens ne si superstes esset, divitiarum iacturam pateretur (*Ioan.* 11): *Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem.* Invidia sacrilegas manus in eum imposuit, aegre ferens honorem, qui a multis Christo deferebatur (*Mat.* 27): *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.* Ira, et indignatio contra eum insurrexit, et indignati sunt sacerdotes populi. Inverecundia mortem eius, a quo tot beneficia populus acceperat, palam postulavit, clamans (*Ioan.* 19): *Tolle, tolle, et crucifige eum.* Calumnia illum circumvenit (*Luc.* 23): *Invenimus hunc subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Caesari.* Testimoniorum falsitas illum persecuta est (*Matth.* 26): *Cum accessissent multi falsi testes.* Iniustitia illum condemnavit, eligens magis Barabbae vitam, quam Christi salvam fieri (*Ioan.* 18): *Non hunc, sed Barabbam.* Mundanus timor ei mortem paravit (*Ioan.* 12): *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris.* Tandem Pilati ambitio, ne a dignitate caderet, et Caesarem offendere videretur, ut Iudaei proclamaverant, crudelissimam necem innocentissimo Dei Agno intulit (*Matth.* 27): *Videns, quod nihil proficeret, tradidit Iesum voluntati eorum.* Huius mortis typum satis expressum gessit regis Iosiae mors, ut legimus de quo sacer textus ait (4. *Reg.* 23), *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, et in tota anima sua iuxta legem Moysis.* Et Ecclesiastica historia tradit, quod mortuus fuit iste rex proximus arbori, et fonti, et quod ex tunc duo illa aruerunt in signum iniustitiae, qua ille occisus fuit. Et ut constat (*ex tertio Esdr. cap. prim.*), mors eius adeo deplorata fuit, ut per centum annos ea consuetudo vigeret, ut multi in unum congregati Hieremiae lamentationes cantarent, quas multi referunt in hunc finem ab eo fuisse compositas. Atque huius lamentationis mentio fit (2. *Paralip. cap.* 25), et apud Zachariam (*c.* 20). Haec omnia quam egregie Christo Domino in cruce mortuo conveniant, facile erit aperire. Si de rege Iosia dicitur (4. *Reg.* 23): *Similis illi non fuit ante eum rex;* de Christo rege ait sponsa (*Cant.* 5): *Electus ex millibus:* et alibi (*Cant.* 2): *Sicut malus inter ligna silvarum, sic amicus meus inter filios.* Si mortuus est rex Iosias, eo quod favorem impertivit amico cuidam regi contra regem Ægypti, qui ingenti militum caterva ad illum expugnandum properabat; Christus Dominus mortem sustinuit non solum ut faveret amicis, sed ut liberaret inimicos (*Rom.* 5): *Qui cum inimici essemus, reconciliati sumus in morte Filii eius.* Si Iosias opposuit se regis Ægypti furori Christus furori iustitiae divinae se obiecit iam iam arcus sui sagittis confodere tentanti genus humanum (*Ps.* 7): *Arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Et quod mirabilius est, nonnullas, quas divina iustitia sagittas emisit, Christus Dominus, quasi scuto protegens nos, in seipsum recepit, ut in persona eius testatur Iob, dicens (*Iob* 6): *Sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Quasi dicat; ita indignatus est contra me, ut ira eius videatur me totum absorbere. Sicut etiam mortuus est Iosias circa arborem; ita Christus mortuus est in arbore crucis. Et ille obiit circa fontem; etiam mortuo Christo fons lateris eius aqua, et sanguine scaturire coepit, Ioanne dicente (*cap.* 19): *Exivit sanguis, et aqua.* Ac tandem si in morte Iosiae communis fuit omnium planctus, familiaeque universae congregabantur, iuxta illud Zachariae (*c.* 12): *Erit planctus magnus in Hierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Maggedon;* ita per universas Ecclesias Christianorum familiae ad lacrymandam Christi mortem pie, et religiose congregantur. Plorent ergo eum reges, quia Princeps regum est (*Apoc.* 19): *Rex regum, et Dominus dominantium.* Plorent sacerdotes, quia moritur summus Sacerdos (*Psal.* 109): *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Plorent duces, quia moritur invictissimus dux: *Ducem et praeceptorem gentium,* ut ait Isaias (*cap.* 55). Plorent divites, et pauperes, quia moritur ditissimus pariter, et pauperrimus omnium (2. *Cor.* 8): *Qui cum dives*



*esset, pro nobis egenus factus est.* Plorent mercatores, quia sapientissimus omnium negotiator mortuus est: sic enim seipsum appellavit: *Simile est regnum caelorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas.* Plorent agricolae, quia perfectissimus omnium agricultor, et seminator mortuus est (*Luc.* 8): *Exiit qui seminat, seminare semen suum.* Ac tandem ut unico verbo multa comprehendam, omnes et singuli plorare debent illum, siquidem pro singulis mortuus fuit, ita ut verba d. Pauli merito quisque sibi usurpare possit (*Gal.* 2): *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Quando amici Iob ad consolandum illum venerunt, qui in sua prima gloria, ac regali maiestate cognoverant omnibus regibus orientalibus ditiorem, ac potentiorem, atque sapientem adeo, ut omnes eo loquente tacerent, digitum ori imponentes; cum postea eum in sterquilinio positum conspexerunt a planta pedis usque ad verticem capitis lepra percussum; liberis, servis, ac re omni familiari orbatum, a propria coniuge despectum, sic attoniti, suspensi, et stupidi permanserunt, ut septem diebus muti, et absque loquela coram eo sederent. Quid faciam ego bone Iesu, si te ex una parte considero in throno regali maiestatis, Deo consubstantialem, divitiis affluentem, summa omnipotentia praeditum, maiestatis splendore coruscantem, in sinu Patris existentem; et nunc alia parte te video in sterquilinio positum, inter calvarias, et ossa damnatorum undequaque exulceratum; pedes clavis in ligno confixos, caput spinis obsitum, ossa omnia dissoluta, scapulas flagellis laceratas, faciem lividam, despectum, ludibrio habitum, derelictum ab omnibus, etiam a Patre; cur hoc stupendum spectaculum non plorabo, et maiori circumdatus stupore, quam illi amici Iob, elinguis, ac mutus absque loquela persistam? non tacente tamen pupilla oculi mei, quae crebro tuam mortem lacrymatur. Itaque ut ad id, unde nonnihil digressus sum, redeam, non solum creaturae rationis participes, sed et mentis etiam expertes, ut sol, luna, lapides, terra, et velum templi, obscuritate, terraemotu, collisione, scissura, doloris indicia, quo poterant modo, exhibuerunt. Pulchre etiam eandem Christi Domini mortem delineatam reperio in morte alterius regis Israel, nomine Achab: hic enim mutato habitu in bello contra Syros, cum in curru suo existeret, percussus sagitta fuit inter pulmonem, et stomachum, et sero mortuus est, et sanguis effluxit in curru suo; et quod inde secutum est, fuit, quod unusquisque in desideratam suam patriam rediret, praecone intonante in universo exercitu (*Phil.* 2): *Unusquisque revertatur in civitatem, et in terram suam.* Certe Christus Dominus *habitu inventus ut homo,* ut ait Paulus, pugnavit in bello contra infestissimos hostes, mortem, mundum, et diabolum: currus eius crux erat, quam trahebant charitas Patris, et obedientia Filii. Percussus quidem fuit non solum inter pulmonem, et stomachum, sed in omnibus sui corporis membris, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis non esset sanitas in eo. Sicut autem rex Achab cum mortuus fuit, stabat; ita Christus Dominus non iacens, sed stans in cruce obiit: et sicut mors illius Regis serotino tempore fuit; ita Christus Dominus, qui iuxta Augustini (*lib.* 4. *de Trin. cap.* 7. *et* 18. *de civ. cap.* 2), Chrysostomi (*ser. de nat. Ioan. Bapt.*), d. Thomae (*sup. cap. Ioan.* 2) sententiam obiit 25. die Martii, cuius optimam congruentiam reddit Iren. (*lib.* 5. *cont. haeret. c.* 23): *Quia decuit Christum eadem die, qua homo creatus est, mori, quia pro illo redimendo, et veluti recreando moriebatur:* tempore etiam serotino mortuus est, Matthaeo dicente, quod iuxta horam nonam exclamavit, dicens: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* et statim subiungit expirasse. Et sicut effectus mortis illius Regis fuit, ut quisque in patriam suam rediret; ita etiam ex Christi morte hoc tantum bonum secutum est, ut homines ad caelestem patriam, unde exules erant, revertantur, prout bonus latro tunc expertus est, qui eo die in Paradisum introivit, iuxta munificam Christi promissionem (*Luc.* 23); *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ac tandem sicut de Rege illo ait sacer textus (3. *Reg.* 12): *Mortuus est Rex, et perlatus est in Samariam, sepelieruntque Regem in Samaria, et laverunt currum eius in piscina Samariae, et linxerunt canes sanguinem eius;* ita Christus Dominus ductus est in custodiam sepulcri, Samaria enim *custodia* interpretatur, et immissus fuit currus crucis cruentae in piscinam sacri baptismatis, quod ex virtute eiusdem crucis, et cruoris eius vim habet ad abluenda, et expianda peccata. Ac tandem sicut tunc canes linxerunt sanguinem currus; ita Gentiles in canibus repraesentati, iuxta verba Christi Domini ad Chananaeam mulierem gentilem (*Matth.* 7): *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus,* piae meditationis lingua Christi vulnera ad fidem iam conversi lingunt, et sacrum eius cruorem, velut infantes lac ad ubera matris, sugunt. Extat et alia insignis mortis Christi figura, quam (*Num.* 19) legimus, de vacca rufa, quam Dominus sibi immolari mandavit: *Praecipe filiis Israel, ut adducant ad se vaccam rufam aetatis integrae, in qua nulla sit macula, nec portaverit iugum,* et subdit: *Tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium.* D. Gregorius (*in comm. Psal. quinquagesimi*) ait, vaccam hanc humanitatis Christi imaginem gessisse: illa enim rufa erat: hac enim ratione Sponsa dicebat (*Cant.* 5): *Dilectus meus candidus, et rubicundus,* et qui eius fuit typus, rufus erat, ut (1. *Reg. c.* 16) legimus. Nisi dicamus rufam esse, quia proprio erat cruore rubricata. Erat etiam sine macula, ut et ipse iudex ingenue fassus est, dicens (*Ioan.* 18): *Ego nullam in eo invenio causam.* Erat item aetatis integrae: nam licet quidam, ut auctor est Irenaeus (*lib.* 2. *cap.* 39), voluerint Christum Dominum prope quinquagesimum annum obiisse, fundati in illo Ioannis 8. *Quinquaginta annos nondum habes.* Alii, ut refert divus Augustinus (*lib.* 2. *de doctr. Chris. cap.* 28), discessisse anno quadragesimo sexto vitae suae, ad responsum Iudaeorum attendentes, *quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc.* Alii cum Valentino haeretico, teste divo Epiphanio

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

(*haeres.* 52), affirmarint mortuum fuisse anno trigesimo: cuius errori subscripsere quidam non pauci graves auctores ex Graecis, et ex Latinis Tertullianus (*advers. Iudaeos cap.* 2). Et licet Philastrius (*de haeresib. cap. centes. sept.*) unum supra triginta annos tribuat vitae Christi: quod etiam sentiunt, qui decimo septimo anno Tiberii Christum tradunt passum, ut Orosius (*lib.* 7. *histor. cap.* 4), necnon qui tantum per annum post baptismum praedicasse Christum arbitrantur, ut olim Gnostici apud Irenaeum (*lib.* 2. *cap. vigesimo octavo*). Ac tandem licet Cyrillus Alexandrinus (*in Isaiam cap.* 20), dum duos praedicationis Christi annos tantum concedat, videatur triginta duos annos dumtaxat Christo tribuere, quem Cassiodorus imitatur (*in sua Chronica*); divus tamen Epiphanius triginta tres annos Christo tribuit, et Beda (*de ratione temp.* 44) ait, *Habet tamen, ni fallor, Ecclesiae fides Dominum in carne paulo plusquam triginta tres annos usque ad suae tempora passionis vixisse*: quod et ante ipsum dixerat Ignatius, relatus a divo Hieronymo (*de scripto. Eccl. cap.* 6). Erat igitur Christus Dominus vacca illa rufa, perfectae, et integrae aetatis, cum ad montem sacrificandus venit. Quod si vacca illa educebatur extra castra, idem prorsus contigit Christo, Apostolo eius dicente (*Heb.* 13): *Extra portam passus est.* Et quia oblatio eius futura erat verum holocaustum, in quo totam animam, et corpus, et quidquid in ipso erat ad immolationem aptum, pro nobis Patri obtulit, et in holocausto ad comburendam hostiam opus erat ligna ferre, ipse velut alter Isaac crucis lignum sustulit humeris suis, *Baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locus.* Et sicut tandem vacca illa igne combusta eius cineribus aqua madefactis immundi purificabantur; ita Christo Domino amoris igne accenso, et in holocaustum pro nobis Patri oblato in cruce, purissimo eius sanguine inquinati peccatores purificantur. His subnectamus diluvii Arcae figuram. Perfecerat Noe Arcam illam, in qua servanda erat generatio iustorum, et ingressa sunt in illam animalia munda, et immunda: et tunc cataractae coeli coeperunt aperiri, et universa terra aqua repleta est. Haec Arca Christum praefigurabat: quia in eo, sicut in illa, ab ira Dei praeservari debemus. Perfectum fuit hoc Arcae opificium, quando perfecta fuit aetas in Christo, ut pro nobis moreretur. Tunc per vehementem eius apprehensionem ingressa sunt in animam eius, tanquam in Arcam Noe, animalia munda, et immunda; iusti scilicet, et peccatores. Ibi non solum regiae aquilae, simplices columbae, turtures castae; sed etiam serpentes callidi, basilisci, viperae, scorpiones, leones, lupi, ursi, et vulpes: boni scilicet, et depravati homines per aves illas, et animalia haec adumbrati, in illam, ut protegerentur, intrarunt; mali quidem ab ira Dei; boni vero ab insidiis Diaboli, qui circuit quaerens quem devoret. Sicut autem super Arcam apertis cataractis caeli, et ruptis fontibus abyssi coepit tempestas irae Dei irruere; ita super Arcam illam corporis Christi, animam eius continentem, divinae iracundiae imber copiose descendit: cum omnia, et singula eius membra variis tormentorum generibus acriter vexarentur. Tanta autem dolorum copia animam Christi inundavit, ut clamaret ad Patrem (*Ps.* 68): *Salvum me fac Deus, quia intraverunt aquae usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Tandem mortem Christi, et mirificos eius fructus Samsonis gesta, et mors adamussim adumbrarunt, ut elegantibus verbis erudite satis prosequitur Hieronymus Lauretus (*in aurea illa sua Silva allegorica*): ait enim: *Samson solet esse typus Christi, et ut occidit leonem, est Christus convertens gentiles: et ut ingressus ad meretricem, Christus est veniens ad gentes. Idem ligatus, et illusus est Christus a Iudaeis illusus; et ut Samson multo plures occidit in morte, quam vivens, manifeste id ostendit excellentiam victoriae Christi in morte habitae de daemonibus, et ceteris hostibus; et ut obsessus in civitate Gazae surrexit media nocte, et tulit portas civitatis, est Christus resurgens ex mortuis; et ut Samson fuit fortis, et infirmus, ita Christus apparuit fortis, et infirmus: vel ipsa Ecclesia, quae est corpus Christi, habet fortes, et infirmos. In Samsone etiam qui leonem tenuit, et occidit, et in ore mortui leonis favum mellis invenit, significatum est, quod in superbis, in quorum ore putor fuerat blasphemiae, esset postmodum dulcedo laudis, et gratiae Dei. Et ut ille Samson sitiens, de molari dente asini, invocato Deo, aquam, ut biberet, hausit: ita et Christus de immundo, et duro gentium populo fide credentium tamquam refrigerii populo saturatus est. Maxilla quoque eiusdem asini, de cuius dente molari aqua copiose effluxerat, occidit mille viros. In maxillis, et dentibus oris eloquium intelligitur. Doctrina igitur eorum, qui ex Gentibus crediderunt, perfecto quodam numero finitur. Samson vero hostes suos, atque adversarios tribus modis interfecit, et occidit; dum alii non credendo fidei, moriuntur peccato. Opus hoc maxillae elevatio appellatur: ita enim doctrina, et praedicatio Evangelii magnificata superat omnem terram, ut eam omnes gentes ubique elevatam mirentur. In illis igitur vulpibus figuratum est, ut per dolosos, et sanae fidei inimicos, quorum principatus in caudis est, pars post tergum relicta, pars circa fructus Christo adversantium vexaretur.* His adde figuram botri ex ligno pendentis, qui speculatoribus ad Israelitas delatus fuit, quam his verbis eleganter edisserit Gregorius Nyssenus (*in vita Moysis*): *Racemus ex ligno dependens quisnam alius erit quam is, qui in novissimis saeculis ex ligno pependit? cuius sanguis potus factus est credentibus salutaris, Moyse id aenigmatice praedicante; sanguinem enim uvae bibebant, quae ex re salutaris passio Christi praenunciatur.* Ad idem D. Augustinus ait: *Dictus est Dominus botrus uvae, quem ligno suspensum de terra promissionis, qui promissi erant a populo Israel, tamquam crucifixum attulerunt.*

Porro iam triplicem mortis Christi circumstantiam observatione dignissimam in medium producamus. Prima est, quod mori voluerit in medio terrae, ut David vaticinatus fuerat: *Operatus est salutem in medio terrae:* de qua circumstantia licet libro decimo, agens de Christi crucifixione, non pauca dixerim, alia hoc loco dicenda supersunt. Fuit quidem Christus Dominus quasi lucerna ardens in candelabro crucis posita; et ideo oportebat illum constitui in medio, ut melius inde omnes eius lucem participarent. Erat etiam Christus Dominus centrum nostrum, extra quod nulla potest esse quies; et ad id ostendendum medium locum terrae elegit. Et forte haec fuit causa, ob quam antiquum valde fuerit Christo, semper medium eligere locum: nam sicut inter divinas personas, quia ipse Filius Patris est, medium tenet locum secundum ordinem originis inter Patrem, et Spiritum sanctum; sic etiam in quantum homo, medium semper elegit locum. In medium uteri virginalis conceptus; inter duo animalia natus, iuxta illud Abac. 2. (*secund. expos.* 70): *In medio duorum animalium cognosceris;* parentes eius illum quaerentes in medio doctorum in templo invenerunt; in transfiguratione inter Moysem, et Eliam se constituit; in morte inter duos latrones crucifigitur; et postquam resurrexit, apparuit discipulis in medio eorum dicens, *Pax vobis.* Elegit autem Dominus toties medium locum, tum propter rationem iam dictam, tum ut ad virtutem capessendam excitaret, quia, ut ait proloquium Philosophorum moralium: *In medio consistit virtus.* Unde Boetius (*lib.* 4. *consol.*) dixit: *Firmis viribus medium occupate, quidquid aut infra subsistit, aut ultra progreditur, habet contemptum felicitatis:* unde dictum est:

....Medium tenuere beati.

Adde quod per hoc monemur tradere cor nostrum Christo Domino ad habitandum in illo, cum cor humanum sit in medio corporis. Unde sicut ipse in principio mundi plantavit lignum vitae in medio paradisi, et apparuit Moysi in flamma ignis de medio rubi; ita desiderat collocari a nobis, et habere sedem in medio nostri, hoc est in corde. Et hinc est, quod loquens Deus de mandatis divinis, ait per Salomonem (*Prov.* 4): *Custodi ea in medio cordis tui.*

Secunda circumstantia est, quod voluerit Christus Dominus mori in aere: quam perpendens d. Athanasius (*lib. de incarn.*) ait: *Dominus venit, ut diabolum praecipitaret, aeremque purificaret, et viam ad coelum nobis muniret:* et paulo post: *Solus ille in aere moritur, qui in cruce vitam finit:* quare non sine ratione eam Dominus sustinuit: ita enim sublimatus aerem purgavit ab omni diabolica, aliorumque daemonum infestatione, dicens (*Luc.* 10): *Videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem.* Eandem rationem his verbis tradit d. Chrysostomus (*hom. de cruc. et latr.*): *Hac de causa in excelso, et non sub tecto immolatur, ut universus aer in excelso immolatae ovis de tetro odore mundetur.* Sanctificaverat Christus Dominus terram, pedibus suis illam calcando; sanctificaverat aquam, Iordanem ingressus, ut aqua eius baptizaretur, sanctificaturus postea ignem, in specie ignis mittens Spiritum sanctum: solum restabat, ut aerem sanctificaret, et ad id asserunt praedicti Patres voluisse in aere mori. Dicamus etiam, mortem in aere elegisse, ut significaret, tum quod sicut aer est medius inter coelum, et terram; sic morte sua ipse mediator fuit inter Deum, et hominem: tum quod sicut aer est omnibus communis, et inter omnia elementa communissimus, adeo ut licet multi dicant, haec est terra mea, hic ignis meus; nullus tamen similem sermonem unquam usurpavit de aere, ut diceret, hic est aer meus; ita Christus Dominus ut significaret mortem, passionemque suam non esse instar aliorum martyrum, qui sibi solis proficiebant, sed omnibus esse communem, et ad omnes extendi: quia, ut ait d. Leo (*serm.* 1. *de nativ.*): *Sicut a reatu nullum liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Atque hinc ad tertiam circumstantiam subiiciendam ansam sumere licet, nimirum quod non in civitate, sed extra portam passus fuerit. Id enim fecit primo, quia locus ille communior erat, et omnibus patens: nulli enim praecluditur aditus ad participandos, si velit, mirificos mortis Christi fructus.

Secundo, ut veritas responderet figurae: nam sicut sacrificium Christi fuit signatum in Abel, ita etiam et modus illius: quemadmodum enim Cain eduxit fratrem, ut eum in campo occideret; ita et Iudaei eduxerunt Christum extra civitatem, ut eum interficerent. Et sicut vitulus, et hircus, quorum sacrificium solemne fuit ad expiationem totius multitudinis, extra castra comburebantur, ut (*Levit. lib.* 16) legimus, et meminit illius divus Paulus, dum loquens de praedictis animalibus (*Heb.* 13) ait: *Horum corpora cremantur extra castra;* ita Christus tamquam victima extra Hierosolymitanam urbem in monte Calvariae oblatus fuit.

Tertio, ut significaret Christus Dominus parum suam mortem profuturam esse illius urbis genti, quamvis non ex defectu eius, sed ex culpa illorum; ideo extra portam mori voluit.

Quarto, quia secundum legem Moysis praecipiebatur, ut blasphemus duceretur extra castra; Christus autem Dominus non diffitens se esse Filium Dei, iudicatus fuit blasphemus: *Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?* et ideo extra portam urbis mortuus est.

Ultimo, ut ait divus Thomas (3. *part. quaest.* 86. *art.* 10. *ad secundum*), passus est Christus extra civitatem, ut nobis exhiberet exemplum exeundi a mundi conversatione, iuxta illud Pauli (*ad Hebr.* 16): *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

## HOMILIA XI.

*Referuntur varia sacramenta scitu dignissima, quae in verbis illis latent:* Inclinato capite tradidit spiritum: *quae permultis tam antiquis, quam novis expositionibus mirifice illustrantur.*

### I. *Expositio.*

Hanc exordiens homiliam beati Laurentii Iustiniani (*de Christ. agon.*) verba mihi usurpabo: *Sacramentum maximum nobis commendatur in eo, quod dicitur: Inclinato capite tradidit spiritum.* Maximum sane, cum in tam brevi oratione pene innumera delitescant mysteria, inter quae non ultimum locum meretur illud, quod nobis aperuit idem beatus Iustinianus. Ait enim, quod cum divus Paulus dixerit (1. *Cor.* 2): *Caput Christi Deus est;* mori Christum Dominum capite inclinato, significat Deum, qui antea propter peccata faciem, et oculos averterat ab homine, iam per mortem Christi integram satisfactionem ei exhibentis, inclinatum esse ad protegendum, parcendum, et favendum homini. Est enim phrasis sacrae Scripturae, ut cum quis ex animo amicum diligit, dicatur in illum inclinari: unde (2. *Machab.* 24) dicitur de Nicanore: *Habebat autem Iudam semper charum ex animo, et erat viro inclinatus.* Beati Iustiniani verba sunt haec: *Caput hoc Dei, dum passionum ludibria, et mortis supplicia pro hominibus pertulit, mediator liquefecit ad misericordiam, flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam.*

### II. *Expositio.*

D. Athanasius (*lib. quart. ad Antioch.*) acute, et ingeniose dixit, quod cum mors sit stipendium peccati, et effectus eius, et Christus Dominus omnis peccati expers esset, non audebat mors illum invadere; ipse tamen nutu inclinationis capitis illam accersivit, ut veniret: verba Athanasii sunt haec: *Impletis omnibus quae pati debuerat, sola mors adhuc restabat, atque haec quidem sibi metuens appropinquare non audebat; ideo Christus eam inclinato capite vocavit: nam antequam caput inclinasset, propius accedere verebatur.*

### III. *Expositio.*

D. Cyrillus (*lib.* 12. *in Ioan.*) ait, Christum Dominum inclinatione illa capitis in partem inferiorem significare voluisse iam tempus instare, de quo d. Petrus, ut spiritibus praedicaret apud inferos, et ut ad consolandos Patres Limbi descenderet. Sicut enim olim Noe emisit columbam, quae ramum olivae in ore gestans diluvii tempestatem finitam esse praenunciavit; ita divinus Noe ex arca corporis sui columbinam animam ad Patres illos emisit, ut passionis suae cruentum diluvium, et eorum e paradiso caelesti exilium iam consummatum esse praenunciaret.

### IV. *Explicatio.*

D. Ambrosius (*sup. Psal. centes. decim.*) ait, Christum inclinasse caput, quia homo post peccatum mansit versus terram inclinatus, ut ad Evam dixit Dominus (*Gen.* 4): *Quare concidit vultus tuus?* Ut ergo homo caput ad caelum elevare possit, et audire illud: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra,* voluit demisso, et inclinato capite mori. Unde Arnobius magister Lactantii Firmiani locum illum: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput,* explicat, quod propter humiliationem (bibere enim ex torrente non fit, nisi per inclinationem et humiliationem capitis) Christi caput, et nostra in illo fuere exaltata. Discamus hinc cum Christo humiliari, et inclinare caput, ne nobis dicatur illud (*Num.* 16): *Multum erigimini, filii Levi.*

### V. *Explicatio.*

D. Augustinus (*lib. de Virgin.*) ait, inclinasse caput ad osculum nobis praebendum: verba d. Augustini ex ardenti divini amoris pharetra deprompta haec sunt: *Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Haec quanta sint, cogitate: hoc in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus est affixus in cruce.* Itaque sicut pater ille filii prodigi, misericordia motus, osculatus est eum: ita Christus Dominus tamquam pater amantissimus ad osculandum nos filios prodigos caput inclinavit, ut secum nos reconciliaret.

### VI. *Explicatio.*

D. Chrysostomus (*homil.* 104) docet, Christum inclinato capite tradidisse spiritum, ut non necessitate, sed voluntate se mori ostenderet: *Quantum voluit, vixit, quando voluit, tradidit spiritum.* Idipsum confirmat d. Athanasius (*ubi sup.*), qui observavit alios morientes primo emittere spiritum, deinde caput inclinare, quia caput exanime gravitate sua naturaliter deorsum fertur. Unde Ovidius hanc inflexionem capitis naturalem esse hoc duplici carmine indicavit:

Sic corpus moriens....
Ipsa sibi est oneri cervix, humerisque recumbit.

In Christo autem e contra accidit: prius enim caput inclinavit, deinde spiritum emisit. Cum ergo libere inclinavit caput, re vera inclinavit, quando voluit; unde mortuus est, non quando inimici voluerunt, sed quando ipse voluit, ut egregie d. Augustinus (*tract.* 120. *in Ioan. in fin. tom.* 9) dixit: *Quis ita dormit, quando voluerit, sicut Iesus mortuus est, quando voluit? Quis ita vestem deponit, quando voluerit,*



*sicut se carne exuit quando voluit? Quis ita cum voluerit, abit, quomodo cum voluit, obiit? Quantum timenda potestas est iudicantis, si apparuit tanta morientis?* Et Ambrosius (*super hunc loc.*) inquit: *Tradidit, et bene tradidit, qui non invitus amisit: denique Matthaeus ait, emisit spiritum: quod enim emittitur, voluntarium est; quod amittitur, necessarium.*

### VII. *Explicatio.*

Daniel Mallonius (*de vulner. later. Christ. c.* 20), inter alias egregias explicationes hanc adhibet: *Inclinato capite: nam supra caput titulum habebat, quo Rex dicebatur. Ut igitur Christus ostenderet, se regnum temporale non ambire, caput avertit, et inclinans illud, forte ut nobis humanos fastus, regiosque honores, et titulos ostenderet fugiendos:* quod et ipse antea exemplo docuerat, cum volentibus turbis illum in regem suum creare, *Ut raperent, et facerent eum regem,* ab oculis eorum effugiens evanuit. Docuerat etiam olim David, qui tametsi rex creatus fuerat, regnum suum in Salomonem transtulit. Et hac tandem nostra tempestate invictissimus Imperator Carolus Quintus innumera regna possidens, filio suo Philippo secundo Hispaniarum regi renunciavit, et vitam solitariam contemplationi vacans elegit.

### VIII. *Explicatio.*

Glissandus (*in Dom. Pal.*) tradit, Christum inclinasse caput, ut ostenderet, quod moriebatur ex obedientia (*Philip.* 2): *Factus obediens usque ad mortem.* In cuius figura videtur mihi praecessisse obedientia Moysis in moriendo. Mortuus enim fuit ex speciali praecepto Domini, dicentis ei, ut constat (*Deuter.* 32): *Morere in monte:* et infra (*cap.* 34) sequitur: *Et mortuus est ibi Moyses in terra Moab, iubente Domino.* Hanc autem obedientiam, quam Christus in morte habuit, gloriosus in caelo conservat, ut testatur d. Paulus, qui loquens de Christo, ait (1. *Cor.* 15): *Omnia subiecta sunt ei sine dubio praeter eum, qui subiecit ei omnia; cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei.* Difficilis sane locus, sed quam perdocte d. Chrysostomus, Theodoretus, et Theophylactus (*sup. cap.* 15. 1. *ad Cor.*) lucidarunt. Aiunt enim, quod cum eo Gentilium dementia pervenisset, ut facinorosos homines, tamquam Deos, colerent, ut homicidam Martem, Iovem adulterum, Adonidem lascivum, et alios similes, quorum memoria recens apud Corinthios extabat; ideo d. Paulus, ne existimarent Christum Dominum esse instar illorum Deorum, qui adversus proprios parentes superbi erant, consulto dixit, omnia esse Christo subiecta, excepto Patre: unde tantum abest, quod ipse non se subiiciat, et obediat Patri, ut quando universa erunt ei plene subiecta, ut in consummatione, et perfectione regni eius fiet in gloria Patris, tunc etiam in summa illa prosperitate cum a coetu omnium beatorum adorabitur, ipse in quantum homo Patri suo se subiiciet, et in omnibus, et per omnia obsecundabit.

### IX. *Expositio.*

Piissimus Lauspergius (*hom. quinquages. sec. de pass.*) ait, inclinasse caput, quia cum omnium peccata portaret, eorum onere gravabatur, ut in persona eius praedixerat regius Vates, inquiens: *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.* Iniquitates suas vocat, non quia ipse eas commiserat, quia impeccabilis erat, sed quia eas delendas susceperat.

### X. *Explicatio.*

His Patrum, et aliorum doctorum expositionibus, alias non brevi sermonis compendio subiungimus. Non potest quidem mysterio vacare, quod alii sancti iam iam moribundi oculos ad caelum levarent: unde d. Lucas de Stephano cum lapidaretur, ait (*Act.* 7): *Intendens in coelum vidit gloriam Dei.* Et de beato Martino Severus Sulpicius (*in vit. s. Mart.*) commemorat, quod morti proximus, oculis, et manibus versus coelum levatis, dicebat: *Sinite me coelum videre, ut et spiritus dirigatur ad Dominum.* E contra vero Christus capite inclinato, et oculis in terram demissis animam exhalat. Rationem huius non incongrue eam existimaverim esse, quod ea inclinatione capitis Christus Dominus significare voluit, se non mori pro redimentis angelis coeli incolis, sed pro hominibus in terra degentibus: non enim fuit angelorum redemptor, sed hominum. Non tamen propterea eorum sententiae assentior, qui dicunt, Christum Dominum non meruisse angelis gratiam, et gloriam. Putant enim esse inintelligibile, quod Christus meruerit aliquibus gratiam, et gloriam essentialem, et quod non sit mortuus pro illis. Sed in hoc nullum prorsus implicationis vestigium reperio, cum Christus Dominus per alios actus meritorios, praeterquam per actum moriendi, potuerit mereri gloriam, et gratiam non solum novem choris angelorum, sed infinitis aliis, cum meritum eius infiniti fuerit valoris. Sed de hoc alibi Deo dante in nostris selectis universae scholasticae theologiae disputationibus late agemus.

### XI. *Explicatio.*

Addamus etiam ad idem, quod sicut mos est quibusdam ostendere viam errantibus aliquando verbis, aliquando signo manus, et quandoque nutu capitis; ita Christus Dominus humilitatis amantissimus, postquam nos verbis monuerat (*Matth.* 18): *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum;* nunc iam iam moribundus humiliati capitis nutu viam caelestis patriae ostendit esse humilitatem, et submissionem, per cervicis inclinationem significatam, quia (*Luc.* 3): *Qui se humiliat, exaltabitur.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### XII. *Explicatio.*

Aliam expositionem adiungamus, pro qua observandum est, quod titulus, qui cruci inerat, quadrupliciter Iudaeos accusabat. Primum, quod interficiebant salvatorem: id enim significabat verbum illud primum, *Iesus*, qui salvator interpretatur. Secundo, quod interimebant hominem sapientia, doctrina, miraculis, et vitae integritate florentem: secundum namque verbum, *Nazarenus*, quod floridum significat, id portendebat. Tertio, quod crucifigebant regem, ut aliud illius tituli verbum, *Rex*, denotabat. Quarto tandem, quod internecioni dabant non quemcunque regem, sed suum proprium, et legitimum, ut ultimum verbum indicabat, *rex Iudaeorum*. Cum ergo omnes istae accusationes essent velut quaedam criminalis querela adversus Iudaeos, Christus Dominus inclinans caput, et a tituli illius scriptura illud separans, significare voluit, se discedere tamquam amantissimum patrem ab ea querela, et criminali causa, quam adversus eos iuste tentare potuisset. Unde paulo ante ad Patrem pro eis oraverat (*Luc.* 23): *Pater dimitte illis*, et illos excusaverat: *Quia nesciunt, quid faciunt.*

### XIII. *Explicatio.*

Dicamus etiam, quod sicut inclinatio capitis solet esse indicium concedentis, et petitioni annuentis; ita Christus Dominus inclinatione capitis significavit, non frustra nobis dixisse: *Petite, et accipietis*, cum omnibus nostris iustis petitionibus inclinatione capitis ostendat se liberaliter acquiescere. Unde quemadmodum Elisaeus clamans ad Eliam elevatum in curru igneo accepit spiritum duplicem eius; ita et nos si cum puro corde accesserimus ad triumphalem sanctae crucis currum, in quo Christus igne charitatis succensus elevatus est, duplicem spiritum accipiemus, fidei videlicet, et dilectionis, quia fides sine operibus mortua est. Vel, quod in idem fere recidit, inclinatione capitis responsum dedit multis interrogationibus, quibus ardentissimus Christi amor nobis amplius innotescat. Dic nobis, o bone Iesu, si propter hominem oporteret de Virgine in summa egestate iterum nasci, tempore rigido, et in loco horrido, et molesto, faceres ne? *Inclinato capite* respondet, quod sic. Si necessarium esset iterum labores infamiae, et iuventutis tuae propter ovium tuarum bonum perpeti, patienterne ferres illos? *Inclinato capite* respondet, quod sic. Si oporteret pro nostra salute iterum comprehendi, falso accusari, flagellari, spinis coronari, grave crucis onus gestare, clavis affigi, lancea latus perforari, omnibus ne istis discriminibus te libenter exponeres? His omnibus *Inclinato capite*, respondet, quod sic.

### XIV. *Explicatio.*

Potest etiam apte dici, quod inclinatio capitis fieri solet ad requiescendum: unde de Iacob in Genesi legitur: *Volens requiescere post solis occubitum, supposuit lapidem capiti suo, et dormivit;* sic Christus Dominus, ut sapienter observavit d. Augustinus (*ser.* 79), longo itinere vitae, et passionis suae fatigatus, quem Iacob defessus praefigurabat, nunc super lapidem sanctae crucis, quem capiti suo supposuit, reclinavit caput, ac dormiens requievit a laboribus, non amplius iam laboraturus. Ut enim d. Ambrosius (*de Isaac et anim. cap.* 8) dixit: *Mors requies est corporis, et animae libertas.*

### XV. *Explicatio.*

Tandem, ut paucis plura comprehendamus, inclinavit caput, et oculos Christus Dominus, ut respiceret Adamum, qui sub eius cruce sepultus iacebat, ut testantur Athanasius (*de pas.*), Ambrosius (*lib.* 5. *cap.* 19), Epiphanius (*libr.* 1. *advers. haeres.*), Chrysostomus (*cap.* 37. *in Matth.*), Origenes (*hom.* 5. *sup. Matth. ad Eph.* 5), et alii, quasi dicens illi: *Surge, qui dormis, et illuminabit te Christus.*

### XVI. *Explicatio.*

Inclinavit caput, ut significaret tantam curam nos ad se vocandi gerere, ut tandem moribundus nutu capitis nos ad se vocet (*Matth.* 11): *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.*

### XVII. *Explicatio.*

Inclinavit caput, quasi exhibens honorem, et reverentiam Patri, cuius nomen invocans nuper nominaverat.

### XVIII. *Expositio.*

Vel quasi, *Vale*, dicens mundo, a quo amplius iam videndus non erat in carne mortali; vel certe, *inclinato capite*, occubuit, ut Lanspergius adnotavit, ut matri iuxta crucem stanti ultimum *Vale* daret.

### XIX. *Expositio.*

Inclinavit caput, quia omnes sui corporis perlustrans partes, et videns latus dextrum non ita acriter vulneratum esse, vulneri locum elegit, et designavit, ut cor eius etiam feriretur.

### XX. *Expositio.*

Vel, ut ait Bernardus (*tract. de pass.*), inclinavit caput, ut observaret, si quem inveniret, qui sanguinis rivos abstergeret, et de cruce depositum munda sindone, non panni, sed cordis obvolveret.

### XXI. *Expositio.*

Vel demum non absque singulari mysterio inclinationem capitis cum emissione spiritus coniunxit.



### XXII. *Expositio.*

Erat quidem humana natura propter Adae peccatum mortua; Christus autem Dominus, qui iuxta Pauli sententiam (2. *Cor.* 15): *Factus est in spiritum vivificantem*, inclinatione capitis conversus ad terram emisit spiritum, ut illam vivificaret: quam olim vivificationem postulabat David cum dicebat (*Psalm.* 103): *Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.*

Illud tamen hoc loco examinandum restat, quod ad exactius proposita verba intelligenda non parum proderit, quare Christus Dominus crucifixus caput in eum modum inclinarit, ut ad occidentem directe respiceret, veluti expresse testantur divus Ioannes Damascenus (*lib.* 4. *de fid. orthod. cap.* 13), qui ait esse traditionem, necnon Sedulius (*lib.* 4. *de oper. pasch.*), Beda (*in Luc. lib.* 9. *cap.* 23), et divus Hieronymus (*cap.* 15. *Marc.*). Unde in memoriam huius sanctus Dionysius Areopagita (*de Eccl. Hier.*) refert, hunc ritum fuisse in Ecclesia, quod baptizatus ita statuebatur, ut respiceret occidentem, manus expanderet, et sic ter daemonem exsufflaret. Ut germanam propositae dubitationis solutionem subiiciam, praemitto, quod quemadmodum, ut refert Svetonius (*in Vesp. cap.* 24), cum Imperator iam morti vicinus esset, praecepit servis suis, ut illum sublevarent, atque dum eorum manibus sublevaretur, dixit: *Imperatorem stantem mori oportere.* Simile quid commemorat Dio Cassius (*in vit. Hadr. Imper.*) accidisse Turboni praefecto praetorii: nam cum ille aegrotaret, et in lecto non quiesceret, Hadriano Imperatori consulenti, ut conquiesceret, respondit, *Praefectum stantem mori oportere.* Non dissimiliter Dominus Iesus summus Imperator in acie contra has potestates decertans, ac Iudex et Praefectus a Deo constitutus, stans mori voluit. Sic enim tum generositas eius, tum et inclinatio capitis magis innotuit, quae tamen in aliis moribundis in lecto iacentibus vix percipitur. Inclinavit autem caput, deorsum illud inflectens in dextrum latus versus pectus ipsum, quod erat lancea aperiendum, ut revelatum fuisse tradit sapientissimus Salmeron (*tom.* 10. *tract.* 46). Unde quemadmodum iam moribundus versus eam partem caput flectit, qua personam sibi magis dilectam cernit; ita Christus Dominus caput deflexit versus Europam fidelem, et in catholica veritate stabilem, quae occidentalem plagam incolit, cuius partes Isaias nominavit Africam, Lydiam, Italiam, et Graeciam: ita enim ait capite ultimo: *Ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam, et Graeciam ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam: et assumam ex eis sacerdotes, et levitas, dicit Dominus, quia sicut coeli novi, et terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus.* Felices insulae, ait Mallonius (*de vuln. later. Christ. cap.* 20), felices regiones, quibus Christus faciem suam ostendere dignatus est: felix Italia, super quam Christus misericordes oculos convertit, placidumque flexit caput. Cum ergo Christum Dominum in cruce pendentem versus occidentem respicere intueor, id fecisse praecipue censeo, ut praesignaret, Sponsam suam dilectam Ecclesiam Romanam ex occidentali parte, ac praecipue ex Europa congregandam magis, quam ex oriente, ubi hodierna die maxime haeresis grassatur. Adeo autem versus Romanam Ecclesiam in occidentali parte existentem respicere Christo placuit, ut non solum in cruce pendens occidentem respiceret, sed etiam in sepulcro iacens caput occidentem versus posuerit, ut ex sacri Sepulcri inspectione observavit Adricomius (*in descript. Hierus.*): et in monte Oliveti caelum ascendens faciem ad occidentalem plagam converterit, ut impressa in monte Oliveti pedum Christi vestigia clare comprobant, et testatur idem Adricomius. Ex quo colligo, quod cum d. Lucas dicat: *Quemadmodum vidistis ascendentem in caelum, ita veniet:* etiam venturus ad iudicandum orbem, faciem suam convertet Christus ad occidentem. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

*Christi Domini mortem mirum in modum gloriosam fuisse ex tribus praecipue colligitur: nimirum quod non coacta, sed voluntaria plusquam omnium martyrum fuerit: quod gloriosam victoriam de hostibus suis tulerit: quod tandem mirificos fructus pepererit.*

Antequam propositum argumentum prosequar, operae pretium duxi prius turpissimum Basilidis errorem confutare, qui, ut testantur Irenaeus (*lib.* 1. *cont. haeres. cap.* 23), et Eusebius (*l.* 4. *hist. cap.* 8), ausus est mendacissime dicere, Simonem Cyrenaeum, qui post Christum tulit crucem, loco eius crucifixum, et mortuum fuisse, quia (*Deuter.* 21) dicitur: *Maledictus a Deo est qui pependit in ligno.* Christus autem cum maledictus non fuerit, sed benedictus potius, iuxta illud, quod Elisabeth ad beatam Virginem dixit (*Luc.* 1): *Benedictus fructus ventris tui*, consequens est in ligno crucis mortuum non fuisse. Verum hanc execrandam haeresim, praeter Evangelistarum clarissima testimonia, et Apostolicum Symbolum, mortem Christi in cruce unanimi consensu attestantia, verba Deuteronomii aperte refellunt: *Erit vita tua pendens ante te:* quae de Christo crucifixo exponunt sanctus Leo Papa (*serm.* 8. *de passio.*), d. Irenaeus (*lib.* 5. *c.* 18), et Tertullianus (*cont. Iud. c.* 11. *et* 12), quibus consonant verba Davidis: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno.* Si autem Christus in crucem actus non fuisset, minime regnasset a ligno. Et quamvis verbum, *a ligno*, non inveniatur in nostra vulgata, immo neque in Hebraeo Originali, Hebraeorum malitia fuisse deletum ab Hebraico codice, testatur divus Iustinus Martyr (*dial. cont. Tryph.*). Unde lectio-

nem illam servant divus Cyprianus (*libro de monte Sinai et Sion*), divus Augustinus, Arnobius, et alii (*super Psal.* 95), et Romana probat Ecclesia, canens:

Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine,
Dicens, in nationibus
Regnavit a ligno Deus.

Nec locus Deuteronomii a Basilide productus alicuius momenti est ad labefactandam hanc catholicam veritatem: nam, ut observavit divus Hieronymus (*ad Galat.* 3), sensus litteralis est, maledictionem illam ferri in eum, qui sua culpa penderet in ligno; Christus autem non sua culpa, sed Hebraeorum malitia pependit in ligno. Additque Hieronymus, se edoctum a quodam Hebraeo, posse illum locum Deuteronomii ita legi: *Non permanebit cadaver eius in ligno, quia contumeliose Deus suspensus est.* Iuxta quam expositionem sensus erit, quod quia Deus suspendendus erat, inde in gratiam illius non deberent corpora manere in ligno, sed sepulturae tradi. Hoc iam confutato errore, ad rem nostram accedentes, in eo valde Christi Domini omnipotentia effulsit, quod tametsi hostes eius turpissima morte eum damnarunt, tanta fuit morientis maiestas, ac praeexcellens virtus, ut totam illam turpitudinem in summam gloriam commutarit. Scio quidem D. Augustinum (*tract.* 64) non probare Origenis (*hom.* 6. *sup. Exod.*) sententiam, asserentis Christum Dominum in morte sua clarificatum fuisse, iuxta illud (*Ioan.* 17): *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Impugnat autem divus Augustinus hac ratione. Nam mors, et passio non ad exaltationem, sed ad humilitatem pertinent; et ideo non est dicendus clarificatus Christus morte sua. At gravissimi alii Patres, praeter Origenem, contra sentiunt. Nam divus Hilarius (3. *de Trinit.*), elucidans illum locum, *Venit hora, clarifica Filium tuum*, ait: *Quae erat haec hora? Iam nunc conspuendus, flagellandus, crucifigendus erat, sed clarificat Pater Filium: Sol de cursu operis defecit, et interitum suum cum eo reliqua mundi elementa senserunt: ad onus Domini in cruce pendentis terra tremuit, et in eum, qui mortuus erat, intra se contestata est non capere: proclamat Centurio, Vere Filius Dei erat iste: praedictioni consentit effectus, Dominus dixerat: Clarifica Filium tuum.* Et divus Ambrosius (*lib.* 4. *Hexameron cap.* 2) versans eadem verba, *Pater clarifica Filium tuum*, ait: *Ut ille occasu suo det vitam aeternam, isti perpetuae mortis urgentur occasu. Quid enim gloriosius excogitari potest, quam quod morte sua vitam aeternam nobis conferat?* Ac tandem divus Bernardus (*serm.* 1. *de septem signaculis*), explicans verba illa: *Si Filius Dei est, descendat de cruce*, ingeniose dixit: *Immo quia Filius Dei est, solium gloriae suae non dimittit.* Atque eorum Patrum doctrinam ex duplici alio sacrae Scripturae loco non parum fulciri posse arbitror: nam ubi nostra vulgata legit, *Cornua in manibus eius*, quae de manibus Christi Domini cruci affixis intelligunt communiter interpretes; alii vertunt: *Splendor in manibus eius*; splendor autem ad claritatem, et gloriam pertinet. Isaias etiam ait (*Isai.* 10): *Ecce Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur.* Alludit sine dubio Propheta ad vasa illa terrea, seu urnas Gedeonis, quae media nocte a militibus confractae latentem lucem emittentes Madianitas hostes in fugam abire compulerunt. Non dissimiliter corpus Christi Domini perforatum in cruce fulgentem adeo splendorem emisit, ut non solum homines stupefactos, sed totam mundi machinam attonitam redderet. Ac tandem nescio qua ratione quispiam inficiari possit, gloriosam Christi fuisse mortem, cum per eam omnium mortem destruxerit, diabolum vicerit, mundi peccatum deleverit, vitam reparaverit, hominem Deo reconciliaverit. Opus sane magnificentissimum, et sola Christi omnipotentia dignum. Sed ut haec manifestius pateant, duo ante omnia, quae Ethnici homines adversus Christianam religionem saepius obiectarunt, et adhuc obiectare non cessant, elucidare oportet. Primo enim aiunt, quod si Christus Dominus, Deus, et homo, unum, et idem suppositum est, moriente illo in humanitate, necesse est et mori secundum divinitatem. Deum autem, quem constat immortalem esse, mori impossibile est. Neanias enim infidelis dicebat: *Si Christus erat Deus, cur haec sustinuit? et si seipsum liberare non potuit, quomodo alios liberabit?* ita refert Simeon Metaphrastes (*in* 5. *praecept.*). Huic Ethnicorum obiectioni acutissimis exemplis ad humanae mentis ruditatem instruendam ingeniose satis respondent Patres. Nam D. Damascenus (*lib. de orth. fide*) ait: *Quemadmodum sole arborem superillucente, si securis incidat arborem, inincisus, et impassibilis perseverat sol: multo magis impassibilis Verbi divinitas secundum hypostasim carni copulata carne patiente impassibilis perseveravit.* Ibidem etiam subiungit aliud satis aptum exemplum: *Quemadmodum*, inquit, *si quis ignito ferro superinfundat aquam, quod quidem natum est pati ab aqua; ignis, dico, extinguitur, incolume vero manet ferrum, non natum enim est ab aqua corrumpi: multo magis carne passa sola impassibilis divinitas passionem non admittit.* Et Eusebius (*lib. de demonstr. Evangel.*) ingeniosa duplici ad idem utitur comparatione, dicens: *Neque item qui patibilis naturae expers erat, aliquid a mortali secundum essentiam patiebatur. Nam nec, verbi gratia, dum lyra pulsatur, aut nervi convelluntur, pati verisimile est eum, qui ita praeludit. Neque dum cuiuspiam viri sapientis corpus torquetur, illius sapientiam caedi, aut puniri merito dicere possumus.* Ac tandem doctissimus Arnobius (*lib.* 1. *con. gentes circ. fi.*) hanc eandem veritatem his elegantissimis verbis illustrat: *Quis est visus in patibulo pendere? quis mortuus est? Homo, quem Deus induerat, et secum ipse portabat. Incredibile dictum est, et caecis obscuritatibus involutum: si velis, non caecum est. Si quo tempore Sibylla praesaga oracula illa depromens fundebat, ut dicitis, Apollinis plena, ab impiis esset caesa, atque interfecta latronibus, numquid Apollo diceretur in ea esse occisus? Si vates Helenus, si Martius, aliique similiter vates ariolantes vita, et luce privati essent, numquid aliquis diceret, lege eos humanitatis extinctos, qui illorum per ora loquentes vias rerum postulantibus explicabant? Mors illa, quam dicitis, assumpti hominis fuit, non gestaminis ipsius, non gestantis.*



Secundum, quod obiectant Ethnici, et Iudaei, est, ut turpem, et ingloriam Christi mortem comprobent, quod Christus Dominus invitus, reluctans, et coactus mortem sustinuerit. Sed vana haec est calumnia. Nam qui mare calcavit, imperavit ventis, praecepit febribus, mortuos verbo excitavit, voce coegit hostes retrorsum abire, et cum voluit, ab eorum oculis facile evanuit; qua ratione dici potest, defuisse illi potentiam, ne Iudaeis traderetur? maxime dicente Ioanne: *Omnia dedit ei Pater in manus.* Deinde ignorant ne Iudaei illud Isaiae (*c.* 53): *Oblatus est, quia ipse voluit?* Nonne legerunt apud regium Vatem, quod reprobanti Deo eorum sacrificia Christus respondit: *Ecce venio?* sed quorsum? ut daret certe iuxta vaticinium Hieremiae percutienti se maxillam, et saturaretur opprobriis. Consulant perfidi Iudaei suum Rabbinum Moysem Gerondensem in illud Genesis: *Super eum, qui introduxit eam in tabernaculum Sarae matris suae*: ubi ait: *Hic est Rex Messias, qui dedit cor suum ad petendum miserationes pro Israel, et ad ieiunandum se, et humiliandum se pro eis.* Verba etiam, quae Christus Dominus ad Petrum, dissuadentem illi mortem, illum acriter reprehendens, locutus est, aperte satis indicant non coacte, sed spontanee mortem sustinuisse: *Vade*, inquit (*Matt.* 16), *post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed quae hominum.* Unde et eidem Petro saevienti in Malchum, dixit iterum (*Ioan.* 18): *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Unde mors Christi Domini adeo in eius potestate fuit, ut ipse solus potuerit dicere (*Ioan.* 10): *Animam meam pono pro ovibus meis.* Nam licet amicus pro amico, et martyres etiam pro ipso Christo vitam exposuerint, revera tamen morituri erant, etiam si pro alio eam non exposuissent. Unde potius dicendi sunt vitam suam diminuisse, seu mortem suam accelerasse; ut Christus non sic: ex unione enim ad Verbum caro illa immortalis futura erat, et ei impassibilitas, et immortalitas debebatur; ipse tamen passibilem, et mortalem se fecit, impediendo, ne eius gloria, quae in anima delitescebat, ad carnem se extenderet. Quare ipse solus est, qui vere posuit vitam pro ovibus suis: ita acute adnotavit cardinalis Toletus. Ex quo aperte efficitur, magis liberam, et voluntariam fuisse mortem Christi, quam reliquorum martyrum: hac enim ratione ipse dixit: *Nemo tollet eam*, id est animam, *a me, sed ego pono eam a meipso.* Quibus verbis patet, se non mori ut ceteros homines, qui necessitate naturae moriuntur, nec in potestate eorum est, ingravescente morbo, aut lethali inflicto vulnere, animam in corpore detinere. Vere martyres elegerunt pro Christo mori, tamen non erat in potestate eorum, ut sufficienti mortis causa posita per vulnerum inflictionem, mors non sequeretur: quod tamen pro libito Christus tamquam dominus vitae, et mortis poterat; idque sibi volunt verba illa: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso.* Ostendit tandem non obscure hanc spontaneam Christi Domini voluntatem in moriendo, quod alacri, et laeto animo mortem subierit: quod enim alacriter suscipitur, non coacte fit. Sponsa quidem, cui animus sponsi innotescebat, diem mortis eius dixit illi fuisse laetum (*Cant.* 3): *In die laetitiae cordis eius.* Unde sicut res, quae iucunditatem affert, solet sui desiderium excitare; ita Christus Dominus ardenter adeo mortem desideravit, ut dilatio eius gravis et molesta sibi videretur; et ideo dixit (*Luc.* 11): *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Baptismus autem erat inundatio sanguinis in cruce effundendi. Atque huc potest accommodari illud (*Deuter.* 33): *Inundationes maris quasi lac suget:* ac si diceret: dolores, et tribulationem mortis quasi dulce lac bibet, sed non solum bibet, sed et suget, quod maiorem aviditatem praesefert. Atque haec sufficiant ad vindicandam mortem Christi Domini ab iniuria, qua Ethnici, et Iudaei illam afficere sunt conati, mentientes involuntariam, et coactam sibi fuisse.

Sed iam videamus, quomodo aliunde etiam gloriosa fuerit mors Christi Domini, ex eo quod mortem ipsam moriendo destruxerit: cuius egregiam figuram apud Danielem lego. Porrigens enim ille buccellam ex pice, et adipe compositam immani cuidam draconi, continuo ille interiit. Non dissimiliter Christus Dominus se ipsum tamquam buccellam ex divino supposito, et humanitate compositam, ferocissimi draconis, id est mortis, ori, deglutiendam obiiciens, mortem ipsam interemit, implens quod per Oseam dixerat (*cap.* 13): *O mors ero mors tua.* Atque in hanc cogitationem videtur incidisse d. Damascenus, dum dixit (*lib.* 3. *de orth. fid. c.* 27): *Intercessit mors, et transglutiens illicientem corporis escam, divinitatis hamo transfixa est, et insons, et vivificum gustans corpus periit, sed et omnes restituit, quos olim deglutiverat.* Ut enim cibus perniciosus in stomachum iniectus causa esse solet corruptionis ipsius stomachi, et aliorum ciborum in eo delitescentium; ita offa illa Christi, quam mors suis faucibus devoravit, in causa fuit, ut et mortuos sanctos restitueret, et ipsa numquam resurrectura interiret. His consonant egregia verba Gregorii Nysseni (*orat. Cat. cap.* 23) dicentis: *Naturae nostrae integumento celata fuit divinitas, instar piscium, cum esca carnis simul attraheretur hamus divinitatis; et sic vita ad mortem introducta, et luce apparente in tenebris luce, et vita, deleretur id quod eis contrarium intelligitur.* Sed non solum mors, sed et diabolus eius auctor per mortem Christi devictus fuit (*Ioan.* 12): *Nune princeps huius mundi eiicietur foras.* Sicut enim Pharao, qui suo crudeli sceptro, et imperio Israelem subiugaverat, virga Moysis portentosa in profundum maris demersus fuit; ita Christus Dominus prodigiosa illa crucis virga communem humani generis hostem, Pharaone crudeliorem in in-

ferni barathrum detrusit, et omnia eius simulacra solo aequavit, ut praedixerat Isaias (c. 55), dicens: *Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus, et erit Dominus nominatus in signum aeternum, quod non auferetur.* Quid, quaeso, est saliunca, vel spina alba? quid et urtica, nisi idola, et idololatrae, qui nihil prorsus erant, quam ruina populorum, atque deceptio? Ascendit in locum illorum abies ligni crucis, atque myrtus odorifera crucifixi, quae in signum aeternum adorationis perpetuae durabit. Unde ad idem observatione dignum arbitror, Christum Dominum mori voluisse die vigesimaquinta martii, qua incarnatus fuerat, occurrente tunc aequinoctio, quando sol est in Arietis signo, ut plene eo notaret incarnatum, et mortuum ad omnia idola evertenda: observavitque noster Angelus, vir doctrina, et vita Angelica insignis, quod de Virgine nascente Domino Sole iustitiae, sol stetit in Capricorno, qui fingitur mutata imagine, superiori parte in hominem, inferiore in piscem, delusisse Typhonem gigantem in Ægypto. Sic namque Deus in Christo inhabitans, portione hominis inferiore apparente miseriis plena, superiore tamen semper beata, diabolum non solum delusit, sed in morte tandem penitus interemit. Plinius (*de nat. his. lib.* 16. *c.* 36) refert, quod in bellis Cimbricis quaedam arbor, nullo cogente, quasi sponte cecidit in aram Iunonis, quae tandem sponte sua postea surrexit, et floruit. Quod prodigium Romani omnes futurae victoriae contra hostes certissimum praesagium censuerunt. David comparat Christum Dominum arbori, quae secus decursus aquarum dabit fructum suum in tempore suo. Haec mystica arbor cecidit sponte sua super aram crucis in monte Calvariae, sed post triduum sponte sua etiam surrexit. Quod sane certius argumentum fuit, quam illud Romanorum, victoriae, quam Christus de infestissimis suis hostibus habiturus erat. Unde sicut id, referente Plutarcho (*in prob. cap.* 19), et Diodoro Siculo (*lib.* 3), moris fuit apud antiquos, in signum victoriae trophaea in altum erigere, trophaeum autem erat nudum lignum, ex quo devictorum hostium arma pendebant; ita plane Christus in signum victoriae, quam de daemone, morte, et mundo reportaverat, lignum crucis nudum Calvariae montis terrae affixit, et ab eo suspendit chirographum decreti nobis adversantis, quod praecipua daemonis arma erant, ut expressis verbis tradidit d. Paulus (*Colos.* 2): *Delens chirographum decreti, quod erat adversarium nobis, affigens illud cruci, et spolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Sed explicemus, quid sibi velit hoc chirographum: non enim una est omnium sententia. Quidam dicunt esse debitum Adae ex transgressione praecepti; alii idololatriae scelus, quo fere orbis totus, etiam Hebraei, se non semel infecerant; alii debitum legis Mosaycae, ad quam se Hebraeus populus adstrinxerat, dicens (*Exod.* 19): *Omnia quae praecepit nobis Dominus, faciemus.* Unde Rabbi Acchana in epistola ad filium Neumiam scripsit, Christi morte chirographum decreti, et obligationem e medio ablatam, cum dixit: *Consummatum est.* Ego autem cum aliis chirographum hoc intelligendum censeo, esse omnium nostrum peccata, quibus nos peccatores, et debitores inferni constituimur. Per hoc enim chirographi genus, quod nobis omnino contrarium est, obligati eramus daemoni tamquam per validam, et authenticam scripturam, qua ei nos, heu miseri, vendidimus. Christus ergo debitum nostrum in se suscipiens, et pro nobis morte sua exsolvens, chirographum illud de medio tulit, ita ut vere poenitentibus nihil umquam nocere possit.

Porro iam ad mirificos alios fructus mortis Christi, quod tertium caput erat, unde gloriosam comprobare polliciti sumus, sermonem convertamus. D. Augustinus (*lib.* 6. *cur Deus homo*), et d. Anselmus (*lib. eiusdem tituli*), necnon sanctus Bernardus (*super illud Missus est Angelus*), contemplantur obortam fuisse controversiam in Dei tribunali inter misericordiam, et iustitiam. Commisso enim Adae peccato genus humanum inficiente, misericordia suadedat, ut mera ex gratia Deus illud remitteret; iustitia urgebat, ut iuste puniret: porro misericordia proferebat Dei nativam bonitatem, propitiationem, ac lenitatem, et quod esset pater misericordiarum, et Deus totius consolationis: in oppositum obiiciebat divina iustitia, iura eius violanda non esse: ius autem iustitiae postulat, ut debitum exsolvatur; at divina misericordia Prophetarum oracula adiiciebat, divinam clementiam saepissime decantantia (*Ioel.* 2): *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, et misericors est, patiens, et multae misericordiae:* et alibi (*Ezech.* 17): *Numquid voluntatis meae est mors impii, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* Iustitia tamen e contra testimonia alia ultionem Dei commendantia allegabat (*Psal.* 93): *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit:* et iterum (*Exod.* 10): *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios.* Misericordia deinde instabat, quod si Deus non parceret, totius mundi regnum delere opus esset (*Psal.* 13): *Quia omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Ex adverso tandem iustitia obiiciebat, quod si Deus gratis parceret, nullum verum ei esset regnum, quia ubi non est iustitia, quae regni fundamentum est, neque aedificium eius altius consurgere potest. Variis his rationibus, fortissimisque argumentis utrinque adductis divina Sapientia sententiam protulit, ut misericordia esset iusta, et iustitia misericors. Moriatur Christus innocens pro peccatis, et mortis poenam pendat, quod est iustitiae mirabile opus, et omnes morte eius vivant, quod est misericordiae: sic enim implebitur, quod praedixerat Propheta regius (*Psal.* 84): *Misericordia, et veritas obviaverunt sibi, iustitia, et pax osculatae sunt.* Sed expendamus, quaeso, paulo altius hoc misericordiae genus: id enim inaestimabiles fructus mortis Christi nobis aperiet. Quod ut melius factitemus, liceat mihi quaerere, quomodo cum divina iustitia recte consentiat, ut Filius Dei innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et omnis culpae expers moriatur, ut impii,



et peccatores, et pene infinitis culpis onusti ad mortem non damnentur. Videntur sane hic omnia iustitiae iura violari, quae innocentem salvandum, nocentem vero damnandum praecipiunt. Hanc difficultatem praesentiens insignis ille Thomas Archiepiscopus Valentinus (*serm.* 3. *de Nativ.*) in haec verba prorupit: *Excessisti Domine, excessisti omnes iustitiae metas, et dum minimum videri vis iustus, plus iusto factus es iustus; immo si dicere auderem, prae nimia iustitia, nisi quia Deus es, dicerem utique, quia appares iniustus.* At huic difficultati plene satisfaciunt verba Ecclesiastici, vocantis Christum fideiussorem: *Gratiam fideiussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Narrat princeps eloquentiae (*libro tertio Officiorum*), Damonem, et Pythiam Philosophos Pythagoricos tanto amicitiae amore inter se devinctos fuisse, ut cum alter in carcerem a Dionysio Syracusano detrusus fuisset, propter vehementem cuiusdam proditionis suspicionem, alter fideiussoriam cautionem pro amico regi tribuens, ut liberum abire permitteret in patriam suam ad negotia magni momenti, quae valde urgebant, peragenda, clausuram carceris elegit, hoc inito pacto, ut si amicus non rediret, ipse delicti poenam pro eo soluturus esset. Sane si ille non reverteretur, fideiussori eius poenam delinquentis rex inferens, iustitiae iura minime diceretur violasse: hoc enim est onus fideiussoris, ut poenam rei sustineat. Cum ergo Christus Dominus non coacte, sed libere fideiussor noster fuerit, etiam si alioquin omnis culpae expers sit, iuste Deus poenam mortis ei intulit. Atque hic maxime divinae sapientiae ordo effulget, volens hominem de toto rigore iustitiae liberari, ut sic cum maiori suo honore, a daemonis, et peccati captivitate liber prodiret. In rebus humanis cum rex absoluta potestate reum absolvit, non id in tantum illius honorem cedit, quantum, si iure iustitiae illi suffragante absque ulla regis liberali condonatione a delicto imposito absolveretur: tunc enim, cum ordine iuris servato capita delictorum obiiciuntur, et ipse ab illis iuridice se purgat, et sic absolutionem obtinet, id innocentiam eius valde commendat, ac proinde maiori cum honore liber evadit. Poterat quidem Deus, non inficiamur, potestate sua absoluta utens, cuncta debita, et universa hominis delicta liberaliter dimittere; tamen non remansisset causa eius iustitiae splendore cohonestata, nec homo tantum sibi comparasset honorem, cum satis non fuisset per se, vel per alium ad unguem omnia sua debita persolvere, nec dignam pro delictis satisfactionem exhibere. Honorificentius igitur fuit homini, ut Christus Dominus, ordine, ac rigore iuris servato, plenissime pro eo persolvens, a debitis suis illum liberaret, ut praedixerat Isaias (*cap.* 1): *Sion in iustitia redimetur.* Fertur de Alexandro Magno, quod cum audiret milites sui exercitus aere alieno oppressos esse, publico edicto evulgari fecit, ut quotquot essent creditores debiti, chirographo ostenso, de proprio eius aerario solutionem acciperent. Verum tam creditores, quam debitores parum credentes illi pollicitationi regis, nullus pro solutione pecuniam expostulavit. Quod Alexander animadvertens, in publico praecepit foro ante fores palatii mensas parari, quibus decem millia talentorum posita fuere; tuncque confestim omnes certatim adierunt, ut regali liberalitate fruerentur. Non secus Christus Dominus, postquam dixerat illa verba (*Ioan.* 14): *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* quibus omnes, ut pretium ad debita sua persolvenda acciperent, invitavit; homines summam Christi liberalitatem non bene agnoscentes, promissa ab eo petere renuebant: unde ipse dixit (*Ioan.* 16): *Usque modo non petitis quidquam: petite, et accipietis.* Idcirco Christus Dominus id animadvertens, magnificentius, quam olim Alexander, in publico montis Calvariae emporio parat crucis mensam, pretium infiniti valoris, hoc est sanguinem suum in ea effundens, ut unusquisque inde quod opus sibi fuerit, ad plenam debiti sui solutionem accipiat. Nec timendum est, quantumcumque innumeri accedant, pretium illud esse exhauriendum: nam ut dixit divus Ambrosius (*in praef. psal.* 35): *Bonum aurum sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad lavandum omne peccatum:* quibus consonat quod divus Augustinus inquit (*lib. cur Deus hom. c.* 9): *Quid iustius, quam cui datur pretium maius omni debito, ut peccatum dimittat illi, qui pro debito offert hoc pretium?* Sed clarius adhuc his patribus summus Pontifex Clemens Sextus in extravaganti, unigenitus (*de poen. et rem.*) infinitum valorem huius pretii edixit in haec verba: *Christus suis meritis, et satisfactionibus infinitum thesaurum acquisivit hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti.* Atque hinc est, quod maxime observandum existimo, quod cum pretium exhibitum a Christo Domino fuerit infiniti valoris, et valor ille infinitus, quem eius sanguis, mors, et opera a Verbo divino illa eliciente mutuabant, nulli esset debitus, vere ipse ex aliis indebitis Deo Patri persolvit, atque adeo de toto rigore iustitiae. De quo late Deo, auspice, in selectis disputationibus totius scholasticae theologiae. Quidquid tamen sit de hoc, id certissimum est, nullibi umquam tantum effulsisse divinam iustitiam, quantum in acerba Christi morte: hac enim ratione Apostolus (*Rom.* 3) dixit: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae.* Si enim iustitiae est, unicuique quod suum est tribuere; nullibi sane magis, quam in cruce iustitia se ostentavit: pendens enim in cruce Christus honorem indebite a Deo ablatum ei restituit; vacuas angelorum sedes restauravit; humani generis debita persolvit; daemoni tyrannicum, quod usurpaverat, abstulit dominium; a faucibus inferni sanctorum praedam extraxit; morti vires infirmavit; matri debitum honorem exhibens Ioanni commendavit; latroni poenitenti Paradisum tribuit, quem operibus charitate informatis promeruerat. Haec quis non videat ad iustitiam pertinere partim commutativam, partim distributivam, partim vindicativam? Merito ergo Paulus dixit, in sanguine Christi in cruce fuso valde divinam iustitiam ostentari. Pulchre etiam sapiens dixit



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

(*Sap.* 14): *Benedictum lignum, per quod fit iustitia.* His addamus alium mirificum fructum passionis Christi, cuius meminit divus Paulus, qui loquens de Christo (*Colos.*1) ait: *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in caelis, sive quae in terris sunt.* Pacem humanam, et quae non exuperat omnem sensum, tanti habuere antiqui, ut Cicero (*primo officiorum*) dixerit, bello vigente nihil charum, et iucundum existere. Unde Euripides (*in Cresp.*):

O pax opulenta, et beatos inter pulcherrima divos,
Desiderium me tui habet! O quam tarda moraris!
Atqui metuo ne prius laboriosa vincar senecta,
Quam iucundum tui tempus inspexero,
Cantusque pulchricolores, conviviaque coronis gaudentia.
Huc ades o veneranda, hanc ad urbem, aedibus
inimicam expelle seditionem,
Insanamque litem, ferro quae gaudet acuto.

Haec Euripides, quibus consonant alia Philemonis in Pyrrho:

Nunc bona quae sunt pacis, inveni o Iupiter clarissime,
Amabilis illius, et benignissimae divae
Nuptias, festa, cognatos, liberos, amicos,
Divitias, sanitatem, amorem, vinum, voluptatem,
Pax confert: quod si omnia haec defecerint,
Periit omnis communiter viventium vita.

At pax, de qua d. Paulus, sublimior, et excellentior est ista: non enim caduca, et terrena, sed spiritualis, ac divina: quam ut melius percipiamus, triplicem intelligentiam, quam Paulina verba sustinent, subiiciemus. Prima sit, quod dicens pacificasse Christum per sanguinem crucis, *sive quae in coelis, sive quae in terris sunt*, sensus sit, reconciliasse hominem in terra degentem cum Deo in caelis existente. Hanc enim reconciliationem numquam antiqua sacrificia a Deo obtinere potuerant. Sicut enim, ut legimus (*capite primo Ionae*), turbulento mari quantumcumque omnia, quae in navi secum habebant, in mare proiecissent, numquam mare ad pristinam suam rediit tranquillitatem, quousque prophetam Ionam in mare detruserunt: tunc enim ait sacer textus: *Quievit mare a fervore suo*, quia, ut acute notavit d. Hieronymus: *Invenerat quem quaerebat;* ita sane nunquam Deo oblatis sacrificiis et holocaustis furoris sui mare effervens placatum fuit generi humano, quousque Christus Dominus cruentum corporis sui sacrificium in ara crucis ei obtulit. In cuius figura sacra Geneseos narrat historia, quod cum primum Noe erexit altare Domino, et in eo victimam mactavit, continuo dixit Deus: *Nequaquam ultra maledicam terrae propter hominem, nec ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci.* Extat etiam ad idem insignis locus (2.*Reg.*24), ubi sacer textus narrat, quod cum angelus percutiens magnam stragem faceret, continuit gladium suum iuxta aream Areuna: ubi observat Nicolaus de Lyra, hanc aream Areuna esse eundem locum, in quo Abraham immolavit filium suum Isaac. Constat autem iuxta sententiam divi Augustini (*serm.* 71. *de temp. in eod. loc.*), in quo Abraham obtulit sacrificium, Christum immolatum fuisse, in ara crucis. Continere ergo angelum gladium cum accessit ad illum sacrum locum, aperte praenunciabat divinam iram fore placandam, cum Christus ibi immolaretur.

Secunda expositio illorum verborum sit iuxta mentem divi Hieronymi (*sup. ep. ad Coloss.* 1), ut Paulus velit docere, per sanguinem Christi factam esse reconciliationem inter homines et angelos, qui propter peccatum maxime illis erant adversarii. Subscribit huic expositioni Theodoretus, dicens: *Nobis enim adversabantur etiam populi angelorum, propter summam improbitatem.* Consentit etiam d. Chrysostomus (*ibid. orat.* 3), inquiens: *Vis scire quantum angelorum esset in nobis odium, et quomodo nobis semper adversarentur? mittuntur ad supplicium adversus Israelitas, adversus David, adversus Sodomitas, adversus vallem luctus, sed non nunc, sed contra in terra canebant valde laetantes.* Unde d. Anselmus (*in comment. eiusdem loci*): *Qua hora*, inquit, *sanguis redemptionis exivit de latere Domini in cruce pendentis, dimissum est peccatum Adae humano generi, et pacificata sunt caelestia, et terrestria, quia tunc patuit hominibus introitus ad regnum caelorum.* Revera olim nullus erat tanta sanctitate conspicuus, ut ad angelorum consortium eveheretur, sed omnes ad inferiores terrae partes descendebant; morte autem Christi pax tanta inter homines et angelos orta est, ut nunc animae iustorum, cum de corporibus egrediuntur, manibus angelorum in purgatorium, vel in caelum asportentur.

Tertia expositio mihi valde grata, et Christo Domino mirum in modum honorifica, sit, quod dum Paulus ait (*Coloss.*1): *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in caelis, sive quae in terris sunt*, significare contendat sanguinem Christi non profuisse solum hominibus, sed et angelis: illis quidem a peccati miseria eos sublevando; istis vero ab ea, in quam prolabi potuissent, praeservando. Scio non paucos scholasticos Theologos huic sententiae refragari, sed nos maiorem fidem adhibendam censemus sanctorum patrum testimoniis, hanc sententiam docentium. Hieronymus enim (*super illud Veniens evangelizavit pacem*), ait: *Crux Domini non solum terrae, sed et caelo profuit, non solum hominibus, sed angelis; et omnis creatura Domini sui cruore purgata est.* Omnis creatura, ait, id est humana, et angelica. Cum autem inquit purgatam esse, non praesupponit in angelis fuisse peccatum, a quo purgarentur, sed praeservationem a peccato, in quod prolaberentur, dum fuerunt in via, nisi per sanguinem Christi praevisum munirentur. Divus Bernardus (*super Cant.*) locum illum Apocalypsis, *Vicerunt propter sanguinem Agni*, expresse refert ad angelos, qui Christi merito insimulantem diabolum debellarunt, seque Deo obedientes, Christi servituti mancipaverunt. Consentit etiam Origenes (*super illud Levitici*): *Fundentes sanguinem per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi testimonii*, ubi ait: *Sanguis Iesu non solum effusus est in Hierusalem, ubi erat altare, sed etiam super altare illud, quod est in caelis, ubi est Ecclesia primitivorum.* Ad quod probandum adducit allegatum locum divi Pauli (*Coloss.* 1): *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terra sunt, sive quae in caelis.* Et quidem testimonium hoc ad hanc nostram sententiam adstruendam mirum in modum urget, si praemissa verba perpendantur: *Quoniam*, inquit, *in ipso condita sunt universa in caelis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominatus, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* Quibus verbis aperte docet Apostolus, prius praevisum fuisse Christum Dominum, quam angelos, et consequenter quidquid boni habent, ab illo, et per illum obtinuisse. Suffragatur tandem eidem manifestissima ratio, quae unius generis singula, tam in ordine naturae, quam in ordine gratiae, ad unum primum reducit. Ergo si angeli meruerunt supernaturalem beatitudinem, vel merito suo, vel Christi. Si primum concedas; iam non omne meritum ad unum reducetur, sed ad plura non subordinata, ad meritum scilicet angelorum, et ad meritum Christi. Necesse igitur erit admittere secundum membrum, ut in genere meriti unum sit primum principium, ad quod singula omnium merita reducantur.

Hos, et alios mortis Christi fructus egregie in unum collegit insignis ille noster Angelus (*in expositione Symboli*), cuius verba licet non pauca, quia tamen varia eruditione, et pietate plena, hic apponere non pigebit: sic enim ait: *Quis ergo isthaec pensitans, non applicabit Christo? Quasi cedrus exaltata sum in libano, quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Hierico, quasi oliva speciosa in campis, quasi platanus exaltata sum iuxta aquas. Dum enim aquae passionis inundant animam eius, extendit ipse ramos suae potentiae per orbis gyrum: dum in campis, et conspectu omnium percutitur, et blasphematur, pulchrescit prae olei, et gratiarum liquore. Dum in Hierico horto ut latro quaeritur, et vincitur, se benignum, et beneficum inimicis reddit, et osculandum affert, et tractandum. Dum in tetro monte Calvariae suffigitur cruci, tametsi ut palma inferius appareret despectus, et destitutus solatio, at desuper germinabat, continuo ut palma suaves proferens dactylos. Et qui ut cypressus mortuus absque spe reputatur, in monte Sion ferventiores tunc mittit odores, ut quis sit agnoscatur. Nec Libanus umbrosus, aut densissimae tenebrae, quae a sexta hora ad nonam usque durarunt, Christum cedrum optimam impedire potuerunt, quin virtutem suam ad infernum usque dilataret, et summitas eius usque ad angelos pertingeret, operiret viventes umbra eius, et fructus mortuos delectaret. Propterea infert: In plateis docens, scilicet sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi. At in monte exaltatus in cruce, ait: Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Myrtus enim vera Christus, quando amaro flagello incisus, et duro clavo perfossus, spinaque pungenti dilaniatus, tam electos liquores emisit, et supra modum fragrantes, ut adhuc in perpetuum sit caelesti Patri in odorem suavitatis, nobis autem unguenta pretiosissima contra quoscumque morbos praestet. Denique sancti ea passim tradunt a cruce edita et praestita, ut merito iudicetur excors, quisquis, illis consideratis, crucem vel ab aliis colendam negat, vel ipse colere detrectat.* His accedant Chrysostomi, Athanasii, et Damasceni praeclara testimonia. *Crux*, inquit sanctus Chrysostomus (*de vener. cruce*), *noxia mortiferaque venena extinguit, morbos profligat, cicutae vim elidit, daemones fugat, belluarum venenatarum morsus curat, tenebras pellit, fines orbis terrae illuminat, inferorum portas aperuit, coelorum orbes laxavit, paradisi aditum renovavit, terram coelum fecit, homines fecit angelos, mortem delevit, caelos aperuit, terram expiavit, naturam nostram in solium regium deduxit, tyrannidem diaboli dissolvit, morbos profligat, obscuras tenebras pellit, omnes terrae fines illuminat. Crux*, inquit sanctus Athanasius (*in q. ad Antioc. q.* 158), *de morte triumphavit, diabolum sustulit, innumera bona per crucem contigere. Cruce conculcata est mors, et in exilium relegata maledictio, infernus cessit in praedam, peccatum est abolitum, transgressio sublata, natura hominum ab affectuum servitute liberata, diabolus est ligatus, plantata est salus, resurrectio est patefacta, malitia est abacta, vita est orta, et idololatria dissoluta. Cruce*, ait Damascenus (*lib.*4.*c.*12), *peccatum deletum est, primi parentis peccatum extinctum, infernus spoliatus, resurrectio donata, vis contemnendarum rerum praesentium, atque ipsius quoque mortis concessa, reditus ad veterem beatitudinem comparatus est, paradisi portae patefactae sunt, natura nostra ad Dei dexteram considet, filii denique Dei, et haeredes facti sumus;* haec ille. Ex quibus omnibus clare liquet, quam splendida ac gloriosa fuerit Christi Domini mors; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA XIII.

*De prodigiis omnibus ab Evangelistis commemoratis, quae partim ante, partim post mortem Christi in die obitus eius acciderunt, in illa verba* (Matth.27): Tenebrae factae sunt in universa terra: *et illa alia* (Marc. 15): Ecce velum templi scissum est, terra mota est, petrae scissae sunt, et multa corpora Santorum quae dormierant surrexerunt.

Divus Ioannes Chrysostomus, aureum eloquentiae flumen (*hom.* 89. *in Matth. in init. tom.*2), acute observavit in die mortis Christi facta de caelo signa, ac prodigia, quae increduli Iudaei a Christo petebant, sed non in gaudium certe, sed ad execrabile eorum facinus detestandum, ut adnotavit divus Bernardus (*ser. in feria* 4. *hebdom. poenosa ante medium*): loquens enim de

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gravitate peccatorum, ait: *Gravissimum autem est, singulare quod commissum est in divinam maiestatem, cum viri impii sacrilegas manus iniecerint in Dominum ipsum Dei Filium, crudelissimi homicidae immo, si fas est, Deicidae. Ad hoc expavit tota machina mundialis.* Sed non solum expavit, sed indignata est adeo, ut sol, quasi aegre ferens tam horrendum spectaculum, sustulerit illi radios lucis, quia splendidissimum Solem iustitiae, et lucis auctorem obfuscare, et contumeliis, ac iniuriis obscurare contendebat. De hac solis defectione, quia mortem Christi antecessit, primo loco nobis disserendum est. Illam vaticinatus fuit in primis Ezechiel (*c.32*): *Solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum: omnia luminaria caeli moerere faciam super te, et dabo tenebras super terram tuam, dixit Dominus Deus.* Praevidit etiam eandem Ioel, iuxta expositionem divi Hieronymi: nam explicans verba illa huius Prophetae: *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem*, sic ait: *Sol quoque est versus in tenebras, quando pendentem Dominum suum videre non ausus est: et luna in sanguinem, quod aut iuxta historiam factum esse credamus, aut certe quomodo sol versus in tenebras est; non quod ipse sit mutatus in tenebras, sed tenebras mundo induxerit: sic et luna non est versa in sanguinem; sed Iudaeos blasphemiarum, et negationis in Christum horrore coopertos aeterni testimonii sui sanguine condemnavit, dicentes: Sanguis eius super nos, et filios nostros.* Eandem solis eclipsim praedixerat Amos: *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis, et convertam festivitates vestras in luctum.* Similia verba habet Hieremias (*cap. 15*): *Occidit sol, cum adhuc esset dies, confusa est, et erubuit.* Ita certe accidit in morte Christi, siquidem a sexta hora, quae meridies est, tenebrae factae fuerunt, ut testantur sacri Evangelistae. Sibyllae tandem idem prophetarunt: (*libro enim primo Oraculorum*) dicitur:

cuius causa tribus horis
Nox tenebrosa die medio, monstrosaque fiet.

Tunc sane videtur mihi Christus Dominus implevisse figuram illam Moysis, quando obtenebravit terram Aegypti: *Extendit*, ait sacer textus, *Moyses manum in caelum, et factae sunt tenebrae horribiles in universa terra Aegypti; tribus diebus nemo vidit fratrem suum.* Ita Christus Dominus expansis brachiis, et manibus in cruce, per tres horas, praesignatas per illos tres dies, obtenebrescere fecit terram. Sicut autem illae tenebrae non fuerunt naturales, sed miraculosae, ita etiam et istae. Cuius triplicem causam indicat Georgius Paraphrastes Graecus divi Dionysii. Prima ex tempore lunae, quo ipsa soli opponitur, cum tamen eclipsis fiat ex coniunctione lunae ad solem. Secunda, quoniam obscuratio semper ab occidentali parte provenit: atqui tunc luna ab oriente venit usque ad corpus solis, et tum retrocessit. Tertia, quia ab eadem parte incipit obscuritas, et redit illuminatio; quod tamen tunc minime observatum est. Prius tamen illo easdem rationes tradidere divus Hieronymus, Euthymius, et Theophylactus, et ante omnes illos d. Dionysius Areopagita peritissimus astrologus. Quia tamen supernaturalis illa lucis defectio variis modis a patribus explicatur, oportet omnes illos breviter in medium producere. Divus Hieronymus (*ubi supra*) docet, fuisse per hoc, quod sol ex divina virtute retraxit radios suos; Origenes vero (*tract. trigesimoquinto in Matth. tom.2*) putat, obscuritatem illam causatam fuisse ex densissimis nubibus in aere miraculose productis: ac tandem divus Dionysius ubi supra ait, obscuritatem illam ortam ex interpositione lunae, quae alioquin naturaliter tunc esse non poterat, quia fuit in plenilunio. Consentit eidem sententiae Phelegon (*lib. 14. Olympiadarum*), egregius supputator. An autem tenebrae illae solam Iudaeam, an universam orbem occupaverint, licet Origenes (*tract. decimoquarto in Matthaeum*) arbitretur ad solam Iudaeam protensas fuisse, communiter ss. Patres universales fuisse, autumant, ut divus Ambrosius (*lib. 10. in Luc. t.5*), et alii interpretes (*sup. Matth.*); potestque sententia tripliciter corroborari. Primo ex verbis Matthaei (27), Marci (15), et Lucae (23), expresse asserentium: *Tenebrae factae sunt super universam terram*; restringere autem illa ad universam terram Iudaeae, rationi non congruit. Nam si portentum illud Iosue: *Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon*, non tantum uni parti mundi, sed universae terrae manifestatum fuit: et si retrocessio solis per decem lineas in horologio Achaz tempore Ezechiae non tantum Iudaeis innotuit, sed exteris gentibus exploratissima fuit, ut constat ex legatione Chaldaeorum ad Ezechiam, ut de portento illo solis certi redderentur; nulla sane, nec apparenti ratione potest tenebrarum illud prodigium ad Iudaeam coarctari. Secundo quia multi Gentiles, qui a Iudaea longissime aberant, tenebras illas tamquam rem portentosam, et contra universum ordinem naturae valde observarunt. Dionysius enim Areopagita (*in epist. ad Policarpum*) disputans contra Apollophanem, haec verba habet: *Quid de illo, qui tempore crucis Dominicae factus est solis defectu, dicturus es? eramus tunc ambo apud Eliopolim, amboque simul incidentem mirabiliter soli lunae globum notamus, non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus, ipsamque rursus ab hora nona ad vesperum, ad solis diametrum supra naturae vires restitutam.* Et in epistola ad Apollophanem philosophum, revocans illi in memoriam prodigiosam illam eclipsim, quam ambo attentissime contemplati fuerunt, inquit: *Divino quodam afflatu, et non humani sensus sermone subintulisti: Hae, o bone Dionysi, divinarum vicissitudines sunt rerum.* Et Suidas refert ipsum Dionysium tum dixisse; *aut Deus patitur, aut patienti compatitur*: quod utrumque impletum erat: nam et Deus erat, qui in humanitate, quam suppositabat, patiebatur, et eidem compatiebatur, et compassionis indicia per omnes creaturas proferebat. Multi etiam ferunt propter huiusmodi tenebras apud Athenienses aram illam ignoto Deo inscriptam



fuisse, cuius meminit d. Paulus, ut refert s. Lucas. Tertio tandem, quia cum ad glorificationem Christi Domini pendentis in cruce factae fuerint illae tenebrae, et ad id magis conferret universales esse, ut omnibus innotescerent, non est cur ad Iudaeam illas restringamus. Quare autem voluerit Deus mortem Christi Domini hoc tanto portento cohonestare, permultae et pulchrae occurrunt rationes. Prima, quod in magnorum principum obitu solita sunt ostenta videri. Secunda, ut designaret, occidere verum Solem iustitiae, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Tertia, ut per tenebras illas denotaret, lumen doctrinae, et veritatis recessisse a Iudaeis, Solemque iustitiae, verum Messiam eclipsim passum in cordibus eorum, qui in hodiernum usque diem, sicut nati fuerunt in umbra legis, de qua dixit Apostolus (*ad Heb. 10*): *Umbram enim habens lex futurorum bonorum*, ita et extincti sunt culpa sua in tenebris. Unde d. Augustinus (*orat. contra Iudaeos, Paganos, et Arrianos c. 17*) ait: *Quae caecitas infusa est in cordibus vestris, ut nec illa vos tanta terreret medio die solis obscuritas, et inter eius radios claros amputata lux? nox recondita in die, immo vox usurpavit diem, nec cursum ordinis servavit, et obtenebratur caelum, luget terra, velum templi conscinditur, petrae finduntur, inferna reserantur, omnis pene creatura expavescit mortem Christi, nec tamen in his tantis aperti sunt oculi vestri.* Quarta, quia cum illi qui aderant ad mortem Christi, de funeralibus eius exequiis minime cogitarent, sed in Iesum acriter insurgerent, caelo et terra hunc defectum suppleverunt: caelum quidem veste lugubri, et obscura universum tegens aerem; terra vero motus et clamores, quasi eiulando emittens, unde a planctu, quem non edebant, rationis participes creaturae, certe illius expertes non se abnuerunt. Unde eleganter d. Leo Papa (*ser.6. de pass.*) ait: *Pendente in patibulo Creatore, universa creatura congemuit; et crucis clavos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui et terram traxit, et caelum; hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reseravit, et densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat hoc testimonio suo mundus auctori, ut in occasu conditoris sui vellent cuncta finiri.* Et d. Augustinus (*ser. 120*): *Aperte rerum natura perspicitur commoveri, velut in vindictam auctoris sui velit armari; terra ipsa concussa a fundamentis suis quasi quae crucem Domini vix sustineat, tamquam ad scelus proprium contremiscit; dies refugo lumine, quomodo potest, sumit lamentum, et fusco tristium tenebrarum habitu more lugentis induitur. Et ut tota caeli facies Dominicae Nativitatis gloriam nova luce testatur, ita crucis iniuriam novis tenebris detestatur.* Quarta, quod sicut Hebraei aegre ferebant videre Christum Dominum, unde dicebant (*Sap.2*): *Gravis est nobis etiam ad videndum*, ita sol quasi tantum facinus exhorrescens, et eius auctores indignos sua luce contestans, noluit eos spectare, et clara sua luce perfundere: quod his verbis egregie edisserit d. Leo (*ser. 10. de pass.*): *Vocibus his vestris stultis reddunt omnia elementa responsum, et unam in vos sententiam ferunt; caelum, terra, sol, sideraque indignos vos suo ministerio protestantur, terribili motu, insolitoque defectu tenebras mundo vestrae caecitatis ostendunt.* Quinta tempore mortis Christi factae sunt tenebrae, ut doceremus, stupendum mortis Christi arcanum obscura fide credendum, non naturalis rationis luce scrutandum, quia huic solum innitentes eisdem erroribus involvuntur, ac illi, apud quod mors Christi scandalum, et stultitia reputata est.

Secundum prodigium fuit veli templi scissio, circa quod quamvis non defuerint, qui putaverint unum tantum fuisse illud velum; verba tamen d. Pauli (*Heb.9*) duo fuisse suadent: *Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum.* Verbum enim, *secundum*, non potest coniungi verbo illi, *tabernaculum*, quod graece feminini generis est. Ergo necessario coniungendum est cum *velo*; extatque ad idem insigne testimonium antiquissimi Iosephi (*lib.6. belli, cap.6*), qui saepe aspexit hoc velum, et testatur duo esse, primum externum variis coloribus insignitum, in quo, ut verbis eius utar: *Erat perscripta omnis caeli ratio praeter signa*: alterum internum, quo intima templi pars, quae Sancta sanctorum nominabatur, a reliquis templi partibus segregabatur. Atque huic tandem sententiae subscribunt communiter patres, Hieronymus (*sup. Matt.27*), Origenes (*tract.35. in Matt.*), Leo Papa (*ser. 10. de pass.*), Glossa ordinaria (*sup. Matt. 27*), et alii plerique. In quo autem velo facta fuerit haec scissio, non unanimis omnium sententia. Aristeas enim vetustus auctor in eo libello, quo Philocrati fratri suam ad Eleazarum Pontificem profectionem describit, loquens de externo velo, quod in templo testatur se vidisse, ait in morte Christi scissum fuisse, potestque confirmari egregia congruentia: nam scisso velo externo, integro manente interno, significabatur, patiente humanitate, et in duas partes per mortem divisa, latentem tamen divinitatem semper indivisam, et impatibilem permansisse. Divus Hieronymus (*epist. ad Hedib quaest. octava t.3*), et Origenes (*tract.25. in Matt.*), eidem sententiae consentiunt. D. vero Leo Papa (*serm. 10. de pass.*), Euthym. (*c.67. in Matt.*), Lyranus (*sup. c.27. Matt.*), et cardin. Caiet. (*ibid.*), aliique, in quorum sententiam valde propendet doctissimus Salmeron, censent utrumque velum externum et internum scissum fuisse a summo usque deorsum: nec est inconveniens, ut non semel fieri solet in sacra Scriptura, singulare pro plurali accipi; vel si quis nimium haereret singulari verbo veli, aiunt tunc unum Evangelistam locutum fuisse de uno velo, alterum de altero: saepe enim quod ab uno Evangelista reticetur, ab alio suppletur. Quod si vera est haec sententia, illa ratio non parum illi suffragari videtur, quod cum abscondita, et reserata fidei mysteria, non solum per fidem fidelibus aperta fuerint tunc, sed et patribus veteris testamenti, et bono latroni reserata per claram Dei visionem; congruebat

revera ad id significandum, utrumque velum disrumpi, et aperiri. Mysteria vero, quae in hac veli scissione delitescunt, acute, et ingeniose elucidant patres, praecipue tamen doct. August. ( *in hunc locum* ), cuius aurea verba haec sunt: *Revelata iam sunt mysteria abscondita, ut iam omnes possint in Sancta sanctorum introire, pretio redemptionis nostrae aeterno Patri exhibito; palam fit arca, ubi erat manna, quoniam iam corpus Domini in coena diei praecedentis institutum fuit, quod per manna servatum praefigurabatur: ubi erat et virga Aaron, quoniam iam crux erat erecta in signum aeterni sacerdotis Christi, ubi etiam testamenti tabulae asservabantur, quia iam impleta lux erat, et prophetae.* Euthymius vero (*praecitato loco*) ait: *Quid autem mihi magis placet, accipe, quia interiora veli figura erant caeli, exteriora vero terram figurabant: scissum iam velum significavit divisum iam esse medium parietem inter caelum, et terram, qui inter Deum erat, et homines, et factum esse coelum hominibus pervium, soluto iam per Christum obstaculo medio.*

Divus Ambrosius (*c.10.in Lucam*) censet, per scissionem veli significari legem veterem, quoad sua caeremonialia disrumpi per introductionem novae legis gratiae. Moderni quidam non parum eruditi apte satis arbitrantur, per scissionem veli significatam fuisse populi Iudaici in diversas partes divisionem, et dissipationem. Alii illam scissionem aiunt significasse animae, et corporis Christi divisionem, qua unio eorum dissoluta fuit in morte Christi, indissoluta tamen semper manente unione singularum partium cum Verbo divino, illas supposidante. Placent quidem haec omnia; sed liceat mihi addere, velum illud, quasi vestem templi fuisse, quo induebatur, et ornabatur: et quemadmodum moris erat apud Iudaeos in luctu vestem scindere in argumentum interni doloris cor ipsum scindentis; ita templum moriente Christo vitae auctore instar dolentis et lugentis vestem suam a summo usque deorsum scidit. Ad quod alludens insignis poeta Sedulius, pulchre, et eleganter dixit:

Illud ovans templum maioris culmina templi
Procubuisse videns, ritu plangentis alumni
Saucia discisso nudavit pectore velo,
Interiora sui populis arcana futuris
Iam reseranda docens, quia lex velamine Moysi
Tecta diu Christo nobis veniente patescit.

Tertium prodigium fuit terraemotus, praefiguratus quidem in terraemotu, qui contigit tempore Oziae, ad sacrilegam eius audaciam retundendam, cum in altari Thymiamatis contra sacerdotes thurificare attentavit: cuius terraemotus meminerunt Amos, et Zacharias, necnon Iosephus (*in suis antiquit. l.9*). Quamvis autem Origenes contendat terraemotum hunc solum fuisse Hierosolymis, nec id revera adversetur sacro textui; verius tamen videtur, universalem fuisse: Nam Plinius, et Cornelius Tacitus testantur, tempore Tiberii Caesaris plures civitates in Asia terraemotu corruisse, ad quas sublevandas imperator nova tributa imposuit, ut auctor est Svetonius ( *in Tiberio c.48*). Hos autem terraemotus, qui tempore Tiberii acciderunt, et alios similes, eodem die mortis Christi contigisse, testantur d. Augustinus, vel quicumque auctor est, (*de mirabilibus sacrae Scripturae l.2.c.3*), et Phelegon, apud Eusebium Chron. anno Christi 33. qui multas aedes in Bithynia Nicaenae urbis subversas tradit: eidemque adstipulatur Orosius (*l. 7. suae histor. c.4*). Per hos autem terraemotus duo praecipue significabantur: tum detestandum mortis Christi crimen, propter quod Iudaei merebantur a terra absorberi, vel aedificiorum mole super illos irruente penitus conteri: tum favorem, et singularem gratiam nobis per Christum collatam esse: solet enim terraemotus Dei benefacientis praesentiam portendere, ut constat ex illo (*Psal. 67*): *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est:* immo resurgente Domino, et adveniente Spiritu sancto: *Terraemotus factus est magnus.* Cum ergo Christi mors Deum alioquin propter peccata absentem, per gratiam praesentem esse fecit, idcirco ad id celebrandum terraemotus ille praecessit.

Quartum prodigium fuit petrarum scissio. Scissionem hanc, sicut et veli, praedixerat Isaiae oraculum dicentis (*Isa. 22*): *Revelabitur operimentum Iudae, et videbitis in die illa armamentarium domus saltus, et scissuras civitatis David.* Divus Cyrillus (*catech. 23*) tradit, rupes Golgotha divisas fuisse, quarum divisio usque in hodiernum diem apparet. Divus Anselmus (*lib.de passione Dom.*) testatur, lapidem, cui superposita erat crux Christi Domini, disruptum tunc fuisse: extantque nunc Romae columnae marmoreae ex Hierosolymis Romam translatae, et in templo s. Ioannis Lateranensis collocatae, quae per medium praecisae conspiciuntur. Cum enim Christus Dominus esset velut lapis sine manibus abscissus, qui totam statuam conterere venerat, non solum Hierosolymis petras scidit, sed et alibi, ut testatur divus Hieronymus (*in c.27. Matt.*), et cardinalis Baronius (*in suis annalib. anno* 34), quibus consentit vetus traditio de montis Alverniae divisione in Hetruria, et de promontorio prope litus campanum Caietae, et de Terraconensis Hispaniae monte, qui mons serratus dicitur. Haec petrarum scissio significabat Iudaeorum corda duriora quam saxa: siquidem ipsis non compatientibus creatori suo, illa quomodo poterant, ei compatiebantur. Denotabat etiam potentem esse Deum de lapidibus gentium suscitare filios Abrahae, qui obstinatissimis Iudaeis benedictionem, et haereditatem praeriperent. Divus Hilarius (*sup. Matt.*) ista confirmans, ait: *Petrae scissae sunt, quia omnia valida penetrat Dei Verbum, et non solum cor lapideum rumpit, sed ruptum in carneum commutat, ut sint iam non durae cervicis, sed omnes docibiles Deo, et quae erant arida, fiant in stagna aquarum, et aquas largissimas petra scissa emittat.*

Quintum prodigium fuit monumentorum apertio, quam tametsi cardinalis Baronius in



suis annalibus anno 34. tribuat terraemotui: sed sine dubio tamquam signum diversum, narratur ab Evangelistis, specialique Dei providentia id factum est. Primo, ut ait divus Chrysostomus (*sup.c.27.Matt.*), ut potentia pendentis in cruce patesceret, qui sicut voce illa: *Lazare veni foras*, Lazarum resuscitavit, et clamore, quem emisit in cruce, monumenta aperuit, et mortuos suscitavit, eadem facilitate potuisset se a morte praeservare, eademque se suscitare posse ostenderet.

Secundo monumentorum apertio, ut ait divus Thomas (3.*p.q.*45.*ar.*4.*ad* 3) praenotabat, per mortem Christi immortalem vitam nobis dandam.

Tertio tandem aperta fuere monumenta certatim, mortuum Christi corpus invitantia, ut ad ea divertere dignaretur, quasi usurpantes verba illa filiorum Heth: *Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos: in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum:* illo namque suscepto, mortui eorum ad vitam restituendi erant, quemadmodum olim sepultus in Elisaei monumento, cum primum illius ossa tetigit, ad vitam revocatus fuit. Subdit Evangelista: *Et multa corpora Sanctorum qui dormierant, resurrexerunt.* Divus Hieronymus addit: *Ut Dominum ostenderent resurgentem.* Immo tradit, et post illum Vincentius (*in suo Historiali*) duos Simonis iusti filios tunc a mortuis surrexisse, et in ipso templo praesentibus sacerdotibus testimonium pro Christo tulisse: atque ex his portentis ortum est aliud mirabilius: nam, ut tradit divus Matthaeus: *Centurio, et qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terraemotu, et his quae fiebant, timuerunt valde, glorificantes: Vere hic homo iustus filius Dei erat;* ubi Hieronymus acute dixit: *Ex hoc considerandum, quod Centurio in ipso scandalo passionis vere Dei Filium confiteatur, et Arrius in Ecclesia praedicet creaturam.* D. Leo ( *ser. de pass.* ) hanc Centurionis confessionem contemplans, in haec, ut solet, elegantissima verba, et pietate plena prorupit: *Exemplo igitur Centurionis contremiscat in redemptionis suae supplicio terrena substantia; rumpantur infidelium mentium petrae; et qui mortalitatis gravabantur sepulcris, discussa obstaculorum mora prosiliant: appareant nunc in civitate sancta, idest Ecclesia Dei, futurae resurrectionis indicia, et quod credendum est in corporibus, fiat in cordibus: siquidem Centurionis repentina mutatio gentilis populi conversionem in Deum praesignavit, et singulorum.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XIV.

*Referuntur varia alia prodigia ab Evangelistis non enarrata, quae tamen a gravissimis doctoribus commemorantur in die obitus Christi Domini contigisse.*

Inter haec portenta, quae ex varia doctorum lectione hoc loco mihi adscribenda sunt, primum locum teneat illud, quod Eusebius (*l.5.de praeparat.evang. c.* 9) ex Plutarcho his verbis commemorat: *De morte daemonum audivi ego ab Aemiliano viro prudente simul atque modesto, quem credo multos vestrum cognovisse, quod cum in Italiam pater suus navigaret, circa insulas, quas Echinadas appellant, flatu ventorum deficiente, noctu prope Paxas devenisset; cumque omnes pene, qui simul navigabant, attentiores vigilarent, repente a Paxis insula vocem magnam auditam fuisse, qua Thramnus quidam vocabatur: quae vox novitate rei omnes magno perculit miraculo. Thramnus enim ille, qui vocabatur, homo erat Aegyptius, eius ipsius navis gubernator, qui his vocatus nihil respondit. Tertio vero vocatus, morem gessit vocanti, atque respondit. Illum vero multo maiore voce sic exclamasse: quando iuxta paludem fueris, annuncia tunc. Pan magnum mortuum esse. Qua re audita, magno, dicebat Epitherses, sic enim Aemiliani pater vocabatur, omnes terrore perculsos fuisse. Cumque dubitarent, utrum obtemperandum esset voci illi, an non: hoc Thramni consilium ab omnibus approbatum est, si secundi quidem spirarent venti, nihil esse dicendum; sin vero tranquillitas maris esset, et ventorum flatus, cum eo loco essent, omnino deficeret, non esse reticenda, quae audivere. Cum igitur iuxta paludem essent, quia nullus esset flatus ventorum, tunc Thramnum in mare pronum respicientem magna voce dixisse, quae audivit: Magnus Pan mortuus est. Qua re nunciata, magnus multorum gemitus, immo vero innumerabilium miraculo quodam commistus subito auditus fuerat. Et quoniam multi fuerant, qui ea in navi navigabant, cito ac facile cum Romam venissent, huiusmodi rei rumores universam urbem replevere, et a Tiberio Caesare, qui tunc gubernacula reipublicae gerebat, Thramnum accersitum fuisse. Cui rei tantam fidem Tiberius praebuit, ut philosophis, qui tunc Romae reperti erant, accitis, diligenter, quisnam esset ille Pan, ac curiose scrutaretur. Omnes autem illos quibusdam in idem convenisse coniecturis, ac dixisse, de illo sibi videri nunciatum fuisse, qui a Mercurio, et Pelope natus fuit. Cum haec de morte Panis Philippus dixisset: nonnulli eorum, qui aderant, eadem ipsa ab Aemiliano sene audivisse se testabantur;* hactenus ille. Quidam auctores nullum in hoc reperientes mysterium ad gloriam Christi Domini spectans, censent, sermonem ibi fuisse de falso illo Deo Pan nominato. Quorum sententia licet vera esset, multum sane per omnem modum ad Christi Domini in cruce morientis gloriam pertinet, quod mors eius falsos Deos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

interficeret, iuxta oraculum Sophoniae (*c.* 2): *Attenuabit omnes Deos terrae.* Unde Plutarchus (*in tract.de oraculis*) ait, a tempore mortis Christi Domini daemonum oracula cessasse, quia *moriens multos falsos Deos enecavit*, inter quos connumerandos venit Pan ille, qui mortuus acclamabatur, cuius mortem reliqui daemones ululabant. Verum alii, quorum sententiae subscribo, eique adstipulatur cardinalis Baronius (*in Annal. tom.*1), arbitrantur per Pan, vel, ut alii dicunt, Pana, Christum Dominum intelligendum, cuius mortem ut suam ipsorum cladem luxerunt daemones, qui adhuc ipso vivente, saepe lamentabantur ab illo torqueri (*Luc.*4): *Iesu fili David, ut quid venisti perdere nos?* idque rationi valde consentaneum censeo: nam ut recte observavit Iacobus Greiserus (*in aureo illo lib.de cruce*), si Pan homo erat, longe ante illa saecula obierat; si vero daemon, non moriebatur, cum spiritualis, et intellectualis creatura morti non subiaceat. Restat ergo portentum illud de Christo Domino fore intelligendum; maxime quod nomen Pan recte illi convenit, qui de se ipso dixit (*Isai.* 6): *Ego sum panis, qui de coelo descendi:* immo si formam, sub qua decepta illa gentilitas Deum Panem depingebat, et alia quae de ipso falso praedicabat, attentius contemplemur, facile omnia Christo Domino vere ac recte adaptari comperimus. In primis Pan Graece interpretatur, *totum*, eoque nomine illum cohonestabant, quia falso arbitrabantur totius naturae Deum esse: alii Deum pastorum illum fingebant, unde Virgilius (2.*Eclog.*) cecinit:

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit. Pan curat oves, oviumque magistros.

Haec quam bene Christo congruant Creatori caeli et terrae, ut mortis portenta ostentarunt, et supremo omnium Pastori, qui de se ipso dixit: *Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas*, nemo sanae mentis inficias ibit. Forma vero, sub qua illum depingebant, haec erat: cornibus in fronte, vultu ardenti velut igne, pallio stellis pleno coopertus. Secundum partem inferiorem animalis figuram portendebat, in manu organum gestabat. Cornua lunam significabant, quia quandoque cornuta apparet; vultus ardens radiantem solem; pallium stellatum caelos; inferior pars animalis terram; organum in manu harmoniam et miram consonantiam inter superiora et inferiora denotabat. At altius et sublimius haec considerans, in imagine illa Dei Panis Christum Dominum contemplor: cornua enim in fronte revocant in memoriam Christum Dominum unicornem a Davide vocatum (*Ps.*77): *Aedificavit sicut unicornium sanctificium suum:* sicut enim, ut Incognitus (*sup.Ps.*67) adnotavit, unicornis non patitur reliqua animalia ad suum cubile accedere; ita Christus Dominus non permittit haereticos, spurcissima monstra, Ecclesiae suae catholicae cubile deturpare, sed a fidelium communione illos praecidit. Vultus ardens memores nos reddit eius, quod dixit Moyses (*Deut.*4): *Deus noster ignis consumens est.* Inferior pars animalis, cum tamen superior intellectualem naturam portenderet, duplicem Christi naturam divinam, et humanam, illam superiorem, hanc inferiorem, ob oculos ponit. Organum, quod in manu gestabat, bene temperatam carnem Christi, organum divinitatis a theologis appellatam, significat, qua mediante suavis suae doctrinae concentu in mortalium animis miros sui amores excitavit.

Secundum prodigium et valde singulare, memoriae proditum reperio apud plures et graves doctores: illud enim referunt Lucianus Antiochensis presbyter (*orat. ratio. redden. catho. relig.*), Adricomius (*lib.descript. Hieru. n.* 252), Breidembacchius (*in descrip. Terrae sanctae sub die* 22. *iulii*), Agrippinas (*in theat.praecipuar. urbium totius mundi itinere* 6), Eusebius Caesariensis (*lib.*9.*Hist.Eccles. c.*6). Ab his omnibus unanimi consensu traditur, in petroso Calvariae monte in eo loco, qui sinistrae manui Christi in cruce extensi subsidet, cum Christus animam Patri tradidit, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, tunc etiam excavatam esse scissuram quandam, et foramen quoddam magnum, cuius latitudo tanta erat, ut hominem capere facile posset, profunditas immensa adeo, ut demissa bolide explorari non queat, nec perpendiculo subsidens locus, adeo ut foramen illud ad inferos usque dilatari dicatur, ut mysterio locus pateat, ut enim latroni, qui a dextris erat, locum aperuit, quo ad caelum usque eveheretur; ita impio latroni a sinistris pendenti, et omnibus qui eius impietatem sequuntur, locum ad inferos usque effossum patere fecit sanguis namque Christi, qui iustis auctor est gloriae, impiis confusionis, acerbiorisque poenae existit causa. Confirmat hoc prodigium Hierosolymis locus, et Golgothana rupes, sub patibuli onere disrupta.

Tertium prodigium refert divus Ephr. (*ser. de Pass.*), asserens columbam ex templo visam fuisse tunc evolare: sic enim ait: *Spiritus ipse sanctus conspiciens dilectum Filium Patris in ligno crucis pendentem, rupto mundissimo illo templi velo, quod a sursum erat usque deorsum, in specie columbae continuo de templo exivit.* Itaque egressus ille columbae de templo Iudaeos Spiritus sancti gratia destitui significabat, iuxta illud (*Thren.* 1): *Egressus est a filia Sion omnis decor eius*, quia peccaverunt Domino decori, id est Christo, qui est decor, pulchritudo, splendor Patris, et figura substantiae eius.

Quartum prodigium lego apud d. Hieronymum (*sup.Matt.*), et Eusebium (*in chron.*), qui tradit, auditam tunc esse a templi custodibus hanc vocem: *Transeamus ex his aedibus*, ad denotandum proculdubio, praedicatores, et custodes Ecclesiae Dei a Iudaeis ad gentes post Christi mortem transisse, atque adeo et sacerdotium omne, legem veram, et incorruptam Scripturam, et quidquid ad sanctitatem domus Dei pertineret, ut iam tunc impleretur oraculum Isaiae (*c.*1): *Ecce derelinquetur domus vestra deserta, ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas, quae vastatur.*



Ultimum prodigium, quod in morte Christi accidit, fuit Satanae inverecunda audacia, qui cum a Christo Domino toties devictus fuisset, non est veritus tempore mortis eius super brachium Crucis adesse, ut consideraret, an aliquid peccati in eo invenire posset, ut Christus Dominus praedixerat (*Ioan.* 14.): *Venit Princeps huius mundi, et in me non habet quidquam.* Hoc Satanae turpissimum impudentiae portentum docuit me divus Gregorius, qui (*homilia trigesima nona*) versans praecitata verba, ait: *Cogitandum nobis, quam rabidus, quam terribilis sua in nobis opera requirens in die nostri exitus Princeps huius mundi veniet, si etiam ad Deum carne morientem venit, et in illo aliquid quaesivit, in quo suum invenire nihil potuit.* Subscribit eidem sententiae venerabilis Beda (*expos. alleg. in Tob. tomo quarto*) haec verba): *Exivit Tobias, ut lavaret pedes suos ad fluvium Tygrim, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum: et Domino passo in Cruce, venit Diabolus, qui eum crucifigi docuerat, quaerens, si quid forte in eius anima sceleris inveniret:* haec divus Gregorius; quibus consonant, quae tradit Eusebius (*libro vigesimo, de demonstratione Evangelica demonstratione quinta*) in haec verba: *Cum adhuc Christi corpus in ligno esset suspensum, circa hunc aerem versantes incorporeae potestates circum ipsum, quasi crudivorae aves et ferae advolvebantur, et ad mortuum cito futurum corpus ipsius undique confluebant daemones circum terram in aere volitantes.* Atque haec de prodigiis in honorem Christi factis, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XV.

*De matrimonio, quod divinus Sponsus Christus Dominus in lecto Crucis cum Ecclesia catholica eius Sponsa consummavit, in illa verba Davidica: Eructavit cor meum verbum bonum cum reliquis illius Psalmi, quae de Christi morte, iuxta gravissimorum Patrum sententiam, pulchre explicantur.*

### Elucidatur titulus huius Psalmi, et argumentum eius.

Cum Christus Dominus Sponsus sanguinolentus sit iuxta illud, quod in figura eius dictum fuerat: *Sponsus sanguinum tu mihi es;* nemo (quaeso) miretur si Christum in Cruce pendentem, sanguinis profluvio cruentatum, tanquam sponsum matrimonium ibi cum dilecta Sponsa sua Ecclesia Romana celebrasse, et consummasse probare nitar. Quia tamen, ut acute observavit D. Hieron. (*in praefatione Psalmorum, titulus cuiuscumq.*) Psalmi habent se, velut clavis ad reservanda, quae in eo clausa latent. D. Aug. (*in commentario Psalm.* 8.) inquit, Psalmorum titulos esse velut tabellas, quae ante portam in officinis pendent; brevi sermone comprehendentes ea, quae ibi venduntur: vel certe Psalmorum tituli se habent velut epistolarum inscriptiones, quae eum, ad quem dirigantur, indicant: ideo quia tituli Psalmorum ad haec omnia deserviunt, oportet prius quam Psalmum, eius titulum elucidare, cuius verba haec sunt: *In finem pro his, qui commutabuntur filiis Corae ad intellectum, canticum pro dilecto.* Singula isthaec verba mysteriis scatent, et ideo singula paulatim exponenda sunt. *In finem,* ait Latinus Interpres, quo etiam modo verterunt septuaginta Interpretes. D. Hieron. (*sup. Psalm.* 44.) legit: *Ad victoriam,* vel, *victori;* Symmachus, Aquila, et Theodotion, *victoriae auctori;* Felix Pratensis (*ibidem*), *ubique vincenti*, vel *danti aeternitatem*, vel *effundenti sanguinem;* Rabbi David (*ibidem*) doctissimus Hebraeus transtulit: *Praedito arte canendi,* vel, *pulsandi.* Nos tamen vulgatam, et septuaginta Interpretum lectionem retinentes, asserimus verbum illud, *In finem*, cum in titulo Psalmi apponitur, significare id quod in eo pertractatur, ad Christum Dominum pertinere, quem Paulus vocavit, *finem saeculorum*, ut adnotarunt Patres Graeci cum Theodoreto, et quamplurimi Latini cum Hieronymo, Augustino, Remigio, et Cassiodoro. Atque hoc modo in praesenti lectio haec nostrae vulgatae reliquas omnes supradictas versiones complectitur: nam si Christus finis est *Finis quidem legis*, ut ait Paulus (Rom. 16.); et finis, propter quem omnia procreata sunt, ut ait idem Paulus: *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt;* sane ipse erit cuiuscumque victoriae auctor: ipse, qui sanguine suo vim, et fortitudinem ad vincendum praebet; ipse, qui victori in victoriae praemium aeternitatem dat; ipse tandem, qui choro canentium divinas laudes, ob beneficia accepta a Deo, velut praecipuus canendi magister, praeest. Addit etiam titulus: *Pro his qui commutabuntur;* alii vertunt, *Pro floribus, pro rosis, pro liliis,* quia in Originali verbum hebraeum est, quod lilia significat: et quia flores, rosae, et lilia facile marcescunt, et mutantur; ideo septuaginta Interpretes verterunt *pro his qui commutabuntur.* Verum duo omnino explicare oportet, de quibusnam hominibus hic loquatur, et quorsum illos flores, et mutabiles vocitet. D. Basilius respondet, sermonem esse de omnibus hominibus, quia pro omnibus Christus mortuus est; et quia omnes velut flores mutabilitati subiecti sunt, immo nihil homine mutabilius videtur esse. Moventur quidem coeli, sed proprium locum nunquam deserunt; mutatur quidem luna, sed a caelo, in quo est, nunquam discedit; mare nunquam quiescit, sed terminos, et limites a Deo praefixos nunquam transilit; animalia, licet diversimode moveantur, naturales vero propensiones, et instinctus semper firmos, et stabiles conservant; homo tamen omnia haec mutabilitate superat, immo mutabilior est caelis, siquidem a proprio centro, quod Deus est, sae-

interficeret, iuxta oraculum Sophoniae (c. 2): *Attenuabit omnes Deos terrae.* Unde Plutarchus (*in tract. de oraculis*) ait, a tempore mortis Christi Domini daemonum oracula cessasse, quia *moriens multos falsos Deos enecavit*, inter quos connumerandos venit Pan ille, qui mortuus acclamabatur, cuius mortem reliqui daemones ululabant. Verum alii, quorum sententiae subscribo, eique adstipulatur cardinalis Baronius (*in Annal. tom.* 1), arbitrantur per Pan, vel, ut alii dicunt, Pana, Christum Dominum intelligendum, cuius mortem ut suam ipsorum cladem luxerunt daemones, qui adhuc ipso vivente, saepe lamentabantur ab illo torqueri (*Luc.* 4): *Iesu fili David, ut quid venisti perdere nos?* idque rationi valde consentaneum censeo: nam ut recte observavit Iacobus Greiserus (*in aureo illo lib. de cruce*), si Pan homo erat, longe ante illa saecula obierat; si vero daemon, non moriebatur, cum spiritualis, et intellectualis creatura morti non subiaceat. Restat ergo portentum illud de Christo Domino fore intelligendum; maxime quod nomen Pan recte illi convenit, qui de se ipso dixit (*Isai.* 6): *Ego sum panis, qui de coelo descendi:* immo si formam, sub qua decepta illa gentilitas Deum Panem depingebat, et alia quae de ipso falso praedicabat, attentius contemplemur, facile omnia Christo Domino vere ac recte adaptari comperimus. In primis Pan Graece interpretatur, *totum*, eoque nomine illum cohonestabant, quia falso arbitrabantur totius naturae Deum esse: alii Deum pastorum illum fingebant, unde Virgilius (2. *Eclog.*) cecinit:

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit. Pan curat oves, oviumque magistros.

Haec quam bene Christo congruant Creatori caeli et terrae, ut mortis portenta ostentarunt, et supremo omnium Pastori, qui de se ipso dixit: *Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas*, nemo sanae mentis inficias ibit. Forma vero, sub qua illum depingebant, haec erat: cornibus in fronte, vultu ardenti velut igne, pallio stellis pleno coopertus. Secundum partem inferiorem animalis figuram portendebat, in manu organum gestabat. Cornua lunam significabant, quia quandoque cornuta apparet: vultus ardens radiantem solem; pallium stellatum caelos; inferior pars animalis terram; organum in manu harmoniam et miram consonantiam inter superiora et inferiora denotabat. At altius et sublimius haec considerans, in imagine illa Dei Panis Christum Dominum contemplor: cornua enim in fronte revocant in memoriam Christum Dominum unicornem a Davide vocatum (*Ps.* 77): *Aedificavit sicut unicornium sanctificium suum:* sicut enim, ut Incognitus (*sup. Ps.* 67) adnotavit, unicornis non patitur reliqua animalia ad suum cubile accedere; ita Christus Dominus non permittit haereticos, spurcissima monstra, Ecclesiae suae catholicae cubile deturpare, sed a fidelium communione illos praecidit. Vultus ardens memores nos reddit eius, quod dixit Moyses (*Deut.* 4): *Deus noster ignis consumens est.* Inferior pars animalis, cum tamen superior intellectualem naturam portenderet, duplicem Christi naturam divinam, et humanam, illam superiorem, hanc inferiorem, ob oculos ponit. Organum, quod in manu gestabat, bene temperatam carnem Christi, organum divinitatis a theologis appellatam, significat, qua mediante suavis suae doctrinae concentu in mortalium animis miros sui amores excitavit.

Secundum prodigium et valde singulare, memoriae proditum reperio apud plures et graves doctores: illud enim referunt Lucianus Antiochensis presbyter (*orat. ratio. redden. catho. relig.*), Adricomius (*lib. descript. Hieru. n.* 252), Breidembacchius (*in descrip. Terrae sanctae sub die* 22. *iulii*), Agrippinas (*in theat. praecipuar. urbium totius mundi itinere* 6), Eusebius Caesariensis (*lib.* 9. *Hist. Eccles. c.* 6). Ab his omnibus unanimi consensu traditur, in petroso Calvariae monte in eo loco, qui sinistrae manui Christi in cruce extensi subsidet, cum Christus animam Patri tradidit, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, tunc etiam excavatam esse scissuram quandam, et foramen quoddam magnum, cuius latitudo tanta erat, ut hominem capere facile posset, profunditas immensa adeo, ut demissa bolide explorari non queat, nec perpendiculo subsidens locus, adeo ut foramen illud ad inferos usque dilatari dicatur, ut mysterio locus pateat, ut enim latroni, qui a dextris erat, locum aperuit, quo ad caelum usque eveheretur; ita impio latroni a sinistris pendenti, et omnibus qui eius impietatem sequuntur, locum ad inferos usque effossum patere fecit sanguis namque Christi, qui iustis auctor est gloriae, impiis confusionis, acerbiorisque poenae existit causa. Confirmat hoc prodigium Hierosolymis locus, et Golgothana rupes, sub patibuli onere disrupta.

Tertium prodigium refert divus Ephr. (*ser. de Pass.*), asserens columbam ex templo visam fuisse tunc evolare: sic enim ait: *Spiritus ipse sanctus conspiciens dilectum Filium Patris in ligno crucis pendentem, rupto mundissimo illo templi velo, quod a sursum erat usque deorsum, in specie columbae continuo de templo exivit.* Itaque egressus ille columbae de templo Iudaeos Spiritus sancti gratia destitui significabat, iuxta illud (*Thren.* 1): *Egressus est a filia Sion omnis decor eius*, quia peccaverunt Domino decori, id est Christo, qui est decor, pulchritudo, splendor Patris, et figura substantiae eius.

Quartum prodigium lego apud d. Hieronymum (*sup. Matt.*), et Eusebium (*in chron.*), qui tradit, auditam tunc esse a templi custodibus hanc vocem: *Transeamus ex his aedibus*, ad denotandum proculdubio, praedicatores, et custodes Ecclesiae Dei a Iudaeis ad gentes post Christi mortem transisse, atque adeo et sacerdotium omne, legem veram, et incorruptam Scripturam, et quidquid ad sanctitatem domus Dei pertineret, ut iam tunc impleretur oraculum Isaiae (*c.* 1): *Ecce derelinquetur domus vestra deserta, ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas, quae vastatur.*



Ultimum prodigium, quod in morte Christi accidit, fuit Satanae inverecunda audacia, qui cum a Christo Domino toties devictus fuisset, non est veritus tempore mortis eius super brachium Crucis adesse, ut consideraret, an aliquid peccati in eo invenire posset, ut Christus Dominus praedixerat (*Ioan.* 14.): *Venit Princeps huius mundi, et in me non habet quidquam.* Hoc Satanae turpissimum impudentiae portentum docuit me divus Gregorius, qui (*homilia trigesima nona*) versans praecitata verba, ait: *Cogitandum nobis, quam rabidus, quam terribilis sua in nobis opera requirens in die nostri exitus Princeps huius mundi veniet, si etiam ad Deum carne morientem venit, et in illo aliquid quaesivit, in quo suum invenire nihil potuit.* Subscribit eidem sententiae venerabilis Beda (*expos. alleg. in Tob. tomo quarto*) haec verba): *Exivit Tobias, ut lavaret pedes suos ad fluvium Tygrim, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum: et Domino passo in Cruce, venit Diabolus, qui eum crucifigi docuerat, quaerens, si quid forte in eius anima sceleris inveniret:* haec divus Gregorius; quibus consonant, quae tradit Eusebius (*libro vigesimo, de demonstratione Evangelica demonstratione quinta*) in haec verba: *Cum adhuc Christi corpus in ligno esset suspensum, circa hunc aerem versantes incorporeae potestates circum ipsum, quasi crudivorae aves et ferae advolvebantur, et ad mortuum cito futurum corpus ipsius undique confluebant daemones circum terram in aere volitantes.* Atque haec de prodigiis in honorem Christi factis, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XV.

*De matrimonio, quod divinus Sponsus Christus Dominus in lecto Crucis cum Ecclesia catholica eius Sponsa consummavit, in illa verba Davidica: Eructavit cor meum verbum bonum cum reliquis illius Psalmi, quae de Christi morte, iuxta gravissimorum Patrum sententiam, pulchre explicantur.*

### Elucidatur titulus huius Psalmi, et argumentum eius.

Cum Christus Dominus Sponsus sanguinolentus sit iuxta illud, quod in figura eius dictum fuerat: *Sponsus sanguinum tu mihi es;* nemo (quaeso) miretur si Christum in Cruce pendentem, sanguinis profluvio cruentatum, tanquam sponsum matrimonium ibi cum dilecta Sponsa sua Ecclesia Romana celebrasse, et consummasse probare nitar. Quia tamen, ut acute observavit D. Hieron. (*in praefatione Psalmorum, titulus cuiuscumq.*) Psalmi habent se, velut clavis ad reservanda, quae in eo clausa latent. D. Aug. (*in commentario Psalm.* 8.) inquit, Psalmorum titulos esse velut tabellas, quae ante portam in officinis pendent; brevi sermone comprehendentes ea, quae ibi venduntur: vel certe Psalmorum tituli se habent velut epistolarum inscriptiones, quae eum, ad quem dirigantur, indicant: ideo quia tituli Psalmorum ad haec omnia deserviunt, oportet prius quam Psalmum, eius titulum elucidare, cuius verba haec sunt: *In finem pro his, qui commutabuntur filiis Corae ad intellectum, canticum pro dilecto.* Singula isthaec verba mysteriis scatent, et ideo singula paulatim exponenda sunt. *In finem*, ait Latinus Interpres, quo etiam modo verterunt septuaginta Interpretes. D. Hieron. (*sup. Psalm.* 44.) legit: *Ad victoriam*, vel, *victori;* Symmachus, Aquila, et Theodotion, *victoriae auctori;* Felix Pratensis (*ibidem*), *ubique vincenti*, vel *danti aeternitatem*, vel *effundenti sanguinem;* Rabbi David (*ibidem*) doctissimus Hebraeus transtulit: *Praedito arte canendi*, vel, *pulsandi.* Nos tamen vulgatam, et septuaginta Interpretum lectionem retinentes, asserimus verbum illud, *In finem*, cum in titulo Psalmi apponitur, significare id quod in eo pertractatur, ad Christum Dominum pertinere, quem Paulus vocavit, *finem saeculorum*, ut adnotarunt Patres Graeci cum Theodoreto, et quamplurimi Latini cum Hieronymo, Augustino, Remigio, et Cassiodoro. Atque hoc modo in praesenti lectio haec nostrae vulgatae reliquas omnes supradictas versiones complectitur: nam si Christus finis est *Finis quidem legis*, ut ait Paulus (Rom. 16.); et finis, propter quem omnia procreata sunt, ut ait idem Paulus: *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt;* sane ipse erit cuiuscumque victoriae auctor: ipse, qui sanguine suo vim, et fortitudinem ad vincendum praebet; ipse, qui victori in victoriae praemium aeternitatem dat; ipse tandem, qui choro canentium divinas laudes, ob beneficia accepta a Deo, velut praecipuus canendi magister, praeest. Addit etiam titulus: *Pro his qui commutabuntur;* alii vertunt, *Pro floribus, pro rosis, pro liliis*, quia in Originali verbum hebraeum est, quod lilia significat: et quia flores, rosae, et lilia facile marcescunt, et mutantur; ideo septuaginta Interpretes verterunt *pro his qui commutabuntur.* Verum duo omnino explicare oportet, de quibusnam hominibus hic loquatur, et quorsum illos flores, et mutabiles vocitet. D. Basilius respondet, sermonem esse de omnibus hominibus, quia pro omnibus Christus mortuus est; et quia omnes velut flores mutabilitati subiecti sunt, immo nihil homine mutabilius videtur esse. Moventur quidem coeli, sed proprium locum nunquam deserunt; mutatur quidem luna, sed a caelo, in quo est, nunquam discedit; mare nunquam quiescit, sed terminos, et limites a Deo praefixos nunquam transilit; animalia, licet diversimode moveantur, naturales vero propensiones, et instinctus semper firmos, et stabiles conservant; homo tamen omnia haec mutabilitate superat, immo mutabilior est caelis, siquidem a proprio centro, quod Deus est, san-

pe discedit; mutabilior est luna, quae non ita facile rubescit, ac nigrescit, ac ipse a rubore charitatis ad peccati nigredinem se transfert; mutabilior est tempestuoso mari, cum legis terminos, divinarumque sanctionum limites non semel transgrediatur. Unde Hebraei, ut quidam moderni interpretes adnotarunt, universam hominis vitam vocarunt, *Dor*, quod revolutionem, seu circularem motum significat. Hinc est, quod Iob humanam vitam telae, quae a textore facile succiditur, comparavit, vel, ut alii ibi verterunt, *Comparaverunt illam textoris panno, qui velocissimo motu inter telae fila pertransit ad illam contexendam*. Verum Septuaginta interpretes eo loco vitam nostram labili verbo vocali, cuius totum esse in transitu consistit, et nihil eius permanet, humanam vitam compararunt: qua etiam comparatione usus fuit David (*Psal. 89.*), nam ubi nostra vulgata legit: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, Originale hebraeum habet: *Anni nostri sicut verbum aestimabuntur;* unde D. Hier. transtulit, *Consumimus dies nostros instar loquentis verbum*. Quae comparatio praecedentes omnes excedit, cum verbum nihil prorsus firmitatis habeat. Ex quo quamvis ipse Iob comparet velocissimo cursori, qui nec ad victum sumendum quiescit, velocissimaeque navi poma portanti, cui nullibi facere moram licet, ne poma putrescant, (unde quidam vertunt: *Similes navibus festinantibus:* alii, *similes navibus voluntatis*, hoc est, quarum velocitas tanta est ut naturae desiderium, et voluntatem expleat. Et licet etiam velocitatem humanae vitae velocissimo aquilae motui, quando famelica ad praedam se demittit, comparat, quae adeo praexcellens est, ut ad significandum summam motus alicuius celeritatem aquilae velocitatem non semel sacra Scriptura usurpet: laudans enim Ionathae velocitatem, et patris eius Saul in persequendis inimicis, vocavit illos *aquilis velociores:* et Hieremias velocitatem equorum, qui apud Chaldaeos erant, describens, velociores aquilis eos vocitat; nulla tamen istarum comparationum verbi vocalis egregiam similitudinem non solum superat, sed neque aequat; alias nihilominus Davidis subiiciamus: *Psal. enim 89*) comparat velocitatem humanae naturae excubitori, seu speculatori. Ubi tamen nostra vulgata legit, *et custodia in nocte, quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt*, alii vertunt ex Hebraeo: *Eorum anni sicut dilucium, aut sicut somnus:* alii transferunt, *Bulla eorum anni erunt.* (*In Psal. deinde 38.*) imagini apparenti illam comparat: *Verumtamen in imagine pertransit homo;* Originale hebraeum habet, *Transit velut umbra;* Campensis (*sup. Ps. 38.*) vertit, *Fert homo secum vitam imaginariam*. Illum etiam comparat flori: *Mane floreat et transeat, vespere induret, et arescat:* ubi Propheta videtur alludere ad animalia illa, quae refert Aristoteles (*libr. 5. de hist. anim.*), quorum natura labilis adeo est, ut mane ortum, meridie incrementum, vesperi senectutem habeant; ac tandem intra quatuor super viginti horas intereant ab eorum ortu: unde dicti sunt pisces *Himeridiones*, vel *Ephimeri*, quia solum unius diei vita vivunt. Ac tandem si liberum hominis arbitrium introspiciamus, tanta in eo regnat mutabilitas, ut nunc tristetur, nunc hilarescat, nunc amet, nunc odiat, nunc hoc adprobet, nunc reprobet nunc indevotus, nunc pius, nunc impius existat, et ut uno verbo dixit Iob (*14*): *Nunquam in eodem statu permanet.* Alii praedicta verba, *Pro his, qui commutabuntur*, cum D. Athan. Cyr. Hier. Hesychio et Eugubino, intelligenda esse docent de solis praedestinatis, quia ex mortali, et caduca ad immortalem, et gloriosam vitam in extrema resurrectione commutandi sunt, de qua locutus est D. Paulus (*1. Cor. 5.*), cum dixit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Apteque satis praedestinati in illa mutatione comparantur liliis candidis, quorum haec est natura, ut hiemali tempore sub terra delitescentia se conservent, adveniente tamen aestate in spicam, pulchrosque flores erumpant; non dissimiliter praedestinati in hieme huius mortalis vitae sub terra humilitatis suae absconditi, nullumque splendorem honoris praeseferentes (*Sap. 5.*): *Quorum vitam aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore;* postea florido resurrectionis tempore adventante, gloria, et honore fulgentes, ac rutilantes, in conspectu omnium prodibunt. Hanc interpretationem ut veriorem, et nostro argumento magis accommodatam eligo: nam vere Ecclesia, cum qua Christus Dominus in Cruce nuptias celebrat, ex praedestinatis praecipue componitur: hi enim sunt propriissime lilia, materna Ecclesiae viscera vallantia, ut Sponsus (*Cant. 7.*) dixit: *Venter tuus acervus tritici, vallatus liliis*. Sunt etiam lilia. Primo, quia, ut ait Pierius Valerianus, lilia pulchritudinis, et felicitatis symbola olim extitere: unde civitas illa, in qua Persarum Reges hiberno tempore, ut ab hiemis inclementia protegerentur, habitare consueverant, vocabatur *Susa:* quod in lingua Persica lilium interpretatur. Constat autem praedestinatos pulchritudinis, et felicitatis inter omnia pulchra, et felicia primas tenere. Secundo, quia, ut observavit D. Hier. (*adversus Iovinianum*,) cuius etiam meminit Propertius Poeta, lilia virginitatem denotant, et puritatem, quae in praedestinatis praefulget: quia ab infidelitatis corruptione immunes, et caelo ipso puriores purissimum Agnum comitantur: unde Sponsa dixit: *Qui pascitur inter lilia:* ex quo Ecclesia catholica canit: *Qui pascis inter lilia*. Adeoque lilia puritatem redolent, ut Plinius referat (*lib. 8 suae historiae*), in universa Arabia sues immundissima animalia ea ratione non inveniri quod suavissimis floribus, et candidissimis liliis abundet. Tertio merito praedestinati cum Christo regnaturi lilia vocantur: quia lilia imperii et regni symbola etiam sunt: flos enim liliorum quando apertus est, regiae coronae figuram praesefert. Quod si ad caerulea lilia sermonem convertamus, non incongrue praedestinati lilia dicentur, quia, ut Homerus finxit, oratores Troiani liliis vescebantur: et, nisi mea me fallit opinio, fundamentum huius fictionis arbitror



fuisse, quod, ut medici testantur, caeruleum lilium ori graveolenti medetur, et halitum suavem, et gratum reddit. Lilia ergo sunt praedestinati: tum quia in divinis laudibus decantandis eloquentissimi: tum quia ab inordinata, et proximis noxia loquela linguam coercent. Deinde ait titulus: *Filiis Corae*. D. Chrysostomus (*in praefat. Psalm.*) ait, hos filios Corae disertissimos fuisse quosdam musicos, quos regius vates David Psalmorum auctor ad pulsandum, et canendum ante tabernaculum elegerat, quorum singuli praesidebant singulis canentium choris, ut habetur (*2. Paralipom.*). Unde verba illa, quae in titulis Psalmorum inveniuntur, *Asaph, Idithum, Eman, Ezraita*, nomina sunt illorum cantorum. Id tamen, utpote nostro argumento de Christi morte mirum in modum consentaneum, silentio minime praeteribo, nimirum tres insignes Patres, Hieronymum, Augustinum, et Cyprianum (*in comm. huius tituli*), dixisse, quod cum Core significet calvarium, per filios Corae allegorice intelligi debere filios calvariae, hoc est, filios Christi crucifixi in monte Calvariae. Observare etiam oportet, ut non pauci Hebraei observarunt, immo et D. Hieronymus, Cyprianus, et Origenes adnotarunt, filiis Corae eos Psalmos solum a Davide commissos canendos, qui laetitiam, et alacritatem narratae historiae secum afferrent. Unde infero, quod cum Psalmus iste nuptias Christi Domini cum dilecta Sponsa sua Ecclesia catholica contineat, quae omnis alacritatis, et laetitiae, etiam qua beati perfruuntur, fons, et origo fuerunt, ideo huius Psalmi concentus filiis Core commissus fuit. Subiungit praeterea titulus, *Ad intellectum:* Originale hebraeum habet, *doctrinam*, vel *sapientiam:* Chaldaeus interpres vertit, *intelligentia bona:* alii legunt, *sermo clarus, elegans, eruditus*. Unde Rabbi Salomon vocat hunc Psalmum insigne oraculum, sapientiam profundam, doctrinam excelsam. Didymus Alexandrinus, et Hesychius referunt verbum istud, *ad intellectum*, ad alios, qui commutabuntur, ut habet principium tituli huius Psalmi, quos tunc aiunt intellecturos sacramenta huius Psalmi, quando illa crediderint, quia, ut dixit Isaias secundum septuaginta Interpretum versionem, *Nisi credideritis, non intelligetis*. Unde sicut non expedit ferrum candens, et ignitum manu tangere, ne alioquin illam comburat, sed forcipe est tenenda, atque versanda ferri materia; ita Christi Domini humanitatem in Crucem acti, per divinitatis consortium deificatam, non ratione nuda, sed forcipe fidei porrecta attingere debemus, pariterque cum Davide clamare: *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum*, idest in Calvariae locum, ut varia, quae in morte latent sacramenta, contemplari, et elucidare valeam. Addit, *Canticum pro dilecto*, quae sunt ultima verba tituli. Quidam iuxta Originale hebraeum vertunt: *Canticum dilectionum;* alii, *Canticum amorum;* Hieronymus, *Canticum amantissimum:* quae omnes versiones satis nostro argumento congruunt, cum inter nuptias non alii, quam amoris cantus insonet. Vulgatae tamen nostrae inhaerentes lectioni, quae legit, *Canticum pro Dilecto*, oportet explicare, quis iste Dilectus. S. Cyrillus (*in catena Graec.*) nomine Dilecti intelligit populum electum, gentem sanctam, sanguine Christi redemptam: D. Athanasius (*in commentario huius Psalm. contra Arianos*, Hieronymus (*ad Princip.*), Augustinus (*hic adversus Iudaeos cap. 4.*), Origenes (*lib. 1. contra Celsum*), concedunt dilectum hunc esse Christum Dominum, Patris voce caelitus intonante: *Hic est Filius meus dilectus:* et sponsa millies repetente dilecti nomen: *Veniat dilectus meus in hortum suum: dilectus meus candidus, et rubicundus: fuge dilecte mi*. Inter alia multa, propter quae Christus Dominus meretur super omnia nobis dilectus esse, et nominari, illud vehementer nos urgere debet, ut D. Paulus (2. *Cor. 5.*) loquitur: *Charitas Christi urget nos*, quod amor eius erga nos ita praecellens fuerit, ut dum gravissima peccata contra maiestatem eius committere non veremur, ipse prae amoris magnitudine, sola sua infinita bonitate impulsus, munificentissima beneficia nobis conferat: cuius amoris, et bonitatis magnitudinem quia non bene noverunt Moyses, et Aaron, acriter puniti fuere. Refert namque sacra Scriptura (*Num. 20.*), quod cum populus Israel in deserto versaretur, deficientibus aquis ad bibendum, populus durae cervicis obmurmurare coepit de Deo, et Moyse; ipse autem rem cum Deo consulens, Dominus ei, et Aaroni praecepit, ut populo praesente a petra aquas educerent. Tunc Moyses Deo obediens percussit portentosa illa sua virga petram, sed neque unica aquae gutta erupit; percussit iterum eandem, et continuo velut fons scaturivit. Tunc Deus iratus contra Moysem, et Aaron, minatus est eis futurum supplicium. Variae sunt inter Doctores sententiae, quodnam fuerit Moysis, et Aaronis peccatum, quod divinam iram provocaverit. Quidam enim cum D. Augustino (*in Psal. 105. li. 16. con. Faustum.*) aiunt, peccatum eorum fuisse, quod dubitarent, an petra percussa aquas largiretur, cum saxi percussio non aquam, sed ignem elicere soleat. Difficilis tamen creditu est haec sententia, quia iam experti fuerant simile miraculum in petra Oreb, ex qua eadem virga percussa duodecim uberrimi fontes frigidissimae aquae eruperant. Magistri quidam hebraei, quos sequuntur Gregorius Nyssenus, et Lyr. (*in hunc locum* asserunt, inobedientiam fuisse peccatum eorum, quia Dominus dixerat eis (*Num. 20*): *Loquimini ad petram;* ipsi vero illam percusserunt. Sed nec haec intelligentia videtur satis firma: nam si prima vice, quia percusserunt, et non locuti fuere, aquam non hauserunt, etiam secunda vice idem repetentes illam non haurirent; maxime quod Deo dicente, quod loquerentur ad petram, non prohibebat illam percutere, sed potius, quod percussioni verba adiungerent, quae sacer textus reticet. Quare existimaverim apte satis hoc loco dici posse, de omnipotentia Dei, quam tot portentis experti fuerant, minime

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

dubitasse, sed totam dubitationem eorum fuisse circa divinam, et immensam Dei bonitatem, quod sibi persuadere non possent, quod eodem prorsus tempore, quo multis, et gravissimis sceleribus ab ingrato illo populo offendebatur, ad eius sitim extinguendam miracula editurus esset. Atque hanc esse germanam intelligentiam, ex verbis, quae Dominus eis dixit (*ibid.*), non obscure colligitur: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, etc.* In eo autem valde sanctificabatur Deus, quod contradicente populo illo suis peccatis Dei voluntati, adeo immensa eius bonitas se ostentaret, ut beneficia eis conferre non dubitaret: unde continuo sacer textus addit: *Haec est aqua contradictionis, ubi iurgati sunt filii Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis*, id est, contradicente populo suis sceleribus Dei voluntati, et Deo illi benefaciente, et eorum sitim miraculose extinguente, immensa eius bonitas cognita fuit; in quo valde sanctificabatur Deus. Ad rem nostram ergo redeuntes, ea potissimum ratione ante alias Christus Dominus super omnia dilectus nobis esse debet, quod adhuc cum inimici essemus, et cum demereremur eius nuptias, cum Ecclesia nihilosecius eas in thalamo Crucis celebravit.

Titulo iam huius celeberrimi Psalmi elucidato, singulas eius sententias multis mysteriis gravidas explicare exordiamur. Antequam tamen huic expositioni calamum admoveam, oportet observare Psalmum hunc epithalamium vocari; sicut et Canticum canticorum Hieronymus (*ad Paul. cap. 7.*), Augu. (*lib. 6. de civ. c.* 10.), Origenes (*in Cantica*) vocarunt. Et merito quidem: nam argumentum eius ad eum scopum tendit, ut nuptias inter Christum, et Ecclesiam decantet, et egregias animi, et corporis dotes utriusque Sponsi palam omnibus faciat. Ad id enim vetus olim fuit consuetudo, ut cum nuptiae celebrarentur, elegantissimi hymni in nubentium laudem decantarentur, immo et Deo Hymeneo varia laudum cantica antiqui offerebant, quae propterea hymni vocabantur, vel hymenei cantus, ut testatur comicus Poeta Terentius (*in Adelphis*). Quod ut melius intelligamus, et quia res nostro argumento accommodatissima est, D. Augustini consilio acquiescens, qui (*lib. 2. de doctrina Christiana*) monet, veritates, quas multis falsis intermiscent Ethnici, tanquam ab iniustis possessoribus auferendas esse, et rebus sacris accommodandas; placet commemorare quomodo antiqui Hymeneum, quem tanquam nuptiarum Deum colebant, depingerent. Iuvenem illum fingebant pulchrum, corona ex suavissimis floribus contexta redimitum, in manu dextera lucernam accensam tenentem, in sinistra vero velum sericum pallidi coloris, ab antiquis flammeum vocatum, quia flaminum uxores illo caput ornabant. Unde Plinius (*libr.* 8. c. 10.), ait vocari solitas flaminicas. Pedes calceatos habebat calceis pallidi coloris, quod feminarum proprium erat calceorum genus. Ita eum depingit Catullus (*in suo epithalamio*). Deus iste hymeneus, quem decepta gentilitas fingebat, nuptiis praesidebat, sed non omnibus, sed tantum illis, quae inter virgines celebrabantur. Ad quod significandum depingebant illum iuvenem imberbem. Corona vero florea caput eius cingebat in argumentum laeti, et festini animi, quia huiusmodi coronarum usus frequens erat, quando se invicem amici ad epulas invitabant, vel ad recreandos animos sese congregabant. Additque Plinius (*lib. 22. cap. 1.*), floreas illas coronas, quae facile marcescunt, tacite admonere, quam cito corporis voluptates evanescant. Alii vero arbitrantur, illum viguisse coronarum usum propter quasdam florum, et herbarum proprietates, quibus recens nupti, quomodo se habere deberent, edocebantur. Unde Plutarchus (*in praeceptis connubialibus*) testatur, in Boetia moris fuisse sponsam asparagis coronari, ut significaretur ei, citius quam asparagi coquuntur, tristitiam, quam ex paternae domus discessu conceperat, abolendam fore: est enim asparagus facilis coctionis, unde abiit proverbium: *Citius asparago coquuntur*, ut auctor est Svetonius (*in Tranquillo*), et refert Ambr. Inter Romanos vero consuevit verbenae foliis sponsas coronari, quia iuxta medicorum sententiam, cum succus illius renes liniens concupiscentiae ardores mitiget, pro honesti matrimonii symbolo habebatur. Consueverant etiam myrae foliis, et floribus sponsis contexere coronas, ut significarent, incorruptibile, et inviolabile futurum esse vinculum illius matrimonii. Nec mos iste coronarum apud gentiles solum inolevit, sed etiam apud fideles: nam Sponsa invitat filias Sion, ut egrediantur ad Salomonem coronatum in die sponsationis suae videndum, et Sponsus vocat sponsam, ut illam coronet: *Veni de Libano, coronaberis*: et Isaias vocat Christum sponsum corona coronatum. Habebat praeterea Hymeneus in dextera manu ardentem facem, quia iuxta veterum consuetudinem, sponsa noctu in sponsi domum traducebatur: consultoque id fiebat, ut observavit Plutarchus, propter honestatem, et verecundiam virginis recens sponsatae. Verum tamen est, Marcum Varronem diversam omnino eius rationem assignasse: ait enim accensas lucernas solitas tunc portari in honorem Deae Cereris, quae ardentibus facibus diligenter Proserpinam quaesivit. Palaestini etiam more illo ducendi noctu cum accensis facibus sponsas utebantur, ut ex parabola Christi Domini apud Matthaeum perspicue colligitur. Observat autem Plutarchus (*praecitato loco.*), numerum facularum quae poterant accensae in nuptiis gestari, taxatum, et praefixum esse: non enim poterant esse plures, quam quinque. Cuius licet perplures ipse reddat rationes, ea magis congruere videtur, licet eius ipse non meminerit, quod numerus quinarius primus est omnium, qui ex paribus numeris componitur, inter pares tamen numeros dividi non potest, nisi unitas rumpatur, quod tamen minime fieri potest: hac enim ratione duo significabant. Primum matrimonium debere esse inter aequales: unde abiit in proverbium,

*Si vis apte nubere, nube pari.*



Secundum debere esse indissolubile, et nullatenus nisi sola morte rumpendum. Gestabat praeterea Hymeneus in dextera manu flammeum, seu velum nuptiale pallidi coloris, quo subiectionem perpetuam, quam sponsa sponso se habituram profitebatur, denotabat. Unde etiam in Ecclesia catholica velo ornantur moniales cum professionem emittunt, et apud Genesim huius veli mentionem fieri lego: nam cum Rebecca ducta fuit in sponsi sui Isaac domum, cum primum ingressa est, velo serico se ornavit. Et sponsa in Canticis inter iniurias, quas a custodibus noctis sibi illatas conqueritur, velum sibi ablatum commemorat: nam licet vulgatus Interpres *Pallium* transtulerit, Originale hebraeum, ut periti idiomatis adnotant, verbum habet, quod etiam significat sericum velum. Tandem Deus Hymeneus pallidis calceamentis calceatus erat, ad significandum clausuram servandam ab sponsa, quia calceis pallidis per calles divagari indecorum erat. Porro postquam in superioribus titulum huius Psalmi, et argumentum eius elucidavimus, restat iam singula eius verba nostro instituto valde consentanea enucleare.

Eructavit cor meum verbum bonum.

Symmachus legit: *Consummatum est cor meum verbo bono;* sed lectio nostrae vulgatae, ut hebraei idiomatis periti observant, conformior est Originali hebraeo, quia *Eructavit* apud Hebraeos idem valet, quod ebullit; ebullitio autem persimilis valde est eructationi. Scio D. Cyrillum (*lib. 1. th. c. 7.*), S. Ambrosium (*lib. 2. de fide c. 1. et 2.*), Gregorium Nazianzenum (*orat. de fide*), Hieronymum, Athanasium, Tertullianum (*ad Praxeam*), Cassiodorum, Rupertum, explicare haec verba de aeterno Patre, producente Verbum divinum; verum interpretationem D. Basilii, et Euthymii (*in hunc Psalmum*) sectantes, utpote nostro argumento consentaneam, et valde litteralem, opinamur verba illa protulisse David non in aliena, sed in propria persona: regius enim Vates velut eloquentissimus orator in principio huius epithalamii, ut captet attentionem, ait, sublimes et profundae in pectore meo ebulliunt cogitationes, et cor variis animi conceptionibus gravidum parturire eas cupit, velut olim Iob cum dicebat: *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei: en venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit: loquar, et respirabo paululum*: eructationis, et ebullitionis utraque metaphora adamussim explicat, quam plenus sermonibus esset David, quos in laudem divini Sponsi promere desiderabat. Ebullitio bifariam dici potest: ebullit enim aqua ad ignem admota, et vi caloris fervens, quasi impulsa, foras prosilire tentat: ebulliunt etiam animantia in locis, in quibus gignuntur, dum ab eis egredi nituntur. Cum ergo David dixit (*Psal. 44.*): *Eructavit cor meum verbum bonum*, significavit adeo divini ignis amore incalescere cor eius, ut cogeret eum conceptum sermonem foras emittere, iuxta illud D. Pauli (*2. Cor. 5.*): *Charitas Christi urget nos.* Eructationis etiam similitudo in idem tendit: eructatio enim nihil aliud est, quam ventus in stomacho inclusus, qui a superveniente cibo compressus, et vi caloris impulsus foras erumpit, ferens secum odorem ipsius cibi. Ait ergo regius Vates, cor eius adeo plenum esse caelesti cibo divinarum revelationum, ut cum ex nimia earum copia, tum ex calore amoris in Christum, compelleretur in mirificas eius laudes prorumpere, quae Dei, quem in corde habebat, odorem praeseferrent: ut enim dixit Christus Dominus (*Matt. 12.*): *Ex abundantia cordis os loquitur: bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala.* Quibus verbis (licet obiter id dicam) concionatores monentur, quod ut bona de thesauro suo proferant, mirum in modum conducit ipsos bonos esse: nam ut Apostolus (*1. Cor. 13.*) dixit: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens*; quasi dicat: etiamsi sim eximius divini verbi praeco in conspectu hominum, et angelicis animi conceptionibus eleganti oratione expressis eorum animos suspendam, si tamen verba mea ex charitatis fervore non prodeant, vana et futilia, non secus ac rumor cymbali tinnientis, reddentur; cuius licet sonus utilis sit ad aliquid indicandum, tinnitus tamen eius nullius prorsus utilitatis est. Existimo etiam haec D. Pauli verba alludere ad priscum illud proverbium, *Dodonaeum Aes*, cuius meminere D. Clem. (*in exhort. ad gentes.*), Gregor. Naz. (*ora. 2. contra Iul.*), Theodoretus (*lib. 10. de cur. Graec. aff.*) et Suidas, qui refert, quod in urbe Dodona in Epyro, Iovis celebratur oraculum undique circumdatum aereis vasis, ita se invicem contingentibus, ut pulsato uno, omnia continuo tinnientia sonarent. Scio Zenodotum aliter id commemorare: ait enim in civitate illa Dodona duas fuisse ingentis magnitudinis erectas columnas, quarum uni inerat aeneus pelvis, alteri vero insidebat puer etiam aeneus flagellum aeneum manu tenens, qui eo artificio affabre factus erat, ut a vento motus continuo aeneo illo flagello aeneam pelvim percuteret, ex qua percussione tinnitus causabatur, perseverans adeo ut Ausonius diceret: *Nec Dodonaei cessat tinnitus aheni.* Quidquid tamen de hoc sit, verbis illis manifeste significat Apostolus, quod quamvis praedicator velut fons verbis scaturiat, illaque tumida, et pompatica proferat, ut dixit Poeta Virgil.

*Proiicit ampullas, et sesquipedalia verba*: verba scilicet illa humanae sapientiae colore fucata, quae execrabatur Apostolus, cum dicebat (*1. Cor. 5.*): *Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, his enim non Daemon, sed aer verberatur. Quod a munere concionatoris alienum esse debet, ut significavit idem Apostolus cum dixit: *Sic pugno, non quasi aerem verberans.* In plurimum tamen ille aerem verberat, qui vitae integri-

tate caret. Quod valde dedecere iustitias Dei narrantem, satis indicat illa indignantis Dei vox (*Psalm. 49.*): *Quare tu enarras iustitias meas, et assumis nomen meum per os tuum?* Lacedaemones, ut refert Pierius Valerianus, ut significarent, qualem oportet esse alios docentem, Apollinem depingebant citharam quatuor manibus pulsantem: instrumentum quidem musicum unum erat, pulsatrices vero manus quatuor, ut innuerent, quod tametsi lingua una praedicatoris sit ad docendum, quatuor debent esse manus ad operandum, quae alios edoceant; immo et centum instar Briarei, quem antiqui finxerunt linguam unam, sed manus centum habentem, et ideo vocabant illum centimanum.

### Dico ego opera mea Regi.

Duplicem haec verba sustinent expositionem. Prima est D. Hieronymi, explicantis verbum illud, *Dico*, ut idem sit quod *Dedico*; unde sensus est, opus hoc, quod nunc in lucem edo, Christo Regi dicatum, et consecratum volo. Sicut enim olim poetae carmina sua Musis, et nuptiales cantus Hymeneo dicabant, et nunc opera magni momenti Principibus inscribuntur; ita regius Vates epithalamium hoc, quod in sponsi Regis laudem composuerat, ei dedicat, et propterea ait: *Dico ego opera mea Regi*. Secunda expositio est aliorum, qui iuxta Originale hebraeum volunt verbum illud, *Dico*, non significare *dicare*, sed *dicere*; unde, *Dico opera mea Regi*, perinde est, ac si Propheta diceret, verba mea in hoc epithalamio non alium scopum respiciunt, quam Regis laudes, nec ad alium ea dirigo, quam ad ipsum. Hunc autem Regem, cuius laudes decantandas se profitetur suscipere David, Christum Dominum esse, vel illud unum satis persuadet, quod non vocat illum Regem huius vel illius regni, sed Regem absolute, quia ipse solus est Rex per antonomasiam, ut dixit D. Joan. (*Apoc. 19.*): *Rex Regum, et Dominus Dominantium:* non enim, ut alii, ab hominibus factus est Rex, sed a Deo ex instanti conceptionis: unde Magi Reges dixere: *Ubi est, qui natus est Rex Iudaeorum?* et in Cruce corona insignitus, et titulo capiti superposito regiam eius dignitatem acclamante mortuus est. Hoc enim fuit Patris praeceptum, ut tanquam bonus Rex pro subditis sanguinem et vitam in Cruce effunderet, ut aperte indicant verba Davidis in persona Christi dicentis (*Psal. 2.*): *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, praedicans praeceptum eius*: moriens enim praedicavit opere ipso praeceptum illud. Ad hunc igitur Regem in throno Crucis sedentem, quem propheticis oculis intuebatur regius Vates, verba sua dirigere profitetur, dum ait: *Dico ego opera mea Regi.*

### Lingua mea calamus scribae, velociter scribentis.

Inter Aegyptiorum hieroglyphica singulare est illud, quod refert Pierius Valer. (*lib. 17.*), ubi narrat, quod ut significarent Deum ineffabilem esse, crocodilum depingebant ore aperto: quia, teste Plinio, animal hoc lingua caret; quasi dicerent, humanam rationem ad divina mysteria disserenda elinguem esse. Cuius non ignarus David monet nos, ad divina sacramenta nobis reseranda, linguam eius, tanquam calamum a divino Spiritu, velut scriba, moveri. Moyses alias eloquentissimus (ut tradit divus Stephanus) cum primum ineffabile Dei nomen audivit, balbutire coepit, et ad nuncii munus praestandum, quod sibi a Deo imponebatur, imparem, et insufficientem se fassus est. Unde oportuit, ut divina legatione fungeretur, quod divina manus linguam eius velut calamum moveret: quod idem sine dubio significant verba illa, quae saepe repetuntur, cum Deus aliquem Prophetam ad praedicandum mittebat: *Facta est manus Domini super eum*; quasi dicat: manus Domini descendebat super eum, ut moveret eius linguam. Hoc etiam praedicaturis Apostolis promisit Dominus (*Luc. 21*): *Ego dabo vobis os, et sapientiam*. Unde postea misit eis Spiritum sanctum sub linguis igneis. Atque hoc est, quod antiqui solo lumine naturae veritatem hanc praeodorantes, teste Pierio Valer. (*libro 15*), ut significarent singularem alicuius sapientiam, linguam depingebant, quam manus digitis suis apprehendebat: sic enim innuebant eam solam linguam sapienter loqui, quam manus divini scribae velut calamum ducebat. Unde est, quod Megarenses Mercurio, quem ipsi Deum eloquentiae falso autumabant, non aliud victimae genus, quam animalium linguas offerebant, quasi deprecantes, caelestes sibi dari, ut sapienter eloqui possent. Quod si, ut refert Plinius (*lib. 7. cap. 37.*), Alexander publico edicto praecepit, ut nemo praeter Apellem, insignem pictorem, faciem eius depingere auderet, nec quispiam, excepto Pytgotele, celeberrimo statuario, illam sculperet, nec tandem ullus nisi Lisippus posset eandem aere fundere: sane ad Christum Dominum depingendum, et mirifica eius encomia exprimenda nullius tametsi eloquentissima lingua, si Spiritu sancto non moveatur, sufficiens esse poterit: unde profunde silentio satius, quam imperitis verbis Christi maiestas colenda, et exaltanda erit. In quo videremur imitari insignes, ac celebres illos duos pictores Dimantem et Apellem: ut enim refert Plinius (*libro 35 capi. 10.*), Timantes praevidens non posse in facie Agamemnonis ad vivum exprimere eximium moerorem, quem conceperat, cum charissima eius filia Ighigenia in victimam offerretur, vultum illius velamine texit, quo magis quam penicillo moestum, et tristem expressit. Apelles itidem cum in depingendis pulcherrimis quibusdam Graeciae feminis totam qua pollebat pingendi artem, effudisset, adhucque superesset ei Helenam, quae pulchritudine reliquas omnes longo intervallo antecedebat, pariter cum reliquis depingere; animadvertens artem eius ab Helenae venustate, et lepore longe superari, locum, quo depingenda



erat, vacuum reliquit, cum hac inscriptione *Hic locus Helenae*; quasi diceret: adeo pulchra est, ut non nisi ipsamet locum hunc implere possit. Non secus ea, quae ad Christi Domini maiestatem spectant, excelsa adeo, ac sublimia sunt, omnemque humanum captum praecellentia, ut nisi linguae divinus Spiritus manum admoveat, illam dirigens, nihil Christi gloria dignum effundere valeat. Ne ergo quispiam audaciae tribueret Davidi, quod divinas Christi laudes decantanti arduam, ac difficilem provinciam susciperet, idcirco praemittit ante omnia linguam eius, velut calamum a Spiritu sancto moveri, dicens (*Psal. 44.*): *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.*

Sed ad expositionem propius accedens, Oginale hebraeum habet. *Lingua mea calamus scribae velocis*, idest, doctissimi, atque eloquentissimi scriptoris: in hoc enim sensu non semel usurpatur in sacra Scriptura. Unde ad significandum, quod Esdras doctissimus erat in lege, ait (*1. Esdr. 7.*): *Et ipse scriba velox in lege Moysi*. Atque secundum hanc acceptionem divus Cyprianus (*libr. 2. ad Quiri. ca. 28*) locum hunc Davidis vertit in hunc modum: *Lingua mea calamus scriptoris acute scribentis*, ut divus Hieronymus (*sup. Ps. 44.*) observat, quod *scriba velox*, idem est, quod scriptor rerum per compendium, qui paucis verbis multitudinem sententiarum perstringit. Quia tamen nomine scribae hoc loco potest intelligi, vel ipse David, vel Spiritus sanctus, duplicem sensum sustinent proposita verba. Primus est, ut David in propria persona loquens, polliceatur paucis verbis non pauca divini Sponsi encomia artificiose, et compendiose comprehensurum fore. Secundus sensus, ut significet David, quod quamvis imperita, et balbutiens esset eius lingua ad divinas Christi laudes decantandas, excelsa nihilominus ac sublimia de Christo dicturus erat ex motione Spiritus sancti, velut scribae calamo eius lingua utentis, ac proinde etiam digna esse arcana in hoc suo cantico reseranda, ut aeternae memoriae mandarentur, ut aperte indicat Originale hebraeum, quod, ubi nostra vulgata vertit, *Calamus scribae*, habet verbum quoddam quod significat idem, quod *Stylus ferreus*, cuius meminit Iob, cum dixit (c. 19.): *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?*

Unde sicut olim antiqui, ut memoranda gesta ex hominum memoria nunquam exciderent, illa sculpere consuevere in lapideis columnis, quas in publico loco erigebant, prout fecisse legimus Machabaeos, qui propter libertatis privilegium Simoni Pontifici a Senatu Romano concessum, et munera, quae a Pontifice in gratiarum actionem Senatui Romano delata fuerunt, illud marmoreis columnis affixerunt; ita David hoc loco contendit, ea quae in lucem editurus est, digna esse, utpote ab Spiritu sancto infusa, ut indelebilibus characteribus in sempiternam rei memoriam exarentur.

### Speciosus forma prae filiis hominum.

Scio hunc locum explicare D. Basilium (*sup. Ps. 44.*), et Cyrillum (*lib. 5. in Ioa. c. 55.*) de pulchritudine divina, et increata, quae convenit Christo Domino quatenus Filius Dei legitimus, et imago naturalis eius est; verum cum David ait, speciosum esse prae filiis hominum, aperte indicat se praeferre, et conferre humanam Christi pulchritudinem cum pulchritudine eorum. Nec me latet D. Gregorium, Eusebium, Theodoretum, Euthymium, Remigium, Arnobium, Eugubinum, et Titelmanum existimare, regium Vatem loqui in propositis verbis de spirituali animae Christi pulchritudine; si haec tamen expositio vera esset, parum proculdubio extulisset illam David, humanae pulchritudini tantum illam anteponens, cum et Angelicam longe antecelleret. Praeter gratiam enim unionis hypostaticae, quae super omnes gratias tam productas, quam producendas, et producibiles primatum tenet, certe gratia habituali capitis, ut loquuntur Scholastici Theologi, quae omnium creaturarum gratiam supra modum superat, anima eius condecorata erat, ex qua velut ex fonte quidquid gratiae Angeli obtinuere, a Deo acceperunt: unde ipsi, sicut et homines, omnimoda veracitate usurpare possent illud D. Ioannis (*Ioan. 1.*): *De plenitudine eius omnes accepimus, et gratiam pro gratia*. Unde omissis his expositionibus, duplicem aliam veriorem exhibeamus. Prima est, Davidem loqui de corporali Christi pulchritudine, qua ex thalamo virginali prodivit: ita explicant D. Chrysostomus (*ho. 18. in Matth.*), Hieronymus (*ad Princ.*), Augustinus (*in Psal. 44.*), Bernardus (*serm. de omnibus Sanct.*), Cassiodorus (*in Psalm. 44.*). Eximiam hanc Christi pulchritudinem non solum probat ratio sed gravissima testimonia confirmant. Ratio quidem, quia iuxta communem Philosophorum sententiam corporis venustas ex tribus praecipue oritur, ex integritate, seu perfectione membrorum, ex mutua inter se proportione, et ex nativo colore, qui ex optimo temperamento habente quatuor humores *ad pondus* (ut medici loquuntur) resultat: quae omnia, vel quodpiam eorum Christo Domino defuisse nemo sanae mentis concedet, cum corpus eius efformatum fuerit a Spiritu sancto, excellentissimo omnium opifice. Si enim Adam, et Evam, quia ex manibus Dei immediate prodierunt, singulari pulchritudine donatos fuisse nemo inficiatur: certe cum secundus Adam ex virgineo thalamo per Spiritus sancti operationem prodierit, nemo illum, nisi amens, primo parente pulchriorem fuisse abnegabit. Testimonia itidem ad idem clarissima reperio: nam in primis extat insignis revelatio beatissimae Virginis facta sanctae Birgittae in haec verba: *Qualis erat filius meus in mundo, cognosce. Ipse tam pulcher facie erat, quod nullus videbat eum facie, qui non consolaretur aspectu eius, etiam si praecordialiter dolorem haberet. Iusti vero spirituali consolatione consolabantur, sed et mali*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*a tristitia saeculi tanto tempore, quo eum videbant, relevabantur. Unde et dolentes dicere consueverunt: Eamus, et filium Mariae videamus, et saltem tanto tempore relevemur. Anno igitur vigesimo aetatis suae in magnitudine, et fortitudine virili perfectus erat. Inter medios moderni temporis magnus, non carnosus, sed nervis, et ossibus corpulentus. Capilli eius, supercilia, et barba croceo brunea erant, longitudo barbae palmo per transversum manus. Frons vero non prominens, vel mersa, sed recta; nasus aequalis, non parvus, nec nimis magnus. Oculi vero eius tam puri erant, quod etiam inimici eius delectabantur aspicere: labia non spissa, sed clare rubentia. Mentum non erat prominens, nec nimis longum, sed pulchro moderamine cenustum. Maxillae carnibus modeste plenae. Color eius erat candidus, claro rubeo permixtus. Statura eius recta, et in toto corpore suo nulla macula erat, sicut et illi testabantur qui eum totaliter viderunt nudum, et ad columnam ligatum flagellabant. Numquam super eum vermis venit, non perplexitos, aut immunditia in capillis.* Est etiam illud testimonium Lentuli Romani (*Epist. ad Imperat. Tiberi.*), cuius meminit S. Antonin. (*in Chronico ex Eutropio*), et Egesipp. (*lib. de excidio Hierosolym. Iudaici populi praesidis.*) effigiem Christi his verbis explicantis: *Homo quidem staturae procerae mediocriter, et spectabilis, vultum habens venerabilem, quem intuentes possunt diligere, et formidare. Capillos habens coloris nucis avellanae praematurae, et planos fere usque ad aures; ab auribus vero cincinnos crispos, aliquantulum caeruleos, et fulgentiores ab oculis ventilantes, discrimen habens in medio capitis, iuxta morem Nazaraeorum; frontem planam, et serenissimam cum facie sine ruga, et macula aliqua, quam rubor moderatus venustat. Nas et oris nulla prorsus est reprehensio, barbam habens copiosam et intensam, capillis concolorem, non longam, sed in medio bifurcatam. Aspectum habet simplicem et maturum, oculis glaucis, variis, et claris existentibus. In increpatione terribilis, in admonitione blandus, et amabilis, hilaris servata gravitate. Qui tamen numquam visus est ridere, flere autem saepius. Sic in statura corporis propagatus, rectas habens manus, et brachia, et omnia visu delectabilia, in colloquio gravis, rarus, et modestus, Speciosus inter filios hominum;* haec ille. Extat etiam ad item tam insigne quam elegans testimonium Nicephori, quod his verbis refert: *Egregio is, vividoque vultu fuit, corporis statura ad palmos prorsus septem. Caesariem habuit subflavam ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos declinantem, supercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis subflavescentibus mirifica prominebat gratia, acres hi erant, et nasus longior. Barbae capilius flavus, nec admodum demissus. Capitis porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput eius non ascendit, nec manus aliqua hominis, praeterquam matris, in tenera aetate eius. Collum fuit sensim declive, ita ut non arduo et extento nimium corporis statu esset. Porro tritici referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem, sed qualis matris eius erat, paulum deorsum versum vergentem, ac modice rubicundam, gravitatem atque prudentiam cum lenitate coniunctam, placabilitatemque iracundiae expertem praeseferentem. Persimilis denique per omnia fuit immaculatae suae Genitrici;* hactenus antiquissimus, et eruditissimus Nicephorus. D. Hieronymus (*libro 1. in Matt. cap. 6.*) perlepide Christi Domini pulchritudinem his verbis descripsit: *Certe fulgor ipse, et maiestas divinitatis occultae, quae etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide, et succinis haec esse vis dicitur, ut annulos, et stipulam, et festucas sibi copulent, multo maiorem in Christi facie ad alliciendum vim explicat.* D. Hieronymus (*lib. 3 in Matt.*) ait: *Igneum quid, atque sidereum radiabat ex oculis Christi.*

Et divus Ambrosius (*libro tertio de Virginibus*) non obscure indicat eximiam Christi pulchritudinem, dum ait: *Christus matrem corpore, virtute referebat Patrem.* Beatam autem Virginem pulcherrimam fuisse tradunt Epiphanius (*libro de haeres.*), Antoninus (*4. par. tit. 5. cap. 11.*), Nicephorus (*lib. 2. cap. 23.*), Albertus Magnus (*super Missus*), Cedrenus nobilis historiographus (*in suo compendio histor.*): unde si Christus referebat matrem, necesse erat pulcherrimum esse. Unde diva Agnes de eo dixit: *Cuius pulchritudinem sol, et luna mirantur.* Beatus Laurentius Iustinianus humanam Christi venustatem eleganter describens, inquit: *Ascendente Christo, egrediebantur interdum Angeli, et delectabiliter intuebantur humanitatis illius elegantiam, praeclaram formam, radiantem faciem, imperiale decus, et honorabilem statum.*

Tandem id non parum putaverim excellentissimam Christi pulchritudinem detegere, memoriae proditum esse, ut tradit D. Ioannes Damascenus (*de fide orth. lib. 4 cap. 17*), cum Abagarus Edessae Rex insignem quendam pictorem misisse, ut Christi Domini faciem imagine aliqua exprimeret, minime id pictorem consequi potuisse ob eximium splendorem e Christi pulchritudine manantem: unde Christus Dominus hac comitate usus est erga Regem, quod pulchrae suae faciei pallium admovit, imaginemque suam ei impressit, quam Abagaro, ut pio eius desiderio faceret satis, misit. Atque historiam hanc non solum divus Damascenus, sed et Nicephorus (*libro secun. histor. capit. 7.*), Evagrius (*lib. quarto histor. capite 20.*), Hadrianus Papa (*epistol. ad Carolum Magnum quae extat, tom. 3 Conc. novae edi.*), et Summus Pontifex Stephanus in Concilio Romano, ut refert Cardinalis Baronius (*in suis ann. anno 31.*) tanquam veram, et certam adprobant, extatque in eius confirmationem insigne testimonium in Synodo Nicaena (*actione 2.*), ubi haec Leonis verba recitantur: *Edessam pertici, et venerandam imaginem non factam hominum manu, adorari, et venerari a populo vidi.* Demum si tantam fuisse commemorat Iosephus (*lib. 2. antiq. cap. 5.*) Moysis pulchritudinem, ut cum per vias et plateas civitatis Memphis incederet, artifices omnes ab operibus suis cessantes, certatim ad eum conspiciendum prosilirent; quantam putabimus fuisse corporis Christi elegantiam, et vultus eius venustatem, de quo Sponsa (*Cant. 1.*): *Ecce pulcher es dilecti mi, et decorus?* Decuisse autem Christum Dominum pulcherrimum fuisse, duplex ratio, multis aliis omissis, praecipue probat. Prima, quia Principis pulchritudo subditorum animos non parum sibi conciliat: unde Euripides apud Porphyrium (*capite de specie*) dixit: *Facies prima*, vel ut alii legunt, *Priami*, qui valde pulcher erat, *digna est imperio.* Hincque est, moris fuisse apud antiquos, ut referunt Strabo (*lib. 16.*), Diodorus Siculus (*lib. 17.*), Pomponius Mela (*lib. 3*), et ante omnes illos Aristoteles (*4. Pol. capite 4.*) ut in Reges pulchriores eligerent. Idem etiam mos viguit, ut tradit Stobaeus (*serm. 42*) apud Reges Aethiopiae, qui cum contingebat legitimum haeredem ex proprio sanguine deficere, pulchriorem, et elegantiorem inter subditos in regni successorem eligebant, naturam apum in hoc imitantes, quas constat, ut tradunt D. Basilius (*ho. 8. in Hexam.*), Amb. (*li. 8. Hexam.*), Plin. (*lib. 11 cap. 16.*), Seneca (*lib. 5. de clem. capite nono*) pulchriorem apem in Regem creare. Secunda ratio est, quia corporis elegantia, et pulchritudo, bonae indolis indicium, et pulchri etiam animi argumentum esse solet. Unde Plato (*in Alcibiade*) ex professo probat, bonitatem cum pulchritudine ut plurimum coniunctam esse.

Cuius sententiae non parum favet, quod, ut observant Hebraici, et Graeci idiomatis periti, idem verbum apud Hebraeos, et Graecos significat pulchrum, et bonum: unde etiam videmus in sacra Scriptura, pulchriores a Deo fuisse electos in Reges, ut subditi ex pulchritudine externa corporis internam animi conicerent. In Principem populi Israelitici, ut eum a tyrannica Pharaonis servitute educeret, Moysem omnium illius aetatis pulcherrimum elegit: eximia enim eius pulchritudo filiae Pharaonis Termutae persuasit, cum infans ille erat, in filium suum eum adoptaret, ut habetur (*Exodi secundo*). Quando etiam populus molestis precibus a Samuele exigebat Regem sibi dari, regia corona donavit Saulem qui corporis elegantia, et pulchritudine longe omnes antecellebat, ut (*1. Reg. 9.*) legitur: nam ubi vulgata nostra vertit: *Saul electus, et bonus, et non erat vir de filiis Israel melior illo*, alia translatio habet: *Iuvenis erat formosus Saul, et inter filios Israel nullus formosior illo*: et subdit sacer textus ad corporis eius elegantiam declarandam: *Ab humero, et sursum eminebat super omnem populum.* Saule vero a regia dignitate ob eius inobedentiam decidente electurus Deus loco illius alium Regem, Davidem pulchritudine valde conspicuum creavit, ut sacra Regum narrat historia, vocans illum *virum pulchrum.* E contra vero (*in Levitico cap. 2.*) legimus, ita ingratam fuisse Dei in veteri lege inelegantiam, et turpitudinem corporis, ut illa deturpatos, minime ad sacrificia offerenda admitteret: *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si coecus fuerit, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem etc.* Quin et ipsa animalia in victimam sibi sacrificanda, si maculam aliquam habebant, respuebat, ut habetur (*Deut. 21*), ubi dicitur: *Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel coecum, aut in aliqua parte deforme, vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo.* Ut igitur propheta David egregiam Christi Domini indolem, et animi pulchritudinem, mansuetudinem et lenitatem ostendat; a pulchritudine corporis laudes eius exorditur, quae omnium illorum non leve indicium esse solent.

Secunda expositio nostro instituto mirum in modum consentanea traditur a D. Augustino (*in expl. tituli psalm. 44.*), Eusebio Emisseno, et celebri doctore Beidembracchio (*in comm. dic. psalmi*) asserentibus Prophetam in his verbis, *Speciosus forma prae filiis hominum*, loqui de pulchritudine, quam Christus Dominus e ligno Crucis pendens, piis, et fidelibus hominibus, ex quibus coalescere debebat Ecclesia catholica, dilecta eius Sponsa, ostentavit: licet enim Isaias (*c. 53.*) dicat: *Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus*; id tamen in persona inimicorum eius dixit, qui tanquam hominem execrandum illum vilipendebant; quare statim subiungit: *Unde nec reputavimus eum.* Amicis tamen, et vere fidelibus, quanto magis deformata facie, tanto pulchrior, et elegantior videbatur; unde divus Augustinus (*sermone 9. Nativitatis, et de tempore 13.*) ait: *Ubique Christus Dominus pulcher occurrebat: pulcher in ligno, pulcher in coelo, pulcher et in sepulcro.* Itaque licet corporeis oculis appareat, quod *non est aspectus ei, neque decor*, perspicacissimis tamen fidei divinae luminibus, *Speciosus forma prae filiis hominum*, videtur. Imagines quasdam non semel ego vidi tam in Italia quam in Hispania, adeo singulari artificio affabrefactas, quae, cum ex uno loco illas intuebar, deformem colubrum referebant; ex alio vero loco easdem conspiciens pulchram faciem ob oculos mihi ponebant. Non dissimiliter Christus Dominus e Cruce pendens, si corporeis luminibus spectetur, deformi facie apparet; oculis vero fidei conspectus, summam pulchritudinem exprimit: sicut enim sub humilitate maiestas, sub infirmitate fortitudo latebat, quae nonnisi oculis fidei innotescebat; ita sub deformitate mira eius pulchritudo abscondebatur, quae tamen nonnisi fide illustratis oculis patebat: unde ubi nostra Vulgata legit: *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum* insignis commentator Fore-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

rius (*in comm. super Isai. c. 52.*) legit ex Hebraeo: *Quanto magis super eum obstupuerunt, eo maior erit gratia aspectus eius:* et subdit quod Christus Dominus sic despectus in Cruce adeo pulcher est, ut multi nullam aliam formam pulchriorem, aut maiori cum voluptate aspiciant quam Crucifixi vultum: unde D. Agnes, ut habetur (*in officio*), dixit: *Sanguis eius ornavit genas meas:* quod a D. Paulo didicit dicente (*ad Ephesios* 5.) Christum Dominum morti Crucis se tradidisse, ut lavacro sanguinis maculas et rugas Sponsae suae abstergeret, et pulchram illam redderet. Cui consonat illud Apocalypsis (*cap.* 7.): *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Sicut ergo aspicientibus oculis stellas caeli non videntur ordinate dispositae esse, cum plures quasi coacervatae, aliae vero quasi nulla servata distantiae proportione esse videantur, revera tamen mirabili ordine a Deo supremo opifice in caelo stellato sunt collocatae; ita sub deformitate illa Christi in Cruce pendentis, quae humano intuitui obiiciebatur, mira delitescebat pulchritudo. Hoc idem nobis Sponsus singulari quadam metaphora nostrae intentioni valde congrua manifestavit, dum laudans Sponsam, dixit (*Cant.* 4.): *Pulchra ut Luna.* Certum est tunc pulchriorem apparere lunam, cum plena est; plena vero tunc est, cum sol occidit. Ita sane Ecclesiae Sponsae Christi contigit, quae tunc plenior, et affluentior, tunc divinis charismatibus cumulatior, tunc pulchrior et venustior apparuit, quando sol iustitiae Christus Dominus occidit in Cruce. Sed et Sponsa itidem aliis verbis pulchritudinem Christi Domini non obscure significavit, dum dixit (*Cant.* 5.): *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, caput eius aurum optimum.* Existimaverim quidem candidum illum vocasse, quia candor erat lucis aeternae; rubicundum vero, quia in Crucis effusi sanguinis rubore, quasi purpura indutus erat: hic enim rubor oculis Sponsae mirum in modum illum pulchrum, et ornatum reddebat. Quod vero addit, *Electus ex millibus,* ubi alia translatio vertit, *Vexillum gestat in millibus,* aperte indicat, Christum pulchritudine illa longe omnes alios antecellere, sicut vexillifer omnes alios anteit. Cum tandem subiungit, *Caput eius aurum optimum,* alii vertunt, *Caput eius coronatum auro optimo:* constat autem Christum Dominum in Cruce redimitum extitisse corona spinea, ut tradunt D. Cyprianus (*ser. de pass.*), Origenes (*tract. 35. in Matt*), et alii permulti patres; alii transferunt: *Caput eius coronatum lapidibus pretiosis.* Haec autem quis non dicat pulchrum reddidisse oculis Sponsae Christum Dominum. Quod satis ipsa significavit, auro comparans caput eius: quod praeterquam inter omnia metalla pulcherrimum est, frequenter ad significandum pulchritudinem usurpatur. Unde Pindarus cuiusque rei pulchra initia *columnas aureas* vocabat. Homerus, et Virgilius Venerem propter eius pulchritudinem *auream* appellarunt. Pulchre etiam, et concinne loquentem, aurea verba proferre dicimus; proindeque divum Chrys auream eloquentiae flumen vocitamus. Quia ergo caput Christi spinea corona terebratur, pulcherrimum videbatur Sponsae: idcirco auro, quod pulchritudinis symbolum est, comparavit. Ad extremum verba illa Isaiae (*Isai.* 63.): *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua,* pulchritudinem Christi Domini, cum totus in Cruce vulnerum sanguine perfusus erat, mirum in modum efferunt. Et quidem in primis, cum Christus Dominus crucifixus fuerit in Hierusalem, et non in Edom, nec in Bosra, nec unquam regiones illas incoluisset; absque dubio cum Angeli aiunt Christum Dominum venire de Edom, quod interpretatur rubicundum, et de Bosra, quod fortitudinem significat, alludunt ad ruborem sanguinis in cruce effusi, et ad fortitudinem, quam in eius effusione tunc ostentavit, infestissimos suos hostes profligans. Ut significarent autem ruborem illum sanguinis mirum in modum illum decorasse, subiunxerunt (*ibidem*): *Iste formosus in stola sua.* Christus etiam respondens eisdem Angelis interrogantibus, unde ruborem illum, qui ita formosum illum reddebat, mutuasset, dixit illum accepisse in Crucis torculari (*Isai.* 63.): *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.*

### Diffusa est gratia in labiis tuis.

Postquam Propheta eximiam Christi vultus pulchritudinem laudaverat, ad extollendam eius eloquentiam, et singularem sermonis leporem progreditur, dicens: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Certe cum haec duo inter se copulantur, pulchritudo, et eloquentia, plurimum valent ad conciliandos animos, ut non obscure indicat illud, quod Olympiae Philippi Regis Macedoniae uxori contigit. Nunciatum fuerat ei, Thessalam pulchram feminam amatoria pocula, seu philtra Regi dedisse, quibus eius animum sibi penitus subdiderat. Continuo Regina praecepit illam ad praesentiam suam adduci, ut rei veritatem exploraret; at mirabilem eius venustatem intuens, cum singulari sermonis lepore coniunctam, in haec verba prorupit: *Valeant calumniae, tu enim in te ipsa medicamenta habes.* Quasi diceret: discedant falsae calumniae, non opus est te philtra condire, cum vultus tui pulchritudo, et verborum elegantia philtra sint, et amatoria medicamenta, quibus in Regis animo mirabiles tui possis excitare amores. Ut ergo divinus Vates amabiliorem redderet Christum Dominum Sponsae suae, non solum contentus est eius venustatem, sed et eloquentiam describere; et ideo subiungit: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Paraphrastes Chaldaeus vertit hunc locum in haec verba: *Datus est spiritus prophetiae in labiis tuis.* Divus autem Hieronymus docet, intelligendum esse de virtute, et efficacia, qua ad operandum verba Christi pollebant, iuxta illud (*Luc.* 24.): *Erat potens opere, et sermone:* et illud (*Psal.* 44.): *Dedit voci suae vocem virtutis.* Alii explicant de lepore sermonis eius, quem audientes dicebant (*Ioan.* 7.): *Nunquam sic locutus est homo.* Possumus etiam apte satis ad nostram intentionem verba haec (*Psal.* 44.), *Diffusa est gratia in labiis tuis,* de septem verbis Christi e Cruce pendentis intelligere, quibus ipse talem virtutem impertivit, ut latro converteretur; Centurio Filium Dei illum esse fateretur; et alii percutientes pectora sua reverterentur. Quae omnia non obscure indicant virtutem verborum Christi longo intervallo antecellere eam, quam Poetae Orfheo, Arioni, et Amphioni fabulose tribuerunt: nam si fingebant illes, ut referunt divus Augustinus (*lib.* 18. *de Civitat. Dei cap.* 13.), nec non Ovidius (*de arte amandi*), sui concentus suavitate etiam saxa ad se pertrahere: Christus Dominus saxea corda pertraxit, et homines more bestiarum viventes, in viros sanctissimos convertit, non vim aliquam eis inferens, sed suaviter alliciens, quia ut dixit Salomon (*Prover.* 6.): *Favus mellis composita verba, dulcedo animae, et sanitas officium.*

### Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Reddit Propheta causam, propter quam aeternus Pater Christum Dominum in sempiternum benedicturus erat, nimirum propter pulchritudinem, quam in cruce ostendit, et propter verborum leporem, quae in ea pendens locutus fuit. Quae autem haec fuerit benedictio, non est concors omnium sententia: nam D. Hieronymus, Cassiodorus, Lyranus, et Titelmannus (*in commentario huius loci*), interpretantur benedictionem illam fuisse glorificationem corporis Christi, exaltationem nominis sui, et potestatem ei super omnia concessam, iuxta illud (*Matt.* 28): *Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra.* Alii per hanc benedictionem intelligunt heroica Christi Domini opera, per quae in universo mundo innotuit, caelestibus bonis supra modum affluere, et a Patre multis benedictionibus donatum fuisse: est enim frequens sacrae Scripturae phrasis, ut adnotarunt D. Augustinus, et Sanctus Thomas, ut aliquid dicatur tale esse incipere, quando illud ab eo possideri aliis innotescit. Atque iuxta hanc expositionem sensus est, ut propter pulchritudinem Christi in Cruce, tum propter singularem eius doctrinam, miram eius sapientiam, et potentiam hominibus innotuisse. Alii diversam omnino viam ingressi, arbitrantur benedictionem hanc intelligendam esse de ea, quam iusti, propter merita Christi, a Deo recipiunt, iuxta illud (*Ephes.* 1.): *Benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in caelestibus, in Christo.* Unde D. Paulus (*Galat.* 3.) scribens, probat pollicitationem, quam Deus fecerat ad Abraham, benedicenti omnes gentes in filio illius, adimpletam fuisse in Christo, in quo omnes gentes per mortem eius benedictionem receperunt. Alii cum Euthymio exponunt benedictionem hanc esse quam fideles Christo Domino in gratiarum actionem praebent: unde perinde fuit dicere: *Benedixit te Deus in aeternum;* ac si diceret: Fecit aeternus Pater, ut fideles te benedicant, colant et venerentur in aeternum. In quo sensu usurpatum lego apud Homerum verbum *benedicere*, dum (*Odisseae* 1.) ait: *Strenuus esto, ut tibi aliquis in posterum benedicat.* Ceterum quamvis expositiones has omnes non inficiemur; aliam, ut mea fert sententia, satis germanam e sacris litteris haud difficile erit eruere. Benedicere enim non semel accipitur pro eo quod est foecundare, et copiosam filiorum sobolem alicui dare: in quo sensu dicitur (*Genes.* 9.): *Benedixitque Deus Noe, et filiis eius:* et (*cap.* 12.) Deus ad Abrahamum locutus, ait: *Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi:* et Regius Vates eandem usurpans phrasim inquit (*Psal* 106.): *Et benedixit eis, et multiplicati sunt.* Dum ergo nunc ait: *Benedixit te Deus in aeternum,* perinde fuit, ac si diceret: Dedit tibi ut sis Pater futuri saeculi, ita ut in lecto Crucis iacens quotquot filii Dei futuri sunt, a te progignantur, iuxta illud, quod Isaias (*c.* 53.) vaticinatus fuerat: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum:* quod et Christus Dominus adducta gravi metaphora pulchre explicuit (*Ioan.* 12.): *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert;* id est copiosam spiritualium filiorum sobolem, quam prae multitudine admirans Isaias (*c.* 53.) dixit: *Generationem eius quis enarrabit?* Licet enim haec verba nonnulli explicent de aeterna Christi generatione ex Patre, alii de temporali ex matre; certe verbis sequentibus Isaiae, *Quia avulsus est de terra viventium,* consentanea magis expositio est, ut intelligantur de spirituali filiorum generatione, quos in Cruce genuit, quando per mortem, velut arbor, abscissus fuit de terra viventium. Unde quemadmodum abscissa arbore solent nova germina velut filii eius pullulare; ita abscisso Christo Domino, qui arbor erat foecundissima, secus decursus aquarum ingentium tribulationum plantata, innumera iustorum novella germina, tanquam legitimi eius filii, pullulare coeperunt.

### Accipere gladio suo super femur tuum potentissime.

Pergit Propheta in describendis praeclaris dotibus, quibus divinus Sponsus Christus Dominus ornatus erat: unde postquam de eius pulchritudine, et sapientia, ut sponsae animum ad amorem eius impelleret, locutus fuerat, de eius mira fortitudine sermonem facit, ut eam securam reddat brachio Sponsi sui ab omnibus eius inimicis defendendam, ac vindicandam fore. Antequam tamen fortitudinem hanc elucidemus, oportet examinare, quid verbo cingendi, et nomine gladii, quibus regius Vates utitur, veniat intelligendum. *Accingere* bifariam potest ac-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

accipi. Primo, ut idem sit quod praeparare se ad bellum: nam olim apud Romanos, qui togis utebantur, hostes expugnaturi vestes complicabant, et succingebant: unde Consul, ut bellum indiceret hostibus, zona vestes cingebat, quam Gabinam appellabant, cuius meminit Virgilius (*lib. 7. Aeneidos*), dicens:

> Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
> Insignis referat stridentia limina Consul.

In hoc etiam sensu D. Paulus (*Ephes. 6.*) dixit: *State ergo succincti lumbos vestros*: ubi manifeste alludit ad milites bello accinctos, ut ex translatione Graeca colligunt periti illius idiomatis, qui a propriis locis non discedentes, impetum inimicorum expectant. Secundo solet usurpari verbum, *accingere*, ad ostendendam animi fortitudinem: unde olim in signum illius moris fuit strenuis militibus cingulum seu baltheum militare praebere, quo ensem accingebant. Unde cum duces militis alicuius insolentiam plectere volebant, baltheo militari illum expoliabant. In quo sensu Iob (12) dixit: *Baltheum Regum dissolvit*, id est privat eos honore quo antea gaudebant: et Isai. (23.) ait: *Non est cingulum ultra tibi*: ubi Pagninus legit: *Non est fortitudo tibi ultra.* Duo ergo significat David in praedictis verbis. Primum est, quod Christus Dominus in montis Calvariae palaestra infestissimos suos hostes debellaturus, prius fortitudinis suae baltheo se accinxit. Secundum est, Christum Dominum in die belli ostentaturum fore miram eius fortitudinem, tres illos fortissimos hostes devincendo, mortem, peccatum, et daemonem. Mortis fortitudinem nemo est qui non agnoscat, cum eius insigne sit: *Nemini parco*: unde Spiritus sanctus, ut amoris fortitudinem significaret, mortis robori eam comparavit, dicens (*Cant. 8.*): *Fortis est ut mors dilectio.* Fortitudinem autem peccati magnam esse praeterquam id clare ostendit, quod mors primogenita eius est, ut dixit Iob, a quo tanquam filia a parente vires, et robur suum mutuabit, unius solum peccatum Adami totum genus humanum expugnavit, originali macula illud inficiens. Fortitudinem tandem daemonis multifariam, multisque modis exaggerant divina monumenta: nam Iob (40) vocat illum *Behemoth*, *Leviathan*, *Regem super omnes superbos*: David appellat eum aspidem, basiliscum, draconem et leonem: Isaias fortem, robustum, et gigantem: ac tandem Christus Dominus fortem armatum illum vocavit. Cum ergo ipse hos fortissimos hostes in Crucis patibulo viriliter profligarit: unde ipse dixit (*Osee 13*): *O mors ero mors tua*: et alibi (*Ioan. 12*): *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*: Isaias (*c. 25*): *Praecipitavit mortem in sempiternum*; quam in Cruce praecipitasse catholica testatur Ecclesia, canens: *Qui mortem nostram moriendo destruxit*; manifestum est, Christum in Cruce mirum in modum invincibilem suam fortitudinem ostentasse.

Sed iam ad secundum accedentes, quid nomine, *gladii*, regius Vates intelligat, edisseramus: ex hoc enim germana intelligentia illorum verborum palam fiet. Scio divum Ambrosium (*Psal. 118.*), quem secutus est Iansenius, per gladium hunc intelligere divinitatem, quam uniens humanitati in die incarnationis, eam accinxit. Scio etiam divum Hieronymum, Augustinum, Euthymium, Cassiodorum, Vatablum (*sup. Psal. 44.*), existimare per hunc gladium significari doctrinam, et praedicationem Christi Domini: haec enim fuit gladius, quo ipse hostes suos gloriose superavit. Unde Isaias (*c. 11.*) ad id significandum dixit: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium*: et Apostolus (*Heb. 14.*) vocavit illum gladium ancipitem: *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* S. Clemens Alexandrinus (*primo Strom.*) refert, divum Petrum solo verbo Ananiam et Sapphyram interfecisse, sicut olim etiam, ut ipse opinatur, Moyses Aegyptium solo verbo interemit. Si ergo divinum verbum in alieno ore positum tanta ac tam mirabili fortitudine pollet; quantae quaeso fortitudinis erit, cum ex proprio Christi ore prodierit? Illam certe experti fuere plusquam quingenti milites illius cohortis, qui audito illo verbo Christi, *Ego sum*, omnes pariter retrorsum ceciderunt; illamque multo antea praedixerat Isaias in persona Christi, dicens: *Posuit os meum quasi gladium acutum.* Hoc certe gladio non solum vitia destruxit, sed infernum etiam expoliavit, indomitam carnem nostram domuit, lascivientem appetitum compescuit, ac tandem huius gladii acie separavit filium a patre, filiam a matre, nurum a socru: *Litigat pater cum filio*, ait Rufinus (*sup. psal. 44.*), *quia vult filius servire Deo: ille promittit terrenam haereditatem, iste appetit caelestem; ille pugnat, iste repugnat; sed fortior est gladius spiritualis separans, quam natura carnalis copulans*: haec ille. Quae omnia uno verbo Christus Dominus dixit (*Mat. 10.*): *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Verum his expositionibus supersedens, ut proposito nostro argumento inserviamus, doctissimi Hesychii (*sup. Ps. 44.*) expositionem amplectens, per gladium intelligendam esse reor Crucem in qua Christus pependit: verba eius sunt haec: *Gladium crucem vocat: hac enim tamquam gladio usus, duos hostes, diabolum, et mortem interfecit. Accingere ergo cruce in carne, quae vere hostes nostros superare potuit.* Crucem autem in sacra Scriptura pro gladio usurpari, non semel legimus: nam Isaias (*c. 27.*) dixit: *Visitavit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti super Leviathan*: et Zacharias (*c. 13.*) ait: *Framea suscitare super pastorem meum*: et David (*Psalm. 21.*) in persona Christi: *Erue e framea Deus animam meam.* Ex quibus locis non obscure colligitur, ob duplicem causam merito Crucem gladium vocari, et quia vitae Christi telam praecidit, et quia



hostes suos confodit. Est tamen observatione dignum, quod ad illos expugnandos non aereo, et splendenti gladio, sed ligneo et obscuro illos debellavit: hoc enim mirifice Christi fortitudinem commendat, nam quanto infirmioribus ac debilioribus armis fortissimus vincitur hostis, tanto magis potentia vincentis effulget; ut contingit Samseni in Philisthinorum expugnatione, quos non districto ense, non hasta vibrante, non sagittarum ictibus, sed asini mandibula ignominiose interfecit. Simile quidpiam accidit Davidi, qui debellaturus gigantem Goliath fortissimis armis munitum, non gladio, sed quinque lapidibus lethali vulnere eum percussit. Non dissimiliter, ut portata a Christo de hoste victoria magis eluceret, et commendabilior esset, non armorum strepitu, non militibus stipatus, non tormentis bellicis utens, sed infirmo Crucis ligno aereas potestates devicit.

Specie tua, et pulchritudine tua intende prospere, procede, et regna.

Doctores Hebraei, quos secuti sunt Euthymius, Eugubinus, et Iansenius, coniungunt haec verba cum praecedentibus: sic enim legunt, ut Folengius observavit: *Accinge gladium tuum super femur gloria tua, et decor tuus*, hoc est, gladius hic gloria tua est, atque decor, o potentissime. Piacuit haec lectio Paraphrasti Chaldaeo, verba illa persimili modo sic vertenti: *Cinge ensem tuum super latus tuum o fortis, quo interficias Reges et Principes splendore tuo et gloria tua.* Ceterum nostra Vulgata, et septuaginta Interpretes connectunt verba illa (*Psal. 44.*), *Specie tua, et pulchritudine tua*, cum sequentibus verbis, *Intende prospere, procede, et regna.* Unde sensus erit, Christum Dominum mediante decore, et pulchritudine, quam in Cruce ostendit, multorum animos imperio suo subiugasse, et inde regnare coepisse, ut praedixerunt David (*Psal. 92.*): *Regnavit a ligno Deus*; et praeviderat Isaias, cum dicit (*c. 9.*): *Et factus est principatus super humerum eius.* Alii Reges stabilire volentes sua regna, fundant illa super humeros subditorum, variis tributis illos vexantes, quibus minatur his verbis (*Habac. 2.*): *Vae qui aedificant civitatem in sanguinibus*; at Christus Dominus novum suum regnum fundat super humeros suos, Crucis pondus et dolores pro subditis in corpore suo sustinens. Unde ubi nostra Vulgata legit, *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphyris*; alii vertunt: *Sternam ordine lapides tuos in fuco, vel in stibio*: ubi divus Hieronymus observat, allusisse Prophetam ad fucum muliebrem, quo supposititiis figmentis feminae facies suas decorant. Vult ergo Propheta, regnum hoc Christi fundandum esse non in pulchritudine naturali corporis Christi ei congenita, sed in supposititia, et adventitia, quam lividus color colaphorum, candidus salivarum, purpureus sanguinis ex spinarum puncturis per sacrum eius vultum decurrentis, ei praestituri erant: *Per manus iniquorum affigentes*, ut Petri verbis (*Act. 2.*) utar. Subiungit continuo Propheta: *Intende prospere, procede, et regna*: idest, ut Chaldaeus Paraphrastes vertit: *Gloria autem tua multiplicaberis filios, sic prosperaberis.* Rufinus (*in commentario huius loci*) varias insinuat expositiones: ait enim: *Dici potest prospere procede, de una gente ad aliam, et regna in acquisitis secundum bonos mores et virtutes. Potest etiam intelligi hoc modo: Intende in specie, et pulchritudine tua, ut imaginem et similitudinem, quam primo nostro parenti dedisti, in filiis eam renovare et reformare digneris. Prospere procede; prospere ex utero virginali progredere; prospere de sepulchro consurge; prospere ab inferis ad Patrem revertere.* Constat autem totam hanc felicitatem, et prosperitatem ortum habuisse ex sanguine, quem divinus hic Sponsus (*Exod. 4.*): *Quia Sponsus sanguinum est*, in ara Crucis effudit. Sed Chaldaicae interpretationi insistens, quae prosperitatem hanc (ut diximus) intelligit de multiplicatione filiorum, quos Christus in Cruce progenuit, apte id accommodari potest quod Plutarchus (*in Apophtheg.*) de Agesilao Lacedaemonum Rege commemorat, qui interrogatus quousque secundum latitudinem loci regnum et imperium eius protendendum esset, ipse arripiens ab extremitate hastam, quantum brachio potuit, illam porrexit, dicens: *Quousque haec perveniat*: significans tantum dilatandum fore eius regnum, quantum robore proprii brachii hastam vibrantis comparare potuisset. Non dissimiliter regnum Christi eo sane pervenit, quo Crucis hasta se extendit: et ideo Propheta ad id illudens, praevidens Christum a Crucis ligno regnantem, ait illi: *Intende prospere, procede, et regna.* Dilatationem hanc egregia quadam metaphora significavit Christus Dominus per Davidem prophetam eam praedicens (*Psal. 107.*): *In Idumaeam extendam calceamentum meum, mihi alienigenae subditi sunt.* Quae verba duplicem sustinent sensum. Primus est, ut calceamentum significet idem, quod possessio, quia possessio idem est quod pedum positio, qua locorum possessiones sumuntur: unde proiicere a se calceamentum, erat cedere iuri alicuius possessionis, ut habetur (*Ruth 4.*). In hac ergo acceptione perinde fuit, ac si diceret, in omnes gentes extendam dominium meum: per Idumaeam enim omnia Gentilium regna intelliguntur, ut (*in commentario illius loci*) observant divus Hieronymus, et Gregorius. Secundus sensus magis nostrae intentioni consentaneus est, quem tradunt Nazianzenus (*orat. in S. Lum.*), Augustinus (*Ps. 59.*), Basilius (*Ps. 61.*), Eucherius (*libro de formis*), Hugo (*Ps. 59.*), Rupertus (*Ioan. 1.*): hi omnes Patres asserunt, per calceamentum intelligi sacram Christi humanitatem, qua velut calceata erat divina Maiestas; unde divus Gregorius Nazianzenus (*homil. 7 in Evangel.*), et Ambrosius (*de instit. virgin. c.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

14.) verba illa Ioannis, *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius*, de Christi humanitate Verbo unita explicant: et metaphora quidem est satis congrua: tum quia sicut intra calceum latet pes, ita sub sacra illa humanitate Verbi divinitas delitescebat; unde Isaias (*c.* 45.) dixit: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator*: tum mirifice ad nostram intentionem; quia sicut calceus fit ex mortui animalis pelle multis percussionibus concussa; ita mortalis Christi humanitas innumeris fuit percussa doloribus et permultis laboribus, imò et clavorum ictibus in Crucis ligno concussa. Sensus ergo erit, ut Verbum divinum dicat se in possessionem Gentium introducendum mediante eius humanitate clavis confixa, qua calceatum incedebat, hoc est mediante passione corporis, et morte illius.

Possumus etiam addere tertium alium sensum ex doctissimo quodam Hebraeo Rabbino, nomine Immani (in *Psalm.* 107), in hunc modum vertente praedicta verba: *In idumaeam extendam chirothecam meam*: alludit sine dubio ad consuetudinem antiquam: cum enim Dux urbem aliquam obsidebat, intra civitatis moenia chirothecam mittebat, in signum quod minime ablaturus esset obsidionem, quousque eam devicisset, vel sponte illa ei se tradidisset. Ita sane Verbum divinum cum obsidionem super Gentilitatem posuisset, ut eam sacrae suae servituti subiugaret, mittit in illam chirothecam suae humanitatis, passionis doloribus instar pellis chirothecae concussam, protestans minime auferendam sibi obsidionem, quousque illa sponte, ac libere divina eius gratia suffulta, suae ditioni ac imperio se subdiderit. Nomine autem chirothecae apte designari humanitatem Christi, ex duplici ratione praecipue constat: tum quod chirotheca manum cooperiat; est autem Dei Filius manus Dei: unde dicebat (*Psal.* 151.): *Emitte manum tuam de alto, et eripe me*: humanitas ergo Christi manum hanc Dei cooperiens velut chirotheca eius erat: tum quia sicut chirotheca, et maxime Principis, solet variis unguentorum pigmentis, ut florum liquore, ambaro, vel muschio condiri, quorum odoris suavitate domus repletur; ita sacra illa humanitas divinorum charismatum unguentis fuit delibuta, cuius fragrantia innumeras gentes ad se currentes pertraxit, quae cum Sponsa dicebant (*Cant. c.* 1.): *Curremus in odorem unguentorum tuorum*. Ut magis autem Propheta prosperum hoc Christi dominium, et eius excellentiam commendaret, postquam dixit: *Prospere procede*, continuo subiunxit, *et regna*: ubi Hebraicae linguae periti acute observarunt, quod verbum Hebraicum originale, cui correspondet latinum verbum *regna*, significat *equitare*, quod apte usurpatur pro eodem quod regnare: nam qui equitat, si equitandi arte peritus sit, non solum equum ducit, quo lubet, sed omnino sibi subiectum, et quasi ad nutum habet; ita ut quod alii calcarium puncturis ab equo extorquere non possunt, ipse suavi ac leni virgulae percussione facile ab eo obtineat. Ut ergo Propheta exprimeret, Christum Dominum fortiter et suaviter universum orbem sibi subditurum fore, strenuo equitanti illum comparat, qui equum nulla illata ei violentia sibi subiicit, regit atque gubernat; et ideo ait, *equita*, seu *regna*, quod et docuit divus Paulus (2. *Cor.* 15.) dicens: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*.

Propter veritatem et mansuetudinem, et iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua.

Postquam regius Vates sermonem fecerat de regno, quod Christus Dominus per sanguinem suum in ligno Crucis acquisierat, iuxta illud (*Apoc.* 5.): *Fecisti nos Deo regnum in sanguine tuo*; pergit nunc ad manifestandam veritatem, mansuetudinem, et iustitiam regiminis illius, quo regnum suum tuetur, atque conservat: quia non minor est virtus parare, quam parta tueri. Unde Plutarchus refert, Augustum Caesarem valde admiratum fuisse, quod Alexander post devictam Asiam, et Europam dixisset; nescio quid in reliquo vitae meae tempore faciendum sit, cum iam nullum regnum restet mihi acquirendum: hanc enim sententiam Augustus Caesar his verbis labefactavit: *Quia non maius opus Alexander existimasset partum gubernare imperium, quam magnum acquisisse*. Manifestat ergo Propheta in praedictis verbis heroicas Christi virtutes, quibus partum regnum semper conservat, inter quas primo loco commemorat veritatem, et mansuetudinem: nam ut dixit Salomon (*Prov.* 20.): *Misericordia, et veritas custodiunt Regem, et roboratur clementia thronus eius*. Bene quidem ait roborari veritate et clementia thronum Principis: nam si ille in promissis verax est, et cum miserendi occasio se offert, subditos a miseria sublevat, omnium animos in amorem suum accendit. Nulla autem strenuior ac diligentior custodia Principis throno adhiberi potest quam amor; unde antiqui illum depinxerunt armatum et dormientem, ut significarent, secure posse dormire dilectum, cum ad eius custodiam amor assistit. Quod non obscure indicavit sponsa cum dixit (*Cant.* 25.): *Ego dormio, et cor meum vigilat*, id est: Secura sum, quod nemo me dormientem excitabit, quia Sponsus, qui est cor meum, et amor meus, vigilat in mei custodiam. Refert Seneca, Imperatorem Neronem in familiari quadam confabulatione dixisse: *Ferrum tuetur Principem*; at ipse continuo respondit: *Melius fides*, idest promissa adimplere; cui si mansuetudo et clementia iungantur, mirum in modum Principem suis subditis amabilem reddunt. Quod probe novisse mihi videtur Imperator Severus: nam cum animadverterent Mammaea eius mater, et Memmia uxor eiusdem, severum non esse, ut nomen Severi praeseferebat, dixerunt ei, eximia sua mansuetudine regalem auctoritatem demittere, et minuere; quibus ipse respondit dignam tanto Imperatore sententiam, *Immo securiorem, et diuturniorem reddo*. Cui non dissimilis est alia Antiochi Regis Macedoniae responsio, qui interrogatus quid causae esset quod in iuventute severum, in senectute vero benignum se exhiberet; respondit: *Prius opus fuit regno, nunc gratia et benevolentia*: quibus verbis sapienter admodum indicavit, quod quamvis regnum armorum vi, et violentia soleat comparari, conservari vero nonnisi benevolentia, et clementia. Verum tamen est, debitis temporibus iustitiae virgae manum a Principe esse admovendam: quod ut Aegyptii significarent, pingebant, ut refert Pier. Valer. (*lib.* 9.), sceptrum, in cuius vertice quaedam erat ciconia, in extremitate vero inferiori Hippopotamus. Sceptrum regnum denotabat; ciconia, quae pissima est, clementiam: hippopotamus animal ferocitate praeditum, rigorem: quia licet Rex mansuetudine insignis esse debeat, iustitiae virga non omnino oblivisci debet. In Christo autem Domino omnes has virtutes mirifice enituisse, et praesertim cum e Cruce pendebat, nemo sanae mentis inficiari poterit: adeo enim verax erat, ut David (*Psal.* 42.) vocaverit illum non solum veracem, sed ipsam veritatem: *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam*: nec solum fuit verax sermone, sed opere etiam, implens pene omnia Dei promissa, ut ultimo verbo in Cruce expressit, dicens: *Consummatum est*. Unde Ioannes (*Apoc.* 3.) ait: *Haec dicit Amen, testis fidelis*, ac si diceret: Christus haec loquitur, qui est *Amen*, et *fiat*, et *fidelis*, in adimplendis promissionibus. Mansuetudinem vero eius quis ignorat, cum *tanquam agnus coram tondente se obmutuerit*, ut dixit Isaias (*c.* 53); maxime quod tanta est Agni mansuetudo, ut interficienti se carnem, et sanguinem suum praebeat in cibum. Ita Christus Dominus omnibus se in Eucharistiam exhibuit in cibum, et potum, etiam interfectoribus suis (*Matt.* 26): *Accipite, et manducate, hoc est corpus meum*. Cum hac tamen tanta mansuetudine iustitiam, ut decet Principem, miscuit: nam praeter commutativam, quam in Cruce exercuit, Patri sanguinis sui pretio inaestimabili condignam de toto rigore iustitiae satisfactionem exhibens, vindicativam etiam manifestavit, sacrilegos templi profanatores flagello ex funiculis confecto a domo Dei eiiciens, infructiferam ficum maledictione sua exsiccans, Pharisaeorum hypocrisim, et sanctitatis fucum acriter obiurgans, sepulcra dealbata, et Satanae germina illos vocans: *Vos ex patre diabolo estis*. Ac tandem non semel severis suppliciis divinae legis praevaricatores afficit. Sed quia ut dixit divus Iacobus (*c.* 2.): *Superexaltat misericordia iudicium*, quoties Christus plectit, nunquam quantitas poenae adaequat magnitudinem culpae, ut non obscure significavit Isaias (*c.* 59.) his verbis: *Peccata nostra responderunt nobis, quia scelera nostra nobiscum*. Pro cuius loci exacta intelligentia observandum est, duo nobis in eo edoceri: primum est, supplicia, et labores, quos Deus immittit, ex propriis nostris peccatis oriri: nam ut dixit Gregorius: *Nulla ei noceret adversitas, si nulla dominaretur iniquitas*. Equidem homine non offendente Deum, nulla illum offendebat creatura; ipso autem contra Deum insurgente, omnes contra eum insurrexerunt. Unde sicut canes Actaeonis, ut refert Ovidius (*Methamorph.* 3.) cervi pelle indutum videntes, in illum acriter irruerunt, et in frusta conciderunt, ita creaturae videntes hominem, cui antea subdebantur, deformi peccati pelle indutum, debitam ei servitutem, et subiectionem denegantes, acerrime illum invaserunt, variis miseriis, et aerumnis eum opprimentes. Confirmant hanc veritatem verba Davidis (*Psal.* 38): *Propter iniquitatem corripuisti hominem*, et quae sequuntur, non minus eandem corroborant: nam ubi nostra Vulgata legit: *Et tabescere fecisti sicut aranea animam eius*, D. Hier. iuxta Originale hebraeum vertit: *Evanescere fecisti, vel dissolvisti quasi tinea animam eius*; quasi diceret: sicut tinea, quae corrodit lignum, ex ipso nascitur, ita supplicia, ac labores quos peccator sustinet, ex propriis eius peccatis ortum habent. Secundum in praedictis verbis observatione dignum est, quod cum dicit, *peccata nostra responderunt nobis*, ubi peccata intelligit poenas peccatis debitas (licet Rufinus existimet Prophetam usurpare metaphoram agrorum, de quibus solemus dicere vulgari sermone loquentes, ager hic respondet, vel refert tantam quantitatem frumenti, pro tanta in eo seminata, quam phrasim redolent verba Virgilii (1. *Georg.*)

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolae, etc.

Unde sensus erit, quod sicut feracis agri abundantiores sunt fructus, quam semina; ita poenae respondentes peccatis maiores esse solent, quam eorum voluptas fuerit. Mihi tamen verba illa videntur explicanda per methaforam Echo, de qua (*Sapientiae* 17.): *Resonans de altissimis montibus Echo: deficientes faciebat illos prae timore*. Sicut enim vox Echo non respondet integra, sed contracta (nam ex verbo nonnisi unam, vel alteram syllabam refert), ita poenae ac labores praeterquam ex peccatis ipsis proficiscuntur, sicut vox Echo a vociferante praecipue ortum habet, nunquam respondent plene, et adaequate magnitudini peccatorum. Quod adeo verum est, ut non solum in hac vita, sed et in futura, licet Deus praemiet ultra condignum, citra condignum tamen semper puniat, ut loquuntur Scholastici Theologi. Cum igitur in Christo adeo emicuerint veritas, mansuetudo, et iustitia; manifesto constat, his virtutibus, quae bonum Principem decent, cumulatissimum fuisse.

Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis.

Quamvis apud deceptam Gentilitatem multiplex viguerit modus proprios Deos depingendi iuxta varias diversarum nationum praedominantes affectiones: Lacedaemonii enim illos depingebant armatos, quia potentiae suae armis omnia subdebant: Assyrii compedibus ligatos, ne fugerent a se: Phoenices auro, et argento plenis crumenis et cingulo pendentibus, quia auro dicebant omnia dominari: *Pecuniae* enim *obediunt omnia*; nihilominus tamen in depingendis tribus diis, Cupidine, Iove, et Apolline, concors fuit omnium sententia, dum illos omnes cum arcu, et sagittis depinxerunt, Cupidinem quidem, quia amoris; Iovem, quia vindictae; Apollinem, quia eloquentiae sagittis mortalium corda feriebant. His praelibatis divinus Sponsus Christus Dominus in throno Crucis sedens videtur mihi hoc triplici sagittarum genere instar strenuissimi iaculatoris hominum corda transfigere. Arcus eius Crux est, vel brachia illius in Cruce extensa, ut per Davidem (*Psal.* 17.) ipse praedixerat: *Posuisti ut arcum aereum brachia mea*; inde nullus velut caelestis Cupido arcum suum tetendit, et in eo paravit, non ut olim, sagittas mortis, sed vitae, sed benevolentiae, sed amicitiae, et charitatis, quibus Sponsa percussa dixit (*Cant.* 2.): *Amore langueo*, vel ut alii ex Hebraeo vertunt: *Vulnerata sum charitate*. Sed cuius, quaeso, cor etsi aeneum non vulnerent sagittae tam ardentis amoris, ut qui auctor vitae erat, mortem sustineret ad hoc ut vitam nobis donaret? Possumus etiam dicere cum D. Hieronymo, per has sagittas intelligi sacros Apostolos, iuxta illud (*Psal.* 126.): *Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum*: has enim sagittas Christus Dominus ex pharetra divini sui amoris extrahens, in mundum misit, ut prava, et pravos dissiparent, iuxta illud (*Psal.* 15.): *Misit sagittas suas, et dissipavit eos*. Ex Cruce etiam Christus Dominus velut divinus Iupiter, qui iuvans pater interpretatur, potentiae suae sagittis non homines, ut ille, sed hominum peccata confodit: sicut enim Marco Manilio id referente, Alco peritissimus sagittarum iaculator, cum ingentem colubrum invasisse in silva filium quendam suum, quem ad venandum secum duxerat, et undequaque cingentem corpus eius cum ingenti vitae illius discrimine cerneret, paterna pietate commotus arcum tetendit, impulsumque sagittae tam singulari arte, et industria attemperavit, ut colubrum transfigens, et illum interficiens, filium indemnem omnino reliquerit; et addidit Marcus Manilius, *Mirabile fuisse hoc opus; sed ars erat esse patrem*. Ita Christus Dominus videns peccatores peccati colubro undique eos circundante oppressos, quamvis revera posset illos ardentibus irae suae sagittis interimere, et in inferni barathrum detrudere, taliter tamen has sagittas temperat, ut eorum malitia non eos evertat: *Ars enim erat esse patrem*: ut et David (*Psal.* 102.) dixit: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*. Tandem velut divinus Apollo, Christus Dominus tam in terra degens, quam in caelo regnans, verbis suis velut sagittis acutissimis corda hominum penetravit, quia sermo Dei penetrabilior est omni gladio ancipiti: solo uno verbo: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum*, Apostolos ad se pertraxit, et Principes Ecclesiae constituit, et postea ex empyreo caelo clamans: *Saule Saule, quid me persequeris*, ex lupo rapaci, et immani in mansuetum agnum convertit, et Ecclesiae infestissimo persecutore, clarissimum gentium doctorem effecit. Ad haec igitur omnia sagittarum genera respiciens Propheta, dixit (*Psal.* 44.): *Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, in corda inimicorum*; quasi dicat: mira illarum sagittarum virtute omnium corda transfixa tuae ditioni subdentur, teque ut Regem suum adorabunt: cadere enim pro adorare frequenter in sacra Scriptura usurpatur. Unde de Abigail ait (2. *Reg.* 25.): *Et cecedit ad pedes eius*, et de Thecuite (2. *Reg.* 14.): *Cecidit coram eo super terram, et adoravit*.

Sedes tua Deus in saeculum saeculi, virga directionis, virga regni tui.

Ecce insignem locum ad probandam divini huius Sponsi divinitatem, cum regius Propheta vocet illum Deum, cuius loco in Originali hebraeo est, *Tetragrammaton*, quod soli Deo, ipsis Iudaeis attestantibus, convenit. Et licet ipsi, ut frequenter consuevere, velint hoc testimonium eludere, legentes, *Sedes tua Dei in saeculum saeculi*, praeterquam pugnat haec lectio cum communi omnium Patrum intelligentia, satis est viro catholico, quod hoc testimonio utitur D. Paulus (*ad Hebraeos* 1.) ad comprobandam Christi divinitatem. Hinc ergo est, quod cum Christus sit Deus aeternus, aeternum etiam debet esse regnum; et ideo ait Propheta (*Psal.* 44.): *Sedes tua Deus in saeculum saeculi*. Deinde hoc est discrimen inter regnum aliorum principum, et regnum Christi, quod illud est labile, et caducum, hoc firmum, et in aeternum duraturum: unde David (*Psal.* 144.) cecinit: *Regnum tuum regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione, et generatione*. Huius autem discriminis causam duplicem pracipue arbitror assignari posse, desumptam ex verbis ipsius David, quorum expositioni nunc insistimus. Prima, quia cum regnum hoc non sit puri hominis, sed Dei virilis, seu hominis Dei, *Sedes tua Deus*, certe ab aeternitate, quod habet ipse per essentiam, regnum hominis mutuat aeternitatem per participationem.

Secunda ratio venanda est ex diversitate fundamenti utriusque huius regni: firmitas enim et diuturnitas aedificii maxime dependet ex conditione fundamenti. Regna temporalia futili, et infirmo fundamento nituntur: coeperunt enim fundari quaedam in tyrannide, quaedam in insatiabili auri cupiditate, quaedam tandem in ambitione, et inanis gloriae desiderio; et cum haec omnia fundamenta vana sint, facile superaedificata eis regna evanescunt, et in ventum resolvuntur, ut testantur Daniel (*c.* 7.), et Zacharias (*c.* 6.): quibus quatuor monarchiae per visionem ostensae et sub figura quatuor equorum dictum est: *Hi sunt quatuor venti*, quibus manifeste miram eorum caducitatem expressit. At regnum Christi Domini, cum non in tyrannide fundetur, non in cupiditate, et ambitione, sed in virga directionis, hoc est in iustitia, quae valde conservat regna (nam ubi Vulgata nostra legit, *Iustitia, et iudicium correctio sedis eius*, Carpensis vertit: *iustitia, et aequitas fulcra, vel firmamentum eius*), nec non in sanctitate, in mansuetudine, in vitae integritate, ac tandem in profuso sanguine suo, quae firmissima, et incorruptibilia fundamenta sunt, firmissimo, et incorruptibili fundamento erectum est, ut Daniel (*c.* 7.) praedixerat: *Potestas eius potestas aeterna, quae non praeteribit, et regnum eius non corrumpetur*. Ad quod manifestandum ait Propheta (*Psal.* 96.): *Sedes tua Deus in saeculum saeculi, virga directionis, virga regni tui*. Sed quia in superioribus non semel ostendimus Christum Dominum a ligno regnasse, non incongrue dicemus virgam hanc Crucem esse, instar sceptri Christi Regis, per illud Assueri, quod Esther osculata fuit, et illud quod Iacob moribundus adoravit, adamussim praefigurati, cuius meminit D. Paulus (*ad Haebreos* 11.) scribens. D. Chryst. (*hom. de Cruce*) vocat illam, *insigne regale*. Hoc ergo sceptro, et virga Christus Dominus tyrannorum regum sceptra contrivit, mundum devicit, peccatum fugavit, et inferni seras confregit. Sicut enim olim Moyses prodigioso illo sceptro, seu virga, quam manu gestabat, ut prorex populi Hebraei, insignia prodigia patravit, submersit Ægyptios, ditavit Israelitas, aquas convertit in sanguinem, petram velut fontem scaturire fecit; non dissimiliter Christus Dominus prodigiosa Crucis virga mira portenta ostentavit, visibiles, et invisibiles inimicos profligavit, coelestibus charismatibus animos locupletavit, dulces voluptatum aquas in sanguinem, et dolorem poenitentia convertit, inundantem lacrymarum fontem ex saxeis cordibus eruit, peccatorum remissionem praebet, satisfactionem pro culpis nostris exhibet; ac demum coelestis Hierusalem portas nobis reserat. Arbitror etiam propterea Davidem vocare Crucem virgam directionis, seu, ut vertit D. Ambr. virgam rectitudinis, seu rectam quae obliquitatem nescit, ut significet quod quemadmodum sceptrum illud Moysis nunc apparebat in forma colubri formidolosi, et timorem incutientis, nunc sub figura virgae, et baculi ad requiem deservientis (Ægyptiis enim coluber fuit illos infestans, Israelitis vero baculus levaminis, et consolationis, illos recreans quadam veluti utens distributivae iustitiae rectitudine), ita Christus Dominus Crucis virga inimicos conterit, amicos consolatur, peccatores excruciat, iustos recreat, et demulcet. Unde D. Basilius (*sup. Psal.* 44: *Virga tua, virga directionis*), ait: *Correctrix, et iudex est virga Dei in castigando, recta, et non obliqua inducit iudicia: unde et rectitudinis virga, virga regni ipsius dicta est. Si enim dereliquerint filii eius legem meam, et in iudiciis meis non ambulaverint, visitabo in virga iniquitates eorum. Vides iustum Dei iudicium, quo non in quoslibet, sed in peccatores utitur. Haec autem et consolationis virga nominatur: Virga enim tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt: haec et contritionis virga est: Reges enim ipsos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos*. His persimilia sunt, quae scribit Incognitus (*in comm. huius Psalmi*), dum ait: *Regimen tuum est ad dirigendos subditos, non ad opprimendum, vel est virga directionis, unicuique tribuens secundum merita, bonis praemia, et tormenta malis. Nemo ergo sibi de misericordia Christi multum blandiatur, quia virga directionis est ei: sic namque alios regit, ut alios conterat*. Ut de iuvene quodam Rege testatur Virgilius (*libro* 6. *Æneidos*):

Ille vides pura iuvenis qui nititur hasta.

Et Berosus refert (*libro quinto*), Noe quando pronepotem suum in Italia Regem creavit, loco sceptri et insignis regalis, hastam dedisse, et hinc vocatus fuit Coritus, quod, ut tradit Macrobius interpretatur, *Rex hasta ornatus*. Et inde ortum habuit, quod Romani viros illustres Reipublicae gubernacula tenentes, *Quirites* vocabant. Immo hac ratione, si credimus Ovidio (*secundo Fastorum*), Romulus primus Romae fundator Quirinus fuit appellatus. Unde consuetudine introductum fuit apud eosdem Romanos, ut Plinius (*lib.* 7. *cap.* 28.), et Marcus Varro (*de Gente populi Roman.*) commemorant, ut illi, qui in bello propria manu hostem interemisset, in praemium hasta daretur, tamquam ingenui, ac generosi animi insigne. Cum ergo Christus Dominus in deserti palaestra, fortissimum et humano generi infestissimum hostem gloriose deiecisset, aeternus Pater non solum hastam, sed et sceptrum Crucis regale ei tribuit, quod David hoc loco virgam directionis appellavit.

Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Prosequitur Regius Vates Regis Christi commendationem a iustitia et aequitate, quam ait in eo manifestasse, quod iustum amore, impium odio prosequatur. Praeviderat hoc Isaias cum dixit (*c.* 17.): *Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum*: quid enim est, *agere bonum*, nisi iustum eligere? et quid *reprobare malum*, nisi impium odio habere. Atque in hoc sensu videntur mihi posse intelligi verba illa. *Cum sancto sanctus eris, et cum*

*perverso perverteris.* Sicut enim in naturalibus experientia compertum est, speculum talem reddere figuram, qualis intuentis est, si pulchra pulchram; si turpis turpem; si placida placidam; si indignans indignantem: ita etiam in supernaturalibus accidit. Christus Dominus inquantum Deus, Patris fulgentissimum speculum est, ut Sapiens ( *Sap.* 7) ait: *Candor est lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis;* tamen quatenus homo, speculum etiam est hominum. Nam licet verum sit, quod sicut in crystallino vitro, nisi bitumine retro sit delinitum, propriam faciem intueri non possumus, ita nec ante carnem a Verbo assumptam, in illo tanquam in speculo intueri nos poteramus: lucem enim habitabat inaccessibilem; tamen postquam carnis bitumine fuit delibutum, iam non solum Patris, sed et hominum speculum est, in quod intuentes mores nostros componere possumus. Unde fit, quod qualis animae facies est, tale se praebet: si benevola et amicabilis, benevolum, et amicabilem se reddit; si vero ingrata, iratum et indignans se exhibet. Atque hoc est, quod Propheta ( *Psal.* 17. ) ait: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris*, per quae illa alia explicantur proposita verba ( *Psal.* 43. ): *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem.* Cuius dilectionis causam reddit, quia prius Pater unxerat illum: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Inter Hebraeos duo hominum genera ungebantur, Reges et Sacerdotes, ut habetur (*Exodi trigesimo et tertio Regum primo*): et ut quibusdam doctoribus placet, etiam Prophetae, ut colligi videtur ex illo (3. *Regum* 19.): *Elisaeum autem filium Saphat ugesn Prophetam:* hi enim ungebantur tanquam personae Deo consecratae, quibus nemini nocere licebat, iuxta illud ( *Psal.* 194. ): *Nolite tangere Christos meos.* Ungebantur autem oleo, quod misericordiae symbolum est: tum ut agnoscerent, non ex iustitia per merita eorum, sed ex pura Dei miersicordia dignitate regia, aut sacerdotali, vel Spiritu prophetico donatos fuisse: tum ut intelligerent, debere se circa alios misericordes, et benignos exhibere. Cum ergo Christus Dominus summus Propheta, summus Sacerdos, et supremus omnium Regum Rex sit, dubium non est, quin multiplici a Patre fuerit unctione delibutus. D. Athanasius (*serm.* 2. *cont. Arr.*), et sanctus Ioannes Damascenus ( *lib.* 4. *fidei c.* 6. ) aiunt, unctum fuisse Christum Dominum gratia unionis hypostaticae, quando *Verbum caro factum est.* Divus Gregorius Papa ( *lib.* 9. *epist. epist.* 61. ) explicat, unctum fuisse, quatenus ex purissimis sanguinibus beatissimae Virginis Spiritus sancti operatione conceptus fuit. D. tamen Chrysostomus (*ho.* 1. *sup. ep. ad Ro.*), et Bernardus (*ser.* 1. *in c. Ieiunii* ) unctionem referunt ad gratiam habitualem, variaque Spiritus sancti charismata, quae Christi anima recepit, cum ad divinam hypostasim fuit assumpta. Unde cum triplici hac spirituali unctione, ab his Patribus assignata, Christus Dominus fuisset unctus, non opus ei erat externa, et materiali aliqua unctione deliniri: quamvis et haec non mihi videatur defuisse, cum proprio sanguine in Cruce inunctus fuerit, haec enim decebat eum: nam ut Rabbi Salomon observavit, unctio, qua summus Sacerdos ungebatur, fiebat hoc signo X, quod propriam Crucis figuram refert: quo etiam signo alii dicunt solitos fuisse reges inungi. Unctionem hanc Christi Domini per proprium sanguinem adumbratam video in unctione Davidis facta per Samuelem, quae in eo valde diversa fuit ab unctione, qua unxerat Saulem, qui, ut habetur ( 1. *Reg.* ), oleo unxit eum, quod erat in fictili vase, quod sacer Textus vocat *lenticulum olei*; Davidem vero unxit oleo, quod in corneo vase asservabatur: quae vasorum diversitas significabat, regnum Saulis, ut vas fictile, confringendum, Davidis vero velut cornu, diuturnum fore. Quia ergo regnum Christi in aeternum permansurum erat iuxta illud Angeli Gabrielis ( *Luc.* 1. ): *Et regni eius non erit finis*, apte per unctionem, et regnum eius unctio et regnum Christi designata fuere. Non solum autem unctionum olim usus viguit ad ungendos Sacerdotes, Reges, et Prophetas; nam etiam adhibebantur, tum, ut adnotavit divus Hieronymus ( *in Daniel.* 10. ), in diebus festivis: et praecipue in conviviis, ut ex unctione Magdalenae, in domo Pharisaei, et ex querela Christi adversus illum, quod non unxisset eum; nec non ex carmine illo Plauti,

> I hac intro, ubi sit tibi lapide victibus
> vino et unguento.

Satis aperte constat; tum etiam adhibebantur in symbolum fortitudinis et ad exercitium illius, ut non obscure colligitur primo ex illo ( *Reg.* 8. ): *Ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* Solebant enim clypei quodam oleo resinoso inungi, ut inimicorum tela proiecta facile laberentur. Secundo et ex antiquo more luctantium, qui se oleo ungebant, ne ab adversario facile apprehendi possent. Christus ergo Dominus propter hanc etiam duplicem rationem oleo sui sanguinis in Cruce fuit inunctus, tum in signum alacritatis et laetitiae, ut laetari solent sponsi in die sponsationis suae: unde Sponsa diem passionis Christi vocavit diem laetitiae cordis sui; tum etiam in symbolum eximiae illius fortitudinis, quam in palestra Calvariae, irruens in illos tres potentissimos hostes, mortem, peccatum, et daemonem, et illos interficiens, ostentavit. Ac tandem, quod addit Propheta, unctum fuisse *Prae consortibus suis*, explicat gratiam capitis, qua Christus omnes alios spiritualis unctionis participes longe antecellebat.



> Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.

Cum regius Propheta ex professo intendat nuptias Christi Domini stylo prosequi, silentio minime praetermittit ornatum vestimentorum Sponsi. Verum antequam ad verba haec elucidanda calamum admoveam, pulchram, et ingeniosam eorum expositionem apponam, quam ex Nicolao de Lyra refert Incognitus (*in commentario huius loci*) in haec verba: *Myrrha, et gutta, et casia. Per istas species aromaticas, intellige aromata, quae sanctae mulieres emerunt ad ungendum corpus Domini, quia de talibus speciebus erant confecta, et quia corpus Dominicum erat quasi vestimentum divinitatis,* ut dicitur *Philipp.* 2. *Habitu inventus ut homo: ideo subditur: A vestimentis tuis, quod dicitur in plurali propter diversas corporis partes. A domibus eburneis. Domus eburnea fuerunt pyxides factae de ebore, vel de alabastro, et est simile ebori, in quibus illa aromata erant reposita, sicut in domibus suis. Ex quibus delectaverunt te: quia devotio illarum mulierum fuit accepta Christo, licet non unxerint eum in sepulcro, iam enim resurrexerat. Filiae Regum. Inter illas enim mulieres fuerunt Maria Iacobi, et Salome, quae fuerunt sorores Virginis Mariae ex parte matris, de qua certum est, quod descendit de stirpe David, et aliarum regum a David descendentium. Et simile est de suis sororibus; ideo dicitur hic: Filiae regum in honore tuo, quia illam unctionem facere voluerunt ad Christi honorem;* haec ille. Sed iam ad nostram explicationem accedentes, praemitto, proposita verba de Christo Domino e Cruce pendente explicari a Didymo (*in Psal.* 44. ), et Hesychio (*ibidem*). Postquam Propheta in superioribus egerat de insignibus Christi regalibus, nunc agit de ornamentis, et insignibus nuptialibus. Ternas refertur in sacris literis fecisse nuptias Patrem Filio suo. Primae fuerunt, quando *Verbum caro factum est*, de quibus apud Matthaeum ( *Matt.* 27 ): *Simile est regnum caelorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo*: secundae in die Ephiphaniae, de quibus Ecclesia catholica canit: *Hodie caelesti Sponso iuncta est Ecclesia:* tertiae tandem fuerunt in Cruce, ubi matrimonium fuit consummatum; et de his Ioannes ( *Apoc.* 2. ) dixit: *Venerunt nuptiae Agni, et Sponsa ornavit se.* Cum autem nuptiae istae fuerint spirituales, non sunt quaerenda in Sponso materialia ornamenta, sed spiritalia. Scio divum Augustinum, Hieronymum (*super Psal.* 24. ), et Gregorium (*lib.* 25. *Moral. cap* 23.) per Christi vestimenta intelligere iustos, iuxta illud Isaiae: *Vivo ego, dicit Dominus, his omnibus velut ornamento vestieris.* Haec vestimenta propter virtutis fragrantiam sunt odorifera, illo quidem odore, de quo divus Paulus (2. *Cor.* 2.): *Bonus odor Christi sumus.* Tamen nostrae intentioni inservientes, duplicem ei congruam expositionem adhibemus. Primam tradunt Basilius ( *Psal.* 44.), et Euthymius (*ibidem*); nec non divus Hieronymus (*ibidem*), asserentes, per vestimenta Christi intelligi sacram Christi humanitatem, qua, velut habitu amictus, incedebat, iuxta illud divi Pauli ( *Philip.* 2. ): *Habitu inventus ut homo.* Sicut enim vestimento operitur caro; ita humanitate, velut veste, divinitas tegebatur. Haec vestis in Cruce purpurea fuit instar regiae chlamydis, ob ruborem sanguinis, sacrum illud corpus inundantis: unde Joannes (*Apoc.* 19.) dixit: *Vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen eius Verbum Dei.* Atque in huius figura praecepit Deus olim, ut summus Sacerdos Aaron purpura indueretur, ut habetur ( *Exod.* 28. *et* 29. ); immo et quod vestimenta eius sanguine aspergerentur, ut ( *eodem libro c.* 29. ) legimus. Ex hac veste purpurea tanta prodiit suavitatis fragrantia, ut allectae pleraeque virgines, insignesque aliae feminae, de quibus ait Propheta ( *Psal.* 44. ): *A domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum*, ex regia prosapia ortae, ut Catharina Alexandrae Regis filia; Ursula Regis Britanniae; Margarita, nec non Elisabeth Regis Ungariae, et aliae permultae, quas longum esset percensere, *A domibus eburneis*, hoc est regia palatia lacunaribus eburneis ornata contemnentes, ad Christum confluxerint, iuxta illud (*Canticorum* 2.): *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Secunda expositio non minus nostro argumento consentanea est, quae Christi vestimenta pretiosa inaestimabiles eius animi dotes, ac virtutes esse docet, hac enim phrasi utitur sacra Scriptura: nam explicare volens dona, et virtutes, quibus Deus primum hominem cumulavit, dixit ( *Eccles.* 71. ): *Et secundum se vestivit illum virtute.* Ut autem Propheta palam faceret, quae essent virtutes illae, quibus, velut splendidissimis vestimentis, divinus Sponsus praecipue effulgeret in Cruce, specialiter nominavit myrrham, guttam, et casiam. Myrrham quidem nemo ignorat carnis mortificationem, propter amaritudinem, quam habet, praeseferre, quam Christus patienter tulit in passione sua. Myrrha doloris plenum fuit cor eius, cum dicebat ( *Matt.* 26. ): *Tristis est anima mea usque ad mortem*: myrrha etiam afflictionis totum eius corpus fuit in Cruce delibutum, cum a planta pedis usque ad verticem capitis non esset sanitas in eo. Gutta rursus, quae, ut adnotavit Incognitus (*in commentario huius loci*), species quaedam aromatica est, dissolvens omnes inflationes et tumores, quid proprius praesignificare potest, quam profundam Christi, cum Deus esset, in Cruce morientis humilitatem, quae mortalium superbiae tumores, et vanitatis inflationes expellit? Casia denique, quae et fistula dicitur, quae in locis aquosis crescit in immensum, immensam Christi charitatem adumbrat, quae in mediis inundantibus tribulationum aquis adeo se manifestavit, ut non solum ad amicos, ut ad Matrem, et ad discipulum Ioannem, sed et ad inimicos illum crucifigentes piissime, et clementissime extenderetur, veniam tam immanis facinoris,

quale erat, crucifigere Deum suum, a Patre enixe postulans (*Luc.*23.): *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Verum hoc loco minime silentio praeteribo, quod tradit Episcopus Christopolitanus (*in Psal.* 44.). Refert, myrrham esse quandam parvam arborem aromaticam, quae nascitur in Arabia, quae agitata a ventis contrariis, Aquilone, et Austro, emittit sudorem pretiosissimum; sed quia ille est in parva quantitate, ut copiosior effluat, agricolae vulnerant arborem, incidentes eam in latere trunci, quod tamen fit mense Martii; et uterque liquor dicitur myrrha prima. Ad huius ergo arboris similitudinem tam Christus, quam eius passio dicuntur myrrha prima, et electa: nam in mense Martii Christus fuit variis ventorum turbinibus agitatus, hoc est Iudaeis, et Gentilibus; et in horto primo emisit sudorem sanguinis, postea per flagella, et clavos, ac demum per vulnus lateris incisus sanguinem copiosum profudit, cuius virtutem receptam et repositam in domibus eburneis, et capsis sacramentorum, iugiter Ecclesia sibi usurpat, educens ex eis unguentum ex myrrha, et casia, et gutta passionis Christi confectum, ad sanandas omnes infirmitates, et vulnera peccatorum: hisque unguentis Christus valde delectatur, propter reconciliationem fidelium. Quod autem David addit: *A domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo*, divus Gregorius (*lib.* 35. *Moralium cap.* 23.) legit: *A gradibus eburneis.* Hieronymus tamen refellit hanc versionem, unde ipse vertit: *A palatiis, vel templis elephantinis.* Alii vero cum Aquila legunt: *A templis dentium*, quia ebur est elephantis dens. Atque hanc lectionem secutus Eusebius hic relatus ab Aquileiense Patriarcha (*in sua catena Psal.*), ait: *Templa hoc loco dictae sunt Ecclesiae Sponsae, et animae Christo addictae. At secundum reliquos interpretes templa eius, seu domus elephantina dicuntur, propterea quod ex elephante animali mortuo ornamenta consequuntur; et qui in Ecclesia clari, et ornati habentur, non aliter splendent nisi ex Apostoli sententia, mortua reddiderint membra, quae sunt super terram*; haec ille. Rufinus intelligens per domos eburneas Apostolos, quia Dominus habitabat in eis, et quia eburnei erant, propter fortitudinem, et vitae candorem, aliam pulchram adhibet expositionem in haec verba: *Ex quibus delectaverunt te filiae Regum in honore tuo: ac si diceret: Propter haec ornamenta placuerunt tibi Ecclesiae singulae, quarum patres et rectores eas genuerunt fonte baptismatis in honore non suo, sed tuo. Ad hoc sacramentum pertinet quod scriptum est in lege: si mortuus fuerit frater, accipiat uxorem frater eius, et suscitet semen fratris sui. Mortuus est Christus, absentavit se corpore; susceperunt fratres illius uxorem eius Ecclesiam, praedicatione Evangelii filios generari non per se ipsos, sed per Evangelium propter nomen fratris: In Christo Iesu* (inquit Paulus) *per Evangelium ego vos genui: itaque suscitantes propter nomen fratris semen fratri suo, quotquot genuerunt, non Paulinos, non Petrinos, sed Christianos nominaverunt; hoc est in honore tuo, quia non quaesierunt honorem suum, sed tuum*; haec Rufinus tam sapienter, quam eloquenter.

Adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Refert Lucianus (*in Herodot.*), quod cum in ludis Olympicis propositum fuisset praemium pictori, qui pulchriorem in medium protulisset imaginem, palmam tulit celebris, ac insignis pictor Aetius, qui pulchre, et artificiose in quadam tabula nuptias Alexandri Magni cum Roxane filia regis Darii descripserat. Depinxit mira colorum varietate, ac vivacitate in latere uno Alexandrum pulchrum iuvenem, purpurea chlamyde indutum, coronam manu porrigentem Roxanae sponsae suae, quae ab altero latere aderat summa venustate, et modestia singulari ornata. Non longe ab eis thalamum descripsit, aureis cortinis ab eo pendentibus: ante eos sedebat Hymeneus, quem nuptiarum Deum antiqui fingebant, accensam lucernam in manu tenens. Utrumque sponsum circumdabant varii Cupidines ridentes, inter quos a tergo Sponsae Roxanes aderat unus, qui clanculum mira subtilitate ornamenta capitis ab ea detrahebat, et subridens Alexandro ea ostendebat, et alter intra purpuram regis iacebat, illum impellens in locum, ubi Sponsa sedebat. Haec, et alia huius generis singulari artificio depinxit Aetius. Sed maiori sine dubio, et excellentiori describit regius Vates celebres illas nuptias divini Sponsi Christi Domini cum dilecta Sponsa Ecclesia catholica. Huc usque depinxerat praeclaras animi dotes Sponsi, nec non pretiosa eius vestimenta; nunc vero describit Sponsam regio amictu indutam, et coronam ex manu Sponsi accipientem, et idcirco ait: *Adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* Quidam Interpretes coniungentes ultima verba praecedentis versiculi cum prioribus istius, vertunt in hunc modum: *Inter honorabiles tuas, et speciosas puellas adstitit Regina, etc.* Quae lectio videtur alludere ad id, quod sacrae literae referunt de rege Assuero, qui inter honoratissimas, et pulcherrimas feminas solam Esther in sponsam sibi accepit, et ad regium solium, et coronam evexit. Sanctus Hieronymus aliter vertit: *Stetit coniux in dextera tua, in diademate aureo.* Ultima vero verba, *In vestitu deaurato*, diversimode Interpretes legunt. Paraphrastes Chaldaeus: *In orizo Ophir*; Symmachus, *In massa, vel pondere*; alii, *In auro optimo*; alii, *In massa vel pondere Ophir*: quae omnia eo tendunt, ut exprimant aurum illud, ex quo contexta erat vestis sponsae, esse praeclarissimum et probatissimum. Aurum autem, quia excellentissimum omnium virtutum charitatem designat, qua praecipue induitur Ecclesia catholica Christi Sponsa, Christum eius Sponsum imitans, qui tanto eam prosecutus est amore, ut Paulus



(*ad Eph.* 5.) dicat: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Sed praeter inhaerentem Sponsae charitatem, aliis etiam erat ornamentis decorata. Nam si uxor Philoni dixit, ut refert Philo: *Sufficiens ornamentum mihi est mariti virtus*; potiori id iure dicere poterit Ecclesia catholica de Christi Sponsi sui virtutibus, et meritis: sicut enim olim pulchrae feminae ornabantur rubicundis Absalonis capillis, quos ipse singulis annis caesariem tondens ducentis siclis pondere publico ponderabat, ut habetur (2. *Regum* 13.); ita Ecclesia catholica, et quaelibet anima Christi Sponsa virtutibus, et meritis Sponsi sui mirum in modum exornatur. Quod agnoscens D. Paulus (*Gal.* 3.) dixit: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Ait autem Propheta: *Adstitit a dextris tuis*, quia ex dextero latere Christi in Cruce post mortem lancea perforati egressa est Ecclesia, ut in Eva ex latere Adae formata tanquam in figura contemplatus est D. Paulus, dicens (*ad Eph.* 5.): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et Ecclesia.* Est autem observatione dignum, quod sicut divinus Sponsus Christus Dominus ex thalamo virginali hortum duxit: *Ubi est, qui natus est Rex?* ita etiam divina Sponsa Ecclesia catholica ex latere Christi prodiit Regina, et regio diademate redimita. Quod non obscure Sponsus significavit, cum ei dixit (*Cant.* 4.): *Emissiones tuae Paradisus malorum punicorum*; vel, ut vertit Genebrardus (*in Psal.*44.): *Propagines tuae viridarium malorum granatorum.* Cum enim mala granata coronas in vertice habeant, comparans Sponsus Sponsam malis granatis, significare voluit, quod sicut haec coronata nascuntur ex innata virtute ipsius arboris, a qua procedunt, ita etiam Ecclesia catholica eius Sponsa prodiit ex latere Christi regia corona insignita. Cum enim Christus in Cruce, velut malum granatum, coronatus penderet, consequens erat, ut Ecclesia, velut partus, vel fructus eius, coronata prodiret: et sicut ille Rex, ita et ipsa Regina vocaretur, ut Isaias (*c.* 6.) praedixerat: *Vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominabit, et eris corona gloria in manu Domini.* Nomen hoc novum fuit nomen Reginae, quod Ecclesia catholica non habuit quousque os Christi Domini illud ei indidit, saepe repetens (*Matt.* 13.): *Simile est regnum coelorum, etc.* Sed minime praeteribo, quod nostrae intentioni valde inservit, quod ubi nostra Vulgata legit, *Quod os Domini nominabit*, alii ex Hebraeo vertunt, *Quod os Domini perforabit, vel excavabit.* Quibus verbis aperte ostendit Propheta, Christum Dominum Sponsae acquisivisse celebre illud Reginae nomen, permittendo manus, et pedes in Cruce clavis excavari, et caput, et latus spinis, et lancea perforari. Dixit tandem Propheta (*Psal.* 44.): *Circumdata varietate*: primo, ut exponunt sanctus Hieronymus, et Euthymius (*super Psal.* 44.), et Cyrillus (*in Isaiam c.* 49.) propter varietatem colorum, hoc est virtutum, quibus Sponsa exornata est: alba enim est per puritatem fidei; caerulea per spem caelestis patriae; rubicunda per charitatem; pallida per poenitentiam; nitida, et splendens, per doctrinae fulgorem. Secundo propter varietatem sacramentorum, Baptismi, Confirmationis, Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae unctionis. Tertio, propter diversitatem statuum, sacerdotum, coniugatorum, virginum, viduarum, continentium, eremitarum, doctorum, praedicatorum. Quarto, propter varietatem religionum, mendicantium, monachalium, et militarium. Ultimo, propter diversitatem nationum: credunt enim Graeci, Latini, Scythae, Indi, Æthiopes, Persiani, immo et nonnulli Hebraei, et multae nationes, tam ex Oriente, quam ex Occidente.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Cum in sponsalibus requiratur mutuus utriusque coniugis consensus, primo sponsi, deinde sponsae; postquam aeternus Pater ab Sponso consensum accepit, convertit se ad Sponsam, postulans similiter ab ea liberum suum consensum. Et quia nemo venit ad Filium, nisi Pater traxerit eum, ideo monet et excitat Sponsam ut consentiat, et trahi se sinat; idque ut obtineat, quatuor consilia praebet. Primum est, ut audiat. Bifariam potest sumi hoc loco, *Audire*, tum pro procedere, iuxta illud (*Psal.*80.): *Si audieris me, non erit in te Deus recens*: unde divus Paulus (1. *Cor.* 10.) ait: *Fides ex auditu*: tum etiam pro obedire, in quo sensu Hieremias (*cap.* 30.) ait: *Audi quaeso vocem Domini, quam ego loquor ad te, et bene tibi erit*, id est, si obedieris voci Domini, beatus eris. Unde etiam Ægyptii (teste Pierio) ad significandum obedientiam, depingebant aurem tauri, quia animal hoc licet ferocissimum sit, canis tamen aurem eius dentibus apprehendens, quocumque vult, ducit illum. Secundum consilium est, ut videat, hoc est, ut alta mentis consideratione clare cernat utilitatem, miseriam, et turpitudinem, tyrannicamque Diaboli servitutem, a qua divinus Sponsus, illam sibi in Sponsam assumens, educere tentabat. Solet etiam in sacra Scriptura sumi, *videre*, pro irridere, seu despicere, iuxta illud (*Psal.* 53.): *Super inimicos meos despexit oculus meus.* Unde perinde fuit dicere, *vide*, ac si dixisset: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem*, quia in bello Calvariae Sponsus omnes hostes tuos superabit: et tamquam victos despicere poteris. Vel aliter dicamus: *Audi filia, et vide*, audi per fidem: et quia fides charitate formata emundat animam, ut ait divus Petrus (*Ac* 15.): *Fides purificans corda*, postea sequetur visio, quia dictum est (*Mat. c.* 5.): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vel tandem potest aliter dici, quod cum auditus, et visus sint prae-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

cipui hominis sensus, ut tradit Aristot. (3. *Metaphys.*), ac proinde praestent omnibus aliis; ad hoc ut intellectus discernat verum a falso, certe per illa verba, *Audi, et vide*, monetur Sponsa ad cognitionem rerum supernaturalium per fidem, et ad contemplationem rerum naturalium, per earum speculationem attendere, quia ait divus Paulus (*ad Rom.* 1.): *Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* Vel tandem aliter cum divo Augustino pulchre in haec verba hunc locum exponente dicamus: *Audi filia, et vide; prius audi, postea vide, praedicatum est nobis, quod nondum videmus, et audiendo credimus, et credendo videbimus, sicut dicit ipse Sponsus apud Prophetam, Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Quid est in auditu auris? nisi quia non vidit; viderunt Iudaei, et crucifixerunt; non viderunt gentes, et crediderunt. Veniat Regina de gentibus in vestitu deaurato circumamicta varietate, veniat a gentibus, veniat circumamicta omnibus linguis unitate sapientiae; dicatur ei; Audi filia, et vide: si non audieris, non videbis.* Tertium consilium fuit, *Inclina aurem tuam*, hoc est, ut divus Augustinus interpretatur, ut non solum audiat, sed humiliter audiat: sic enim ait: *Inclina aurem tuam, parum est, audi, humiliter audi*: sicut enim inclinatio capitis symbolum est humilitatis, ita et inclinatio auris, cum haec absque inclinatione capitis minime fieri possit. Hoc consilio humiliandi se praevenitur Sponsa, ne ob dignitatem regalis sponsalitii intumescat, alioquin auditura ab Sponso: *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum.* Vocat Sponsus pulcherrimam Sponsam, ut sciat, quod quantacuumque pulchritudine praestet, et quibuscumque donis fuerit insignita, deficiente tamen humilitate, ab Sponso longe repudiandam fore. Lucifer pulcherrimus erat inter omnes Angelos, tamen cum primum humilitatem a se abiecit, a Deo etiam abiectus fuit, adeo ut licet ab Ezechiele vocatus fuerit, *Tu signaculum similitudinis meae*, id est, imago meae pulchritudinis, vel ut originale hebraeum habet, *Tu signaculum numeri perfecti*, idest beatissimae Trinitatis; Deus tamen eum a se repulerit. Et de Iechonia ait Dominus per Hieremiam (*Hier.* 22.): *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde evellam eum*, vel ut Paraphrastes Chaldaeus (*in cap.* 21. *Hierony.*) ait: *Si fuerit Iechonias sicut sculptura annuli in dextera mea, inde eiiciam eum*, hoc est, si superbierit, et non se humiliaverit, eradam eum, et delebo de libro viventium, longeque a me illum expellam. Subiungit deinde Sponsus (*Cant.* 1.): *Abi post vestigia gregum tuorum*, significans hoc esse discrimen inter animam iustam, et peccatricem, sponsam fidelem, et infidelem, quod illa gregem suorum desideriorum, et appetitum sapienter regit, gubernat, et non secus, ac pastor hoedos, post se illa trahit; haec vero regitur, gubernatur, et trahitur ab inordinatis suis desideriis, quae eam post se abire suadent. Ne ergo Sponsa hanc patiatur iacturam, suadetur sub methaphora inclinationis auris, ut se humiliet, et demittat. Quartum tandem consilium fuit (*Psal.* 44.): *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Similem admonitionem fecit Deus Abrahae (*Gen.* 12.): *Egredere de domo tua, et de omni cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi.* Displicuit olim Deo valde, quod filii Israel educti ex dura Pharaonis servitute, dicerent (*Num.* 11.): *Recordamur piscium quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique, et caepe, et alia: anima nostra arida est, etc.* unde Christus Dominus animae ad se conversae ait (*Luc.* 10.): *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei*: et (*c.* 17.) adducit exemplum uxoris Loth, quae contra praeceptum Domini retro respiciens, conversa fuit in salsi lapidis statuam, quam post duo millia annorum se vidisse testatur Iosephus (*libro 2 antiquitatum capite 11.*). Antiqui finxerunt olim, ut Lucanus (*libro* 8) refert, pro defunctis flumen Lethaeum, cuius aquam ebibentes omnium rerum immemores fiebant. Cum ergo ait Sponsus Sponsae, ut obliviscatur populum suum, et domum patris sui, monet Lethaeam aquam bibere, qua oblivioni tradat deceptam gentilitatem, quae Idolis inservire ei suaserat, omnibusque huius saeculi voluptatibus, et lenociniis finem imponere. Quod si hoc fecerit, in praemium ei promittitur, quod sequentia verba indicant: *Et concupiscet Rex decorem tuum.* Divus Augustinus (*sup. Psal.* 44.) vertit: *Concupiscet Rex speciem tuam*, et continuo subiungit: *quam speciem? cuius speciem? peccatricis, iniquae, impiae, qualis erat apud patrem Diabolum, et apud populum suum? Non, sed de qua dicitur: quae est ista, quae ascendit dealbata? antea ergo non alba, postea dealbata, quia si fuerint peccata vestra sicut poenicium, tamquam nivem dealbabo. Concupivit Rex speciem tuam. Quis Rex? Quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Iam vide, si non debes dimittere patrem tuum, et populum tuum illum, et venire ad Regem iustum Deum tuum.* Unde ad significandum, tantam esse dignitatem Sponsi, ut non homo purus, sed Deus etiam sit, addit, et *adorabunt eum*; id est, latriae cultum ei offerent omnes gentes, quod et verba sequentia magis exprimunt:

Et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur: omnes divites plebis.

Moris fuit apud antiquos, Diis, et Regibus munera a subditis offerri. Virgilius (*septimo Aeneidos*) ait, Aeneam ad Regem Latinum Oratorem suum misisse ut nomine suo pretiosa quaedam ei offerret dona: et Candidus refert, Parthis non licuisse ante Reges suos recens electos sine muneribus comparere. Regina etiam Saba Salomonem regem invisere veniens magna ei obtulisse munera (3. *Regum* 10.) legimus. Ac tandem



divinum praeceptum fuit (*Exod.* 23.): *Non apparebis in conspectu meo vacuus*; et licet Deus muneribus nostris non egeat (*Psal.* 25.): *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges*; grata nihilominus est ei nostrorum munerum oblatio, quia praeterquam et recognitionem supremi eius dominii ostendit, et gratitudinis manifestum argumentum esse perhibetur, ad nobis benefaciendum Deus ipse flectitur. Ad quod significandum Ovidius (*lib.* 5. *Fast.*) finxit, Iovem tribus fulminibus universam terram destruendam extento brachio minantem, oblato ei thuris munere manum retraxisse, et furorem deposuisse. Cum ergo divinus Sponsus simul sit et Deus, et Rex, utroque iure divino, et regio, munerum oblatio ei debita est. Ait autem a filiabus Tyri haec munera esse ei adhibenda, quia Tyrus, quae gentilitatem significat, cuius etiam typus fuit Chananaea illa, de qua ait Matthaeus, *Egressa est de finibus Tyri*, egressa, inquam, pro afferenda filia ad Christum a daemone obsessa, futura erat dilecta Christi Domini sponsa. Quid quaeso tam mirandum in terris unquam visum est, quam ex peccatoribus, ex meretricibus, ex lenonibus idololatriaeque deditis hominibus, unum in Christo, et id quidem virgineum, concretum esse corpus? Quis crederet ex turpissimis sordibus exsuscitatam esse Ecclesiae puritatem, ac sanctimoniam? Currit iam Tyrus, currit Sidon, currit Babylon, currunt divites plebis, hoc est egregii tum sapientia, tum divitiarum copia aeque insignes; et se, et sua ad pedes Ecclesiae proiicientes, fatentur nullam usquam sapientiam, nullasque veras, neque in caelis, neque in terris inveniri posse divitias, praeterquam in Christo Ecclesiae Sponso, cuius faciem praesentiamque venerabundi et contemplantur, et tanquam divini numinis domicilium adorant. Clamat (*Psal.* 86.) David: *Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Vides hic quoque ex alienigenis, et peccatoribus, et divitibus, ut Aetiopes, Aegyptii, Syri, Sabaeique esse solent, erectam esse pulcherrimam, et honestissimam Christi Sponsam.

Omnis gloria eius filiae Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.

Triplicem sensum his verbis adhibere possumus. Primus est, ut significare velit regius Vates, sanctitatem Sponsae provenire ab intimis praecordiis Christi Domini, et ab interiori latibulo vulneris lateris eius, ex quo egressa fuit Ecclesia, sicut Eva ex latere Adami. Secundus sensus est, Prophetam significare, sanctitatem Sponsae Christi mirum in modum pendere ex eo, quod intra terminos, et fines suos clausa maneat, ne ad Haereticorum conventicula, aut Hebraeorum synagogas divertat, ut in figura olim praeceperat Deus, dicens (*Exod.* 16.): *Maneat unusquisque apud semetipsum, et nullus egrediatur de loco suo.* Unde Sponsus desiderans hanc suae Sponsae clausuram, dixit (*Cant.* 8.): *Quid faciemus sorori nostrae, in die qua alloquenda est?* vel, ut alii vertunt, *quando nuptui tradenda est? Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Tertius tandem sensus est, quod loquatur Propheta de sanctitate Sponsae, quam ait praecipue consistere in interiori pulchritudine: cum enim divinus Sponsus sit veritatis amantissimus, immo et ipsa veritas increata, mendacem sanctitatem valde execratur; exterior autem sanctitas absque interiori sanctitas non est, sed sanctitatis fallax simulatio, et fucus, quo hypocritae intuentium oculos decipiunt. Quos proinde acute divus Augustinus (*lib.* 2. *de sermone Dom. cap.* 5.) comparavit histrionibus qui licet pauperrimi, personam regis, et licet sceleratissimi, sancti Hieronymi, aut sancti Francisci personam referunt. Divus Gregorius (*lib.* 7. *Moral. cap.* 25.) comparavit eosdem struthionibus, qui licet alas habeant, et volare posse videantur, summo tamen gravitatis suae pondere depressi semper terrae haerent. Sanctus Gregorius Nazianzenus contulit illos cum feminis fucatis, adventitiam, et emendicatam pulchritudinem ostentantibus. Alii eos assimilant amygdalis amaris, quae licet pulchros flores emittant, medulla tamen fructus eorum amarissima est. Alii similes eos dicunt cygnis, qui licet exterius candidissimi sint, sub pennarum tamen candore nigerrima caro delitescit. Alii tormentis bellicis eos assimilant, ferreis globis, et igneo pulvere vacuis. Oseas eleganter illos comparavit viti in fructificando infoecundae, in emittendis vero magnis frondibus foecundissimae: *Vitis frondata Israel*; Paraphrastes Chaldaeus vertit: *Vitis vastata Israel*; Glossa ordinaria refert alios vertere; *Vitis aquosa Israel*: super quae verba ipsa ait: *Id in malo accipitur, quia sicut aquosa vitis plus in foliorum, quam fructuum emissione solet luxuriare, sic Israel crevit in multitudine populorum, sed cum deberet agricolae ferre uvas, fecit labruscas.* Atque huc facit, quod Christus Dominus, ut divus Matthaeus (21.), *Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum*, et ideo illam maledixit. Tandem Christus Dominus hypocritas comparavit sepulcris dealbatis, quae licet exterius perpulchra videantur, intrinsecus tamen putredine, et verminibus sunt plena. Addit demum Propheta (*Psal.* 42.): *In fimbriis aureis circumamicta varietate*, quia Sponsa Christi Ecclesia catholica, non solum interiori sanctitate oculis Dei praelucere debet, sed exteriori etiam per exercitium bonorum operum in conspectu hominum opus est praefulgeat, ut bono eius exemplo infideles nationes ei aggregentur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Adducentur Regi virgines post eam: proximae eius afferentur tibi in laetitia, et exultatione: adducentur in templum Regis.

Doctissimus Folengius (*sup. Psal. 44.*) ait, versum hunc Davidis Hebraeis copiosiorem esse, quam nostra habeat editio vulgata, et merito id observavit: nam Felix addit: adducentur virgines vestibus phrygiatis, vel, ut alii legunt, acu pictis. Pharaphrastes Chaldaeus vertit, vestibus elegantissimae varietatis perducentur ad illum virgines. Quae omnia significant id, quod per Ezechielem (16.) praedixerat Deus: *Vestivi te discoloribus*, idest, variis virtutum coloribus te ornavi. Hoc supposito, varias horum verborum expositiones subiiciamus. Incognitus (*sup. Psal. 44.*) ait, quod cum beatissima Virgo fuerit prima, quae in Ecclesia catholica virginitatem Deo devoverit, facta virginitatis vexillifera, et virginum Regina, primo fuit ad Christum adducta; post illam vero ad eius exemplum permultae aliae virgines se Christo consecrarunt: et hoc sibi volunt verba Davidis: *Adducentur Regi virgines post eam.* Addit tamen Hesychius (*sup. Psal. 44.*), per virgines has intelligi debere non imprudentes, et fatuas, sed prudentes, quae oleum charitatis duxerunt secum in vasis suis. Ad hanc expositionem consequenter acute ipse Incognitus (*ibid.*) explicat verba sequentia, *Proximae eius afferentur tibi*, de viduis continentibus, quae *vere viduae sunt*, ut dixit Paulus, non falsae, et fictae; et reddit pulchram rationem in haec verba: *Notandum, quod triplex gens est in Ecclesia, virginum, continentium, et coniugatorum, ut dixit Augustinus super illo verbo Matthaei: Et attulit fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum: centesimus fructus virginibus; sexagesimus viduis, et continentibus, trigesimus autem sancto matrimonio deputatur. Ex quibus patet, quod status continentium approximatur virginitati*: et paucis interpositis concludit: *Viduae castae sunt in gradu secundo*, et de illis ait intelligi: *Proximae eius afferentur tibi.* Verum nostrae intentioni, et instituto aptior, et congruentior est expositio divi Augustini, per hanc Sponsam, quae affertur Regi, Ecclesiam catholicam intelligentis; per virgines vero particulares ecclesias, quae illi aggregantur. Iocundissima cogitatu plane res est, Sponsam istam nuper quidem e medio Tyri laceram, tetramque egressam, ad tam sublimem dignitatis gradum ascendisse, ut regalibus induta vestibus, chorisque virginum comitata, divinum paeana, seu hymnum Apollinis, castumque hymenaeum concinentium, universorum Regi Christo Domino, Deo Optimo Maximo, coniugio copuletur. Hanc expositionem Didymus ille doctissimus (*s. Psal. 44. relatus in cat. Graec. super Psal.*) his verbis egregie illustravit: *Cum abstrusa dictio sit, aliunde sententiam eliciemus in Cantico Canticorum, ubi animarum differentiam, quae ad Christum accedunt, sermo interpretans dicit: septuaginta sunt Reginae, et octoginta concubinae; et adolescentularum non est numerus: una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae, ut de illa dictum sit, viderunt te filiae, et beatissimam praedicaverunt, Reginae, et concubinae laudaverunt eam. Ex quibus liquet, praeter filias, quae adolescentulae, et Reginae, et concubinae dictae sunt, aliam esse. Ex his verbis ostenditur, ex his animabus, quae ad Christum accedunt, alias quidem nondum nuptiis aptas, alias vero, quae ad ipsum sibi iam coniunctum ingrediuntur. Quae igitur ex iis ingenuae mundum sex diebus conditum supergressae sunt, Reginae sexaginta sunt; quae vero accepta circumcisione, quae octavo die peragitur, aetate tam provecta spiritum servitutis habentes, octoginta sunt concubinae: sed quae omnibus praestat spiritu electa, ut Columba sit, est Ecclesia gloriosa, non habens maculam, aut quidquam huiusmodi. Hanc Ecclesiam cum divinus Propheta in praecedentibus versiculis commendaret, dicit post illam ductum iri Sponso suo Regi adolescentulas, quae olim quidem pulchritudinem non habuerunt; nunc vero cum perfectae sint, in thalamo introducuntur.*

Subdit propterea Propheta: *Afferentur in laetitia et exultatione.* Hoc existimaverim dixisse, ut significaret, Ecclesias particulares, quae aggregantur primitivae Ecclesiae, Christi Sponsae, non venire coactas, sed spontaneas et hilares: (*2. Corint. 9.*): *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Notanter autem utitur nomine laetitiae, et exultationis, ut indicaret, alacritatem illam fuisse internam, et externam, quia laetitia illam, exultatio hanc denotat. Nec enim ingrata, et invisa est, externa exultatio debite habita. David enim olim coram Arca exultavit, et tripudiavit, ut (*2. Reg. c. 6.*) legimus. De Ioanne etiam Baptista Lucas (*c. 1.*) ait: *Exultavit in gaudio infans in utero meo.* Illud tandem, quod ait David (*Psal. 44.*) *Adducentur in templum Regis*, divus Augustinus intelligit de Templo Ecclesiae catholicae, in haec verba: *Templum Regis ipsa Ecclesia: intrat in templum Ecclesia. Unde construitur Templum? de hominibus, qui intrant in templum. Lapides vivi qui sunt, nisi fideles Dei?* Atque secundum hanc divi Augustini intelligentiam huc facere potest id, quod refert divus Antoninus (*prima parte, tit. 4. cap. 1. parag. 21*) ex autoritate Aeliani (*lib. 16.*). Narrat in Heraclea civitate Lacedaemoniorum theatrum quoddam fuisse mirabili ab eo structura affabrefactum, ut inter septem mundi miracula, seu portenta connumeraretur: erat valde spatiosum, ita ut innumerabilem multitudinum caperet, et tamen non nisi unius lapidis erat, ingensque eius machina super septem lapideas bases nitebatur; erat insuper ibidem aliud mirabilius prodigium, quod nullus verbum aliquod adeo secretum proferre poterat, quod non ab omnibus ita bene perciperetur, ac si singulis ad aurem diceretur. Mirabile hoc et artificiosum theatrum, templum Ecclesiae catholicae adumbrasim mihi refert. Hoc enim primis adeo spatiosum est, ut si in infinitum cresceret fidelium numerus, infinitam illam multitudinem facile capere posset; est etiam unius lapidis propter unitatem fidei, et charitatis, qua adeo fidelium animos conglutinat, et in unum redigit, ut divus Lucas (*Act. 4.*) dixerit de fidelibus primitivae Ecclesiae: *Erat credentium cor unum, et anima una.*

Tota quoque machina huius celebris aedificii fundatur super septem firmissimas bases septem sacramentorum; tantaque est non solum bonorum verborum, sed et operum communicatio, et mutua participatio, ut quae membra Christi sunt viva, ex singulis bonis actionibus singulos fructus percipiant, iuxta illud Davidis (Psal. 118.): *Particeps ego sum omnium timentium te*: et illud Apostolici Symboli: *Credo communionem Sanctorum.*

Sed ad rem nostram revertentes, Rufini duplex interpretatio mihi valde arridet. Prima, *Adducentur in templum Regis*, idest, in coelestem Hierusalem. Secunda adducentur in templum Regis, ut Dominus in eis tamquam in templo habitet, iaxa illud (*Pauli 1. Corinth. 3.*) *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.*

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram.

Quatuor praecipue solent sponsam permovere ad praebendum consensum in sponsalitium, quae omnia ingeniose Propheta sponsae ob oculos ponit. Primum est sponsi pulchritudo, et sapientia: *Speciosus forma prae filiis hominum: diffusa est gratia etc.* Secundum est, quod ab sponso ardenter diligetur: *Concupiscet Rex decorem tuum.* Tertium est, quod ad summam evehetur dignitatem, et honorem: *Adstitit Regina a dextris tuis.* Quartum tandem, quod foecunda erit, et copiosam filiorum sobolem videbit: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Ecce iam qualis coelesti connubio inter Christum, et Ecclesiam prodiit partus, impleto illo Isaiae: *Lauda sterilis quae non paris: decanta laudem, et hinni quae non pariebas, quoniam multi filii desertae magis, quam eius, quae habet virum.* Ecce pro antiquis Patriarchis Abraham, Isaac, et Iacob, et aliis similibus nati sunt tibi Apostolici viri, duodecim scilicet Christi discipuli. Sicut enim Iacob genuit duodecim filios Patriarchas, a quibus descenderunt secundum carnem omnes filii Israel; ita Christus regeneravit duodecim Apostolos, sed per spiritum, a quibus descendunt omnes Christiani per spiritualem regenerationem. Alii explicant: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, idest loco Platonis, Aristotelis, Socratis, Cyri, Darii, Alexandri, Caesaris, Pompeii, et ceterorum insignium, tam Philosophorum, quam Regum, et Imperatorum, nati sunt tibi filii, scilicet Episcopi, Doctores, et praedicatores, qui te regant, doceant, et bonis moribus instituant.

Observandum vero est, quod licet nativitas spiritualis variis modis contingat fieri, cum tamen hic dicat Propheta, *Nati sunt filii*, loquitur Propheta, ut recte observavit Incognitus (*super Psal. 44.*) de nativitate per lavacrum baptismi, de quo Christus Dominus (*Ioan. 3.*): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; et per consequens, nec filius Dei fieri, cui regnum Dei iure haereditario debeatur.

Quaerit Aristoteles (*libro Prob.*) quare aqua pluvialis maiori virtute sit praedita ad generationem eorum, quae ex terra nascuntur, quam aqua putealis: et respondet, rationem esse, quod pluvialis aqua subtilior cum sit, facilius penetrat terram: non dissimiliter aqua baptismatis, quia est aqua illius pluviae coelestis, quae ex latere Christi profluxit (*Ioan. 19.*), *Exivit sanguis et aqua*, virtutem habet penetrandi substantiam animae, et abstergendi eam a macula peccati originalis, et reliquorum, si quibus aliis fuerit infecta, et deturpata. Atque huc etiam facit, quod unanimi consensu omnium Astrologorum tradit Incognitus (*in comm. huius loci*), qui aiunt, quod si foetus nascatur octavo mense, vivere non potest: si autem nascitur in septimo, vel in nono, diu superstes esse potest. Cuius rationem assignat, quod quilibet planeta per mensem integrum dominatur super foetum eo ordine quo sunt dispositi, ita quod in primo mense dominatur Saturnus, in secundo Iupiter, in tertio Mars, in quarto Sol, in quinto Venus, in sexto Mercurius, et sic iterum incipiendo, in octavo Saturnus, in nono Iupiter, etc. et idem de aliis proportionaliter. Dicunt ergo natum foetum in octavo mense non vivere, quia nascitur sub Saturno, qui duplicem habet qualitatem mortiferam, nimiam siccitatem, et frigiditatem; si autem nascatur in septimo mense, vivit, quia nascitur sub dominio lunae, quae habet virtutem generativam, eo quod dominatur in aquis, ubi illa maxime viget in piscibus; et similiter si nascitur in nono mense, vivit, quia nascitur sub dominio Iovis, qui est planeta dulcis, et benevolus, ut nomen ipsum praesefert: Iupiter enim interpretatur iuvans pater. Ad rem ergo nostram haec accommodans, Saturnus, qui est planeta malevolus, propter nimiam eius frigiditatem, et siccitatem, peccatum designat, quo anima prae nimio frigore alget, iuxta illud (*Hier. 6.*): *Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.* Et prae nimia etiam siccitate contabescit.

Cum ergo omnes sub hoc peccati inclementi planeta concipiantur, ad quod respiciens Propheta (*Psal. 50.*) dixit: *Et in peccatis concepit me mater mea*; nisi divina clementia per Christi sanguinem illi inclementiae se opposuisset, omnes pariter perirent. Clementia autem haec fuit, ut iam permulti sub lunae planeta Ecclesiam Christi praefigurante nascantur, quae cum in aquis sacri baptismatis, quibus abundat, dominetur, lavacro eius loti in filios Dei renascuntur: et





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad id significandum Propheta dixit: *Nati sunt tibi filii*, nativitate scilicet per aquam regenerativam sancti baptismi. Unde Incognitus (*super Psal.* 21.) ait, super aquam refectionis educavit me de statu culpae ad statum gratiae; vel aliter, eduxit me de gentilitate ad fidem: et hoc est quod subdit, *animam meam convertit*, scilicet ab idololatria ad verum Dei cultum. Refert Plinius (*lib. 8. c.* 2), elephantes in nova luna, seu in renovatione lunae convenire gregatim, in flumine se abluere, et novo sideri se inclinare. Ita quidem accidit gentibus, qui in renovatione Ecclesiae catholicae, Christi Iesu novo sidere adveniente, in baptismi flumine balneantur, et illi se inclinantes eum adorant, et reverentur, aqua baptismatis non solum abluti, sed illuminati, et mirifice recreati, ut eleganter prosequitur Cyrillus Alexandrinus (*libro 6. in Ioan. cap. 15.*) his verbis: *Insuper populus Israel, duce Mose, mare rubrum sicco pede pertransit, submersis ibidem Aegyptiis, quod per baptismi susceptionem totam diabolicae pravitatis cohortem a nobis dimoveri insinuat, ut testis est Paulus* 1. *Corinth cap.* 10. *Quid praeterea populus Israeliticus Iosue ductu, Iordane traiecto, in terram promissionis perductus significat, nisi Christo auctore quicumque lavacri baptismum rite susceperint, in terram viventium tandem perventuros? Quid Naaman Syrus septies in Iordane ablutus, et a lepra mundatus nobis innuit, nisi baptismo Christi lotos, ab omni prorsus animae lepra, peccatoque purgari? Quid denique aqua expiationis, secundum veteris legis ritum tollens immunditiam ex contactu morticinorum contractam denotat, nisi aquam baptismi omnem prorsus animi impuritatem abstergere? Postremum hanc baptismi gratiam praesignavit Probatica piscina, in quam post aquae ab Angelo motionem descendens, quacumque tenebatur aegritudine languidus, illico sanabatur. Non autem simpliciter sanabat aquarum piscinae natura, (semper enim hoc fieret) sed in Angeli descensione. Sic et in baptizatis non simpliciter aqua operatur, sed cum Spiritus sancti acceperit gratiam, tunc omnia solvit peccata*; haec ille. Quibus consonant, quae paucioribus verbis perstrinxit Cyrillus Hierosolymitanus, dicens: *Magnum est sane propositum hoc baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animae regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, et indelebile, currus ad coelum, deliciae Paradisi, regni coelestis conciliatio, charismaque adoptionis filiorum.*

Memores erunt nominis tui in omni generatione, et generatione: propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi.

Graeci legunt, *Memor ero*, quam lectionem sequens Folengius, et Titelmannus (*in Psal.* 44.) aiunt, vocem hanc esse Sponsae, quae cum tot ac tantis beneficiis ab Sponso se cumulatam cernat, in gratiarum actionem pollicetur in sempiternum futuram esse tantae largitatis, et beneficentiae memorem; sed nostrae Vulgatae lectionem sequentes, sensus est, Ecclesiae filios Christum divulgaturos per omnes mundi plagas, iuxta illud eiusdem Davidis (*Psal.* 18.): *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum*, Iesu Christi nomen ubique praedicaturos, ita ut a nomine Christi Iesu fideles omnes Christiani dicerentur, ut egregie adnotavit Eusebius (*in Cat. Graec. relatus*). Illud tandem, quod Propheta addit: *Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi*. Hesychius relatus (*in eadem Catena Graecorum super psalmum* 44.) in hunc modum exponit: *Praeterea. Quare istud est? quoniam de ipsis indeficiens mysterium peractum est. Confitebuntur autem in saeculum saeculi: Duplicem quandam confessionem ordinavit, unam quidem praesentem, alteram vero futuram; sed praesens fit ad expungenda debita eorum qui peccata sua confitentur; altera ad poenam, et examen fiet. Nos ergo hac praesenti confessione futuram illam praeveniamus, ut supplicium cum benignitate lucremur.*

Folengius vero aliter explicat: ait enim per geminationem illam: *Generatione, et generatione, in saeculum, et in saeculum saeculi*, significari, nunquam defuturam filiorum Ecclesiae sobolem, quae aeternis velut excubiis a posteris in posteros, quoad mundus perstiterit, divinum laudibus Iesu nomen extollat. Nicolaus de Lyra (in *Psal.* 44.): *Memores erunt: etc. quia per doctrinam, quam seminarunt, et quam in scripto dimiserunt, reduxerunt, et reducent ad memoriam facta Regis Christi generationibus sibi succedentibus usque ad finem mundi*. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

# DE ARCANIS
# IN VULNERE LATERIS CHRISTI
## LATENTIBUS

# LIBER DUODECIMUS

### HOMILIA PRIMA.

*Expenduntur variae figurae vulnus lateris Christi Domini, post mortem ei inflictum adumbrantes, in illa verba: Unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.*

Quamvis non defuerint haeretici, quos tam veteres quam recentes nostrae aetatis auctores acriter refellunt, qui sub quodam pietatis praetextu asserere ausi fuere, lateris vulnus Christo vivente in Cruce illatum fuisse, ut hac ratione commiserationem provocarent (quasi mendacio indigeret passio Christi ut compassionem pareret); veritas tamen catholica habet, post mortem Christi lancea latus eius apertum fuisse. Id quod divus Ioannes ita disertis verbis edocet, ut de morte per anticipationem locutum fuisse respectu apertionis lateris, nulla ratione dici queat, sic enim ait: *Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit*. Ecce reddit rationem, et causam non frangendi crura, quod iam obiisset. Id etiam ad explodendum praedictum errorem definitum fuit in Concilio Viennensi, et habetur (*cap.* 10. *de Sum. Trinit. et fide cath.*) his quae sequuntur verbis: *Nos igitur ad tam praeclarum testimonium, ad sanctorum Patrum, et Doctorum communem sententiam, Apostolicae considerationis (ad quam duntaxat haec declarare pertinet) aciem convertentes, sacro adprobante Concilio, declaramus, praedictum Apostolum et Evangelistam Ioannem rectum in praemissis factae rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo iam mortuo unus militum lancea latus eius aperuit.*

Hoc iam errore confutato, faxit Deus, ut qui mortuus in profundendo sanguinem, et aquam ita liberalis extitit, gloriosus nunc in effundenda in nos divina gratia eadem largitate nobiscum utatur, ut hoc sacratissimo lateris vulnere effundere valeamus. Non immerito putaverim singulari mysterio carere non posse, solum Ioannem inter omnes Evangelistas apertionis lateris Christi per lanceam meminisse: cuius rei arbitror esse rationem, quod cum ipse esset discipulus ille, qui supra pectus Domini in coena recubuerat, unde arcana illa hausit, *Quae non licet homini loqui*, ut Paulus dicebat (2. *Cor.* 12.); ipse autem postea illa locutus est, dicens (*Ioan. c.* 10.): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*; ad eundem speciali titulo spectabat, quasi illius pectoris zelatorem de percussione eius disserere; et cum thesaurarius esset arcanorum, quae in sacro illo pectore, quasi in loclupetissimo aerario delitescebant, ipsi incumbebat apertionem velut clave lanceae ferro factam enarrare. Quod si etiam attendamus, inter reliquos Evangelistas solum Ioannem sub regiae aquilae figura, nemine dissentiente, designari, facile inde eruemus, ad eundem spectasse lanceae vulnus cordi Christi inflictum commemorare. Sicut enim teste Plinio: *Filius ille ab aquila ardentius diligitur, qui ad latus cordis, cum mater ova fovet, adhaeret*; ita sane Ioannes, quia in corde Christi recumbens spiritualiter ab eo enutritus fuit, specialem dilectionis praerogativam obtinuit, et filius cordis Christi prae ceteris vocitari meruit. Unde sicut aquila quasi futuram hominum necem praesagiens, euntem ad bellum militum exercitum insequi solet, quia, *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilae*; ita Ioannes, tanquam regia aquila mortuum Christi corpus, quasi praeodorans integram militum cohortem, quae ad mortem Christum ducebat, insecutus est usque ad Crucis locum, ubi pedem fixit, individuus comes Christi factus. Et sicut aquila, teste Iob, contemplatur escam, ita Ioannes a Christi latere, a quo spiritualem lactis cibum expe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ad id significandum Propheta dixit: *Nati sunt tibi filii*, nativitate scilicet per aquam regenerativam sancti baptismi. Unde Incognitus (*super Psal.* 21.) ait, super aquam refectionis educavit me de statu culpae ad statum gratiae; vel aliter, eduxit me de gentilitate ad fidem: et hoc est quod subdit, *animam meam convertit*, scilicet ab idololatria ad verum Dei cultum. Refert Plinius (*lib. 8. c.* 2), elephantes in nova luna, seu in renovatione lunae convenire gregatim, in flumine se abluere, et novo sideri se inclinare. Ita quidem accidit gentibus, qui in renovatione Ecclesiae catholicae, Christi Iesu novo sidere adveniente, in baptismi flumine balneantur, et illi se inclinantes eum adorant, et reverentur, aqua baptismatis non solum abluti, sed illuminati, et mirifice recreati, ut eleganter prosequitur Cyrillus Alexandrinus (*libro 6. in Ioan. cap. 15.*) his verbis: *Insuper populus Israel, duce Mose, mare rubrum sicco pede pertransit, submersis ibidem Aegyptiis, quod per baptismi susceptionem totam diabolicae pravitatis cohortem a nobis dimoveri insinuat, ut testis est Paulus* 1. *Corinth cap.* 10. *Quid praeterea populus Israeliticus Iosue ductu, Iordane traiecto, in terram promissionis perductus significat, nisi Christo auctore quicumque lavacri baptismum rite susceperint, in terram viventium tandem perventuros? Quid Naaman Syrus septies in Iordane ablutus, et a lepra mundatus nobis innuit, nisi baptismo Christi lotos, ab omni prorsus animae lepra, peccatoque purgari? Quid denique aqua expiationis, secundum veteris legis ritum tollens immunditiam ex contactu morticinorum contractam denotat, nisi aquam baptismi omnem prorsus animi impuritatem abstergere? Postremum hanc baptismi gratiam praesignavit Probatica piscina, in quam post aquae ab Angelo motionem descendens, quacumque tenebatur aegritudine languidus, illico sanabatur. Non autem simpliciter sanabat aquarum piscinae natura, (semper enim hoc fieret) sed in Angeli descensione. Sic et in baptizatis non simpliciter aqua operatur, sed cum Spiritus sancti acceperit gratiam, tunc omnia solvit peccata*; haec ille. Quibus consonant, quae paucioribus verbis perstrinxit Cyrillus Hierosolymitanus, dicens: *Magnum est sane propositum hoc baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animae regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, et indelebile, currus ad coelum, deliciae Paradisi, regni coelestis conciliatio, charismaque adoptionis filiorum.*

Memores erunt nominis tui in omni generatione, et generatione: propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi.

Graeci legunt, *Memor ero*, quam lectionem sequens Folengius, et Titelmannus (*in Psal.* 44.) aiunt, vocem hanc esse Sponsae, quae cum tot ac tantis beneficiis ab Sponso se cumulatam cernat, in gratiarum actionem pollicetur in sempiternum futuram esse tantae largitatis, et beneficentiae memorem; sed nostrae Vulgatae lectionem sequentes, sensus est, Ecclesiae filios Christum divulgaturos per omnes mundi plagas, iuxta illud eiusdem Davidis (*Psal. 18.*): *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum*, Iesu Christi nomen ubique praedicaturos, ita ut a nomine Christi Iesu fideles omnes Christiani dicerentur, ut egregie adnotavit Eusebius (*in Cat. Graec. relatus*). Illud tandem, quod Propheta addit: *Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi*, Hesychius relatus (*in eadem Catena Graecorum super psalmum* 44.) in hunc modum exponit: *Praeterea. Quare istud est? quoniam de ipsis indeficiens mysterium peractum est. Confitebuntur autem in saeculum saeculi: Duplicem quandam confessionem ordinavit, unam quidem praesentem, alteram vero futuram; sed praesens fit ad expungenda debita eorum qui peccata sua confitentur; altera ad poenam, et examen fiet. Nos ergo hac praesenti confessione futuram illam praeveniamus, ut supplicium cum benignitate lucremur.*

Folengius vero aliter explicat: ait enim per geminationem illam: *Generatione, et generatione, in saeculum, et in saeculum saeculi*, significari, nunquam defuturam filiorum Ecclesiae sobolem, quae aeternis velut excubiis a posteris in posteros, quoad mundus perstiterit, divinum laudibus Iesu nomen extollat. Nicolaus de Lyra (in *Psal.* 44.): *Memores erunt: etc. quia per doctrinam, quam seminarunt, et quam in scripto dimiserunt, reduxerunt, et reducent ad memoriam facta Regis Christi generationibus sibi succedentibus usque ad finem mundi.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

# DE ARCANIS

# IN VULNERE LATERIS CHRISTI

## LATENTIBUS

# LIBER DUODECIMUS

### HOMILIA PRIMA.

*Expenduntur variae figurae vulnus lateris Christi Domini, post mortem ei inflictum adumbrantes in illa verba: Unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.*

Quamvis non defuerint haeretici, quos tam veteres quam recentes nostrae aetatis auctores acriter refellunt, qui sub quodam pietatis praetextu asserere ausi fuere, lateris vulnus Christo vivente in Cruce illatum fuisse, ut hac ratione commiserationem provocarent (quasi mendacio indigeret passio Christi ut compassionem pareret); veritas tamen catholica habet, post mortem Christi lancea latus eius apertum fuisse. Id quod divus Ioannes ita disertis verbis edocet, ut de morte per anticipationem locutum fuisse respectu apertionis lateris, nulla ratione dici queat, sic enim ait: *Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit.* Ecce reddit rationem, et causam non frangendi crura, quod iam obiisset. Id etiam ad explodendum praedictum errorem definitum fuit in Concilio Viennensi, et habetur (*cap.* 10. *de Sum. Trinit. et fide cath.*) his quae sequuntur verbis: *Nos igitur ad tam praclarum testimonium, ad sanctorum Patrum, et Doctorum communem sententiam, Apostolicae considerationis (ad quam duntaxat haec declarare pertinet) aciem convertentes, sacro adprobante Concilio, declaramus, praedictum Apostolum et Evangelistam Ioannem rectum in praemissis factae rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo iam mortuo unus militum lancea latus eius aperuit.*

Hoc iam errore confutato, faxit Deus, ut qui mortuus in profundendo sanguinem, et aquam ita liberalis extitit, gloriosus nunc in effundenda in nos divina gratia eadem largitate nobiscum utatur, ut hoc sacratissimo lateris vulnere effundere valeamus. Non immerito putaverim singulari mysterio carere non posse, solum Ioannem inter omnes Evangelistas apertionis lateris Christi per lanceam meminisse; cuius rei arbitror esse rationem, quod cum ipse esset discipulus ille, qui supra pectus Domini in coena recubuerat, unde arcana illa hausit, *Quae non licet homini loqui*, ut Paulus dicebat (2. *Cor.* 12.); ipse autem postea illa locutus est, dicens (*Ioan. c.* 10.): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*; ad eundem speciali titulo spectabat, quasi illius pectoris relatorem de percussione eius disserere; et cum thesaurarius esset arcanorum, quae in sacro illo pectore, quasi in locupletissimo aerario delitescebant, ipsi incumbebat apertionem velut clave lanceae ferro factam enarrare. Quod si etiam attendamus, inter reliquos Evangelistas solum Ioannem sub regiae aquilae figura, nemine dissentiente, designari, facile inde eruemus, ad eundem spectasse lanceae vulnus cordi Christi inflictum commemorare. Sicut enim teste Plinio: *Filius ille ab aquila ardentius diligitur, qui ad latus cordis, cum mater ova fovet, adhaeret*; ita sane Ioannes, quia in corde Christi recumbens spiritualiter ab eo enutritus fuit, specialem dilectionis praerogativam obtinuit, et filius cordis Christi prae ceteris vocitari meruit. Unde sicut aquila quasi futuram hominum necem praesagiens, euntem ad bellum militum exercitum insequi solet, quia, *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilae*; ita Ioannes, tanquam regia aquila mortuum Christi corpus, quasi praeodorans integram militum cohortem, quae ad mortem Christum ducebat, insecutus est usque ad Crucis locum, ubi pedem fixit, individuus comes Christi factus. Et sicut aquila, teste Iob, contemplatur escam, ita Ioannes a Christi latere, a quo spiritualem lactis cibum expe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ctabat, contemplationis oculos non avertebat: non tamen a longe escam illam contemplabatur, velut olim Iacob, qui dormiens scalam vidit, cuius summitas coelum tangebat; aut velut Moyses procul aspiciens rubum ardentem, et incombustum, ut verba eius indicant (*Exod.* 3.): *Vadam, et videbo visionem hanc grandem*; aut tandem velut Baalam, qui dicebat (*Num.* 23.): *De summis silicibus videbo eum, intuebor illum, sed non prope.* At Ioannes non dormiens, sed vigilans; non a Christo elongatus, sed vicinus, et proximus Crucis patibulo, in quo Crucis auctor pendebat, eius lateris cruentum vulnus contemplatur; et cum inter omnes Evangelistas ipse solus illius testis oculatus fuerit, solus ipse eius testimonium exhibuit, dicens (*Ioan. c.* 19.): *Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius.*

Praedixit autem illud Iob (ut nonnulli arbitrantur) in verbis illis: *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, et non pepercit.* Sed certius vaticinium opinor fuisse illud Davidis: *Ferrum pertransiit animam eius, et appropinquavit cor illius.* Ferrum enim clavorum pertransiit animam eius, cum vivus ex illis penderet; ferro vero lanceae appropinquavit ad cor illius, cum dextrum eius latus iam mortui aperuit.

Sed iam proposita Ioannis verba minutim enucleare incipiamus: *Unus militum* (ait) *lancea latus eius aperuit:* singula enim haec explicatione indigent. Sacri Evangelistae, quis fuerit iste miles, non aperuerunt; communis tamen, et receptissima sententia obtinuit, illum fuisse Longinum: nam praeterquam id testantur Martyrologia, tam antiqua, quam moderna Francisci Maurolycii, Petri Galesini, et Cardinalis Baronii, quae, ut bene Gretserus ait (*libro primo de Cruce cap.* 33.) non debent temere reiici; confirmant id etiam Patrum testimonia: Augustinus enim (*in suo Manuali c. 25 tom. 9.*) vocat illum Longinum: *Longinus, inquit, aperuit latus Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco securus.* Et D. Isidorus Hispal. relatus a Salmerone (*tract. 48. de Passione*) ait: *Longinus latus Salvatoris aperuit; et tactu sanguinis Christi cum esset altero oculo privatus, illuminatus est extra, et intra lumine fidei.* Gregorius Nazianzenus (*tragoedia de Christo patiente*) de Longino loquens ait:

*Ubi fixit hastam defluentis sanguinis*
*Tinctam liquore; et ecce ut utraque e manu*
*Haurit oculosque hoc ungit, hinc ut scilicet*
*Detergat oculum, nocte quae caeca obtegit.*

Et Mantuanus (*libro fest. dierum*) haec de eodem scribit:

*Tu caecus non mente minus, quam corpore sanctum*
*Lancea, et admoto pectus mucrone petisti.*
*Inde cruor confusus aquis hostilia circum*
*In digitos lapsus tetigit cum lumina morbum*
*Sustulit, ista Deus collyria misit, ut atram*
*Ex animo, ex oculis fugiens Aaratia nubem*
*Secum ageret, vitaeque daret te cernere fontem.*

Gregorius Vicelius ex quorundam sententia refert, Longinum sic dictum fuisse voce Graeca significante hastam, sive lanceam; quamvis alii velint dictum Longinum a longo, sicut Iustinus a iusto. In Menologio etiam Graecorum sub die 26. Octobris habetur, hunc Longinum fuisse Centurionem illum, qui mortuo Domino videns signa, et prodigia, quae fiebant, dixit: *Vere Filius Dei erat iste.* Et Mallonius eruditus interpres Paleotti in stigmata Domini sacrae sindoni impressa, eidem sententiae subscribit. Cui si obiicias, Si cognovit quod Christus erat Filius Dei, quomodo ausus fuit tam horrendo vulnere Christi latus fodere; Respondet, hoc ipsum fecisse, ut graviorem a Christo arceret iniuriam, ne eius crura confringerentur, quod fecit lanceae vulnere, ostendens iam esse mortuum: vivis enim tantum confringebantur crura. Et Gretserus (*lib. 1. de Cruce cap. 34.*) respondet, quod cum muneris Centurionis esset, ne vivus crucifixus deponeretur de cruce, ad ipsum pertinebat experimentum facere, an iam obiisset: in quo nihil piaculi admittere putabat. Quod idem confirmat ex D. Ambrosio (*in Psal. 40. et super Lucam lib. 10. cap. 33.*) dicente: *Quo tempore iusti plerique nutabant, ipsi certe latebant Apostoli, carnifex ipse Centurio non negavit:* et (*loco citato super Lucam*): *Iam*, inquit, *etiam Centurio Dei Filium, quem crucifixerat, confitetur.* Qui autem mores, vitam, et mortem Longini nosse desideraverit, haec quae ex insigni Historiographo Petro de Natalibus mutuavimus, non pigeat legere: *Longinus fuit quidam Centurio, de provincia Isauriae, qui cum aliis militibus Cruci Domini adstans, latus eius lancea perforavit, et videns signa quae fiebant, solem scilicet obscuratum, et terraemotum, in Christum credidit; maxime ex eo, ut quidam dicunt, quod cum ex infirmitate eius oculi caligassent, de sanguine Christi per lanceam decurrente casu oculos tetigit, et protinus clare vidit. Unde renuncians militiae, et ab Apostolis instructus, in Caesarea Cappadociae xxviii. annis monasticam vitam duxit, et plurimos ad Christum convertit. Cum autem ab Octaviano Praeside tentus, sacrificare nollet, iussit Praeses omnes dentes eius excuti, et linguam abscindi: ex hoc tamen loquelam non amisit, sed accepta securi, omnia Idola confregit, daemones autem de Idolis exeuntes, et in aere ululantes in Praesidem, et in eius socios intraverunt, qui insanientes Longini se pedibus prostraverunt, quos omnes Longinus in Christi nomine ab oppressione daemonum liberavit, et daemones in desertum misit. Quo miraculo quidam Aphrodisius Commentoriensis cum multis aliis ad Christum conversus est. Post dies aliquot cum Octavianus Longinum tantum ad se adduci iussisset, ut eum poenis*



*afficeret, et ipsum ob hoc Aphrodisius reprehenderet, eo quod de suscepto ab eo beneficio ingratus esset, iussit Praeses Aphrodisio linguam praecidi, sed et ipse nihilominus loquebatur. Praeses vero confestim excaecatus est, cui Longinus suasit, quod liberari non posset, nisi ipsum occideret: nam Martyr effectus pro Praeside oraret, et ipse lumen recuperaret, statimque Praeses Longinum decollari fecit. Post haec ad corpus eius adiit, et prostratus cum lacrymis poenitentiam egit, et continuo visum recepit, corpusque Martyris honorabiliter tumulavit, et in bonis operibus perseveravit. Passus est autem Martyr Christi Idibus Martii;* haec ille. Sed videamus iam, cum Ioannes dicat, militem latus Christi lancea aperuisse, sinistrum ne erat, an dexterum hoc latus: utrimque enim probabiles possunt adduci rationes: nam in sinistro latere sedes est, et domicilium cordis, et quia in corde recubat amor, ut testatur Sponsa, dicens (*Cant. 4.*): *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa.* Ideo ut eximii sui amoris manifestum argumentum exhiberet, in corde voluit vulnerari. Deinde, quia ut docet divus Augustinus (*in Psalmo* 127 *et* 2. *ad Catheck. cap.* 7 *et tractatu* 9 15 *et* 120 *in Ioan.*): *Quemadmodum ex latere Adae dormientis Eva formata prodiit, ita ex latere Christi Ecclesia.* Ut autem figuratum figurae respondeat, oportebat ex Christi sinistro latere Ecclesiam proficisci: nam ex sinistro Adae latere creditur formata Eva, quia in illud vergit cor humanum, in quo residet et amor inter virum, et uxorem. Ob hanc enim amoris causam formata fuit femina ex viro, ut observarunt divus Augustinus (12 *de Civitate cap.* 27), Theodoretus et Rupertus (*super Gen.*), divus Thomas (1. *p. q.* 92. *art.* 2.), et alii. Unde quia mulier de latere sinistro formata fuit, factum est ut uxor appelletur viri sinistra, et quod quidam (ut refert divus Augustinus) verba illa Christi Domini, *Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua*, explicarint, id est, *nesciat uxor tua*: quia cum in re familiari tenaciores pecuniarum soleant esse feminae, oportet eas lateat, quod misericorditer viri earum egenis impendunt. Verumtamen est, D. Augustinum hanc expositionem ibi refellere. Scio etiam alios ex impietate, atque adeo ex odio in Christum vulnus illatum dicere. Ita Chrysostomus (*homilia 84. in Ioan.*), eiusque discipulus Theophylactus, atque Isidorus, qui etiam dicunt eo ictu gravius, quam in crucifixione commissum esse delictum: videturque hoc ex S. Birgittae revelationibus posse confirmari, quae (*libro* 7 *cap.* 5.) dicit: *Irruens autem unus, qui erat in circuitu, cum maxima furia lanceam in Christi latus infixit, tam valide, ut non desierit, donec lancea costae inhaeserit.* Theophilus, quem refert Ant. Glissand. (*quaest. 74. in Fer. 6. Parasc.*) dicit: Longinum lancea latus Christi aperuisse, ut contumeliam Christo inferens, Iudaeis complaceret. Praeterea, quia si miles ille percussit latus Christi, ut exploraret, aut perficeret mortem eius, verosimilius est, cor eius voluisse vulnerare: sic enim magis notum omnibus esset, et manifestius, Christum iam obiisse. Ac tandem, quia cum Ioannes simpliciter dicat militem latus eius aperuisse, nobis intelligendum videtur de dextero loqui, quod excellentius est: sic enim in simili accipitur apud Isaiam, cum ait: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*, id est, *ad dexteram, tanquam Messias*, ut omnes unanimiter interpretantur. Unde etiam figurae huius vulneris, quae desumuntur ex Levitico 1. et Ezechiele 47 aperte dicunt latus dextrum altaris. Adstipulatur idem divus Bernardus dicens (*in Psalm. Qui habitat ser. 7.*): *Dexterum sibi propter me passus est latus fodi, quod videlicet nonnisi de dextra mihi propitiare velit, nonnisi in dextra locum parare refugii:* et (*sup. Cant.*): *Dexterum*, inquit, *mihi latus effodi permisit, ut a dextera in dexteram transeamus.* Idem etiam non obscure probari potest ex divo Augustino (*lib. 3. de anima et eius orig. c. 9.*) dicente: *Non incredibiliter, latronem, qui tunc credidit, iuxta Dominum Crucifixum, a qua illa, quae de vulnere lateris eius emicuit, tanquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum:* et (*lib. 3. de Anima*) ait: *Creditur aqua simul cum sanguine exiliente de latere Domini, iuxta confixum potuisse perfundi, atque huiusmodi sanctissimo baptismate dilui;* haec ille. Constat autem bonum latronem a dextris Christi pependisse, atque adeo secundum Augustinum aqua lateris dextri fuisse perfusum, cum iuxta illud esset confixus. Quae omnia non parum confirmantur ex communi, et receptissimo Ecclesiae usu, quae imagines Christi crucifixi cum vulnere in latere dextro depingere consuevit, a quo usu non est temere cuiquam recedendum; maxime quod B. Birgitta (*lib. 7. suarum revelat. c. 15.*) testatur revelatum sibi fuisse, Longinum lanceam infixisse in latere Christi dextro.

Postquam iam in superioribus priora illa verba, *unus militum*, et illa, *latus eius* explicuimus, iam illud aliud exponamus, nimirum, *aperuit*: ubi latissimus nobis patet campus, ut multa eaque gravissima, iuxta Patrum doctrinam, de hac lateris apertione in medium producamus. Illam in primis ut rem valde memorandam, multisque sacramentis refertam, non paucae figurae olim adumbrarunt, nec pauciora vaticinia praedixere. Ut tamen ab antiquioribus exordiamur, apertio lateris Adae, ex cuius costa Eva formata fuit, apertionem lateris Christi, unde Ecclesia extracta fuit, non obscure praefiguravit, ut frequenter adnotant sancti Patres, Clemens Papa (*in Clementi.*), Eucherius, Rupertus, et alii (*in Genesim*), Hieronymus (*ad Eph.* 5.), s. Augustinus (*tract. 9. et 15. et 120. et 2. ad Catech. c. 6. in Ioan, et lib. 9. Genes. ad litter. c. 10.*), Leo Papa (*epist. 22.*), Tertullianus (*lib. de anima c. 43.*), et praesertim divus Augustinus (*super Psalm. 126.*) dum ait: *Cum dormiret Adam, costa illi detracta est, et Eva facta est; sic et Dominus cum dormiret in Cruce, latus eius lancea percussum est, et sacramenta profluxerunt unde facta est Ecclesia. Ecclesia enim coniux Domini facta est de latere, quomodo*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*Eva illi facta est de latere. Sed quomodo illa non est facta, nisi de latere dormientis, sic ista non est facta, nisi de latere Christi in Cruce dormientis.* Ut tamen, quam apte haec lateris apertio Adae lateris Christi apertionem adumbret, perspicue agnoscamus, observare oportet mysticum morbum, quo Adam laboravit, lateris fuisse infirmitatem, quia ex eius latere Eva egressa fuit, quae initium doloris, et peccati eius extitit, ut egregie adnotavit Rufinus (*in exp. Symb.*) dicens: *Videtur mihi in latere per costam mulierem indicari, quia fons peccati, et mortis de muliere prima, quae fuit primi Adam costa, processit*; haec ille. Quod idem non parum confirmat, quod, ut periti linguae sanctae observarunt, verbum, quo sacra pagina utitur ad significandum somnum Adam, dum ait (*Gen.* 4.), *Immisit Dominus soporem in Adam*, idem prorsus usurpat ad exprimendum somnum, quo Ionas correptus fuerat; quasi diceret: somnus iste tuus persimilis est somno Adae, quia sicut Adam dormiente orta est tempestas, hoc est Eva procreata, quae illum velut gravis procella in profundum peccati demersit, ita te somno correpto, tempestas superveniet, quae te in ventrem caeti demergat.

Cum igitur initium peccati Adae, et totius generis humani, ex Eva, quae ex latere Adae efformata fuit, prodiisset, et Christus Dominus tanquam peritissimus medicus ad medelam nostris infirmitatibus adhibendam venisset, ea proculdubio medicamenta adhibuit, quae huic lateris infirmitati humanum corpus vexanti applicari consueverunt, diaetam nimirum, sanguinis minutionem, amaram aliquam potionem, ac tandem cucurbitulam lateri admovendo, et sanguinem inde extrahendo. Similia sane Christus Dominus adhibuit medicamenta: ieiunavit enim inauditae abstinentiae genere, per quadraginta dies non manducans, nec bibens, ut praedicto Adae morbo mederetur: minutionem insuper sanguinis adhibuit, dum illum in circumcisione, in sudore horti, flagellatione, coronatione, et crucifixione profudit: amaram deinde fellis potionem gustando sumpsit, ac tandem non tonsoris lanceola, sed militis dira lancea latus aperiri permisit, unde copiosius manavit sanguis, quo tanquam ultimo medicamine infirmitati lateris Adae remedium mirabileadhibuit.

Divus Augustinus (*serm.* 120. *in Ioa. init. t.* 10.) aliam egregiam huius vulneris imaginem affert, ostium scilicet Arcae Noe, dicens: *Hoc praenunciabat, quod Noe in latere Arcae ostium facere iussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura.* Sane passionem Christi diluvio similem non incongrue existimaverim; tum propter inundantes divini furoris aquas, Christum Dominum adeo vexantes, ut diceret (*Psal.* 68.): *Intraverunt aquae usque ad animam meam*; tum quia sicut tempore diluvii *cataractae coeli apertae sunt, ruptique fontes abyssi*, ita fere omnes venae corporis Christi scissae fuerunt, et sanguinis inundatio corpus, Crucem, et pavimentum terrae cruento liquore madefecit. Arcae autem ostium recte lateris vulnus praesignabat: nam sicut ibi ait sacer textus, Arca Noe ostium habebat, quo ingressa sunt animalia; ita sane in hac mystica Arca, humanitate scilicet Christi Domini, ostium fuit lateris vulnus, quo animalia non peritura, praedestinati scilicet, de quibus Christus Dominus dixit (*Ioan.* 10.): *Nemo rapiet eos de manu mea*, in vitam aeternam ingrediuntur, Christo Domino dicente (*Ioan.* 10.): *Si quis per me introierit, pascua inveniet.* Illud tamen mirabile est discrimen, quod ostium illud clausum erat, ut ait Moyses: *Clausitque Dominus ostium deforis*; at ostium hoc vulneris lateris Christi omnibus patet, nulli clausum est: unde ipse ait: *Eum qui venerit ad me, non eiiciam foras.* Erat deinde Arcae Noe fenestra quaedam, per quam solari luce perfusa, quae intus erant, palam videri possent, si perspector adesset. Erat autem fenestra haec crystallina, ut refert Magister historiae, vel ut peritissimi quidam Hebraeorum tradunt, ex fulgentissimo carbunculo confecta; et quidquid horum sit, egregie haec fenestra lateris Christi vulnus adumbrabat, per quod, tanquam per mirabilem fenestram, luce, et claritate splendentem, viscera Dei nostri ardentissimo amoris igne succensa prospicienti, velut Sponsae, per huius vulneris cancellum manifestissime patent.

Tertiam adiungo figuram huius vulneris petram illam, quae virga Moysis percussa largissimas protulit aquas. Sic enim lanceae virga latus Christi percussum non solum sanguinem, sed aquam salientem in vitam aeternam sitientibus propinavit. Meminit sane huius figurae divus Paulus haec scribens (1. *Cor.* 10.): *Omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Unde divus Cyprianus (*epis. ad Sicilium*) ait vaticinium illud Isaiae, *Aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquae*, adimpletum fuisse, quando Christus, qui est petra, finditur ictu lanceae in passione.

Quartam et egregiam huius vulneris figuram arbitror fuisse illam Ezechielis, dicentis, quod respiciens ad portam orientalem vidit redundantes aquas a latere dextero egredi, et quod dum vellet illas pertransire, intumuerunt aquae profundi torrentis, qui non potuit transvadari. Christum Dominum merito vocari templum, praeterquam Dominico eius ore didicimus cum dixit: *Solvite templum; hoc autem dicebat* ait divus Ioannes (*c.* 2.) *de templo corporis sui*, illud satis superque idipsum suadet, quod si templum locus est, quo specialiter inhabitat Deus, specialique religionis cultu honoratur; certe cum in Christo, ut ait divus Paulus (*ad Col.* 2.) habitaret omnis plenitudo divinitatis, et in eo excellentissimo religionis cultu anima eius Deum veneraretur, nullum templum sacra eius humanitate dignius excogitari poterit. Tunc autem a latere dextro templi vidit Ezechiel redundantes aquas profluere, quando ictu dirae lanceae sacro pectore lacerato, exivit ex eo sanguis, et aqua. Unde Rupertus (*super c.* 16. *lib.* 3. *Regum*): *Ostium* (inquit) *lateris templi vulnus est in latere lanceato Dominici pectoris, praeter quod non est aditus neque ianua per quam intret quis, aut in quovis ordine coram Deo stare possit.* Merito autem ait praedictas aquas transvadari non posse, quia stupenda, quae in hoc lateris vulnere absconduntur sacramenta, mens tam humana, quam angelica nulla ratione exhaurire, aut comprehendere valet.

Quintam, et non contemnendam figuram desumo ex tribus lanceis, quibus percussus fuit Absalon, dum haereret per capillos in quercu, (nec enim raro in sacra Scriptura malorum hominum res patratae bonorum bene gestas repraesentant). Erat quidem Absalon filius regis Davidis, insignique pulchritudine praeditus; talis est Iesus aeterni regis Filius, *et speciosus forma prae filiis hominum*, ut praedixerat David (*Psal.* 44.): hic mortuus est in quercu crucis: et ut Absalonis morte pacificatum est regnum, ita morte eius mundus cum Deo reconciliatus est: *Pacificans per sanguinem crucis*, ut ait Paulus (*ad Col.* 2.), *sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.* Et ut Ioab occidit Absalonem patre eius Davide repugnante; ita populus Hebraeus Iesum occidit, Patre coelesti sua lege, et praecepto innocentem occidere prohibente. Quod si Absalon tribus lanceis fuit confixus; recte triplex illa lancea unam Longini significat, quia licet una, tamen, quasi triplex aut tricuspis esset, trium corda transfixit, cor scilicet Christi, cor Matris, et discipuli Ioannis, qui huic spectaculo tunc aderant.

Ac tandem figuratam reperio hanc lateris apertionem in vulnere illo illato Regi Achab, qui percussus fuit inter pulmonem et stomachum in curru suo; et in fonte, de quo Zacharias (c. 13.): *In die illa erit fons patens domui David*; et in caverna maceriae, de qua Sponsus (*Cant.* 2.): *Veni in foraminibus petrae, in caverna maceriae*; in porta aurea in qua sedentes mendici peccatores a divina misericordia eleemosynam implorant; in puteo aquarum viventium; in civitate refugii; in Sancto sanctorum, et mystica Testamenti arca: quia sicut ibi tria illa latebant, virga Moysis, tabulae legis, et manna de coelo missum; ita in pectore Christi omnipotentiae, virga divinae sapientiae, tabulae, ac dulcissimi amoris manna per illa tria designata delitescunt. Cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA SECUNDA.

*Apertionis lateris Christi Domini egregiae redduntur causae in illa eadem verba: Unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua, Ioann. 19.*

Restat iam diligenti indagine quaeramus, quare Christus Dominus cum tot vulnera suscepisset, adhuc mortuus permisit latus suum lancea perforari. Huius rei plures, scituque dignissimae occurrunt causae. Prima, ut immanitas ac ferina crudelitas Hebraeorum cum summo odio coniuncta adversus Christum Dominum magis omnibus innotesceret, qui in hominem mortuum velut immanissima hyaena saevierunt; leone ipso crudeliores, qui non modo homini iam mortuo, sed et prostrato generose parcere solet, ut quidam Poetarum dixit:

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.
Pugna suum finem cum iacet hostis habet.

Cui consonat illud Virgilii:

Nullum cum victis certamen, et aethere cassis.

Memini etiam Polystratum, Poetam quendam increpasse, quod in extinctum tyrannum stylum acuisset: *Institutum* (inquit) *tum laudarem, si vivum accusasses: viventem namque tyrannum lacessere viri esse duco, at mortuo insultare cuiusvis.* Similia lego apud Platonem (*li.* 5. *de Republi.*), ubi ait: *Mortui corpus hostem putare cum hostis ipse abierit eo relicto, quo pugnabat. Quid putas, eos qui ita se gerunt, differre a canibus, in lapides saevientibus eo, qui recessit, praetermisso.* Atque hinc patet, quid sibi velit Ecclesia, dulces vocans clavos, dulce lignum, dulce pondus sustinet; lanceam e contra crudelem, et diram appellans: quo vulneratus insuper mucrone diro lanceae. Videbatur sane sapientius vocasse dulcem lanceam, et diros clavos, quia vulnus quod cruciat, amarum est, quod vero non, dulce ac suave. Igitur cum Christus Dominus vulnera clavorum praesensisset, non vero lanceae, illos crudeles, hanc dulcem appellare debuisset. Verum merito Ecclesia epitheta haec commutavit, cuius divus Bernardus (*in sermo. Signum magnum apparuit*) indicat egregiam rationem, qua scilicet crux, et clavi filium transfixerunt, et lancea matris etiam animam pertransivit: *Vere* (inquit) *tuam o Beata Mater, gladius animam pertransivit; alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filii penetraret. Et quidem postquam emisit spiritum tuus ille Iesus, ipsius plane non attigit animam ipsa crudelis lancea, nec mortuo parcens, cui cum non posset nocere, aperuit latus, sed tuam utique animam pertransiit.* Fuit etiam dira lancea, quia vitae Christi in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sidiantes Hebraei, si forte aliqua eius scintilla superesset, illam penitus extinguere cupientes, latus eius acriter vulnerarunt. Et quia inter Philosophos fuit opinionum diversitas, ubinam animalis vita resideret: quibusdam asserentibus in corde cum Aristotele: aliis in cerebro cum Galeno; aliis tandem in sanguine, iuxta illud (*Levitici* 17.): *Anima carnis in sanguine est*; Iudaei quidem in vanum quaerentes animam Christi, ut radicitus illum eraderent de terra viventium, fuderunt eius sanguinem per flagella, cerebrum acutissimis sentibus terebrarunt, ac denique lancea latus, immo et cor eius aperiunt, ut B. Birgitta testatur (*in libro suar. revel.*) dicens: *In corde punctus erat tam amare, et immisericorditer cor pungens non destitit, donec lancea attigit costam, et ambae partes cordis essent in lancea*; haec illa. Ac tandem quia Hebraei latus Christi lancea percutientes falsa scelera, quae Christo imposuerant, mirum in modum exaggerarunt, significantes gravia adeo esse, ut non solum vivus mulctari deberet, sed et mortuus excarnificari (sicut modo etiam obtinuit consuetudo, quod ob atrocissima crimina non solum malefactores occiduntur, sed occisa iam corpora trucidantur, et in varias partes dividuntur). Voluerunt igitur Iudaei latus Christi transfigentes, quasi os quoddam aperire, quod atrocitatem criminum Christi proclamaret, qui non tantum vivus, sed et mortuus vulnerari mereretur. Sed mentita est haec iniquitas sibi, quia vulnus illud os fuit, eximiam Christi charitatem vociferans, cum sanguis ex eo profluens instantius, quam sanguis Abel, fratricidae vindictam postulans, nostrorum peccatorum veniam deprecetur. Ecce ergo, quam merito Ecclesia coelesti lumine illustrata lanceam diram appellet, quae mortuum Dominum vulneravit; clavos vero, qui vivum transfixerunt, dulces compellet: est enim dulce amanti pro dilecto adversa sustinere.

Secunda huius apertionis causa fuit, ut ostenderet nobis lateris vulnus locum spiritualis nostrae regenerationis esse, ut olim Isaias (*c.* 60.) praedixerat: *Filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent*. Certe Christum velut matrem omnium nostrum amantissimam in visceribus nos gestasse disertis verbis ipse per eundem Prophetam Isaiam (*c.* 46.) praenunciarat: *Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva*; vel ut alii vertunt, *a visceribus meis*. Saepe autem fieri consuevit, ut cum mater praegnans vel dolore partus, aut alia causa moritur, viscera matris aperiantur, ut infans vivus extrahatur. Ita contigisse referunt Hispani historiographi Regi Sancio, Abarca nomine: nam cum hostes urbem ingrederentur, et matrem eius lancea confodissent, per foramen vulneris infans manum foras protendit, et inde incolumis eductus est. Non dissimiliter cum Christus Dominus in lecto crucis iaceret, et velut parturiens nos, ex vehementia doloris acerbi huius partus tandem animam exhalaret, lancea voluit latus suum aperiri, ut inde copiosa illa filiorum generatio prodiret, de qua Isaias (*c.* 53.): *Generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium*; et Ecclesia catholica velut altera sapiens Minerva, quam mendax gentilitas ex Iovis cerebro nasci confixit, vel certe velut Eva de latere Adae egrediens, ut orthodoxae fidei veritas attestatur, ex latere Christi ipsa orietur cum legitimo iure ad aeternam haereditatem adeundam, divo Paulo dicente (*Rom.* 8.): *Quod si filii, et haeredes*.

Tertiam causam subiungo, quod voluit Christus Dominus nobilius domicilium, quam Adae, nobis in habitaculum dare. Illi enim Paradisum floridum, nobis autem cor suum ardenti amore aestuans in habitationem donavit: ibi gladius erat neminem ingredi permittens, hic lancea corporis Christi, ut intremus aperiens. Liceat mihi dicere cum David (*Psal.* 131.): *Hic habitabo, quoniam elegi eam*, et cum divo Petro (*Matt.* 17.): *Bonum est, nos hic esse*; et cum beato Elzeario ad sponsam suam per epistolam respondente: *Si me videre cupis, quaere me in vulnere lateris Christi, ibi enim habitabo, ibi me reperies, frustra alibi quaesitura*; liceat tandem cum divo Bernardo (*ser. 2. de Pass. c.* 3.) proclamare: *O quam iucundum habitare in corde hoc. Bonus thesaurus, bona margarita, cor tuum bone Iesu, quam fosso agro tui corporis invenimus. Quis hanc margaritam abiiciat? quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, et affectus mentis commutabo, et comparabo illam mihi, iactans omne cogitatum meum in cor Domini Iesu, et sine fallacia illud me enutriet. Ad hoc templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini.*

Et divus Augustinus (*de tempore c.* 8.) inquit: *Venite omnes, intrate omnes. Est qua possitis intrare, patet latus. Ostendit enim ille latro quo debeant omnes intrare. Neminem suo exemplo docuit desperare. Contendite* (ait Dominus) *intrare per angustam portam. Quid angustius illo foramine quod unus ex militibus percutiendo latus Crucifixi aperuit? Et tamen per has angustias pene iam totus mundus intravit.*

Quartam causam adhibet idem divus Bernardus, ut scilicet eximius Christi amor erga genus humanum per foramen lateris nobis pateret, clariusque immensa cordis illius charitas innotesceret: sic enim ait. *Propterea latus vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum cor lancea vulnerari permisit? carnale ergo vulnus spirituale ostendit*; haec ille. Lucianum memini referre Philosophos quosdam gentiles naturam dixisse in eo valde errasse, quod fenestram non fabricasset in humano pectore, per quam abscondita cordis videri possent; sed ipsi certe erant qui errabant: nam si, ut Christus Dominus dixit (*Matt.* 15.): *Ex corde exeunt malae cogitationes, homicidia, adulteria, et similia*; nemo sane execrandum eorum foetorem sustinere posset, si fenestra, qua paterent, adesset. Nunc autem id quod Philosophi confingebant, reipsa factum est, cum latus Christi per vulnus lanceae apertum fuit: tunc enim artificiosa sculptura fenestram fabricavit divinus artifex, per quam non obscure divini amoris flammae Christi praecordia succendentes palam videri possent. Contigit non semel in morte quorundam, qui absque ulla infirmitate, vel morbo perierunt, corpus eorum aperiri, ut mortis causam exquirant atque discernant. Ita sane accidit Christo Domino: moritur quidem, sed absque ulla morbi peccati causa, ut et Iudas confessus est (*Matt.* 27.): *Peccavi, sanguinem iustum tradens*; nec non et Pilatus (*Ioan.* 18.): *Ego nullam in eo causam invenio*; ac tandem bonus ac fidelis latro: *Hic autem quid mali fecit?* Deinde, *Mors per peccatum introivit in orbem terrarum*; Christus autem Dominus *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*. Oportebat ergo lanceae ferro latus eius aperiri, ut causam mortis nobis manifestaret. Manifestavit sane ardentem cordis amorem esse, ut tam eleganter, quam devote tradit divus Bernardus (*serm.* 2. *de pass.*) in haec verba: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum; utriusque enim vulneris ipsa soror, et sponsa est: ac si Sponsus aperte diceret, quia zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum. Quis enim cor suum palo vulnerari permitteret, nisi prius amoris illius vulnus accepisset?* haec mellifluus Bernardus. Atque hinc est, quod ut divini amoris ignis in corde Christi, quasi in propria sphaera residens, amplius et facilius nobis pateret, voluit latus dextrum adeo aperiri, ut vulnus eius longitudinis quasi uncias duas haberet, latitudinis vero unciam mediam. Sumitur autem quandoque uncia pro mensura geometrica unius pollicis, ut tradunt peritissimi linguae Latinae. Id vero ita esse, facile deprehenditur tum ex vulnere lateris Christi sacrae sindoni impresso, quae Turoni asservatur, tum ex ferro lanceae, quod in supremo omnium divi Petri templo Romae summa veneratione singulis annis ostenditur.

Quintam causam tradunt communiter Patres, et praesertim divus Augustinus (*serm.* 120. *in Ioan. tom.* 10.), ut ex latere eius Ecclesiae sacramenta, quae sunt efficacissima animarum medicamina, et spiritualis profectus praesentissima adminicula, fluerent: verba divi Augustini sunt haec: *Significanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus eius percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit; ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur.*

*In serm.* etiam *cap.* 115. *de div.* eleganter dixit: *Tibi est ostium apertum quando est latus eius lancea perforatum. Quid enim manavit recole, et elige qua possis intrare. De latere Domini pendentis, et morientis in ligno, posteaquam est lancea perforatum, aqua, sanguisque profluxit: in uno est mundatio tua, in alio redemptio.* Idem etiam divus Augustinus (*in Psal.* 126.) ingeniose dixit: *Cum dormiret Adam, costa illi detracta est, et Eva facta est. Nunc et Dominus cum dormiret in Cruce, latus eius lancea percussum est, et sacramenta profluxerunt, unde facta est Ecclesia: Ecclesia enim Coniux Domini facta est de latere; quomodo Eva illi facta est de latere. Sed quomodo illa non est facta nisi de latere morientis.*

Atque hinc facile erit nosse, quam apte Christus permittens in cruce latus eius aperiri, Pellicano se comparaverit (*Psal.* 21.): *Factus sum similis pellicano solitudinis*: id enim dixit, tum quia sicut pellicanus animal erat immundum, et in lege Levitici reprobatum, sub nomine porphyrionis, (idem quippe pollet pellicanus quod porphyrio); ita Christus in cruce pendens tanquam immundus habitus est, iuxta illud (*Deuter.* 21.): *Maledictus Deo est, qui pendet in ligno*; at reprobatus etiam, ut divus Petrus (*Act.* 4.) ait: *Lapis reprobatus est ab hominibus*. Et sicut pellicanus tanta sollicitudine filiorum saluti consulit, ut morsu serpentis graviter sauciatos proprium pectus feriens, et inde sanguinem extrahens, hoc tanto medicamine in pristinam sanitatem eos restituat, ut tradunt varii rerum naturalium auctores; ita Christus Dominus, ut nos diabolico antiqui serpentis veneno infestos medicaretur, nostrae salutis supra modum anxius ac sollicitus, proprium pectus, velut alter pellicanus, aperiri voluit, ut pretiosissimo sui sanguinis balsamo nostris vulneribus necessariam medelam adhiberet, et ad pristinam sanitatem revocaret. Unde egregie scribit divus Ambrosius (*sup. Psal.* 118. *sermone* 5.): *Vulnus* (inquit) *est quod Christus excepit, sed unguentum est quod effudit*. Prodigiosam olim putarunt, et merito, veteres illi Hebraei piscinam illam, in quam Angelo Dei descendente, et aquam eius movente, a quacumque quisque primus eam ingrediens sanabatur infirmitate. At in lege gratiae, in qua recesserunt vetera, et nova sunt omnia, aliam vice illius antiquae piscinae prodigiosam magis ac pretiosiorem Dominus in Ecclesia sua catholica substituit piscinam, vulnus scilicet lateris sui, in quo ut virtutem sanandi habeat, non oportet, ut descendat Angelus de coelo, cum in carnem illam media unione hypostatica iam descenderit Verbum divinum, (*Isa.* 9.), *Magni consilii Angelus*; nec opus est, ut infirmus a quacumque peccati infirmitate detineatur, primus in hanc sacram piscinam abluendus descendat, cum etiam si novissimus advenerit, salutem consequi poterit, Christo Domino dicente (*Matt.* 20.): *Erunt novissimi primi, et primi novissimi*; nec tandem semel, et uni tantum singulis annis haec piscina, ut vetus illa, sanitatem largitur, sed toties, quoties divino auxilio fultus sanari desiderat. Hac enim ratione Zacharias sapienter vulnus hoc vocavit fontem patentem: non dixit fontem clausum, ex quo aquam non cuilibet pro libito licet haurire, sed patentem, cuius salutiferam aquam quisque quoties sibi libuerit, sumere potest. Meminit quidem Home-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

rus Achillis lanceam, quam fabulatur tantae virtutis] fuisse, ut vulnera suscepta nonnisi tactu eius sanari possent: manifestam id redolet fictionem. Sed de lancea sacrum Christi pectus aperiente veraciter dicemus, non aliter quam virtuali eius contactu (ut more scholastico loquar) virtutem sanguinis Christi illam rubricantis omnia quotquot expiantur peccatorum vulnera curare.

Sextam causam dicamus esse, aperuisse in cruce pectus suum, ut nos ad ubera sua lactaret, iuxta id quod per Oseam pollicitus fuerat: *Ducam eam in solitudinem, et lactabo eam.* Olim consueverat Dominus tamquam Deus ultionum lac misericordiae intra pectus suum continere, illudque denegare his praesertim, qui immisericordes erant, ut testatur idem Propheta, dicens: *Ablactavit eam quae erat absque misericordia.* Nunc autem iram deponens, et matris, aut nutricis viscera induens, pectus detegit, latus aperit, et sanguinem, qui lac est magis concoctus et elaboratus, infantibus peccatoribus propinat, ut misericordiae dulcissimum lac sugant etiam illi, qui in ipsum immisericordes extiterunt. Suxit sane Centurio; suxit bonus latro; suxit et Longinus, qui adeo fortis factus est in bello, ut pro Christi fide summa constantia sanguinem fuderit. Atque hinc facile erit intelligere, quid sibi velint verba illa Sponsae (*Cant.* 1.), *Meliora sunt ubera tua vino;* quae propterea difficiliora redduntur, quia alibi dixerat Sponsus Sponsae (*Cant.* 5.): *Et erunt ubera tua sicut botri vineae.* Si ergo ubera Sponsae, ad quae filii eius lactandi sunt, vice lactis vinum emittere debent, ut quid ubera tua, ad quae lactanda est Sponsa, non vinum, sed lac propinant? Respondeo, frequenter sacra volumina nomine lactis Dei dulcedinem, suavitatem, et misericordiam significare, ut aperte indicant verba illa (*Exod.* 6.): *Dabo vobis terram fluentem lacte et melle;* e contra vero nomine vini divinam iracundiam atque furorem exprimere consuevisse, ut constat tum ex Davide (*Psal.* 74.): *Calix in manu Domini vini meri plenus misto, et inclinabit ex hoc in illud:* et ex divo Ioanne, asserente (*Apoc.* 14.): *Qui adoraverit bestiam, et imaginem eius, hic bibet de vino irae.* Cum ergo ait Sponsa, *Meliora sunt ubera tua vino*, perinde fuit ac si diceret, suavitate ac misericordiae dulcedine vehementius ad te allicis, quam olim ira, ac furore a malo deterreres, et aversos animos ad te converteres. Ut igitur Christus Dominus ostenderet, morte sua Dei misericordiam nobis promeruisse, lactis fontem, illam significantis, in latere suo aperuit. Unde impletum est illud (*Isai.* 66.): *Ad ubera mea portabimini:* et illud (*Osee* 11.): *Sicut nutricius Ephraim, sic portabam eos in brachiis meis.*

Tandem ut plures huius vulneris causas paucis comprehendam, latus aperiri voluit: tum quia latus a latendo dictum est, et eo quod infra brachium, aut alam situm sit; noluit tamen quae in corde abdita erant arcana, nobis laterent, et ideo clausuram eius aperuit: tum ut ianuam regni coelestis illuc usque omnibus occlusam iam reseratam praesignificaret: tum quia sicut olim mos inolevit, ut in signum pacis quis lanceam ferri cuspide contra se versa in altum elevaret, versus reconciliandos vero ligno solum eos respiciente; ita Christus Dominus in argumentum pacis et reconciliationis Dei cum hominibus, voluit contra se verti cuspidem lanceae, ne contra nos divini furoris aculei verterentur. Virgilius etiam refert, quod Troiani oblato sibi a Graecis equo ligneo hasta latus percutiente periculum facere moliti sunt, lateretne in eo aliquod belli stratagema:

Validis ingentem viribus hastam
In latus inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit, etc.

At Troiani certo id non agnoverunt, nec percussio illa lanceae securos eos reddidit; at apertio haec lateris Christi mucrone dirae lanceae facta nos certos omnino ac securos facit, in corde illo nonnisi pacem esse, iuxta illud (*Hier.* 29.): *Ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis;* et adesse pariter ardentem dilectionem, ut ipse dixit (*Prov.* 8.): *Ego diligentes me diligo.*

Ultima tandem verba, *Et continuo exivit sanguis, et aqua*, iam exponamus, et illustremus. Notanter ait Evangelista, *continuo*, ut significaret, quam ardenti desiderio Christus flagrabat reliquum sanguinem pro nobis profundendi. Unde absque mora cum primum percussum est latus, illum effudit, nec per momentum pretium nostrae redemptionis solvere distulit, quia nescit tarda molimina paternus eius amor. Quare sicut ex nimia sanguinis copia solent venae intumescere, et si exiguam etiam sectionem patiantur, continuo sanguis erumpit; ita sane Christus Dominus, qui potiori iure quam Eliud dicere potuisset, *Coarctat me spiritus uteri mei, et venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrupit*, cum primum apertum fuit sacrosanctum latus eius, continuo sanguis repressus foras effluxit. Sed quid mirum, quod ferro lanceae provocatus sanguis prodeat, quando in horto non vocatus per omnes corporis poros copiose adeo erupit, ut eius guttas in terram decurrisse, sacer Evangelista referat?

Quid autem mysterii lateat in hac sanguinis, et aquae effusione, attente quaeso perpendamus: id facile (ni fallor) ante omnia deprehendemus, si verba illa divi Ioannis in memoriam revocaverimus: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt;* vel (ut alii legunt) *hi tres in unum sunt.*

Futuri quidem erant haeretici, Manichaei praesertim, qui veram Christi humanitatem abnegarent, et ad hanc refutandam haeresim, et contrariam veritatem stabiliendam tres eius voluit Dominus in morte sua adhiberi testes contestes, qui omnes in unum sunt, quatenus unum integrum, et adaequatum huius veritatis testimonium exhibent: hi fuerunt, spiritus, quem emisit in Cruce, ut tradit



divus Ioannes; et sanguis, cum sit unus ex quatuor humoribus; et aqua, quam constat secundum esse elementum ex quatuor, ex quibus corpus humanum coalescit, aperte testificantur, Christum Dominum verum corpus humanum habuisse spiritu informatum. Unde divus Thomas (3. *p. q.* 66. *art.* 4. *ad tertium*) ait: *Fuit autem aqua pura miraculose egrediens a corpore mortuo, sicut et sanguis, ad comprobandam veritatem Dominici corporis contra Manichaeorum errorem, ut scilicet per aquam (quae est unum quatuor elementorum) ostenderetur corpus Christi vere fuisse compositum ex quatuor elementis; per sanguinem vero ostenderetur esse compositum ex quatuor humoribus.* Illa item verba eiusdem divi Ioannis: *Hic est, qui venit per aquam, et sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua, et sanguine*, mirifice elucidant eundem locum. Olim quidem peccatorum expiatio fiebat adhibito sanguine hircorum, et vitulorum, ut testatur divus Paulus (*ad Hebr.* 9.). Postea divus Ioannes usus est baptismo aquae, qui vim abluendi animam non habebat; at Christus Dominus venit in sanguine, et aqua, quia non solum aqua baptismatis corpus abluit, sed virtute sanguinis sui maculas animae abstergit; et ad id significandum voluit, ut simul ex latere eius fluerent sanguis, et aqua. Euthymius alia in hoc fluxu recondita arcana his verbis detegit: *Sanguinem et aquam scaturire fecit, duo designans baptismata, unum quidem per sanguinis martyrium, alterum vero per aquae regenerationem: atque horum fluxu peccati fluxum demergit.* Praeterea aliter: *Nam duos scaturire fecit fontes, aqua quidem purificans Ecclesiam, sanguine vero eam enutriens: siquidem per aquam renascimur, per sanguinem autem et carnem pascimur, quae divina sunt ac mystica;* haec ille.

Deinde divus Cyrillus (*hoc loco Catechesi* 13.) ingeniose, ut assolet, huius aquae, et sanguinis insigne aliud mysterium aperuit in haec verba: *Initium signorum tempore Moysis sanguis et aqua, et ultimum Iesu signorum hoc idem. Primum Moyses mutavit flumen in sanguinem; Iesus postremo aquam misit a latere una cum sanguine, fortassis propter duas caedes, alteram iudicantis, alteram vero clamantium:* haec magnus Cyrillus. In cuius loci intelligentiam observare oportet, quod cum Pilatus Christum Dominum voluntati Iudaeorum tradidit, lavit manus suas, dicens (*Matth.* 27.): *Innocens sum a sanguine iusti huius;* Iudaei vero quando mortem eius postularunt, dixerunt: *Sanguis eius super nos, et super filios nostros.* Cum ergo Pilatus homo gentilis gentilem populum designarit, qui ignorans Christum Dominum crucifixit; Iudaei vero Iudaicum, qui malitiose necem eius postulavit, certe gentibus sanguis Christi velut aqua fuit, a maculis peccatorum illos emundans: Iudaeis vero in turpitudinem, et in infamiam versus est, et maculas eorum, dum illum effundebant, mirum in modum auxit. Unde recte divus Hieronymus (*sup. Ioann. c.* 3.): *Exiit*, inquit, *aqua ad abluendum fideles, sanguis ad damnandum incredulos:* et divus Cyrillus (*ubi supra*) ait: *Iudaeis quidem sanguis, Christianis vero aqua; illis quidem tanquam insidiatoribus ex sanguine condemnatio, tibi vero nunc credenti per aquam salus.* Ad haec, exivit ex latere Christi sanguis, et aqua, qui candidus erat, et rubicundus, ut dixerat Sponsus: unde ut candidus aquam praebet, ut rubicundus, sanguinem quo animas rubicundat ac decorat; vel quia cum aqua ignem extinguat, et sanguis experientia comprobante hebetem reddat, aquam, et sanguinem emisit, ut significaret illa aqua ignem nostrae libidinis extingui, et divinae iustitiae gladium contra nos vibratum averti. Unde si rem altius perpendamus, reperiemus propterea Christum Dominum sanguinem cordis foras emisisse, ut securos nos redderet, conceptam contra nos iram foras expulisse. Philosophi causam pro effectu usurpantes dicunt, iram esse sanguinem cordis accensum, qui ad vindictam impellit: itaque sanguis iuxta cor existens materies est, unde iracundiae ignis accenditur: unde cum Christus Dominus totum sanguinem per hoc lateris vulnus emisit, consequens fit omnem iram deposuisse: siquidem haec absque sanguine consistere non potest. Quid plura? Christus Dominus fons et vitis erat; atque ideo, ut fons aquarum viventium, aquam ad refrigerandum; ut vitis vero, rubicundum sanguinis vinum emittit ad abluendum, iuxta illud (*Gen.* 49.): *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine suo pallium suum.*

Tandem in hac emissione sanguinis et aquae ex latere Christi per mortem eius effluentis et ingens miraculum effulget, et singulare mysterium latet. Miraculum quidem, quod ex corpore iam emortuo, et adeo exhausto, vera aqua, verusque sanguis exierit. Unde Origenes (*lib.* 2. *contra Celsum*) ait: *In aliis corporibus mortuis sanguis cogitur, nec aqua limpida ex eis promanat; ex Iesu autem mortui corpore ne tunc quidem cessantibus miraculis sanguis, et aqua profluxit de latere.* Mysterium autem, quod latet, ex variis figuris, quibus fluxus aquae in sacris litteris adumbratur, haud difficulter deprehendemus. Praefiguratur enim in aqua contradictionis, quae ex petra ictu virga percussa scaturivit; et in aqua, quae ex mandibula sanguine intincta prodivit; cum hoc tamen discrimine quod illa Samsonem refocillavit, haec vero nos sitibundos refrigerat, et abluit. Praesignatur etiam in aqua cisternae Bethleem a Davide Deo sacrificata: unde ipse per Prophetam ait: *Et ego sicut aqua effusus sum*, alludens sane ad aquam hanc ex latere effusam, de qua Augustinus (*in eundem Psalmum*) ait: *Aqua quando effunditur, aut abluit, aut irrigat: effusus est Christus sicut aqua, abluti sunt sordentes, irrigatae sunt mentes.* Praesignatur denique in aqua ex fonte Paradisi progrediente, et universam terram foecundante, et in ea quae in mari rubro Pharaonem, et exercitum eius absorbuit. Vere enim aqua haec ex latere Christi effluens, et sterilem animam foecundat, et universa eius peccata, velut olim Aegyptios

mare rubrum, suffocat, in quo singularis eius virtus eniteт, cum summo splendore Christi.

Ceterum, id, quod nonulli scire cupiunt, quando ferrum lanceae fuerit inventum, et quomodo Romam translatum, silentio minime praeteribo; et quidem, quod ad eius inventionem attinet, Regina Helena Constantini mater, simul crucem, clavos, et ferrum lanceae reperiit, ut tradunt Doctores de Crucis inventione agentes, quos retuli libro decimo homilia ultima. Apud Venerabilem autem Bedam lego ferrum hoc custoditum fuisse in Hierusalem lignea cruce inclusum in porticu templi, in qua sepulcrum Domini adest; ubi haec sunt verba exarata: *Lancea militis inserta habetur in cruce lignea in porticu Martyrii, cuius hastile in duas intercisum partes, a tota veneratur Civitate.* Multis tamen postmodum labentibus annis non absque singulari Dei miraculo fuit sacratissima haec lancea in Antiochiam translata anno a Christi natali 1098. cum civitas illa gravissima obsidione infestaretur a Corbacat, vel, ut aliis placet, Chorbana Persiani Regis Duce. Accidit autem tunc, ut ex divina revelatione facta per Sanctum Andream Apostolum cuidam Petro presbytero, id referente Bosio (*lib.* 1. *de Triumphante Cruce c.* 17.), in abscondito quodam loco Templi Sancti Petri pretiosum lanceae pignus inventum fuit, cuius sane felicem inventionem, tanquam certum futurae victoriae praesagium Civitas indicavit; unde facto trium dierum ieiunio, ac Sacramento confessionis omnes Cives abluti, Eucharistiaeque salutari cibo refecti, Christiano zelo inflammati, Episcopo Legato Apostolico praeeunte, ac sacrum lanceae pignus in manibus gestante, adversus inimicum Exercitum egressi sunt, quem acriter adeo profligarunt, ac trucidarunt, ut Blondus (*a Declin. Roman. Imper. Decad.* 2. *lib.* 4.), Paulus Aemil. (*de reb. gest. Francor. lib.* 4.), Robertus monachus (*lib.* 7.), Guillelmus Syrius (*lib.* 8. *cap.* 14.), Nauclerus (*generatione* 37.), Platina (*in vita Paschalis* 2.), necnon, et Sanctus Antoninus (*de bell. sacr. cap.* 14. §. *z.*) affirmarint, plusquam centum millia Barbarorum ab eis interfectos fuisse. Accidit autem parta victoria, ut refert Paulus Aemilius (*de rebus gestis Francorum lib.* 4.), invidiae causa, ut Cappellanus quidam Comitis Normandini inter Cives divulgaret ferrum illud lanceae Antiochiae repertum in Ecclesia Sancti Petri, non esse illud, quo Christi Domini latus confossum fuerat, sed fictum industria Comitis Tholosani, ut inde aliquid veri reportaret: quod aegre ferens Sacerdos, cui divina revelatio facta fuerat, maxime cum adverteret, non paucos huic fabulae fidem adhibere, coram tota Civitate, ut se purgaret, ad flammae iudicium nudus descendit, sacrum lanceae ferrum manu gestans, cuius quidem virtute per coacervatorum lignorum ardentem struem, mediosque ignes illaesus evasit: mox vero ad tantum miraculum turba ruente, ut illum tangeret, ab ea oppressus, inter manus eius periit. Unde, qui flammas evasit, manus turbae evadere non potuit.

Postmodum vero sacrum lanceae pignus in manus Imperatoris Constantinopolitani pervenit, qui cuspidem eius, ab ea ferrea lima scindens, dono misit Regi Francorum, ut praeter alios refert Guillelmus Caorsinus (*in suis Commentariis*); reliquum vero sacri ferri, quod supererat, custodiri fecit in Templo Sancti Ioannis de Petra, ubi tandiu permansit, quandiu Civitas illa in manus Mahomethi incidit an. 1453. Tunc enim sacra haec lancea cum spongia, et arundine, qua Christus Dominus fuit potatus, necnon et Sancti Ioannis Baptistae dextera manus, qua Redemptorem mundi baptizavit, in hostis victoris possessionem devenerunt; unde conscius Mahomethus Constantinopolis Basilicas magna auri, argenti, et Reliquiarum copia ditatas esse, eam legem sancivit, ne quispiam auderet ab eis locis aliquid auferre. Deinde in Turcarum Imperium succedens Baiazethus, ut benevolentiam magni Magistri Sancti Ioannis Hierosolymitani captaret, nomine Fratris Petri de Aubussin, manum Sancti Baptistae donavit, et ad eius preces sacrum lanceae ferrum Innocentio VIII. Summo Pontifici idem Baiazethus misit anno 1462. ut sacrae Religionis Sancti Ioannis verissima historia contestatur. Ad cuius felicem adventum Summus Pontifex Innocentius, et Cardinales omnes, cum ingenti Presbyterorum, et Monachorum multitudine usque ad Portam S. Mariae de Populo honoris, et reverentiae causa egressi fuere, ut sanctum pignus debito religionis cultu susciperent, ut ex gravissimis Auctoribus legimus (*in Diariis Romanarum rerum*; ubi haec verba habentur: *Ultima Maii in die Ascensionis anni* 1492. *intravit Urbem orator magni Turchi, qui donavit lanceam, vel ferrum lanceae Longini, cum quo latus Domini Nostri Iesu Christi foratum est in Cruce, et fuit receptum à Pontifex, et toto Clero processionaliter ab Ecclesia S. Mariae de populo, usque ad S. Petrum: et erat inclusum dictum ferrum in quodam Tabernaculo pulcherrimo crystallo, cum pede, et aliis ornamentis puri auri, et fuit res magnae aestimationis, et forma eius est hic designata in propria forma ipsius; et cuspis eius est apud Regem Franciae, prout ipsemet magnus Turca nunciavit Papae per praefatum eius Oratorem.*

Detulit autem Summus Pontifex sacrum hoc lanceae ferrum in propriam Cameram suam, eo quidem animo, si credimus Bosio (*lib. primo de triumphante Cruce cap.* 17.), ut ibi adesset, quousque ad eius honorem sumptuosum Templum erigeret. Cum primum tamen ille vita functus est, confestim translatum fuit sacrum ferrum in Basilicam Sancti Petri, ut eadem Diaria referunt, in quibus habetur: *Die Lunae* 16. *mensis Iulii. sanctissimum ferrum, quo fuit Dominus Iesus Christus perfossus, Cardinales, et Collegium de Camera dicti Pontificis in Ecclesiam Sancti Petri portaverunt, et loco, ubi inclusum est Sudarium, una cum dicto Sudario collocaverunt, et factum fuit Inventarium.* Duo tamen, quae hanc verissimam historiam prima facie labefactare videntur, operae pretium duxi, hoc loco referre, et diluere. Primum est, quod non pauci



Historici tradunt, Balduinum II. Imperatorem Constantinopolitanum gravi quadam pecuniae necessitate oppressum sacrum lanceae ferrum Venetis impignorasse pariter cum Corona spinea, et parte sanctae Crucis, qui cum postea eisdem Venetis debitum solvisset, eius permissu sanctus Ludovicus Rex Francorum soluto aere sacra haec pignora recuperavit, et in Regiam suam Cappellam Parisiis religiose custodivit. Hoc tamen nihil supra relatae historiae obest, quia nullus illorum Auctorum scripsit totum ferrum lanceae pignore datum fuisse Venetis, sed partem tantum; quod expresse affirmat Philippus Berbomensis (*in suo Supplemento*), dicens: *Balduinus huius nominis Secundus, Quintus ex Gallis Constantinopolitanus Imperator, hoc anno, mortuis prius Petro Antisidorensi, Theodoroque, ac Ioanne Imperatoribus, et ipse Graecanicum Imperium suscipiens, imperavit annis viginti. Hic, cum biennio Imperium tenuisset, aegreque se ab hostibus tueretur, aerarii inopia compulsus, Venetis proprium filium, ob aes mutuo acceptum, pignore dedit; partemque lanceae, spongiamque Christi eadem sub conditione tradidit; quas postea Ludovicus Francorum Rex, cum ipse Balduinus redimere non posset, ab ipsis Venetis, Balduino permittente, redemit, et in Franciam perduxit.*

Secundum, quod praedictam historiam infirmare videtur, illud visum est nonnullis, quod Genebrardus (*in sua Chronologia*) affirmat, sanctam lanceam in manus Rodulphi Domini Burgundiae pervenisse, eandemque ab eo, partim muneribus, partim minis, Henricum I. Imperatorem extorsisse; postmodum vero illam obtinuisse Othonem eius successorem, illamque Regi Angliae Etelstano liberaliter donasse anno 963. Verum hoc minus urget: nam lancea illa, de qua eo loco Genebrardus ait, non fuit illa, qua Christum credimus vulneratum, sed quaedam alia, qua utebatur Imperator Constantinus, cuius ferrum formam Crucis exprimebat, intusque particulam cuiusdam Christi clavi continebat. Meminit huius lanceae Sigibertus in haec verba: *Lanceam mirandi operis, et clavis Iesu Christi crucifixi sanctificatam, quae dicitur, primi, et Magni Constantini, et Magni Imperatoris, fuisse donatam Rodulpho Regi Burgundiorum, et Italiae; a Santone Comite Rex Enricus precibus, minis, et muneribus, additam etiam parte Provinciae Suevorum a Rodulpho Comite extorquet, et hanc ad Insigne, et tutamen Imperii posteris reliquit.* Meminit etiam eiusdem lanceae Orto Phrisingensis; latius tamen omnibus scriptor vitae Sancti Ierardi Abbatis, ut refert Surius. Verum igitur sacrosanctae lanceae ferrum, quo latus Christi Redemptoris nostri apertum fuit, custoditum Romae apud Sanctum Petrum; et in die Iovis Sancti universo populo, prae devotione acclamante, summa religione ostenditur, et colitur, ad gloriam illius qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# DE HONORIFICA

# CHRISTI DOMINI SEPULTURA

## ET ARCANIS IN EA RECONDITIS

# LIBER DECIMUS TERTIUS

### HOMILIA UNICA, ET INSIGNIS VALDE

*De eximio splendore, ac singulari gloria sepulcri Christi Domini, et sacri funeris illius, quae ex multiplici capite deprehenditur in illa verba Isaiae: Et erit sepulcrum eius gloriosum, et illa alia Davidis: Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Sepulcri Christi Domini gloria, atque maiestas minime pensanda ex materiae excellentia, aut ex arte: nec enim materiam opus superabat, nec opere Corinthiaco, Dorico, aut Mosaico elaboratum seu affabrefactum erat: huiusmodi namque splendoris, et gloriae genus corruptibile est non solum in seipso, sed et in hominum opinione, ex quorum memoria superba quaeque hominum sepulcra excidere; gloria autem, atque maiestas sepulcri, et funeris Christi Domini altius, atque sublimius, quam ex materia, et arte perpendenda, atque commendanda venit. Antequam tamen ad illam manifestandam manum calamo admoveam, placet varias quae praecesserunt imagines, Christi Domini sepulcrum et sepulturam adumbrantes, praemittere. Navis, quam ingressus est Jonas Propheta, sepulcrum hoc ad vivum exprimit: Ionas Propheta corpus Christi summi prophetae refert: velum expansum huius navis, sindon munda erat, qua ipsum involutum fuerat. Praeter corpus autem Christi varias haec navis species aromaticas portabat, non ut praeservarent corpus Christi a putrefactione, sed ut illum non esse passurum praesignificarent. Iudaei autem, qui nautae fuerunt huius navis, sigillantes, et custodientes illam per triduum, navigandi arte penitus amissa, viam illius in medio maris minime potuerunt perspicere: sed neque in hodiernum usque diem illam capere possunt, quamvis alioquin viderunt navem sepulcri, corpore Christi vacuam, triumphantis illius resurrectionis, quam ipse eis praedixerat, non obscurum argumentum. Sepulcrum hoc etiam praefiguratum cerno in sepulcro Abrahami simul cum campo, in quo erat, empto, cuius solemnem emptionem celebravit Ephron Hethaeus in praesentia totius populi; et in domo David a militibus Saul undique obsessa, a qua tempore aurorae, ipsis ignorantibus, clam egressus est, et manus eorum effugit. Quod et Christo Domino contigit, qui custodibus sepulcrum eius obsidentibus diluculo resurgens, aufugit. Cum tandem Iosephum video in cisterna missum a fratribus, et rursus in carcere victum; et cum Hieremiam in lacum ubi non erat aqua, inclusum; necnon Danielem intactum in lacu leonum versari contemplor, haec omnia Christum in sepulcro latente mihi ob oculos ponunt. Sed his aliam pulchram figuram addere possumus, quam acute adnotavit Rupertus (*lib.* 1. *in comment. super Lev. cap.* 6.). Cum enim Deus praecepit corpus vituli mortui poni extra castra in loco mundo, aperte id praesignificavit, Christum Dominum velut vitulum in ara Crucis mactatum extra civitatem, sindone munda involutum, in sepulcro esse ponendum.

His iam praelibatis figuris ad gloriam sepulturae Christi Domini accedentes, primum caput, unde illam venari possumus, nobilitatem, et dignitatem sepelientium esse reor, quam praevidens Isaias (*c.* 54.) dixit: *Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit.* Septuaginta sic legunt: *Et dabo impios pro sepultura eius, et divites pro morte eius*; ut non solum Iosephum ab Arimathaea hominem primarium in civitate, sed et Nicodemum legis doctorem, et apud plebem magnae auctoritatis comprehenderent. Hunc locum divus Augustinus (*homil.* 36. *super illud Ascendit sicut virgultum* 10.) sic explicat: *Mali dati sunt pro sepultura ad custodiendum eam, quia intraverunt Iudaei ad Pilatum, dicentes ei: Audivimus, quod ille impostor dixerat discipulis suis, quia resurrecturus erat, iubeto custodire sepulcrum; dati ergo sunt pro sepultura eius ad custodiendum mali custodes, qui corrupti pecunia a sacerdotibus, veritatem absconderunt; dati divites propter mortem eius, qui eum sepelirent, et summa reverentia terrae corpus eius commendarent*: hactenus magnus ille Pater Augustinus. Hi ergo, qui sepulturae corpus Christi commendarunt, fuerunt Nicodemus (ut testatur divus Ioannes), et Ioseph ab Arimathaea, ut tradunt tres alii Evangelistae. Civitas vero Arimathaea, ut docent Beda (*in Marc.*), et Abulensis (*primo Reg.*) primo dicitur Ramatha Samuelis patria, quae ab Hierusalem distasse fertur viginti milliaribus. Nicodemus, insignis illius Gamaelielis nepos fuit, atque, ut refert auctor Supplementi, Pharisaeorum sectae princeps; venit ad Iesum nocte, et recessit illuminatus, qui in tenebris advenerat, et ut constat ex Evangelio, insperitus erat, et magister in Israel, et cum Christo Domino disputavit de spirituali renascentia, et in concilio Pharisaeorum Christo Domino patrocinatus fuit, eiusque piam clientelam assumpsit, et ut refert Mallonius (*de sacrosancta sindone c.*1.) sanctitatem eius Gamaliel illius avus miro conscripsit emplemate, dicens, Nicodemum fuisse velut aureum canistrum candidis rosis plenum. Ioseph autem, qui fuit alter, et praecipuus Christi Domini sepultor, recte ab Arimathaea fuit cognominatus, quia, ut adnotavit divus Hieronymus, *deponens*, interpretatur; ipse autem Christum Dominum e cruce deposuit, ut testatur divus Marcus (*c.* 15.): *Deponens eum involvit sindone.* Ioseph etiam nomen recte ei congruit: nam sicut olim Ioseph pia patris sui Iacob sepultura non parum sibi splendoris conciliavit; ita Ioseph sepulcro Christi Domini, qui Pater erat futuri saeculi, immortalem pietatis gloriam comparavit: tum quia sicut Ioseph sponsus Virginis celebris factus est ex eo, quod thalamus, in quo corpus Christi vivum delitescebat, ei creditus fuit; ita Ioseph ab Arimathaea immortale, ac celebre nomen comparavit thalamo sepulcri sibi credito, in quo Dei corpus emortuum iacebat. Ingenuitatem praeterea illius expressit divus Marcus, necnon et dignitatem, vocans eum nobilem decurionem: nomen enim decurionis non erat officii militaris, qui decem praeerat militibus dignitatis municipalis: nam qui Romae dicebatur Senator, in municipiis, et in coloniis vocabatur decurio. Unde divus Hieronymus (*in Matth.* 27.) vocat illum consiliarum. Sanctitatem vero eius paucis illis, et gravissimis verbis perstrinxit divus Lucas (*c.* 23): *Vir bonus, et iustus: hic non consenserat consilio, et actibus eorum.* Unde divus Hieronymus verba illa Psalm. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, de hoc Iosepho ad litteram exponenda esse arbitratur. Magnanimitas eius ex eo valde elucet, quod, ut ait divus Marcus, audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Iesu. Cum nullus patrocimium corporis Christi emortui suscipere, immo nec de eo loqui auderet propter metum Iudaeorum, ipse se Christi discipulum indicavit. Licet enim iuxta legem Deuteronomii deponenda erant corpora crucifixorum: *Non permanebit cadaver eius in ligno*; id tamen fieri non poterat inconsulto iudice, sed expressa eius licentia, ut habetur in iure, quam ipse Apostolica audacia cum ingenti discrimine efflagitare non exhorruit. Unde divus Chrysostomus (*in Matth.*) inquit: *Fortitudo Ioseph maxime admiranda est, cum propter amorem Christi periculum mortis susceperit, et universorum se odio tradiderit*: et divus Gregorius Tur. (*lib.* 1. *Hist. cap.* 21.) ait, a Sacerdotibus comprehensum, sed mirabiliter liberatum: *Apprehensus* (inquit) *Ioseph in cellam includitur, et ab ipsis sacerdotum principibus custoditur, sed resurgente Domino nocte, parietes de cellula, in qua Ioseph tenebatur, suspenduntur in sublimi. Ipse vero de custodia absolvente Angelo liberatur parietibus restitutis in locum suum.* Alii vero aliter id factum putant. Nam Lodulphus, quem refert, et sequitur Daniel Mallon. (*de sacro sancta sindone c.*1.) scribit, quod Ioseph quinque annis servierat Pilato, non humili, sed ut decurio, nobili obsequio, ut observavit Petrus Comestor, et pro tota mercede, quae illi debebatur, petiit corpus Iesu sibi donari ad sepeliendum. Ubi meditatione expendas obsecro quis petat? idest, Ioseph: quid petit? corpus Christi: a quo? a Praeside Pilato: quomodo? audacter ex fervore fidei: *quia Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam*, ut ait Paulus; cuius admonitione? Virginis hortatu, ut scribit Metaphrastes 15. Augusti, audaciam illam concepit; quando petit? eodem die quo Christus in cruce obiit: ad quid petit? ad honorifice sepeliendum. In hac petitione mira quoque eius enituit pietas, qui, tamquam verus Levita, viso vulnerato non praeteriit, sed mortuum sepulturae tradendum curavit, ut qui longe aberat ab haereticorum huius tempestatis execrando errore, qui cum impio Calvino (*in praef. suarum instit.*) pium funeris opus irrident: volunt enim nos catholicos Ecclesiae Romanae alumnos esse Trogloditas, qui mortuum cum locis mandabant terrae; Lotophagos, qui delictorum cadavera in mare proiiciebant; Sabaeos, qui etiam reges mortuos inter sterquilinia mittebant; Scythas, qui honoris, et benevolentiae gratia cadavera eorum, quos diligebant, inter epulas devorabant; Hyrcanos, qui canibus mortuorum corporum cibo nutriendis obiiciebant; Massagetas, qui feris ea deglutienda dabant; vel certe nos arbitrantur impii haeretici esse Albanos, qui olim nullam, vel minimam de mortuis curam habebant; immo volunt nos barbaris magis impios, ac deteriores esse: nam omissis Aegyptiis, et Romanis, qui in sepulcris exstruendis, et in honore mortuorum corporibus deferendo conspicui fuere; infideles alii illis antiquiores funerales exequias mirum in modum coluerunt, ut testatur Poeta:



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

....... et de more vetusto
Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, et late discriminat agros.

Illud autem quod ait Theophylactus, Iosephum pro corpore Christi aurum Pilato dedisse, satis confutari arbitror ex verbo illo *obtinuit*, quod datum absque pretio significat.

De modo autem, quo hi illustres, ac nobiles viri Nicodemus, et Ioseph ab Arimathaea, necnon et alii, qui illos comitati sunt, Christum deposuerunt, affirmat enim divus Anselmus, cum B. Virgine, et Ioanne adfuisse ibi divum Petrum, et Iacobum fratrem Domini; tametsi quidam putaverint demisisse ad terram Crucem ipsam simul cum corpore Domini. Gregorius tamen Nazianzenus (*trag. de Christo patiente*), et Nonnus (*ib. c.* 19.), Graeci auctores, tradunt modum deponendi corpus fuisse, solvendo illud de Cruce, extractis clavis, cruce erecta, et in sublimi manente. Cui sane opinioni picturae ecclesiasticae mos valde opitulatur, quem illo modo depositum ut plurimum fidelium oculis subiicit. Extat ad id Beatissimae Virginis insignis revelatio, facta B. Birgittae, prout refertur (*lib. 2. suarum revelat.*) in haec verba: *Hi duo, Nicodemus, et Ioseph, qui filium meum deponebant de Cruce, tres applicabant scalas, una protendebatur ad pedes, secunda subtus ascellas, et ad brachia, tertia ad medietatem corporis.* Atque in hoc non parum funeris huius honor splendet, cum hucusque inauditum fuerit, viros perquam illustres ac dignitate praecellentes, damnatorum patibulum ascendere ad eorum corpora deponenda; at Nicodemus, et Ioseph maiestatem pendentis considerantes, non dubitarunt hunc honorem corpori Christi deferre, propriisque manibus illud de Cruce deponere, et e brachiis mortuis Crucis ad viva brachia Virginis transferre, ut tradit Gregorius Nazianzenus (*praecit. loco.*) Deposito autem iam corpore Christi, ut honorem, qui Principibus defunctis exhiberi mos erat, Christo Domino deferrent, misturae myrrhae et aloes quasi libris centum, ut testatur divus Ioannes, sacrum eius corpus unxerunt: licet enim moris esset apud Iudaeos, cadavera unguento condire, Ægyptiorum consuetudinem imitantes, a quibus ipsi morem illum mutuaverant, ut auctor est Tacitus; triplex tamen erat eis, velut Ægyptiis, condiendi cadavera modus, ut tradit Herodotus (*lib. 2.*). Primus erat minimi sumptus, vulgaribus hominibus consentaneus, qui ex quibusdam ablutionibus, et earum exsiccatione constabat. Secundus erat mediocris sumptus pro civibus, nitrum, et unguinem cedrinum corporibus mortuis apponens; est autem virtus nitri talis, ut carnes penitus tabescere faciat, cute tantum et ossibus relictis; unguini vero ea est insita vis, ut, teste Plinio in Ægypto, corpora hominum defunctorum eo perfusa serventur. Tertius et praestantissimus erat Principum, et opulentiorum hominum, quorum corporibus ad eorum condituram adhibebant vinum Phoeniceum, myrrham puram, contusam cassiam, vel similes alias species aromaticas, excepto thure, ut refert Herodotus (*libro* 2.). Viri ergo illi clarissimi, non prima, nec secunda, sed tertia conditura, quae omnium erat nobilissima, nihili expensas facientes (erant enim divites magnificentissimi) sacrum Christi corpus condierunt. Quod licet divus Chrysostomus dicat, ardentis amoris erga Christum magis quam firmae fidei argumentum fuisse: *Si enim*, inquit, *celerem resurrectionem novissent, illumque Dei Filium credidissent, non haec a putredine praeservantia medicamenta parassent;* bona tamen venia tanti Doctoris oppositum verissimum mihi persuadeo: tum quia, quando corpora mortua gratia praeservandi illa a corruptione ungebantur, prius exenterabantur; Christi autem corpus non fuit exenteratum; tum quia putaverim Iosephum, et Nicodemum tunc credidisse Christum esse Filium Dei: nam si milites, ut ait divus Matthaeus: *Viso terraemotu, et his quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat ipse*: ut quid putabimus viros alioquin pios, et Christi doctrina saepe instructos, ut evangelica historia constat, idipsum non credidisse? Unde cum emortuo Christi corpori adhiberent aromatica unguenta, non ad praeservandum corpus eius a putredine putandum est praestitisse, sed ut qui cum ignominia mortuus fuerat, cum honore ab eis sepeliretur. Nec incongruum existimaverim dicere, unctionem hanc a Iosepho factam praefiguratam fuisse in unctione illa honorifica a Patriarcha Iosepho corpori Iacob patris sui adhibita, quam sacra Geneseos narrat historia, licet diversa intentione, utraque facta fuerit.

Illud autem, quod multis mirabile videtur, quomodo ad unctionem unius corporis centum libras unguenti fuerint adhibitae, oportet hoc loco elucidare. Quidam putant, quod sicut modo apud Venetos certa pecuniae quantitas libra vocatur, ita hic libra non significet pondus, sed premium: unde perinde fuit dicere divum Ioannem, Iosephum emisse centum libras unguenti, ac si dixisset, emisse certam sufficientem, et pretiosam unguenti quantitatem pretio centum librarum. Verum haec interpretatio ex eo videtur a veritate aliena, quod Budaeus (*lib. 2. de asse*) non commemorat aliam libram quam nummariam, quae mille quasi argenteis valebat; incredibile autem, et aperte falsum est tam ingentem sumptum in unctione illa factum fuisse. Alii super tertiam partem divi Thomae probabiliter putant, quod cum libra non sit eiusdem ponderis apud omnes nationes, fortasse libra apud Hebraeos una uncia erat, vel duae. Sed neque haec interpretatio admittenda videtur, quia licet numerus unciarum librae non sit idem apud omnes nationes, semper tamen libra pluribus unciis constat, quam duabus, et minima omnium agnoscitur esse duodecim, prout viget in Italia. Quare dicendum arbitror, Iosephum ex animi generositate, et ex amore erga Christum voluisse ingentem illam unguenti pretiosi quantitatem eius corpori adhibere, ut



totum corpus quasi immersum in eo esset, ut magnis Principibus fieri solebat apud antiquos. Ad id autem mirum non est, quod opus esset centum libris.

Uncto iam corpore Christi Domini, mundissima sindone longitudinis duodecim palmorum, latitudinis vero trium, ut tradit Archiepiscopus Paleottus (*de sacra sindone cap.* 2.), illud involverunt, quam lineam esse, verbum illud, linteamina, quo utitur divus Ioannes, satis aperte manifestat; cum linteamina dicantur quae ex lino texuntur, ut observavit divus Augustinus (*lib.* 3. *de cons. Evangel. cap.* 23.): cuius rationem tribuit sanctus Remigius relatus ab Archiepiscopo Paleotto (*de sacra sindone cap.* 2.) his verbis: *Sindon lineus pannus est: linum autem ex terra procreatur, et cum magno labore ad candorem perducitur. Designatur, quod corpus illius, quod ex terra, idest, ex Virgine sumptum est, per laborem passionis pervenit*, scilicet ad gloriam resurrectionis; haec divus Remigius. Hinc, ut ait venerabilis Beda (*sup. cap.* 27. *Matthaei*): *In Ecclesia mos invaluit, ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus est Domini in sindone munda sepultum, iuxta quod in gestis Pontificalibus a Papa Silvestro legimus esse statutum.* Verum id non solum a Silvestro Pontifice, sed ab Eusebio Papa eius praedecessore stabilitum fuit, ut constat *ex c. cons. de consec. rat. dist.* 1. Lineo autem velo Christi corpus in morte honorifice obtegendum fore, praesignificatum video in pallio, quo iacentis in tabernaculo Noe nuditas contecta fuit; et in tunica talari Ioseph hoedino sanguine tincta; in stragulata veste, quam fecit mulier fortis viro suo; sed praecipue in velamine posito super faciem Moysis, et in veste linea, qua induebatur Summus Pontifex sacrificium Deo oblaturus: ac tandem in lineo Ephod, quo Samuel ornabatur, ut sacra Regum commemorat historia.

Addit etiam Cardinalis Baronius (*tom.* 1. *in Appendice*) ex Rabbi Iacob, et Rabbi Mose Ægyptio, pollinctores ea quae damnatorum corpori inhaesissent, una cum eis sepelire consuevisse, eo quod legis maledictioni subiecti essent. Qua ratione ductus putat spineam Coronam, et clavos in sepulcro Domini inclusos; Crucem vero, quam locus sepulturae non caperet, in propinquiori aliquo specu esse reconditam. Illud tandem quod Metaphrastes docet, Virginem adsedisse sepulcro donec redivivum vidit natum, non videtur verosimile, cum sepulcrum multis militibus esset cinctum, cum quibus adsidere indecens erat Virgini.

Secundum caput, unde gloriam sepulturae Christi Domini facile venari possumus, est ex loco ipsius sepulcri, et celebri titulo, quo Isaias illud cohonestavit. Locus, ut Adricomius (*in descriptione Hierusalem*) tradit, *Distabat centum et octo pedibus a monte Calvariae*, et non poterat non esse honorificus: siquidem in illo nobilissimus vir Ioseph (ita enim illum appellat divus Ioannes Chrysostomus (*homilia* 75. *in Ioan.*) novum monumentum sibi exciderat, ut tradit divus Matthaeus. Refert autem Beda (*in Matth. cap.* 27. *tom.* 5.), quod sepulcrum hoc domuncula erat rotunda, et petra tam exiguae altitudinis, ut vix posset homo manu extenta culmen attingere: ostium parvum habebat ab Oriente, in parte vero eius Aquilonem spectante erat locus Dominici corporis. De eadem petra excisus longitudinis sex pedum, altior vere atque eminentior reliquo pavimento tribus palmis, quasi sarcophagus quidam patulus; ostium vero tam erat parvum, ut ingredi volentem oporteret caput inclinare, ideoque de venientibus discipulis dicitur a Ioanne, quod inclinaverunt se; color vero monumenti, ac loculi rubicundo, et albo dicitur a Beda esse permixtus. Plutarchus (*libro de funeribus*) narrat consuevisse; cum amicus moriebatur, in sepulcro eius cordis figuram insculpere, ut hoc symbolo significarent quod non solum vivum, sed mortuum amicum amore prosequerentur, et in corde suo illum sculptum retinerent. Non longe ab hac consuetudine abesse videtur Sponsa: nam ubi nostra Vulgata legit, *Fasciculus myrrhae, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*, Originale Hebraeum habet: *Stactes ligaminae, seu panniculo involutae.* Alludit Sponsa ad consuetudinem feminarum Palaestinarum, quae odoriferas quasdam myrrhae guttas panniculis involutas inter ubera deferebant, ut suavi earum odore potirentur: unde praedicta verba redolent sine dubio historiam sepulturae Christi Domini, myrrha uncti, et linea sindone involuti. Sponsa igitur prae amoris magnitudine sculptum habens in corde suo, tanquam in sepulcro, Christum Dominum myrrha, et aloe unctum, dicebat: *Fasciculum myrrhae, dilectus meus mihi:* unde ad id significandum potiori iure, quam commemorati antiqui, in lapide sepulcri Christi cordis figuram describere potuisset. Idem etiam Plutarchus refert, quod in sepulcro Semiramidis hoc erat inscriptum epitaphium: *Quiscis Regum pecuniis eguerit, demoliens monumentum quotquot velut sumito.* Rex Darius thesauri huius amore allectus, aperuit sepulcrum, et nihil aliud quam putrida ossa invenit, cum alio valde diverso epitaphio in hunc modum dicente: *Nisi malus, et pecuniarum inexplebilis fores, mortuorum loculos numquam movisses.* Non sic sepulcrum Christi Domini, in quo cum vitae auctor sepultus delitesceret, in quo erant infiniti thesauri coelestium bonorum, cuique licet quiquid ex eis sibi opus fuerit, divina adiuvante gratia sibi desumere. Fuit namque praefiguratum in celeberrimo illo Davidis sepulcro, de quo Ioseph (*de Antiquitatibus*) commemorat, Hebraeos tam ingentem auri quantitatem in eo depositam reperisse, ut ea non solum cuidam necessitati Rempublicam valde vexanti praesentissimo remedio occurrerent, sed quaedam xenodochia pro infirmis curandis construerent. Hoc quid quaeso praefigurabat, nisi infiniti pretii thesaurorum corporis Christi emortui in sepulcro latentem, cuius quidem divitiis omni auro pretiosoribus, eius scilicet vulneribus,

et pretioso sanguine et Reipublicae Christianae spiritualibus necessitatibus succurrit, et peccati morbo laborantes ad pristinam sanitatem revocantur. Hoc quis non videat gloriam huius sepulcri mirum in modum commendari? Memini me apud Fabium Paulum legisse, quod cum antiqui insigne Isocratis sepulcrum fabricarent, in eius vertice Sirene arieti insidens cernebatur, citharam in manu tenens. Quidam arbitrantur simulacrum hoc tacitam quandam fuisse Isocratis increpationem, quod vitam in musicis Sirenum consumpsisset: et quia signum coeleste Arietis oratorum linguis favorabile esse fertur, dicatum erat Mercurio, quem eloquentiae Deum putabant. Sirenes autem manifestum est a Poetis confictas vultus venustate, et musices melodia pergratas, navigantes in bruta animantia convertisse, quae in profundum maris postea demergebant. Verum cum antiqui in honorem Isocratis illud monumentum erigerent, non videtur, descriptionem illam in opprobrium eius vertendam esse, sed significare voluerunt, aureo suae eloquentiae flumine, ac dulcissimo suae orationis concentu audientium omnium animos ad se pertraxisse. Unde secundum veriorem hanc intelligentiam nemo sanae mentis negabit descriptionem illam, Isocratis sepulcro appositam, aptius congruere Christi Domini sepulcro, cuius tanta fuit dicendi facundia, tantus orationis lepor, tanta persuasionis eius vis, atque energia, ut turbae illum audientes exclamarint (*Ioan.* 7.): *Numquam sic locutus est homo*; et plus quam quinque milia hominum proprii corporis alimenti immemores, ut illum audirent, per desertum insequebantur, ut vere et non ficte velut alter Orpheus lapideos animos sermone suo commoveret, et ad se perduceret. Unde Hebraei dicebant (*Ioan.* 18.): *Totus mundus abiit post eum.*

Porro tametsi omnia superius enarrata epitaphia, et alia plura quae consulto silentio praetereo, sepulcro Christi congruant; Isaiae tamen epitaphium paucis verbis gloriam huius sepulcri describens longe illa omnia antecellit: *Et erit*, inquit, *sepulcrum eius gloriosum*; alii legunt: *Mansio eius erit in gloria*; Septuaginta vertunt: *Erit requies eius honor*; Originale Hebraeum habet verbum, ut periti illius linguae adnotarunt, quod significat quietis habitationem, domum regiam, aulam Imperialem. Hinc non parum effulget gloria huius sepulcri, quam e corpore Regis Regum in eo sepulti mutuat. Sane regius Vates (*Psal.* 49.) loquens de morte divitum, Principum et Regum huius saeculi, ait: *Cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Unde manifestum est, nullius Principis sepulcrum posse esse gloriosum, cum gloria ipsius principis omnino destitutum sit; at quia cum Christus moritur, descendit cum eo gloria eius, solum eius monumentum meretur Isaiae epitaphium: *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Sed quomodo non gloriosum, cum Verbi divini gloria, ac indicibilis maiestas sacrum illud corpus suppositantis, illic adesset? licet enim corpus ab anima divisum fuerit, minime tamen a Verbo: sed sicut non alius fuit Samson captus a se ipso libero, sic non aliud suppositum fuit Christus Dominus mortuus a se ipso vivo: vere enim Verbum divinum, *Descendit cum illo in foveam*, *et in vinculis non dereliquit eum*, ut praedixerat Sapiens. Atque huc facit, quod acute observavit divus Chrysostomus in demonstratione quod Christus sit Deus, diverso valde modo contingere in vita, et morte Christi, in vita, et morte aliorum Principum: illi enim in vita gloriosi, in morte inglorii pereunt; e contra vero Christus Dominus in vita, *Inglorius inter viros*, ut ait Isaias, gloriosus vero in morte obiit. Quod autem sacri Evangelistae commemorant de Christi sepulcro, nimirum, quod in horto fuerit, quod novum, et quod alienum esset, ad gloriam eius elucidandam non parum arbitror conferre: nam sicut olim Adam in horto peccavit, ita Christum Dominum in morte in horto sepeliri decebat. Rationem autem huius decentiae tradit divus Thomas (3. *p. q.* 71 *art.* 2. *ad* 4.) in haec verba: *Christus sepelitur in horto, ad significandum, quod per mortem, et sepulturam ipsius liberamur a morte, quam incurrimus per peccatum Adae, in horto Paradisi commissum. Cum etiam Christus Dominus secundum animam descendisset ad beatificandas eas, quae in sinu Abrahae morabantur, congruenter corpus eius in horto seminabatur, ut fructum ferret resurrectionis corporum electorum, et ut instar grani, integram, et pulchram spicam producentis, nec non velut Elisaei corpus tactu mortuum excitantis, corpus eius electos sibi per baptisma consepultos, ad vitam excitaret gloriosam.* Erat etiam sepulcrum novum monumentum nulli melius, quam novo homini conveniebat; voluit autem novo monumento Dominus sepeliri: tum, ut adnotarunt divus Ambr. (*lib.* 3. *de Virginibus*), d. Cyrillus (*lib.* 12. *cap.* 41.), d. Hier. (*super Matt.* 27), d. Chrys. (*hom.* 84.), ne si alius unquam ibi sepultus fuisset, non Dominus, sed alius resurrexisse diceretur: tum quia, ut adnotavit Origenes (*lib.* 2. *contra Celsum*), quemadmodum eius nativitas ex purissimo, et intacto thalamo fuit, ex perpetua enim Virgine natus est; ita sepultura eius insignem puritatem debebat habere, et a nullo alio mortuo corpore antea contingi. Unde divus Augustinus (*tract.* 120.) id confirmans ait: *Sicut in Mariae Virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est: ita hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum, sepultus est.* Fuit deinde sepulcrum illud alienum duplici ratione. Primam adhibet idem divus Augustinus (*serm.* 133. *de tempore*) in haec verba: *Videamus quare Salvator in aliena sepultura ponatur, et suam non habeat. Ideo in aliena sepultura ponitur, qui pro aliorum moriebatur salute: mors enim ista non illi accidit, sed nobis profuit; mors ista non illi illata est, sed nobis delata. Ut quid ergo illi propria sepultura, qui in se propriam mortem non habebat; ut quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat in coelis? ut quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis spatio, non tam in sepulcro mortuus iacuit,*



*quam velut in lecto quievit?* Divus Ambrosius secundam rationem huic valde persimilem his verbis tradit: *Alienum sepulcrum fuit, quia suum monumentum Dominus non quaesivit. Habeant tumulum proprium qui sub lege sunt mortis: victor mortis suum tumulum non habebat: non enim ille sepulcrum mortis desiderat, qui de morte trophaea referebat*; haec ille. Sepultus etiam fuit in alieno monumento, ut quemadmodum in aliena domo nasci voluit, nec in vita sua habuit, ubi caput suum reclinaret, ita in alieno monumento mortuus iaceret. Conveniebat etiam in aliena sepultura sepeliri, ut significaret, pro aliena culpa mortem sustinuisse. Certe aliena fuit Christo mors, aliena vulnera, aliena Crux: nostra erant haec omnia, sic et sepulcrum Domino, et auctori vitae fuit alienum. Haec omnia gloriam huius sepulcri adeo ostentant, ut magnus Athanasius (*oratione in sanctissimam Parasceven*) vocaverit illud, *immortalitatis locum, officinam resurrectionis, dissolutionem sepulcrorum, ac tandem monumentum, in quo mors desinit esse mors; et in quo vita sata fuit, finem non habitura.*

Tertium caput, unde perspicue satis deprehendo singularem gloriam et splendorem huius sepulcri, subministrant mihi verba Davidica (*Psal.* 15.): *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: latet enim primo in eis arcanum paucis observatum, quod non parum ad gloriam sepulturae Christi confert. Mysterium ergo est; quod, ubi nostra Vulgata legit, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, Hebraeum Originale habet: *Foveam corruptionis.* Erat enim mos, ut tradit Misnolot, peritissimus Hebraeorum, ut qui tamquam malefactores occidebantur, non permitterentur in sepulcro honorifico sepeliri, sed in profundum quendam locum, quem foveam corruptionis vocitabant, illos mittebant. Cum ergo hac consuetudine urgente Christi Domini corpus permissum fuerit (ut dilectus Ioannes adnotavit) in sepulcro honorifico, quod nobilis vir Ioseph ab Arimathaea sibi exciderat, sepeliri; sane permissio haec Christi innocentiam attestata est. Sed aliter etiam illustremus hunc locum. Certe alia monumenta quantumcumque extrinsecus splendeant, corpora corruptioni obnoxia continent; at corpus Christi Domini, utpote Verbo divino incorruptionis principio unitum, nulli corruptioni subiacuit: et quod et figurae, et testimonia sacrae Scripturae, nec non ratio ipsa, supposita fide, non obscure comprobant. Arca enim in primis testamenti ex materia imputribili erat, ut significaretur, Arcam corporis Christi, in qua divinitatis thesaurus latebat (sic enim illud vocavit David, *Exsurge tu, et Arca sanctificationis tuae*), semper incorruptam, et imputridam permansuram. Manna etiam illud coeleste sexto die collectum, et Sabbato servatum, quod nunquam computrescebat, ut habetur (*Exod.* 16.), *Non computruit, nec vermibus scaturiit*, quid quaeso aptius praesignificare potuit, quam corpus Christi sexta feria velut divinum manna de Cruce collectum, et ad Sabbatum usque in sepulcro asservatum, omnis putredinis expers futurum, nec vermium dominio unquam subiugandum? Eandem incorruptionem corporis Christi praeviderat David, cum in persona illius praedixit (*Psal.* 15.): *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear*, id est, ne corrumpar. Unde Chaldaeus Paraphrastes transtulit, quoniam quiescit maiestas eius, a dextera mea non movebor, utpote ad desinitionem ac deformationem, ut creatura mundi, quae corruptioni subiecta est: siquidem, ut ait (*Psal.* 17.): *Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus*; vel ut habet Hebraicum Originale: *Dominus petra mea, et robur meum, et Salvator meus.* Verum alius etiam extat insignis eiusdem Davidis locus, sub requiei methapora, hanc incorruptionem corporis Christi emortui non obscure demonstrans: *In pace*, ait, *in idipsum dormiam, et requiescam.* Sicut enim Deus in creatione mundi, ut refert Moyses, postquam universitatem creaturarum produxerat, *Die septimo requievit ab universo opere quod patrarat*; ita Christus in mundi reparatione, completo Redemptoris opere, ut ipse in Cruce dixerat, *Consummatum est*, requievit per diem etiam Sabbati in sepulcro. Sed observa quod requievit in pace: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* In quo singulare hoc mysterium latet. Ceteri enim defuncti, qui in Domino moriuntur, pace quidem perfruuntur in animabus suis Deum clare videntibus, et ab omni labore, et dolore in sinu Dei requiescunt; corpora autem eorum emortua, non solum non requiescunt in pace, sed potius inter ipsa, et contraria corrumpentia crudele bellum incipit grassari per varias alterationes, et corruptiones, usque tandem in vermes et pulverem convertuntur. Unde cum Ecclesiasticus (*Eccles.* 44.) dixit, de Sanctis loquens: *Corpora eorum in pace sepulta sunt*, loquitur de pace a tyrannis, a tormentis, et necessitatibus huius vitae protegente, non autem de pace a corruptione, et vermibus liberante; haec est gloria corporis Christi emortui, ut non solum requiem, et pacem obtinuerit ab omni labore, sed ab omni prorsus corporis corruptione, seu corruptiva alteratione: propterea enim dixit (*Psal.* 4.): *In pace in idipsum dormiam, et requiescam*; quasi dicat: in illo, *idipsum*, quod non mutatur, aut variatur, sed incommutabiliter permanet; *Dormiam in pace*, ab omni corruptione liber. Atque ad hoc discrimen docendum, quod inter corpora aliorum, et corpus Christi interest, nonnulli graves doctores arbitrantur, Davidem (*Psalm.* 101) dixisse Christo: *Mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es.* Ratio tandem perpulchra hanc fidei veritatem confirmat. Nam cum honor et gloria victoris sit, arma, et instrumenta victoriae servare illaesa, diligenter illa custodire, et in tuto loco, ne aerugine, eadem collocare, ut Davidem, et Iudith fecisse narrat sacra Scriptura, aliosque etiam duces frequenter idipsum facere videmus, dum vexilla, quibus victoriam de ho-

stibus reportarunt, velut gloriosum trophaeum in templis deponunt, ut perpetuo ibi conserventur; ita sane cum Christi corpus gladius fuerit ultor iniquitatum nostrarum, quo daemonem debellavit, et tartareas potestates expugnavit, decebat omnino post tam gloriosam victoriam, ut illaesus a vermibus, et incorruptus servaretur. Neque huic veritati quidquam obstat Haereticorum cavillus, dum contra illam obiiciunt verba divi Pauli (*Rom.* 6.): *Quod autem suscitavit ipsum a mortuis, amplius iam non versurum in corruptionem*, ergo aliquando vidit corruptionem? scilicet in triduo ante resurrectionem. Dicendum enim est, ibi divum Paulum solum velle Christum Dominum non iterum moriturum; mortem autem vocat corruptionem, quam vere corpus Christi sustinuit per separationem animae ab eo, ipso tamen imputrido semper permanente, incinerationi, aut vermium corrosioni ex divina virtute minime subiecto.

Quartum caput, unde gloriam sepulcri Christi colligo, est eius sigillatio, et militum custodia, iuxta illud (*Matt.* 27.): *Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus*: quae verba enucleantes nonnulli Patres quaedam adeo acute, et pie dixere, ut merito hic adscribenda putarim. Divus Athanasius (*serm. in sancta Parasc.*) ait: *Miser, et infelix Iudex: Qui mortuis vincula dissolvit, non sepulcri sigilla? qui spoliavit Infernum, timebit monumenti signacula? Muni sepulcrum, signa lapidem, statue milites, obside monumentum custodibus: isto modo egregium opus maius efficis: statuis enim spectatores, ac testes resurrectionis, meorumque miraculorum praecones ministros tu praeparas*; haec ille. Amphilochius vero (*serm. de sepul. Domi.*) haec similiter habet: *Quis inquam vidit mortuum asservari, vel potius quis vidit unquam mortuum belligerare, quis audivit aliquando mortuum, et undique circumseptum, metum eis incutere, qui eum interemerunt?* hactenus ille. Refert nobilis auctor Ioannes Baptista Fon. (*lib. de pr. gent.*) sepulcro Q. Martii fortissimi ducis sculptum fuisse arietem, duobus stantem pedibus, et leporem iuxta illum mortuum. Per arietem, qui bellicosus est, utpote qui cornibus fortiter imperat, significabatur mira illius ducis fortitudo; lepus vero ad pedes eius extinctus, inimicos ab eo devictos designabat. Aptius sane quam Q. Martio illa sepulcri eius descriptio Christo Domino congruit: ipse enim est aries ille, quem Daniel vidit *cornibus ventilantem contra Occidentem, et contra Aquilonem, et contra Meridiem, et omnes bestiae non poterant resistere ei, nec liberari de manu eius, fecitque secundum voluntatem suam*; timidi autem lepores Christi hostes sunt, quos ipse non solum vivus devicit, sed mortuus exterruit: unde sepulcrum eius multis satellitibus stiparunt, quasi ne in eos irrueret, pertimescentes. Si ergo tanta est potentia, atque maiestas Christi sepulti, non potest non magna esse sepulcri illum continentis gloria. Hinc est quod Angeli, tamquam gloriosum illam colentes, et tanquam domicilium regale sui creatoris illud recognoscentes, in ipsum descenderunt. Unde divus Chrysostomus (*in com. Psal.* 2.) dixit, Angelos ideo visos in sepulcro, ut ostenderetur ibi Deum esse sepultum, cui Angeli inserviebant, et velut lectulum Salomonis instar fortissimorum virorum illum circumdabant.

Ultimum tandem caput, maiestatem, et gloriam huius sepulcri manifestans, non incongrue existimaverim esse mirificos, et inaestimabiles fructus quos nobis exhibuit. Nam praeterquam imitans virgineum partum ex inviolata Virgine, ita nobis inviolato lapide ei superposito, nec ullam in reliquo scissuram patiente, Christum, quem mortuum conceperat, vivum, immortalem, et gloriosum peperit. Unde acute divus Augustinus (*ser.* 103.) dixit: *Ubique beato corpori defertur sanctitas, ubique virginitas, novus illud venter concepit, novus tumulus conclusit.* Sed audiamus divum Chrysologum de hoc fructu eleganter haec dicentem (*serm.* 74.): *Angelus Domini descendit de coelo, et accedens revolvit lapidem: non dicit volvit, sed revolvit lapidem, quia advolutus probavit mortem, et revolutus extitit resurrectionis assertor. Beatus lapis, qui Christum velare, et revelare potuit: beatus, qui non minus corda aperit, quam sepulcrum: beatus, qui dat resurrectioni fidem, fideique resurrectionem. Mutatur hic ordo rerum, mortem, non mortuum devorat hoc sepulcrum*; haec ille satis ingeniose. Praeter hunc, inquam, fructum, qui omnium aliorum potissimus est, alios etiam magni momenti nobis praebuit, ut Patres adnotarunt. Divus enim Bernardus (*serm. ad milit. cap.* 11.), sepulcro Christi specialem vim tribuit prae omnibus aliis locis sanctis ad excitandam devotionem: verba eius sunt: *Sepulcrum Christi inter loca devotionis tenet quodammodo principatum, et devotionis nescio quid plus sentitur ubi mortuus requievit, quam ubi vivens conversatus est, atque amplius monet ad pietatem mortis, quam vitae recordatio.* Unde divus Hieronymus (*epistola* 72.) loquens de Paula ait: *Ingressa sepulcrum Domini osculabatur lapidem, et ipsum corporis locum, in quo Christus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fideli ore lambebat.* Divus Augustinus (*serm.* 181. *cap.* 5. *et* 60.) alium inaestimabilem fructum commemorat: ait enim: *Sepultus est, ut sepulturae Sanctorum benediceret, et ut nos sibi vitiis, et concupiscentiis sepeliret.* Atque hinc est, quod baptismus, in quo fidelibus remissio peccatorum datur, censetur a divo Paulo spiritualis sepultura: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem.* Quae verba elucidans idem divus Augustinus ait (*serm.* 328.): *Magna igitur sepulturae huius* (id est baptismi) *est gratia, in qua nobis et utilis mors infertur, et utilior condonatur: magna inquam sepulturae huius gratia, quae purificat peccatorem, et vivificat morientem.* Cum igitur tot, ac tantis nominibus celebre, atque gloriosum sit sepulcrum Christi Domini, merito aliorum omnium, etiam principum,



et regum sepulcra in conspectu eius silere possunt. Sileat sepulcrum, quod Abrahamo excisum fuit in duplici spelunca: sileat, quod Iacob a filiis extructum fuit: sileat illud, in quo Iosephum tumulatum legimus: sileat illud quod Davidi patri suo Salomon erexit: sileat, quod Iobo aedificatum sacra narrat historia: sileat, quod Alexander amico suo Hephaestioni haud exiguis sumptibus extrui praecepit: sileant tandem ipsius Magni Alexandri, Cyri, Temistoclis, aliorumque Principum, et Ducum celeberrima monumenta, quia haec omnia pariter, et honores, quos in exsequiis delatos Herodianus (*in Commodo*) describit, cum ingenti splendore, et singulari gloria sepulcri Christi Domini minime valent comparari. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# DE TRIUMPHANTE

# CHRISTI DOMINI RESURRECTIONE

## ET ARCANIS IN EA RECONDITIS

---

# LIBER DECIMUS QUARTUS

---

### HOMILIA PRIMA.

*De Christi Domini in sinum Abrahae descensione, iuxta Apostolici Symboli verba: Descendit ad inferos.*

Antequam de Christi Domini triumphante resurrectione disserere aggrediar, operae pretium duxi, veritatem catholicam de descensu animae Christi in sinum Abrahae prius stabilire: quam etsi Ecclesiae Patres in Synodo Ephesina silentio obvolverint (vel quia nullus haereticorum tunc temporis id negaret; vel quia cum Christi mortem definissent, consequenter descensum animae eius ad inferos, quo omnes sanctorum animae tunc pergebant, implicite, et involute definitum arbitrarentur), eadem tamen catholica Ecclesia in Apostolico Symbolo, quod in Orientalibus, et Occidentalibus regionibus cantare consuevit, minime id silentio praeteriit, immo fatetur expresse dicens: *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.* Quod etiam Lateranense Concilium definivit, et unanimiter Patres omnes Graeci, et Latini, ut advertunt Scholastici doctores cum S. Thoma, idque multis ante annis Sibylla praedixerat:

Arbiter ut terras aeternus venit in imas
Deveniet que bonam spem portans omnibus Orcum;
Et tridui somno peraget mortalia fata
Tunc demum linquet manes, lucemque reviset.

Sanctus etiam Thadaeus, referente Eusebio: *Descendit*, inquit, *ad inferos, et disrupit materiam, quam in saeculo nemo disruperat.* Sed alia et non minus illustria suppetunt huius rei testimonia. Christus Dominus Davidico vaticinio (*Psal.* 107.) ait: *Existimatus sum cum descendentibus in lacum:* et alibi (*Psal.* 124.): *Assimilabor descendentibus in lacum.* Ecclesiasticus in persona Christi praedixerat (*Eccles.* 24.): *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Idem docuit Apostolus scribens (*Ep.* 4): *Quod autem ascendit quid est, nisi quia descendit prius in inferiores partes terrae?* Limbum vocat partes inferiores terrae, ut Theophylactus explicat, eo quod in profundissimis terrae partibus locum habeat. Quod si irrefragabile prorsus sacrae Scripturae testimonium ad hoc probandum proferre velimus, illud meo iudicio plene satisfacit (*Matt.* 12.): *Sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus, et tribus noctibus*: quod quamvis Chrysostomus, et Euthymius de sepulcro intelligant, eo quod mos apud Hebraeos inolevisset, ut in abditis terrae finibus conderentur; Theophylactus tamen, et Hieronymus, Tertullianus, et Irenaeus variis rationibus adducti, de Christi in inferis commoratione illud intelligunt. Primo, quia terrae cor est illius centrum, cum in medio terrae viscerum sit, sicut animalium corda in illis. Secundo, quia aptius Ionae figura Christo tumulato congruit, ad quam Deus respexit cum dixit (*Matt.* 12.): *Sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus, et tribus noctibus.* Sacrum enim eloquium de Iona haec habet: *Fuit in ventre inferi, in profundo, in corde maris, in abisso*, quae ad sepulcrum Christi, in quo conditus fuerat, adumbrandum minime aptari possunt, sed inferno aptissime congruunt, et animae in inferno existenti. Hinc deducerem, per tres illos dies, quibus mortuus Christus iacuit, semper eius animam in inferno extitisse, quod voluerunt Ignatius (*Epist. ad Trai.*), Chrysostomus (*ho.* 44. *in Matt.*), et Iuvencus (*lib.* 2. *hist.*), qui haec habet:



Namque Propheta cano quantum sub pectore ceti
Temporis assumpsit, terrae in penetralibus altis,
Progenies hominis tantum demersa manebit.

Sanctus tamen Anselmus (*in elucid.*), et Tertullianus (*lib.* 1. *hist. c.* 31.), existimant, modicum temporis spatium in eruendis e Limbo sanctis Patribus consumpsisse, eosque statim in terrestrem Paradisum transtulisse, iuxta id quod latroni promiserat: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sed infirmo haec sententia nititur fundamento. Paradisi vox hic non materialiter de Paradisi loco, sed formaliter pro visione beatifica intelligitur; unde idem fuit dicere, *Hodie mecum eris in Paradiso*, ac si dixisset, hodie clara divinae essentiae visione frueris, ut communiter Patres explicant cum Augustino (*sup. evang.*). Quod si ad hoc mysterium illustrandum humanis divinisque monumentis uti voluerimus, quam plurima inveniemus, quae adamussim id exprimunt. Valerius quippe maximus narrat, Romae olim cum terra profundissimo, patuloque ore aperiretur, monuisse Sibyllam, numquam terrae illius os obturandum, donec fortissimus Romanorum illuc deiiceretur. Curtius hoc comperto suis onustus armis in illud sese deiecit. Effert hoc magnis verbis Valerius, Romanumque illum maximis extollit encomiis. Os istud terrae profundum mihi limbum ante oculos ponit, ubi SS. Patres constituti captivitatem lacrymabantur suam; sed divina fuerat lege statutum, nunquam inde excludendos, donec illuc non fortissimus Romanorum, sed potentissimus virorum omnium Christus Iesus descenderet; qui noscens inde animarum medelam futuram, libere in sinum Abrahae descendit, statimque terrae sinus occlusus fuit: nemini enim exinde limbus ille patuit. A divinis enim litteris hoc idem hausimus: etenim Ioseph cum petulanti, ac lascivienti dominae assentiri renueret, pallio relicto fugam arripuit: hoc idem Christo accidit, qui ne Synagogae placitis assentiret, maluit non solum in Crucem agi, sed mori: unde limbum petiit, corporis pallium in sepulcro derelinquens. Tandem S. Ioannes (*Apoc.* 20.) se vidisse testatur Angelum, abyssi clavem habentem, cui tradita potestas erat infernales bestias ligandi, sanctorumque animas, qui illius adventum praestolabantur, eruendi: ac si apertius dixisset: Christum Dominum, qui est magni consilii Angelus, filii Dei potestatem habentem, ad mundi abyssum, quae est infernus, penetrasse; atque ibi, sanctis Patribus erutis, novis vinculis Luciferum illigasse. Verum et id rationi non esse dissentaneum ex eo probari potest, quod triumphalis victoria iure ei debebatur, ut hostis propugnacula ingressus in propria inimici domo eum invaderet, spoliisque detractis pretiosiora raperet, cuiusmodi erant Sanctorum Patrum animae. Quamvis autem ad inferos penetrasse dicatur, compertum tamen est, limina tantum tetigisse, ut docent Scholastici cum divo Thoma (3. *p. q.* 43. *a.* 3.), et Bonaventura (*in* 1. *dist.* 22.). Quod firmo etiam nititur fundamento. Princeps enim quis, ut possessionis iura obtinuisse dicatur civitatis alicuius, quam ipse subegerit, necesse non est, ut in intima domorum penetralia, coquinasque ipsas, et stabula penetret, nec ulla est praeterea ratio, quae contrarium docere videatur, ut tradit Augustinus (*ep.* 99.) dicens: *Nulla causa occurrit, cur illuc venisse credatur Salvator, nisi ut ab eius* (idest, inferni) *doloribus salvos faceret.* Ex cuius verbis clare verba illa Petri Apostoli explicare licet, quae communi interpretum sententia difficillima sunt explicatu: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni*: significare enim videtur Apostolus Christi animam per illos tres dies inferni doloribus cruciatam. Verum de Christi doloribus intelligenda verba non sunt, sed de sanctorum Patrum tristitia, qua angebantur, eo quod tamdiu ibi detenti fuissent. Voluit igitur Apostolus Christo ad inferos descendente sanctorum animas a cruciatibus liberatas fuisse, solutis doloribus inferni. Descendit igitur ad inferos Dominus carceres explorans, iuxta Isaiae vaticinium: *Et post multos dies visitabuntur.* Iudex enim cum carceres invisit, alios inde eruit, aliis vincula duplicat; sic Christus in limbum penetrans, daemones novis vinculis colligavit, sanctosque Patres inde erutos libertate donavit, clare illis suam essentiam inspiciendam exhibens. Regia mihi in hoc aquila videtur Christus: non enim in ascensione tantum ad supera generosae huic avi similem Christum contemplor, sed cum ad infera etiam descendit: ut enim Bartholomeus Anglicus (*lib.* 12. *c.* 2.) testatur, quamplures ad hoc probandum auctores adducens, tanta oculorum acie Aquila praecellit, ut per aera volitans, minimos quosque pisciculos rivi profunditate natantes summa perspicacitate conspiciat, eosque e superis delapsa, ex aquis extrahat. Sic Christus antequam ad supremam empyrei coeli plagam evolaret, inferna loca perlustrans, familiares suos, qui ibi detinebantur, eripuit. Quod vaticinatus fuerat Zacharias: *Tu quoque in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu.* Sicut etiam aquila e nido eductos pullos solis radiis, cum in meridie servet, opponit; sic Christus sanctos illos Patres filios suos eduxit a limbo: divinaeque essentiae solem, quam animae unitam habebat, clara beatifica visione cernendam praebuit. Neque enim credendum est, separata in morte anima a corpore, divinum Verbum ab alterutro extremorum separatum, sed sicut gemmam ex annulo extrahens, gemmam una manu, altera annulum retinet; et sicut strenuus miles, quem evaginato gladio vaginam a latere pudet excidere, dextra ensem arripiens, laeva vaginam capit; sic divinum Verbum ex corporis sui annulo animae pretiosam gemmam extrahens, et mortalitatis vagina animae gladium educens, nec gemmam, nec annulum dereliquit, nec vaginam, aut ensem deseruit, sed animae gladio inferos invadens, illum nunquam amisit, sed secum perpetuo retinuit iuxta Davidicum vaticinium: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Hae

respexisse videtur Abacuch (*c.* 3.), cum dixit: *Suscitans suscitabit arcum tuum*, concinno loquendi modo arcum Christum appellans, ad confirmandum, quod in praesenti sermone inquirimus. Arcus Christus fuit in Cruce propter divisionem corporis ab anima vere confractus: ita namque divinae iustitiae rigor nervum produxit, ut nervo confracto, vinculo scilicet quo Christi anima, et corpus inter se simul adnectebantur, tandem anima a corpore separaretur. Tandem sicut arcus nervo confracto, pars utraque nervi pendens manet ab arcu; ita procul dubio disrupto vinculo animae cum corpore Christi, utraque pars, anima scilicet, et corpus, a divino supposito eas suppositante pendentes, nec ab ea ullatenus divisae sunt. Probat haec divus Thomas (3. 1. *q.* 50. 2. 2.) congruenti admodum ratione. Supernaturalia enim bona coelitus infusa non auferuntur, nisi culpa interveniente: ut enim dixit Apostolus: *Deum non poenitet donorum quae elargitus est:* sine poenitentia enim dona Dei sunt. Cum igitur hypostatica unio donum sit excellentissimum, absque Christi culpa auferri minime debebat; quae tamen cum in eum cadere non posset, quia impeccabilis erat, compertum remanet, quod dixit Sophronius (*epi. ad Serg.*): *Idem ipse unus manens, Christus, et Filius, et unigenitus inseparatus in utrisque naturis conspicitur.* Hoc Nyssenus (*ora.* 1. *de resurr.*) brevissimo sermone perstrinxit: *Cum Deus* (inquit) *totum hominem per sui infusionem, et contemperationem in divinam naturam transformavit in tempore, quo passio administrata est; ab altera parte, id quod semel immistum, et contemperatum erat, non separabit. Nam dona Dei huiusmodi sunt, ut eorum illum poenitere non possit: sed animam quidem Deus a corpore sponte sua disiunxit, se autem in utrisque manere ostendit.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA SECUNDA.

*De variis figuris, quae olim triumphalem Christi Domini Resurrectionem praesignaverant, ac de multis naturae Symbolis, quibus facilior redditur huius reconditi mysterii fides.*

Ea semper fuit erga nos divinae maiestatis in docendis, ac suadendis divinae fidei mysteriis sollicitudo, ut praeviis variis figuris, atque imaginibus, illorum veritatem adumbrantibus, ea illustrarit, quibus humanus intellectus figuram cum veritate consonam, imaginisque ad prototypum miram perscrutatus conformitatem, viam sibi faciliorem inveniret ad alma, sublimiaque mysteria infallibili ac certissima fide credenda. Et quidem, tametsi ceterorum mysteriorum unam, aut alteram, aut plures aliquot Deus praemiserit figuras; huius tamen triumphantis resurrectionis, eo quod tantam praeseferat difficultatem, ac novitatem, ut Paulus illud Athenis praedicans, stultus, atque amens, unanimi auditorum consensu reputaretur: Deo Optimo Maximo rei difficultatem praevidenti placuit, opportune ei occurrere, non unam tantum, aut alterum, sed mille, tam in naturis rerum, quam in sacris litteris symbola, ac figuras eius praemittens, quae rem ipsam firmius stabilirent, et nobis creditu suaviorem, ac faciliorem redderent. Primo ergo delineatum arbitror hoc mysterium in bombyce verme serico, ut testatur divus Basilius (*in Hexame. ho.* 8.) Hunc enim experientia ipsa comprobante novimus, serico illo domicilio inclusum, atque sepultum, innata sua vi, atque virtute, ex illo veluti angusto ergastulo innovatum prosilire, atque vivum, et alatum in vermem prodire; adeo ut cum revera idem ipse sit, qui antea, quasi alter omnino conspicientibus appareat. Nemo est, quem lateat, Christum Dominum vermi se comparasse (*Psal.* 21.): *Vermis sum, et non homo.* Hic igitur vermis ita humilis in parvo sepulcri domicilio inclusus, mirabili adeo praevaluit virtute, ut inde nullius alterius indigens adminiculo, salvus, et incolumis prodierit; non iam mortalis, atque terreni vermis conditionem praeferens, sed agilitatis, et subtilitatis alis, necnon immortalitatis, et splendoris dotibus mirifice donatus, ut cum revera idem idem ipse sit, qui antea, quasi alter prorsus esse videatur. Hoc bombycis symbolo ad illustrandum resurrectionis arcanum usus est divus Basilius (*in hexam. ho.* 8.) in haec verba: *Quid dicitis vos? Quid Paulo non creditis de ea mutatione, quam in resurrectione fore dicit? qui plerasque videtis aeris animantes formas permutare, qualia de vermiculo Indico cornua protendenti gemina narrari solent. Hic in erucam vertitur primum; fit deinde temporis progressu id quod bombyx appellatur; atque neque in hac forma persistit, sed illis praemollibus corniculorum bracteolis sese sensim prolatantibus in alarum speciem, ita demum fit volucris.* Sanctus Epiphanius (*in Anchorato*), et divus Ambrosius (*li. de fide Resur. to.* 4.) Christum resurgentem avi Phoenici contulerunt. Verba divi Ambrosii adeo gravia sunt, ut silentio ea praeterire non liceat: *Avis*, inquit, *in regione Arabiae, cui nomen est Phoenix, redivivo suae carnis humore reparabilis, cum mortua fuerit reviviscit; solos non credimus homines resuscitari? Atque hoc relatione crebra, et scriptorum auctoritate cognovimus, memoratam autem quingentorum annorum spatia vitali usui habere praescripta; eamque, cum sibi finem vitae praesaga quadam aestimatione cognoverit, thecam sibi de thure, et myrrha, et ceteris odoribus adornare; completoque opere pariter, ac tempore, intrare illam, atque emori, ex cuius humore oriri vermem, paulatimque eum in avis eiusdem figuram concrescere, rursumque formari: subnixam quoque remigio pennarum innovatae vitae officia munere pietatis ordiri. Nam thecam illam, vel tumulum corporis, vel incunabulum resurgen-*



*tis, in qua deficiens, et occidens resurgit, ex Æthiopia in Lycaoniam vehit: atque ita resurrectione avis huius, locorum incolae completum quingentorum annorum tempus intelligunt. Ergo isti avi quingentesimus resurrectionis annus est, nobis millesimus: illi in hoc saeculo, nobis in consummatione mundi. Plerique etiam opinantur, quod avis haec rogum sibi ipsa succendat, et rursus de favillis suis, et cineribus reviviscat;* haec ille. Quae omnia paucioribus comprehendit verbis Lactantius Firmianus, carmine de phoenice Christum adumbrante:

> Unica sed vivit morte refecta sua,
> Non perit, ut vivat, se tamen ipsa creat:
> Ut possit nasci haec, appetit ante mori.

Et licet non desint, qui parum firmum, parumque veritati consonum hoc naturae miraculum suspicentur; haec tamen suspicio cum communi omnium, qui de naturali historia scribunt, sententia pugnat, et contra experientiam ipsam. Ut enim ab Alano Bartholomaeus Anglus refert, cum Onias Sacerdos in templo existens, magnam lignorum molem ex arboribus aromaticis, et fragrantibus sacrificii causa congregasset, statim ac illa igne fuerunt succensa, super ipsum in omnium conspectu phoenix quaedam descendit, quae ignis voracitate adusta, in cineres est resoluta, de quibus intra breve temporis spatium vermis procreatur, de istoque post triduum phoenix ipsa renata est. Quodnam, ne dicam humanae mentis imbecillitas, sed vel perspicacissimus intellectus aptius exemplar excogitare posset, quam quod de phoenice praedicti Patres producunt; quae eadem perseverans, de sepulcro, in quo mortua iacuerat, venustior, atque elegantior resurgit? Divus Gregorius (*in* 7. *Psalm. poenit.*) versans verba illa Psalmi, *Similis factus sum pellicano solitudinis*, hunc Christo esse similem his verbis manifestat: *Ferunt Philosophi, quod pellicanus filios suos statim ut nati sunt, interficit, et postea sanguine suo resuscitat. Quis Pater noster, nisi mediator Dei, et hominum, qui occidit in nobis iniquitatem, ut meliorem inveniamus resurrectionem?* haec ille. Si igitur in pellicano virtutem agnoscunt Philosophi, ut extinctos filios ad vitam revocare possit; cur temere Christo Domino ad hanc ipsius corporis resurrectionem propria virtus denegabitur? Nobis etiam sacrae Scripturae testimonio constat, et gravissimorum virorum doctrina receptum est, designatis, ac certis quibusdam temporibus aquilam, accipitrem, cervum, et serpentem, veteribus alis, et pelle dimissis, novas induere: *Renovabitur* (ait Propheta *Psal.* 102.), *ut aquilae iuventus tua.* Quod divus Basilius (*in Psalm.* 102.) asseruit, et Augustinus (*hom.* 6.), Origenes (*ho.* 3. *in Matth.*), Hilarius (*in Matth. cap.* 23.), Ambrosius (*sup. Lucam capit.* 17.), Basilius (*in Psal.* 32.), Iob (*cap.* 39.) etiam inquit: *Ut accipiter expandens alas suas ad austrum:* quod idem de ipso referunt divus Gregorius (*lib.* 31. *Moral. cap.* 6. *et* 15. *et* 32.), Hieron. (*sup. cap.* 32. *Iob*), Origenes (*super Lucam cap.* 7.), Clemens Alexandrinus (1. *stromatum*), Eusebius (*cap.* 11. *sup. Levit.*). Cervi deinde meminit David (*Psal.* 40.): *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum;* meminereque ex antiquis Patribus Rupertus (7. *de divin. offic.*), divus Gregorius (*lib.* 3. *moral. cap.* 6.), Bernardus (*in cant. serm.* 52.), divus Augustinus, et divus Basilius (*in psalm.* 41), et divus Hieronymus (*in Isai. cap.* 34 *et* 135). Illud quoque satis exploratum arbitror, teste Origene (*super Exod. homil.* 14.), quod et communis naturalium sententia sustinet, serpentem per angustum petrae foramen ingredientem, veteri exuta pelle, novam sibi acquirere. Mirabile sane hoc est mysterii huius symbolum; Christus noster angustum sepulcri antrum ingressus, antiquas mortalitatis exuvias deposuit, et nova, nitidaque immortalitatis iuventute indutus, gloriosus surrexit. Incognitus (*super Psalm.* 50.) in id: *Et multitudine miserationum tuarum*, etc. lapidem sardonicum Christo resurgenti his verbis accommodat: *Hic autem Christi resurrectionis demonstratur veritas. Hic inquam lapis duobus constat partibus, sardini una, onychini altera, quarum in unum lapidem unio, praeclare eam quae in resurrectionem animi, et corporis est, compositionem repraesentat.* Sardinis enim rubro sanguinis colore merito est animae symbolum, quae sedem habet in sanguine: *Anima omnis carnis in sanguine est*, ut (*Levit.* 11.) habetur; onyx vero, qui rixas contentionesque immittendi occultam vim habere dicitur, teste Incognito (*ubi sup.*), corporis videtur symbolum esse: omnis enim rixae, contentionisque et spiritualis pugnae videtur corpus principium et origo existere, iuxta illud Pauli (*ad Gal.* 5.): *Caro concupiscit adversus spiritum.* Lapis igitur sardonicus ex duobus istis coalescens merito imago resurrectionis Christi reputatur, in qua corpus, atque anima simul in antiquam denuo compositionem convenerunt. Divus Gregorius Magnus (*lib.* 14. *Mor.*) Christi, et nostram resurrectionem ingeniose satis luci post tenebras splendenti confert: *Tenebrae quippe imago quaedam sunt mortis. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? per quotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum supervenientibus noctis tenebris, ea quae aspiciebatur, subtrahitur, et quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis suppressa, iterum nocte reparatur.* Equidem nullum aliud apparet discrimen in hac similitudine (quod et ad rem nostram facit) nisi quod ibi lux oritur a sole, hic a terra; ibi a sublimi orbe coelesti, hic ab inferiori sepulcro: ibi post obscuras tenebras aerem obscurantes, hic post mortis caliginem, auctorem vitae vita expoliantem. Magnus Ambrosius (*in orat. de fide resur. t.* 4.) praeclare admodum dixit, mysterium hoc resurrectionis Christi, et nostrae delineari, ac depingi in grano frumenti arido, quod cum terra molli suo gremio exceperit, et abscondit, postea mirabili virore in spicam erum-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pens, et omnibus aspectu gratum prodiens suscitari videtur: *Quid dubitas* (ait) *de corpore corpus resurgere, granum seritur, granum resurgit; pomum decidit, et pomum resurgit; sed flore granum induitur, felliculoque vestitur : hoc mortale oportet induere immortalitatem.* Eodemque loco ad idem adducit, quod in aliorum fructuum seminatione accidit: *Quid de fructibus loquar ? nonne tibi videntur occidere, cum decidunt, resurgere, cum reviviscunt? quod satum est, resurgit; quod mortuum est, et in eadem genera, et in eandem speciem reformatur:* quod symbolum prius certe tradiderat Iob (14.): *Lignum habet spem, si praecisum fuerit, rursum virescit, et rami eius pullulant; si senuerit in terra radix eius, et in pulvere mortuus fuerit, truncus eius ad odorem aquae germinabit.* Origenes, et divus Gregorius, quos refert Glossa, docent imaginem resurrectionis fuisse virgam Aaronis, quae inter reliquas omnes aridas sola mirabiliter floruit: *Virga Levi,* (ait Glossa), *ad florem rediit, quia corpus Domini vere sacerdotis in mortis ariditate positum, in florem resurrectionis erupit.* Haec virga si amygdalina fuit, ut plerique Hebraeorum tradunt, apta satis est similitudo. Ut enim inter omnes arbores prima omnium amygdalus floret: ita Christus noster primus fuit, qui inter homines ad vitam immortalem surrexit; ut propterea merito Paulus primogenitum eum omnium mortuorum vocaverit. Quod si mentis oculos ad illam aliam virgam Moysis convertamus, illustriora fient omnia, quae huc usque diximus : illa namque integra, victrixque manens, omnes alias Magorum Pharaonis virgas devoravit ; non aliter Christus deglutiens mortem, eam destruxit, invisibilisque suae omnipotentiae dextera, omnes suos adversarios expugnavit, ac prae timore tabescentes, multo magis quam Moyses Magos illos Pharaonis, delusit. Divus Chrysostomus (*in primam ad Corinth. Epist.*) in hanc resurrectionis similitudinem stupendum, ac prodigiosum sterilis Sarae, atque Rebeccae partum adducit, quae meo iudicio in eo valde assimilantur : tum quod nihil in rerum universitate sterilius esse videatur sepulcro, et nihilo secius Christi Domini sepulcrum tanta viguit foecunditate, ut copiosissimum nobis germinaverit fructum, Christum videlicet Dominum immortalem ac gloriosum: tum quod Christus moriens Isaac filio Sarae, victor vero resurgens Iacob Rebeccae filio, qui Esau fratris victor evasit, congrue satis assimilatur. Id tamen mirabile, et prodigiosum est, atque ad rem nostram non parum conferens, quod Solinus refert (*lib. 1. de mirabil. mundi cap. 13.*), ubi narrat, in provincia quadam fontem inveniri eius naturae, et conditionis, ut sicut in eum si fax cerea accensa immittatur, prodit extinta, sic si intra extincta submergatur, accensa, atque inflammata prosilit. Hoc sane est, quod Christo accidisse Catholici fatentur: vivus enim se immisit in mare tribulationum, quae adeo illum undique oppresserunt, ut dicere compellerent (*Psal.* 68.): *Intraverunt aquae usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Eo tamen pervenit calamitas, ut tandem spiritum amiserit, ut fatetur ipse (*ibid.*): *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me:* tamen velut fax illa extincta, immissus in sepulcri fontem, inde velut novis gloriae flammis accensus, vivus, atque gloriosus prodiit. Itaque flammam vitalem, quam persecutionum procella, inimicorumque rabies extinxerat, splendidiorem e sepulcro recuperavit : nam antea mortali aura fruebatur, ex sepulcro vero resurgens, immortali iam, atque gloriosa animae pariter, et corporis fruitur vita.

Sed si placet, contemplemur haec eadem sublimius in humani generis capite, primoque omnium parente Adamo, cuius Deus corpus luteum atque informe plasmavit, et in eum spiritum vitae immisit (*Gen.* 2): *Spiravit in eum spiraculum vitae.* Divino enim flatu ex lutea, inanimique materia, corpus vivum, atque animatum efformavit, *Et factus est homo in animam viventem.* Ita sane contigit in resurrectione Christi, in cuius corpus, cum exanime esset, Deus immisit spiritum vitae, animam scilicet, quam ei reunivit, ex quo Christus mortuus, factus est homo in animam viventem. Hoc idem nobis ad vivum exprimit suscitatus Iacob Patriarcha a somno, quo correptus erat (*Gen.* 28): *Evigilavit Iacob de gravi somno ;* surrexit sane Christus, quasi evigilans a mortis somno, quo sopitus in sepulcri lecto per triduum dormiens iacuerat. Idem nobis praesefert Ioseph eductus e cisterna, in quam missus a fratribus in maximum postea regni totius imperium provectus, a suis etiam parentibus, ac fratribus per solem, lunam, stellas, et manipulos in somno quasi omnium dominus adoratur. Sic hodie Christus e cisterna sepulcri liber prodiens, in quam suorum fratrum invidia, populi nempe Hebraei, impie proiectus fuerat, gloriosus exurgit, sceptro regni, atque regio diademate cohonestatus; universorum, quae coeli ac terrae ambitu continentur, haeres, ac legitimus Dominus declaratus ; adeo ut verius multo Deo Patri dicere liceat, quod fratres Ioseph patri Iacob protulerunt (*Gen.* 45.): *Filius tuus vivit, et dominatur in universa terra*, prout et ipse testatus est (*Mat. ult.*): *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra.* Idemque etiam videtur adumbrasse, quod Ioseph ob falsum crimen impositum, in carcerem detrusus, et in vinculis alligatus, ad pristinam libertatem reductus, regiisque ornatus vestimentis, hostium suorum victor evasit. Iacob afflictus, crudelis Esau manus, duasque hostium acies hilaris effugit. David a custodibus, lictoribusque Saul undequaque circumdantibus comprehendi non potuit, quin semel arreptam fugam perfecerit, ac salvus, et liber remanserit. Iob nudus bonorum omnium iacturam passus, omnique humano solatio destitutus, tandem in meliorem, ditioremque fortunam summa alacritate rediit. Filius mulieris Sareptanae iam mortuus, vitam iterum recuperat, et filius Sunamitidis suscitatur a mortuis. Hieremias in puteum coniectus, sanus, incolumisque egreditur. Iesus Sacerdos magnus exuit vestem sordidam, et nitida, atque pretiosa exornatur. Fortis Banaias dux egregius in profundissimam caveam descendens, tempore nivis leonem illaesus interfecit. Templum celeberrimum semel a Chaldeis funditus eversum, postea miro artificio reaedificatur : ad quod forte allusit Dominus cum dixit (*Ioan.* 2.): *Solvite templum hoc, et in tribus diebus reaedificabo illud.* Fide namque catholica certum est, ipsum de templo corporis sui fuisse locutum, quod morte solutum post triduum erat in vitam restaurandum gloriosum, et immortale: *Ipse autem* (inquit Ioannes) *loquebatur de templo corporis sui.*



Quid plura de tanto ac tam foecundo argumenti generi dicam, nisi quod me copia inopem facit? Sane tot imaginum ac figurarum praeludiis hoc tantum mysterium Deus cumulavit, ut prae multitudine, quasi hucusque nihil prorsus effuderim, nunc inchoare videar. Hodie enim arca testamenti in curru sui gloriosi corporis dotibus immortalitatis commutati sistitur. Hodie candida illa columba transacto inundanti passionis diluvio in arcam redit, arcae Ecclesiae ramum deferens olivae in ore suo, *Pax vobis*, dicens: olivam enim pacis, et victoriae symbolum extitisse nullus ignorat ; niger vero, ac infelix corvus (Iudam intelligo) in profundum desperationis demersus misere interiit. Hodie sanctus Noe Christus divini erga nos amoris vino inebriatus a somno mortis evigilat, maiestatis, ac gloriae vestimentis cooperta nuditate. Hodie Isaac divinus perfecto sacrificio, vivus post tertium diem fratris sui domum redit. Hodie coelestis Moyses ex fiscella bitumine linita, ne fluctibus Nili, idest, mortis submergeretur, salvus, ac incolumis evadit, suos in mari rubro demergens adversarios, et ex capite Pharaonis regiam coronam auferens. Hodie manus, quae in sinu Moysis leprosa iacebat, inde educta munda comparet, fortis, et pulchra. Christus enim manus est Patris (*Psal.* 143.): *Emitte manum tuam de alto.* Haec manus quasi leprosa abscondita fuit in sepulcro (*Isai.* 53.): *Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo* ; e sinu tamen sepulcri sana, fortis, atque pulcherrima prodiit. Hodie lapis singularis deiectus, ac reprobatus, hominumque extimatione contemptibilis in praecipuo aedificii loco collocatur (*Psal.* 117.). *Factus est in caput anguli:* siquidem resurgens Christus supremus terrae coelorumque Monarcha, et caput omnis creaturae, erectus est, iuxta illud (*Ps.*117.): *Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus in caput anguli.* Hodie verus Tobias post longam diuturnamque peregrinationem liber ab immani devoratore mortis pisce, qui eum invaserat, laetus, et gaudens in domum revertitur. Hodie sanctus Mardochaeus hostem sibi Aman, Principem scilicet tenebrarum, in ligno crucis suspendit. Hodie rubus post ardorem crucis illaesus ab igne mortis consumente evasit. Hodie passer in hostiam pro leproso oblatus, dotibus gloriae, alarum vice ab igne sacrificii liber evolat. Hodie divinus Ionas incolumis e ventre coeti progreditur, per quadraginta dies praedicaturus non Ninivae, sed discipulis futuris mundi magistris, ut ait divus Lucas: *Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.* Hodie sol iustitiae, qui aliquantulum nebulis fuerat obscuratus, clarioribus radiis splendens oritur. Hodie fortis atque invictus Samson observatis Gazae portis victor prodiit de hostibus triumphans, ut elegantissime Chrysostomus his verbis prosequitur : *Samson iter faciens leonem manibus enecavit ; et Dominus ac Salvator noster per suscepti corporis sacramentum leonem Diabolum, extensis in Cruce manibus, interemit. Samson de ore leonis favum mellis abstraxit ; Dominus de faucibus Diaboli plebem suam, quae sibi per viam facta est dulcis, eripuit. Samson populum Israel, debilitatis hostibus, Dominus extinctis daemoniis populum suum de morte perpetua liberavit. Samson obsecratis clauditur in civitate, Dominus obsignato clauditur monumento. Samson fractis seris sublatisque portis securus evadit, Dominus ruptis infernae sedis obicibus, apertoque sepulcro, recepta carne, a morte liber egreditur.* Hodie denique progreditur victor fortis leo de tribu Iuda: *Vicit*, inquit Ioannes (*Apocal. c.* 5.) *Leo de tribu Iuda.*

Verum cum reliquas tantum mysterium adumbrantes figuras celerius percurrerim, in hac ultima paulo amplius libet immorari. Pro cuius clariori intelligentia in memoriam quaeso revocemus, solem omnium planetarum facile principem per varia Zodiaci signa discurrentem, integrum anni sui cursum peragere ; unde opus est aliquando in Virginis, aliquando in Aquarii, quandoque in Tauri, quandoque in Leonis signo commorari: quod eapropter hoc nomine appellatur, quia eo tempore ardentiores emittens radios, quasi leo rugire videatur. Sic igitur noster sol iustitiae Christus Dominus, postquam signum Virginis, hoc est viscera Virginis Matris ingressus est, signum transcurrit Aquarii, lacrymarum videlicet, quas effudit Lazari suscitandi causa : *Lacrymatus est* (inquit Evangelista). Ingressus etiam Hierusalem *videns civitatem flevit super illam.* In Cruce denique, *cum clamore valido*, et lacrymis, (teste Paulo) *emisit spiritum.* Signum Tauri etiam pertransiens, factus Deo Patri tanquam vitulus, in ara Crucis se obtulit. Hodie tamen his omnibus, et aliis signis transcursis in signum progreditur Leonis, quod Iacob his verbis expressit : *Catulus leonis Iuda : ad praedam fili mi ascendisti ; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena: quis suscitabit eum?* Hunc locum de Christo resurgente interpretantur S. Athanasius (*in quaestion. ad Ant. q.* 103.), S. Ambrosius (*in benedict. Patriarc.*), divus Augustinus (*lib.* 26. *de civit. Dei cap.* 41.), S. Bernardus (*hom. super mis.*), et divus Gregorius (*super psal.*

101. ). Tria autem de Christo habentur in verbis Iacob. Primum: *Ad praedam fili mi ascendisti*, quod in montem altum rupemque praeruptam Crucis ascenderet, ut inde hominum corda praedaretur: neque enim praeda absque labore cuiquam conceditur, iuxta antiquam Graecorum sententiam: *Dii aona laboribus vendunt*: et Horatius magno ingentique labore infernum dixit vinci: *Perrupit Acheronta Herculeus labor.* Secundo ait: *Requiescens accubuisti, ut leo*, quia praevidebat corpus eius in sepulcro requiescere, ut David etiam praedixit: *Caro mea requiescet in spe*, et anima eius similiter in sinu Abrahae. Pharaphrasis Chaldaica transfert: *Requiescit in fortitudine quasi leo.* Nam licet mortuus iaceret ut homo; intus fortitudine, ac virtute divina pollebat, ut Deus; alii vertunt: *Dormisti, ut leo, et sicut catulus leonis.* Sicut enim dormiens leo fortitudinem leonis non amittit; ita Christo mors hominis Dei potentiam non abstulit. Tandem subiungit: *Quis suscitabit eum?* Origenes (*hom. 49. in Gen.*), et Eucherius (*ibidem*) advertunt, catulum leonis recens natum dormire per dies tres, et totidem noctes: tertia vero die leaena eius mater vehementem adeo rugitum emittit, ut locus cubilis tremefactus dormientem excitet: verba haec sunt Eucherii: *Matrem fortissimi leonis scimus esse beatissimam Virginem, eique nomen leaenae aptissime commedatur: unicum enim leaena habet partum (teste Epiphanio), laenae non accidit secundus partus*; ita coelestis Virgo unicum tantum edidit filium, leonem de tribu Iuda. Et sicut leaena, rapto sibi catulo, pro dolore tremendos repetit rugitus, quibus dormientem catulum tertia die excitat; ita haec beata leaena acerbissimo Christi moerore confecta praereptum sibi catulum, ac mortis somno in sepulcro iacentem valido suspiriorum clamore ad vigiliam vitae revocavit. Mihi enim credibile valde est Christum Dominum amantissimum huius leaenae catulum, ob leniendum Matris dolorem resurrectionis tempus accelerasse: quamvis enim ad vesperum diei Dominicae resurrexisset, promissum sane adimpleret tertia die resurgendo, cum adhuc tunc fuisset tertius dies; ut tamen desolatam Matrem solaretur, summo mane diei dominicae resurrexit, iuxta illud David: *Exurgam diluculo.* Verum, ut clarius appareat, quam apte Christus resurgens leoni assimiletur, peculiares quasdam huius regii animalis conditiones (quarum et antiqui Patres et naturalium rerum scriptores meminerunt) attente contemplemur.

Anastasius Sinaita (*lib. 4 in comm. in hexa.*) asseruit, leonem numquam dormire, fuitque sententia Manethonis Ægyptii (referente Pierio), sed re vera dormit. Somnus enim, ut docet Aristoteles (*lib. de somno, et vigil.*) ita proprius est animali, eique necessarius, ut absque eo conservari nequeat. Ideo tamen vulgo leo nunquam dormire, sed semper vigilare dicitur, quod ob brevitatem palpebrarum necesse sit apertis dormiat oculis: et ob id antiqui in symbolum vigilantiae leonem apertis oculis depingebant. Alexandrum etiam Magnum (refert Pierius) monetam excudisse, eique suam imaginem, pellem, exuviasque leonis habentem super caput impressisse, quo significaret eam esse eius vigilantiam, ut adhuc dormiens vigilaret: unde et insignem civitatem a se aedificatam Leontopolim nominavit, et pectori matris suae Olympiae imaginem leonis imprimi fecit. Ideo autem Alexander se vigilantem gloriabatur; quod extento extra lectum brachio dormiret, manu tenens globum quendam aeneum, quo in argenteam pelvim decidente eius sonitu continuo excitaretur. Potiori tamen iure Christus Dominus vigilantiam sibi vindicat adscribi, cum mortuus ipse, et in sepulcrum dormiens, regia eius persona, Verbum videlicet divinum, omnino vigilaret. Unde aptius, quam Sponsa verba illa sibi usurpare posset: *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Quamvis non diffitear, quod licet Sponsa praedictis verbis loquatur, adhuc praesenti mysterio congruunt. Vocans enim Ecclesia Christum cor suum, uno illo verbo duo eius attributa expressit. Primum, quod sicut cor inter omnia membra primum omnium gaudet vita, ob quod primogenitum membrorum merito nuncupari potest; ita Christus Dominus ea procul dubio ratione a divo Paulo compellatur *primogenitus mortuorum*, quod primus ipse fuerit, qui ex mortuis ad immortalem vitam redierit. Secundum, quod adhuc ad rem, de qua agimus, accommodatius est, ex somno desumitur. Sicut enim omnes cognoscitivae dormientis potentiae ab operationibus suis vacant, ita ut nec intellectus discurrat, memoria recordetur, voluntas amet, nec oculi videant, aut aures auscultent, cor tamen semper vigilat, neque per momentum temporis operationi parcit, sed perpetuo motu agitatur. Ita sane Christus Dominus, eius corpore mortis somnum dormiente; suppositum divinum quasi cor in eius custodiam incessanter vigilabat. Sanctus Ambrosius (*lib. 1. hexamer. c. 3.*) testatur, leonis rugitu ceteras campestres belluas tremefieri, et prae timore ita animo cadere, ut ultra progredi minime possint; ita sane contigit in Christi resurrectione: nam praeterquam ipso resurgente custodes sepulcri perterriti, et velut emortui in terram deciderint; talis fuit, tamque potens Christi resurgentis fremitus per Apostolorum praedicationem, ut efferatos homines, more bestiarum viventes, divino timore perterruerit, ut iam olim praedixerat Abacuch (*c. 3.*): *Aspexit, et dissolvit gentes*; vel ut Septuaginta, et Theodoretus, Theophylactus, et divus Hieronymus transtulerunt, *Aspexit, et distabuerunt gentes.*

Consentiunt etiam omnes rerum naturalium Historiographi cum Aristotele, leonem regem omnium animalium esse: et argumento est ipsum nomen: nam Graece leo regem significat. Christo Domino regalis dignitas, regiaque corona adeo congruit, ut Rex natus fuerit (*Matth. 2.*): *Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum?* et ut rex esset, vitam mortalem accepit: quaerenti namque Pilato (*Ioan. 18.*):



*Tu es Rex?* Respondit: *Ego in hoc natus sum*; quasi diceret, ego ut essem rex, natus sum. In Cruce etiam mortuus iacens rex perseverat, ut ipsa tituli inscriptio praesefert (*Ioan. 19.*): *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Nullibi tamen ita splenduit abscondita, quae praeerat in illo potentiae magnitudo, et regia maiestas, ac in triumphali eius resurrectione effulsit. Unde dilectus Ioannes in sua Apocalypsi vidit illum regio comitatu circumdatum, et in femore eius conscriptum: *Rex regum, et Dominus dominantium.* Et quidem si eapropter leo rex merito omnium animalium nuncupatur, quod fortitudine prae omnibus illis praestet (*Prov. 30.*): *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum*: unde in ventre matris per viginti sex menses immoratur, donec dentibus, et unguibus quasi armatus prodeat, ut ait Silesius S. Iustini martyris commentator (*in libro de veritate Christianae religionis*); quam apte id etiam Christo conveniat, nemo est, qui non videat: ipse enim invincibili fortitudine praecinctus, quasi fortissimus leo ab utero matris prodiit; et cum primum natus est, ubera matris sugens Damascum perterruit, et spolia Samariae, invito Assyriorum Rege, abstulit, ut praedixerat Isaias (*c. 8.*): *Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae coram Rege Assyriorum.* Itaque resurgens Christus, mortis victor, atque triumphator evasit, fortemque armatum a sua sede deturbavit, et gloriose in fugam adegit (*Ioan. 12.*): *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Aliam leonis miram proprietatem affert divus Isidorus, quod iter faciens, sua ipse cauda sua vestigia ita casset, et deleat, ut nullum deinceps eorum supersit indicium. Hoc quam egregie Christo resurgenti aptetur, facile quisque intelligit, cum sua resurrectione omnia mortis vestigia deleverit, ut Salomon de colubro praedixerat per petram transeunte, qui nullum sui relinquat signum (*Prov. 3.*): *Viam colubri super petram.* Christum petram contemplemur (*1. Cor. 26.*): *Petra autem erat Christus*, et post gloriam resurrectionis, nullum mortiferi serpentis signum in eo superesse inveniemus. Edisserunt hoc egregia Tertulliani verba: *Mortem autem, et sepulturam, et resurrectionem Christi una voce Isaiae volo ostendere, dicentis: Sepultura eius sublata est de medio, nec sepultus enim esset, nisi mortuus; nec sepultura eius sublata de medio, nisi per resurrectionem.* Atque ad hoc idem allusisse videtur divus Hieronymus (*in Oseam c. 23.*) dicens: *Nequaquam mors in Christum, sed ipse morti supervenit; nec mors in illo ullam potestatis suae viam reperit, et hoc est quod in proverbiis, impossibile est super petram serpentis inveniri vestigia.* Ac tandem Solinus, ceterique naturalium rerum scriptores, dum de natura leonis agunt, unanimes dicunt, cum adeo generoso, ac liberali animo esse praeditum, ut cuiuslibet captae praedae partem reliquis impertiatur animalibus; ita Christus praedae, quam accepit gloriae, ac immortalitatis, permultos participes effecit, qui simul cum eo ad vitam immortalem resurrexerunt, ut gravissorum doctorum sententia fert. Manet ergo ex his (ni fallor) satis superque exploratum Christum in plerisque leoni esse valde similem. Unde ea verba quae auctor libri Machabaeorum dixit de Iuda, qui Christi praecipua fuit figura, *Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione*, congruentius, quam ipsi, nostro Christo conveniunt. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum Amen.

## HOMILIA TERTIA.

*Christum Dominum sua virtute ad vitam resurrexisse immortalem, multa ac selecta Scripturae loca, varia, accurataque eruditione elucidata comprobant.*

Merito tantae rei, gravissimique argumenti initium a grandioribus illis, maiestatemque redolentibus verbis auspicabimur Apostoli Pauli (*ad Rom. c. 1.*):

*Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.* Quorum non eadem, sed discrepans videtur expositio a Patribus tradita. Latini namque Patres, divus Ambrosius, Anselmus, divus Augustinus (*de civit. c. 6. et lib. de praedest. Sanct.*) retinent, sequunturque vulgatam hanc lectionem: *Qui praedestinatus est.* Graeci vero, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Cyrillus (*lib. de de fide ad Reg.*), S. Ioannes Damascenus (*lib. 4. de fide cap. 19.*), legunt: *Qui declaratus est Filius Dei.* Cui translationi valde favet Biblia Regia, iuxta empositionem Guidonis Fabricii, sic legentis: *Agnitus Filius Dei in virtute.* Mea sententia haec secunda expositio primam non necessario reiicit, sed utraque aptari textui optime potest.

Christus enim non solum fuit praedestinatus in Filium Dei, sed etiam ut Filius Dei agnosceretur esse. Atque ita hunc locum interpretatur Glossa ordinaria, sic explicans: *Qui praescitus est manifestari Filius Dei in virtute.* Et multi quidem Patres, ut S. Athanas. (*3. contra Arianos*), S. Ioannes Chrys. (*in Actis Apost. 5.*), et divus Ambrosius (*lib. 5. de Sacram. c. 3.*), docuerunt phrasim esse Scripturae sacrae, tunc aliquid fieri vel esse inchoare, cum declaratur ac manifestatur. Idque facile colligere licet ex illis Apocalypseos verbis: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere divinitatem.* Certum enim est, Agnum non solum illo tempore dignum fuisse divinitate: certum etiam tunc recens non accepisse divinitatem, quam tamen ab instanti incarnationis habebat; sed quia post

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mortem, et resurrectionem eius, coepit amplius declarari, ac manifestari, ideo tunc divinitatem accipere dicunt. Hac certe phrasi utens Deus Abraham, in victimam Isaac sibi offerenti, dixit: *Nunc cognovi, quod timeas Deum;* quasi dicat, hac nempe tua tam egregia obedientia, qua in rem tam difficili paruisti, omnibus fit patens, et manifestum, quod timeas Deum. His quasi iactis fundamentis, tria ponit Paulus, quibus Christus declaratus est Filius Dei, isque naturalis. Primo per miracula, atque prodigia, *In virtute.* Secundo per sanctificationem animarum, *Secundum spiritum sanctificationis.* Tertio, quod ultimum est, et velut omnium coronis, per resurrectionem ex mortuis vi, ac virtute sua, *Ex resurrectione mortuorum.* Quis enim, nisi simul Deus esset, et homo, cuiusmodi Christus, posset tam mirabile, tanque prodigiosum opus exhibere? ut homo quidem, fuit mortuus; ut verus Deus, resurrexit: si solum esset Deus, non posset; et si solum esset homo, resurgere ex mortuis non valeret. *Morientes non vivant, gigantes non resurgant;* aut ut alii legunt: *Mortui non vivunt, gigantes non resurgunt:* verba sunt Isaiae, quorum egregiam expositionem tradit Procopius: *Vis scire* (inquit hic auctor) *quam necessaria illatione sequatur Christum esse Deum, siquidem seipsum a mortuis suscitavit? Quaero a te quis unquam hominum muscipula mortis captus, claususque semel, inde potuit vi sua, atque virtute liber egredi? aut quem gigantem hactenus experti sumus ita fortem, ut mortuus, atque in sepulcrum clausus, seipsum potuerit inde vivum liberumque suscitare?* Non certe absque mysterio, ubi nostra Vulgata habet, *Gigantes non resurgunt,* Septuaginta interpretes transtulerunt, *Nec medici suscitabunt.* Quantumvis legas, consulas, evolvas, collustres medicorum antiquissimos, ac celeberrimos, Galenum, et Hippocratem, vel etiam Æsculapium, quem ob inauditam artis medicae excellentiam inter Deos retulit antiquitas; neminem eorum reperies, qui herbam, aut antidotum sibi, aut alicui alteri detexerit adversum morbum mortis; vel remedium aliquod, aut pharmacum tradiderit, quo mortuos in vitam revocarent. Si igitur hoc ita est, omnesque fatentur, praeclusam omnino a natura esse viam, qua a privatione ad habitum fit regressus, et a morte ad vitam transitus; efficacissimum sane manet Pauli argumentum, quo Christum Deum esse declaratum infert, quia seipsum potuit a mortuis suscitare. Erat Christus antea mundo ignotus, quibusdam mendax, aliis seductor, immo et daemones consulens, aliis Samaritanus, vel daemonium habens videbatur; si qui vero dignitatem eius tuebantur, tanquam rem magnam, dicebant, eum Hieremiam, aut Eliam aut aliquem ex prophetis esse. Per victoriam autem, atque triumphum resurrectionis, qua se insita vi, atque potentia a mortuis in vitam revocavit, perspicue declaratus est esse Filius Dei naturalis (*Ezec. 38.*): *Magnificabor, et sanctificabor, et notus ero in oculis multarum gentium, et scient, quia ego Dominus.* Omnes mihi triumphum canent victori, Filium Dei esse fatebuntur, cum viderint me Dominum esse vitae, et mortis. Hinc etiam patebit, quare Christum Paulus, alibi scribens ad Corinthios, *primitias* appellaverit *mortuorum.* Nunquid non prius a mortuis resurrexerat Lazarus, et filius viduae, ab eodem Christo ambo suscitati? Elias etiam olim mortuum suscitaverat, Elisaeus vero duos. Quare ergo eum Paulus *primitias* appellat *mortuorum*? Primum quidem, quia ipse solus fuit primus, atque erit ultimus qui se virtute sua a mortuis suscitaverit. Secundo, quia, ut Epiphanius (*ad Honoratum*) ait, ceteri suscitati fuerunt, ut iterum morerentur; Christus vero, ut in vita maneret immortali, in omnem aeternitatem. Mors, namque ab eo ita victa mansit, ut timens ac pavida, eum secundo provocare non audeat. *Christus* (inquit ille) *resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Id forte obstare videbitur, quod inter cetera, quae in passione Domini evenerunt prodigia, atque portenta, narrat Matthaeus, multos, videlicet ex mortuis simul cum Domino surrexisse: *Et multa* (inquit) *corpora sanctorum quae dormierant, surrexerunt:* et ut docent Clemens Alexandrinus (*lib. 6. stromatum*), divus Epiphanius (*haeres. 75.*), Origenes (*lib. 1. super Epist. ad Rom.*), S. Ambrosius (*lib. 4. de fide cap. 1.*), et plerique alii Patres: omnes illi, qui cum Christo surrexerunt, in vitam redierunt immortalem: nam cum eorum resurrectio a Deo in testimonium daretur resurrectionis Domini, oportuit eos ad immortalem, sicut Christum, resurgere vitam, ne alioqui minus congrua esset eorum testificatio. Fuerunt ergo alii, qui prius, quam Dominus in vitam immortalem resurrexerunt. Huic argumento succubuisse videtur magnus Pater Augustinus (*in Epistola ad Evodium*), convictus loco Pauli: et sequitur illum divus Thomas, dicens, resurrectionem Domini non potuisse causam esse exemplarem resurrectionis aliorum hominum, ut revera fuit, nisi ipse primus ante omnes ad vitam rediret immortalem, quod in universum exemplaris causa, aliqua duratione, saltem naturae, debeat effectum praecedere. Sentit ergo divus Thomas illud miraculum per anticipationem narrari ab Evangelista, quasi tempore passionis contigerit, quod revera contigit post resurrectionem. Divus autem Hieronymus prodigium illud putat a tempore passionis ante resurrectionem incepisse: tunc enim sepulcra fuerunt aperta; post resurrectionem vero fuisse omnino perfectum, et consummatum, quia tunc corpora surrexerunt. Forte conciliari non incongrue possent ambae sententiae, si diceremus, corpora quidem illa ante resurrectionem Domini resurrexisse mortalia, neque tamen postea fuisse iterum mortua, sed a Christo resurgente in participationem suae immortalitatis, atque gloriae transmutata. Sed quia variae sunt in hac re, et discrepantes sententiae,



accommodata nobis in hoc loco videtur subtilis quaedam expositio Chrysostomi (*serm. de Ascensione Dom.*) pro intelligentia Pauli. Advertit igitur, primitias Deo non offerri ex primis terrae fructibus: neque enim hi solent esse praecipui, immo et contra forte pessimi, sed offeruntur ex fructibus optimis, atque maturis. Ex vinea namque uvas acres, licet primae sint, in primitias offerri, minime consuevit: et hinc est, quod divus Clemens magistrum suum Petrum vocat primitias Apostolorum, non quod primus in Apostolatum fuerit vocatus (prior enim fuit Andreas), sed quia fuit inter omnes primatum tenens, atque excellentiam, et dum ab eodem Petro fuit ipse Clemens ordinatus, eiusque successor designatus, refert sibi haec verba dixisse: *Tu es primitiae earum gentium, quae per me salvae sunt.* Nonne primus ex gentibus Petri praedicatione conversus ad fidem Cornelius? Quomodo ergo cohaeret, quod Clemens sit primitiae conversionis gentium? Erat nempe primus dignitate, ac perfectione inter omnes, quasi fructus optimus, ac maturitate dulcissimus. Hac igitur ratione Paulus, dum Christum vocat primitias resurgentium, praesertim docet, eius resurrectionem reliquis eminere excellentia, ac dignitate: quod reliqui omnes aliena virtute, Christus sua potentia non aliunde mutuata resurrexerit, sitque fructus hic multo suavior ac dulcior. Reliqui ut immaturi putrescere potuerunt, iterumque mori, iuxta sententiam Patrum iam memoratam; Christus vero resurgens, numquam ultra mortuus est, sed vita fruitur immortali, ac gloriosa, in omnes aeternitates feliciter duratura.

Praeclara ad hoc institutum sunt verba David (*Psal. 101.*), quae Christi personam agens protulit: *Vigilavi sicut passer solitarius in tecto.* Videtur meditatus David mortem Christi, velut somnum fuisse, qui suum finem habet, et terminum, post quem potentiae omnes ad suas vitae actiones, quasi vivaciores resurgunt. Multo ergo magis Christus post mortem immortalitatis, et gloriae dotibus ornatus, quasi a somno surrexit; quod idem David de eodem Christo dixit (*Psal. 3*): *Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi, et Dominus suscepit me.* Primo dicit se dormiisse, et surrexisse. Quo sane significat, sicut is, qui dormit, in se principium habet insitum, a quo excitetur, nec altero indigeat exterius excitante; sic Christum interna sua propriaque virtute seipsum a somno mortis excitasse, a nullo exterius excitatum. Ammianus Marcellinus, vitam scribens Iuliani Imperatoris, refert eum ita somni fuisse veluti dominum, ut pro voluntate dormiret, et vigilaret quoties vellet. Quod an sit verum, novit Dominus. Fuit tamen verissimum in Christo, qui pro voluntate et somnum coepit mortis; *Potestatem habeo ponendi animam meam;* et quando iterum voluit, a mortis somno evigilavit ad vitam immortalem: *Et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Secundo addit, *Quia Dominus suscepit me.* Neque hoc prius dictis adversatur: quamvis enim negari non possit, Christum a Patre fuisse suscitatum: iuxta id, *Quem Deus suscitavit a mortuis;* quia tamen eadem vis, et potestas est Patris, et Verbi, quae intima erat Christo, verissime dicitur, Christum innata sibi internaque virtute, ac potestate a mortuis surrexisse. Immo et animam Christi, et corpus suum resurrectionis fuisse instrumenta, docet divus Thomas (3.p.q.54.ar.4.ad 3.): *Secundum virtutem,* inquit, *divinam, corpus, et anima se invicem resumpserunt.* Summopere autem advertendum est hoc loco illud verbum, *Suscepit me:* nam se patientem dixerat Christus, quasi aquam effusam, quam semel effusam, proiectamque in terram nemo sperat colligi posse, ac recuperari, *Sicut aqua effusus sum;* modo autem ait se a Domino servatum, ac susceptum, *Dominus autem suscepit me.* Quod olim videmus in Iona praefiguratum: *Praeparaverat Dominus piscem grandem, ut deglutiret Ionam.* Sciebat Deus Ionam a nautis in mare proiiciendum, ut submersus periret; sed ipse Dominus, quasi rete miserat, remediumque providerat, quo Ionam servaret illaesum, et a tanto periculo liberaret. Sic igitur Christum hostes inhumani in mare mortis proiecerunt, ut periret in aeternum. Sed *Dominus,* inquit, *suscepit me,* et a faucibus mortis in vitam gloriae suscitavit. Nec minus commode se Christus passerem vocat solitarium in hoc mysterio: *Vigilavi sicut passer solitarius.* Solus enim, et unicus ipse est, qui hac virtute gaudet se ipsum suscitandi. Contigit quidem non semel, ut vivens quis suscitaret alterum mortuum, ut Petrus Tabitham suscitavit; contigit etiam, ut unus mortuus alterum mortuum suscitaret, ut Elisaeus mortuum ad eius sepulcrum adductum ad vitam revocavit: quod vero aliquis mortuus seipsum suscitaverit, *a saeculo non est auditum;* Christus autem noster et vivens Lazarum mortuum suscitavit, et mortuos multos ad pristinum vitae gaudium redegit: *Et multa corpora sanctorum resurrexerunt.* Sed quod praecipuum est unum, et singulare, etiam ipse mortuus seipsum suscitavit, quod Magdalena mysterii quidem nescia, a Spiritu tamen sancto afflata dixisse videtur, dum Dominum hortulanum esse existimans in hunc modum eum allocuta est: *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi;* nempe si tu extraxisti e sepulcro, et sustulisti, dic mihi. Vere quidem ita factum erat, ipse enim Dominus suscitans seipsum sustulerat se a sepulcro. Quod meditatus fuisse videtur divus Augustinus (*serm. 133. de tempore*; alias secundo in die Parasceves) dum dicit: *Recte interrogat, si tu sustulisti eum, ipse enim tulit corpus suum, qui illud protulit de sepulcro; ipse tulit corpus, qui illud iacens, et dormiens sua aspiratione collegit; ipse tulit corpus suum, qui illud divinitatis virtute gestans, portavit ad coelos.* Haec omnia roborari praeclare videntur illustri quodam loco Hieremiae (*Thren. 4.*): *Sed et lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Quo primum significat ma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tribus quibusque ita a natura insitam esse filiorum curam, ut et lamiae quantumvis ferae, ac crudeles nudent mammam, quo filios lactent, ac nutriant; Populus autem meus erga me crudelis, et inhumanus exititit quasi struthio in deserto. Hector Pintus (*in adnotationibus in hunc locum*) advertit, Hebraea voce significari animal a Latinis dictum draconem, de quo tradit Isidorus (*lib. 8. c.* 13.), esse crudele ac venenosum, et serpentium maximum. Alii Plinium secuti, dicunt esse ferae genus quod in interiori Africa degit, quod vultu quasi mulieris, et uberibus magnis, ac pulchris blanditur, trahitque homines ad se: sicque deceptos in frustra discerpit, atque devorat. Alii striges mulieres maleficas significari putant, quae filios rapiunt alienos, eorumque sanguinem sugunt. Quidquid horum verum sit, praedictis verbis significatur, maiorem fuisse, saevioremque inhumanitatem illius Populi, quam draconum, et lamiarum. Quantumvis enim ferocissimi dracones, quantumvis lamiae ferae saevissimae, quantumvis striges crudeles, et inhumanae in filios alienos existant, nusquam auditum est, dracones, lamias, vel striges in filios suos saevisse, eosve occidisse, aut sanguinem eorum ebibisse: suo potius sanguine eos nutriunt in lac converso. Et subiungit Propheta: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Huius bestiae naturam depinxit Iob (*c.* 29.): *Derelinquit ova sua in terra, et oblivisoitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat: duratur ad filios suos, quasi non sint.* Deserit itaque ova sua humi, operitque terra, nec curat, quod conculcari possint, prorsusque frangi a transeuntibus. De quorum progressu usque ad pullorum procreationem agens Caelius Rhodiginus, dicit ea eminus ab struthione, ipso oculorum respectu radiisque foveri, donec pullos emittant. Verisimilius tamen est quod Albertus Magnus scribit, ardentibus solis radiis in terra primum foveri, eiusque calore, quasi materno, in vitam usque perfici, sicque vivos inde egredi pullos. Merito igitur Christus Dominus, duram erga se sui Populi inhumanitatem exaggerans, non solum draconis veneno comparat, et lamiae feritati, ac infestantium strigum immanitati, verum etiam struthionis crudelitati, qui ova sua in terram, quasi eorum prorsus oblitus, sepulta derelinquit. Non aliter quippe fera gens Christi Domini corpus in illo sepulcri antro detrusit, quam ut simul cum corpore eius etiam memoriam in se prorsus sepeliret. Sed Dei bonitate ac virtute contra res accidit. In illo enim sacratissimo corpore ab Spiritu sancto efformato latebat, quasi in ovo, croceus vitellus divinitatis, Deusque illud radiis suae virtutis ita fovit, ut redeunte in ipsum anima, illico novo quasi resumpto calore, in vitam rediexit immortalem; et sicut de filio struthionis dicit Iob, *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit; deridet equum, et ascensorem*; ita Christus illusit venatores, custodes scilicet qui circa sepulcrum expectabant; tamque celeri volatu se erexit, ut mulieres quantumvis mane diluculo venerint, et Petrus quantumcumque velociter accesserit, et cucurrerit, ipsum non invenerint. Unde Angelus dixit: *Surrexit; non est hic.*

Quae verba si altius perpendamus, praeclare nostrum stabiliunt intentum: multum enim interest inter hoc, quod est surgere, et hoc, quod est excitare, vel erigi. Reliqui certe mortui excitati erectique fuerunt a sepulcris, in quibus iacebant; Christus vero noster ipse seipsum erexit, ipse resurrexit a sepulcro, nempe virtutem habens intimam, qua seipsum excitaret, atque erigeret: *Surrexit; non est hic.* Enim vero cum in haec inciderimus verba, silentio praetereundum non est, quod circa ipsa occurrit, a nostro instituto minime alienum. Antiqua iam olim receptum invenio consuetudine, virorum illustrium, Heroumque sepulcra epitaphiis exornari, amplitudine, dignitatibusque eorum, quasi praeconibus, virtutum, atque facinorum quasi compendiis. Sic Plutarchus ad sepulcrum Alexandri refert positum emblema, Asiam, et Europam devicta, ac addita inscriptione, *Alexandi victoria.* Rex vero Cyrus hoc sibi in sepulcro inscribi iussit epitaphium, *Hic iacet Persarum debellator.* Themistoclis in monumento incisa fuerunt praecipua totius vitae facinora, superscriptis his verbis, *Memoranda facta Themistoclis.* De sepulcro Iosue Hebraei doctores testantur, in eo pro emblemate fuisse solis imaginem, hisce inscriptis: *Sol contra Gabaonem ne movearis*, in prodigii illius aeternam memoriam, quo solem velocissimo cursu properantem coercuit. Has tamen omnes inscriptiones longe superat sepulcri coelestis Regis epitaphium, ab Angelo inscriptum; *Surrexit; non est hic.* Mirabilis sane, ac inaudita inscriptio, et cum omnibus hucusque factis inscriptionibus quasi e diametro pugnans: cuiusvis enim quantumvis maximi Monarchae inscriptio dicere consuevit: Hic iacet Rex Alphonsus; Hic iacet Princeps Carolus, exempli gratia; in hoc tamen Christi sepulcro omnino diversam reperio inscriptionem, hic non iacet Iesus, *Surrexit; non est hic.* Appropinquante enim die tertia, Deus illi, quam impie Iudaei abstulerant, vitam restituit, eamque iam non mortalem, sed immortalem contulit. Quod ita fieri consonum valde fuit legi civili, atque canonicae, qua statuitur, ut spoliatus ante omnia sit restituendus, additurque in lege recompilationis Hispaniae, ut haec restitutio fiat tertia die. Cum ergo iniuste Christus Dominus fuerat vita spoliatus, Agnus quippe erat innocentissimus; ad personam Verbi divini, quae sacram illam humanitatem protegebat, pertinebat imperare, ut die tertia vita calumniose ablata ei restitueretur, eaque multo iam melioris conditionis, quam antea: vita enim mortali fuerat spoliatus, atque passibili; immortali tamen, et impassibili indutus, et in integrum restitutus gloriosus resurrexit, Angelo dicente: *Surrexit; non est hic.* Ut tamen mysterium in hoc epitaphio reconditum melius intelligamus, addamus



alterum super idem sepulcrum, quasi primi illius commentarium. Emblema igitur depingatur, phoenix avis, et inscriptio sit haec: *A me ipsa renascor*, hoc est, vim resurgendi mendicare minime indigeo ad fores alienas: habeo enim intra me innatam virtutem, qua renasci possim. Divus Ambrosius (*lib. de fide resur.*), et Lactantius Firmianus, de Phoenice, Christum adumbrante, docent Phoenicem hanc avem, dum morti se vicinam sentit, naturae instinctu ligna colligere ex arboribus maxime odoriferis, atque aromaticis, et in illis tanquam intra suum nidum alas quatere super struem lignorum, eoque concusso ligna accendi, ipsamque comburi, et ex cineribus ipsius oriri vermiculum, ex hoc vero ipsam in vitam renasci, ut merito dicere possit, *A me ipsa renascor.* Si igitur Christus noster, velut altera Phoenix in mundo singularis, iacens in sepulcro, circumdatus odoribus, conditusque aromatibus pretiosis (centum quippe librae myrrhae, et aloes emptae fuerunt ad sacrum corpus condiendum) alas omnipotentiae suae propria atque innata virtute quatiens, a morte in vitam renatus est immortalem: *A me ipso renascor.* Quod longe aspiciens sanctus Iob, personam Domini agens, prophetice dixit: *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies meos:* Translatio Graeca, ut Beda adnotavit (*in Iob* 29.) habet: *Sicut phoenix multiplicabo dies meos*, et sepeliar in nidulo sepulcri, quasi avis phoenix; inde tamen multiplicabo dies meos. Sed ut videas, quam apte Christus resurgens dicatur renasci, atque regenerari, memento ipsum per Matthaeum resurrectionem, regenerationem vocasse (*Matt.* 19.): *In regeneratione, cum sederit Filius Filius hominis:* et in Iob, ubi nostra Vulgata legit: *Expectabo, donec veniat immutatio mea*; idest, expecto diem resurrectionis meae. Symmachus legit: *Expecto, donec veniat nativitas mea*, nempe quia resurrectio est secunda nativitas. Et Petrus in Actis Apostolicis, de resurrectione Domini loquens, affert verba Psalmi secundi, quibus Pater Filium alloquitur resurgentem: *Ego hodie genui te.* Estque hic sensus contextui valde consonus: egerat enim Propheta sanctus de passione Domini: *Astiterunt Reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius:* post haec vero de resurrectione agit, dicitque: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* quasi dicat, hodie, Fili, te regeneravi. Et quia in die praesertim resurrectionis Christo in haereditatem datae sunt gentium nationes, quasi spolia, ac triumphus victoriae, continuo addit: *Et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Et si rem attentius consideremus, interpretationem hanc Petro dignam ratio ipsa confirmabit. Sicut enim granum frumenti primum in terram proiicitur, ibique moritur, atque sepelitur, postea vero in novum calamum, viridemque spicam renascitur, sic Christi corpus in terram, ac sepulcrum proiectum, mortuum, atque sepultum post triduum fuit renatum, forma, pulchritudineque mirabili praeditum, ita ut oculos, animosque omnium ad se cogeret. Immo si nativitatem primam Domini cum eius resurrectione velimus comparare, non pauca detegemus similitudinis argumenta: sicut enim in intactae matris visceribus delituit; ita in sepulcro novo, in quo nullus positus fuerat, sepultus fuit: et sicut in virginali thalamo anima fuit corpori unita; ita in sepulcro fuit reunita: et sicut ab utero matris exiit inviolato virgineo claustro; ita in resurrectione exiit ab utero sepulcri, irrupta petra, et inviolatis sigillis, quibus signatum erat monumentum. Quae omnia inveniemus apud Ambrosium (*ser.* 48.), ubi loquens de sepulcro Christi ait in haec verba: *Ubique beato corpori defertur sanctitas, ubique virginitatis purus illud venter concepit, novus tumulus includit: quin potius ipsam sepulturam uterum dixerim: est enim similitudo non parva. Sicut enim Dominus de matris utero vivus exivit, sic de sepultura vivus surrexit: nisi quod gloriosior ista urna illa nativitatis: illa enim corpus mortale, haec immortale dedit. Post illam nativitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad coelos.* Merito igitur Petrus resurrectionem vocat secundam nativitatem, cum sit tanta similitudo rationum. Immo ex communi, vulgarique usu loquendi possunt haec confirmari. Si quis enim filiolum videat in terram periculose cadentem, eumque postea omni vulnere, atque nocumento liberum perspiciat, gratulatur: o fili cordis mei, hodie mihi natus es, hodie incipio esse pater tuus; eodem modo Christum, qui in manus mortis tam gravi casu inciderat, videns Pater tertia die liberum omnino atque prorsus illaesum, gaudet, gratulaturque illi, dicens: *Ego hodie genui te*; Fili, hodie mihi videris nasci, cum in novam renasceris immortalitatem, et gloriam.

Tandem hoc idem arcanum, quod Christus se ipsum virtute sua a mortuis suscitaverit, invenio figuratum olim in Ioseph, praedictum a David, et in ipsa rerum natura singulari quodam admirandoque prodigio adumbratum. Figuratum in Ioseph video, de quo postquam in carcerem coniectus fuerat, inquit sacer textus (*Gen.* 39.): *Invenit gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius universos vinctos qui in custodia tenebantur, et quidquid fiebat, sub ipso erat. Nec noverat aliquid cunctis ei creditis:* ex quo carceris claves sanctum Ioseph habuisse colligi potest. Erat ergo vinctus spontaneus, et liber, ut quoties vellet, posset carcerem aperire, indeque evadere. Sic certe Christus, licet vinctus, ac traditus in mortis carcerem, atque sepulcrum fuerit, claves tamen habebat, ut exire posset, quando, et quomodo vellet, prout ipse testatur, dicens (*Apoc.* 1.): *Fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum, et habeo claves mortis, et inferni.* David vero hoc praedixerat (*Psal.* 87.): *Factus sum sine adiutorio inter mortuos liber.* Ubi advertendum, et praecipue observandum est verbum illud *sine adiutorio:* est enim ac si diceret, solus sum ego qui possum suscitare meip-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

sum absque alterius iuvamine, meaque virtute corpus meum a mortis servitute liberare. Et in signum, et confirmationem, quod esset Filius Dei, de corpore suo loquens, dixit (*Ioan.* 6. 2.): *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*; quasi diceret: si mors meum corpus invaserit, eique vitam abstulerit, facile ei ego ipse restituam, in vitamque excitabo illud. Prodigium vero naturae, quo veritas haec egregie et adumbratur, et confirmatur, invenio apud Photium in descriptionibus universi: dicit quippe, vas aureum plenum rore coeli optime clausum, atque opertum, quamvis in intimis terrae visceribus sepeliatur, virtute radiorum solis extra eiusdem terrae superficiem egredi: similisque alterius prodigii meminit Aristotelis commentator Averroes (*super* 3. *Meteor.*). Ita igitur praeclarum illud vas, omni auro Arabiae pretiosius, sacrosanctum Christi corpus intelligo, coelesti rore divinitatis plenum (in ipso quippe omnis plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter, ut ait divus Paulus (*ad Col.* 2.), quamvis sepultum fuit, et inclusum in visceribus sepulcri, magnoque valde lapide opertum, *Advolvit* (inquit) *saxum ad ostium monumenti*, ibi tamen detineri non potuit. Vis enim, atque virtus radiorum solis iustitiae, qui hypostatice sacro illi corpori erat unitus, ipsum vivum supra terrae faciem extulit, atque excitavit gloriosum, ut testatus est Angelus praecitatis verbis: *Surrexit, non est hic.* Tandem in eandem fidei veritatem confluunt omnes Ecclesiae Patres. Et ex multis primus sit Athanasius (*libro de Incarn. Verbi*), ubi sic ait: *Revixit per suam* (*quae in ipso erat*) *vitam*: et inferius addit: *Quomodo Dominus ex toto se esse demonstrasset, nisi id quod mortale erat, vivificasset?* et divus Leo Magnus (*lib. de resurrec.*) egregie dicit: *Deitas, quae ab utraque substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate coniunxit.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA QUARTA

*Multis sacrarum litterarum testimoniis pulchre explicatis, resurrectio Christi Domini illustratur.*

Etsi plurima sint Scripturarum loca, quibus in hac homiliarum serie ad Christi Domini gloriosam resurrectionem explicandam utor; quia tamen pleraque eorum peculiaribus diversorum institutis adaptantur, placuit, illis consulto omissis, alia nova illustria, et a paucis ad hoc institutum excogitata in medium producere. Horum primus sit Titulus, qui in Scriptura sacra, et ab eiusdem interpretibus praefigitur Psalmo 15. incipienti, *Conserva me Domine.* Ad cuius intelligentiam praenotarim cum Lyrano, et communi expositorum, Psalmum istum ad litteram, non de David, sed de Christo loqui. Quod ex eo facile probatur, quod in hoc sensu sic illum explicavit divus Petrus, ut refert sanctus Lucas (*Act.* 2.). Divus Hieronymus refert ex Symmacho, et Aquila, Psalmum istum immaculato Davidi inscriptum esse; immaculatus vero David solus Christus dicitur, qui speculum sine macula est, ut ait Ecclesiasticus: quippe qui nec originalis, nec actualis peccati macula infici ullo modo potuit. Hoc praenotato, titulus istius Psalmi iuxta nostram vulgatam lectionem ita habet, *Tituli inscriptio, ipsi David;* Graecus textus legit, *Humilis, et simplicis David.* Recte proculdubio, ut denotet viam, qua sibi Christus gloriam suae resurrectionis paraverat, mansuetudinem fuisse, et humilitatem, iuxta illud a se dictum (*Matt.* 11.): *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Eusebius vertit, *Inscriptio est stylographiae ipsi David:* sicut enim olim praeclara victorum facinora in columnis insculpta, et delineata relinquebantur (cuius plurima Romae inspeximus exempla), ita huiusmodi Psalmus instar columnae fuit a Davide erectus, ut in ea clarissimam resurrectionis Christi victoriam depictam, et ad vivum expressam aeternitati commendaret. Non absimilis est huic Glossae interlinearis lectio, quam et Rufinus sequitur: *In arcu triumphali ipsi David*; alludens plane ad Romanorum consuetudinem, victoribus arcus triumphales consecrantium, in quibus variis exercituum, et bellorum figuris insignes eorum victorias minutim describebant. Et huic satis etiam consonat interpretatio Danielis Patriarchae Aquileiensis, referentis haec verba ex Nicephoro: *Praesens Psalmus appositus est Christo mortis victori, et diaboli destructori, tamquam columna ad perpetuae gloriae monumentum.* Habetur allatae expositionis fundamentum in Paraphrasi Chaldaica, hunc titulum Psalmo praefigenti, *Sculptura recta David*, quo denotat, in eo sculptas, et incisas esse Christi filii David praeclaras victorias. Hinc recte Theodoretus (*in hunc Psal.*): *Columnae rescriptio propter mortem, victoriam etiam demonstrat: columna non sepulcris solis imponitur, verum etiam viventibus erigitur, quae scripta habet, quae inscientes victoriam docent.* Doctissimus Folengius Mantuanus iuxta Graecos quosdam codices transfert, *Statua, seu insignia David*; plane Romanorum, aliarumque Italiae Rerum publicarum innuens morem, aeneas statuas victoribus patriae benefactoribus erigendi ad eorum praeclara gesta, et gloriam illustrem immortalitati consecranda. Iacobus de Valentia vertit, *Promissio haereditatis, et dominii promissi ipsi David*: in resurrectione namque impletae sunt promissiones a Deo factae, de Christo in possessionem gloriae suae introducendo, eidemque universali omnium gentium dominio exhibendo (*Psal.* 2.): *Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Pagninus (*in psal.* 15.) ex Hebraeo aliter praedictum titulum legit, *Insigne aureolum ipsi David*; quasi diceret; Christum in sua resurrectione immortalis gloriae corona exornandum; cui translatio Septuaginta Interpretum satis consonat, usi



enim sunt dictione quadam, quae idem valet, ac *margarita*; aut (ut aliis placet, et notavit ad eum locum Iansenius) *corona*, vel *diadema.* Utrumque vero coniungendo dicere possumus, significasse, Christi Domini in victoriae suae palmam capiti imponendam fulgentissimam coronam, margaritis aliisque gemmis intextam, iuxta illud eiusdem David: *Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso.*

Ad hoc etiam Christi resurrectionis argumentum elucidandum magis notari singulariter potest titulus Psalmi 21. ad litteram de Christi passione, et resurrectione loquentis, iuxta communem Interpretum sententiam, ita quidem, ut Theodorus quidam hanc communem veritatem negans, contendensque litteram illius Psalmi de solo David exponere (ut Nicolaus de Lyra refert) in Concilio quodam Toletano damnatus sit. Titulus ergo illius Psalmi in nostra Vulgata sic praefigitur, *In fine pro susceptione matutina;* Graecus Interpres vertit, *Victori pro cerva matutina.* Multumque consonant versiones istae fonti Hebraeo, dicenti: *Victori super cervam aurorae Canticum David.* Divus Athanasius, referente Daniele Aquileiense Patriarcha, his verbis hunc titulum exprimit: *Matutinam susceptionem intelligit Dominicae resurrectionis tempus, surrexit enim valde mane, scilicet una sabbatorum, viam humanae naturae ad immortalitatem patefaciens.* Idem tradit divus Hieronymus his verbis: *Matutina assumptio resurrectionis Dominicae significat sacramentum.* Dignum etiam est animadversione verbum illud, *susceptio*: eo enim denotatur, quod quando Christi inimici iudicabant ipsum in praecipitium abiecisse, turpem, et crudelem mortem eidem inferendo, tunc a Patre aeterno in manibus susceptus Christus est, iuxta illam, quam ad Patrem in Cruce emiserat petitionem: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et quoniam hoc matutino tempore contigit, ideo, *pro susceptione matutina* dixit. Item quia finis, ad quem mortis Christi ignominia devenit, fuit gloria resurrectionis, ideo Psalmi quidam de eadem verba facientes, dicunt in titulo, *in fine, vel in finem.* At revera illud, *pro cerva matutina*, vel *pro cerva aurora*, peculiare quoddam mysterium occludit, quod proculdubio pandit Lyranus ad Psalmum vigesimumprimum, et est satis conforme iis, quae in Christi resurrectione contigerunt. Per cervam matutinam (inquit Lyranus) intelligitur humanitas Christi, quae tempore noctis seu in triduo suae mortis latuit, quasi in cubili, corpus in sepulcro, et anima in sanctorum limbo: sed in mane tertia die resurgens apparuit manifeste. Huic aliud adiungit mysterium Iacobus de Valentia, dicens: *Quemadmodum cerva lactis copia abundat, haudque minori cura, et sollicitudine in filiorum procreatione affecta est; ita Christus matris instar amore flagrantis, ac viscera misericordiae, suavitatis, dulcedinisque referta possidentis, ut primum resurrexit, statim procreationis, et educationis filiorum suorum anxius, pectus, et lac doctrinae ipsis impertitus est, quo illos in fide resurrectionis confirmarit.* Quibus et nos adiungere possumus duas cervi proprietates. Prima, referente Aristotele, est, si aliquando venatores cervum insequantur, fluviusque occurrat, proiicit se in aquam, et paulatim natans flumen transit, ad litusque appellit, ab infestatione venatorum immunis; ita Christus persequentium Iudaeorum agitatione gravatus, in aquas rapidissimi torrentis ipsius mortis se immisit, velut tamen callentissimus natatoriae artis, tertia die ad litus floridae resurrectionis liber, et illaesus appulit, eius venatoribus vana sua spe omnino frustratis permanentibus. Rursus, sicut etiam cervus, teste S. Isidoro, Plinio, et Aristotele, eo est in serpentem inimico affectu, ut non solum ipsum quasi rabie excandens mordeat, sed etiam dentibus terat, deglutiat, et voret; ita Christus haud secus atque miraculosus et divinus cervus, ea fuit in tabificum mortis serpentem inimicitia, ut non solum ipsum momorderit, sed etiam deglutierit: *Deglutiens* (ut inquit Petrus) *mortem.* Sed quia mors intra Christum neutiquam manere poterat, factum est, ut quemadmodum qui cibum sumit, ipsum in propriam substantiam convertit, indeque cibus eo pervenit, ut qualitatibus comedentis afficiatur; eodem modo Christus mortem vorans, ipsa mors in vitam conversa permansit: siquidem Christus, ut ipsemet fatetur (*Ioan.* 14.), ipsissima vita est: *Ego sum via, veritas, et vita.* Vita quidem non quomodocumque, sed iuxta divinam in ipso latentem naturam plane divina; iuxta humanam vero nostram immortalis quidem, et gloriosa, qualem in resurrectione adeptus est.

Selectissimus etiam est huic instituto locus ille (*Psal.* 108.): *Sicut umbra cum declinat, ablatus sum, et excussus sum sicut locusta.* His etsi brevibus verbis David mortis, et resurrectionis Christi mysteria attingit; ad eorum tamen perspicuum captum suppono, iuxta philosophicam scholam, umbram a sole ortum ducere ex interpositione media alicuius corporis opaci; illa vero eo longior est, quo sol in nostro hemisphaerio est minus elevatus, et ex opposito eo minor, quo sol magis elevatur; ita quidem, ut si sua elevatione sol ad eum punctum perveniret, ut perpendiculariter super corpus, quasi in eius, ut vocant, zenith esset, revera nulla ex tali corpore umbra causaretur, ut etiam experientia comprobatum refert Incognitus (*in comm. huius loci*,) dicens, in monte Sion columnam erectam esse tali positione, ut in ipso mundi medio sita sit, proindeque, quando in solstitio aestivali sole illustratur, nullam prorsus emittere umbram, sed eam omnem circumquaque clarissimis solaribus radiis splendescere. Utitur ergo Christus in praesenti hac similitudine, quia auctore divo Gregorio, per solem radiis suis terram ferientem persecutio denotatur: *Per solem*, ait, *in Scriptura persecutio designatur, sicut Dominus in Evangelio dicit, quod orta sine radicibus semina orto sole aruerunt.* Quo igitur magis iste ardentissimus persecutionis sol super Christum elevatus est, eo vitae

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christi umbra brevior effecta fuit, adeo ut paulatim corporis vires defecerint in Cruce morienti, ut ipse hoc loco fatetur: *Sicut umbra cum declinat, ablatus sum*: et mox nostro instituto satis concinne subdit: *Et excussus sum, sicut locusta*: quasi dicat, sed me ipsum liberavi saltibus instar locustae. Varios reperio Christum Dominum dedisse saltus in vitae suae curriculo; primum ex visceribus matris in terram; deinde in infantia a Nazareth in Ægyptum, Herodis persecutionem fugiendo; rursus in iuventute sua Iudaeorum insidias declinando trans Iordanem, et quia audierunt illum dicere antiquiorem se Abrahamo, cum illum propterea lapidare voluissent, quasi saliens in alium locum se abdidit, Ioanne dicente (*Ioan.* 8.): *Iesus autem abscondit se, et exivit de templo*: et postquam ultimo inito consilio decreverunt illum occidere, Caipha dicente (*Ioann.* 11.): *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo*, secessit in civitatem Ephrem: *Abiit in regionem iuxta desertum in civitatem, quae dicitur Ephrem.* Deinde in Cruce appensus saliit secundum corpus quidem in sepulcrum, secundum animam vero in Limbum, ut tradit symbolum Nicaenum. Ac tandem tertia die triumphantis resurrectionis extremum, et longiorem emisit saltum, a statu lugubri mortis ad immortalem, et gloriosam vitam propria virtute se transferens, ut egregie dixit Magnus ille Gregorius (*lib.* 31. *Moral. c.* 19. *et* 20.) in haec verba: *Locustae nomine per comparationem Redemptoris nostri resurrectio designatur, unde et voce eius per Prophetam dicitur: Et excussus sum sicut locusta. Teneri enim se Christus usque ad mortem a persecutoribus pertulit; sed sicut locusta excussus est, quia ab eorum manibus saltu subitae resurrectionis evolavit.*

Extat in idem genus argumenti egregius alius locus ex Canticis (*c.* 7.): *Mandragorae dederunt odorem in portis nostris.* Philo in hunc locum per odorem mandragorae intelligi putat famam, et boni nominis odorem, quem Sancti nobis reliquerunt, dum ante iudicum tribunalia, quae olim in portis esse solebant, in fidei confessione constantes se exhibuerunt. Congrue autem vocat Martyres mandragoras, quia istarum radix mortui hominis figuram praesefert: unde proinde fuit, ac si diceret: tales ac tantae suaveolentiae Martyrum opera fuisse, ut post humata iam corpora, et in cinerem conversa pretiosissimum odorem exhalarent: erant enim Martyres in manu Dei, velut purpureae rosae in modum fasciculi colligatae: *Quia*, ut dixit Abigail (1. *Reg.* 25.), *in fasciculum viventium.* Ad quod procul dubio allusisse videntur Hebraei, ut nonnulli eorum commemorant Rabbini, qui super sepulcra hanc inscriptionem exarare consueverunt, *Colligat te Dominus in fasciculum viventium.*

Si ergo Sancti post mortem huiusmodi sanctitatis odorem, ac fragrantiam emittebant, quam putabimus Sanctum Sanctorum, ac totius sanctitatis perennem fontem emisisse? Sane odorem emisit non solum aeternae famae, sed immortalis gloriae, ut non obscure indicant verba Isaiae (*Isai.* 25.): qui postquam dixerat: *Ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix in terra viventium*, mox subiungit: *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Ubi observanda est tacita illa, et involuta illatio Prophetae. Alludens enim ad mandragorae odorem, ex eo quidem, quod Iesus sit radix, infert, futurum esse, ut sepulcrum eius sit gloriosum: nam sicut suavitas odoris mandragorae ortum habet ex radice humata, imaginem mortui hominis exprimente, ita ex morte Christi iam sepulti, tamquam ex radice, et potissima causa meritoria resurrectionis, gloria erupit, et exaltatio nominis illius pullulavit, ut disertis verbis testatur divus Paulus (*ad Phil.* 2.), dicens: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Atque hanc odoris suavitatem animae sanctae subodorantes, ad Christum Dominum properant, dicentes (*Cant.* 1.): *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Verum haec omnia explicata loca longe ille Davidicus locus antecellit (*Psal.* 27.): *Et refloruit caro mea.* Pro cuius loci intelligentia praemitto, Christum Dominum in nativitate floruisse (*Isai.* 11.): *Et flos de radice eius ascendit*; in morte emarcuisse (*Nau.* 1.): *Flos Libani elanguit*; in resurrectione autem refloruisse: *Et refloruit caro mea.* Ad quod non obscure allusisse videtur Angelus, dum in die resurrectionis dixit: *Iesum quaeritis Nazarenus; surrexit, non est hic.* Ait enim Hieronymus, Nazaraeum idem esse, quod floridum: unde perinde fuit, ac si dixisset Angelus: si Iesum floridum in horti sepulcro quaeritis, iam inde flos avulsus est: quin immo et tempus ipsum, quo Christus Dominus resurrexit, hoc idem stabilit: nam sicut arbores hyberno tempore algent, et pristinam pulchritudinem, ac venustatem amittunt, floribusque, et fructibus, et plerumque foliis etiam destituuntur, ac tandem velut emortuae omnium oculis apparent; postmodum tamen, quia revera vitalis virtus eis inerat, vitaeque principium, et origo in eis remanserat, tempore veris appropinquante repullulantes, et reflorescentes, grata folia, odoriferos flores, et suavissimos fructus producunt, pristinamque elegantiam, et pulchritudinem recuperant; non dissimiliter fructifera illa arbor (Christum Dominum intelligo) *secus decursus aquarum*, (hoc est tribulationum), plantata, ut praedixerat David; tametsi gelidae mortis tempore clavorum cuspidibus perforata emarcuerit, tamen quia in corpore eius mortuo principium, et radix vitae delitescebat, Verbum videlicet divinum, vitae auctor, et dator, ideo florido resurrectionis vere appropinquante repullulavit, refloruit, ac fructum immortalitatis, et gloriae protulit, ut vaticinatus fuerat David, dicens (*Psal.* 1.): *Quod fructum suum dabit in tempore suo.* Ubi observatione dignum arbitror, quam apte sanctus Propheta tempus resurrectionis vocaverit suum, inquiens: *In*



*tempore suo*: id enim dixit, conferens tempus mortis Christi cum tempore resurrectionis eiusdem: illud namque tempus fuit inimicorum, Christo ipso id attestante (*Luc.* 22): *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Tunc enim Iudaei hanc arborem radicitus e terra evellere totis viribus curarunt, ut deinceps amplius florescere non posset (*Hier.* 11.): *Eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius.* Tamen hoc solum nocumentum ei inferre potuerunt, ut arborem abscinderent, non evellerent: *Abscissus est*, ait Isaias (*c.* 53.), *de terra viventium.* Morte enim velut Parca forfice sua subtilem vitae telam intersecante animam a corpore diviserunt; quia tamen radicem vitae non evulserunt, quippe qui arctissimum unionis hypostaticae nodum dissolvere non valebant, mox ut tertia dies illucere coepit, caro Christi refloruit. Atque huc mirifice faciunt verba divi Bernardi, dum versans verba illa: *Flores apparuerunt in terra nostra*, ait: *Quaeris, quando hoc fuit? quando putas, nisi cum refloruit caro Christi in resurrectione? hic primus et maximus flos, qui apparuit in terra nostra. Nam primitiae dormientium Christus, ipse inquam flos campi et lilium convallium: putabatur enim filius Ioseph a Nazareth, quod interpretatur flos; is ergo apparuit primus, sed non solus: nam et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, pariter surrexerunt, qui veluti quidam lucidissimi flores simul apparuerunt in terra nostra.* Eundem etiam Davidis locum, *Et refloruit caro mea*, non parum illustrari autumo ex illo alio eiusdem Prophetae: *Iustus ut palma florebit*, hoc est Christus, qui iustus est per antonomasiam, et excellentiam, resurget. Unde Tertullianus (*lib. de fide resurr.*) adnotat, verbum, quod in Hebraeo significat palmam, significare etiam phoenicem; et ideo ubi nostra Vulgata legit: *Iustus ut palma florebit*, ipse vertit: *Iustus ut phoenix florebit.* Quod absque dubio praecipuum ni fallor fundamentum habetur apud Plinium asserentem, certum palmae genus reperiri, quae unica existens in sua specie, ut iam senio confecta iuvenescat, germen emittit, per quod deposita vetustate omnino instauratur. Unde fit, quod cum phoenix in hoc singulari renascendi more palmae illi persimilis sit, ideo verbum idem, quod in Hebraeo significat palmam, simul etiam phoenicem avem consignificat. Cum ergo David ait, *Iustus ut phoenix florebit*, perinde fuit, ac si diceret: sicut phoenix, licet moriatur, non moritur, ut pereat, sed ut mox renovetur, et vegetior prodeat; ita Christus licet vere mortuus fuerit, tamen quia mors illi dominatura non erat, non obiit, ut periret, sed ut tertia die denuo instauraretur, et pulchrior, ac venustior, quam antea, reflloresceret. Dvus Ambrosius (*hom.* 3. *in die S. Pentec.*) hanc reflloritionis metaphoram contemplans eleganter dixit: *Conveniens erat, ut flos pretiosior in hortulo gigneretur. Christi enim resurrectio cunctorum est redemptio populorum; ergo in hortulo Salvator revivum corpus assumit, et inter florentes arbores, et candentia lilia iam mortua reflorescit, et ita germinat de sepulcro, ut germinantia, et nitentia cuncta reperiat. Sic enim post hyemalis rigoris frigidam quodammodo sepulturam pullulare elementa omnia festinarunt, ut resurgente Domino, et ipsa consurgerent. Nam utique ex resurrectione Christi aer salubrior est, sol candidior, terra foecundior; ex eo surculus in fruticem, herba crescit in segetem, vinea pubescit in palmitem. Si igitur cum reflorescit Christi caro, omnia floribus vestiuntur, necesse est, ut cum idem fructum affert, etiam universa fructificent, sicut ait idem Dominus: Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: cum autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Refloruit igitur Dominus, cum resurrexi te tumulo; fructificat, cum ascendit ad coelum.* Verum et multo ante ascensionem videtur mihi maturos reddidisse fructus, siquidem a puncto resurrectionis coepit eos producere, ut aperte indicant verba Ezechielis (*Ezec.* 19.): *Plantabo super montem excelsum, et eminentem, in monte sublimi Israel plantabo illud, et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam, et habitabunt omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit.* Mons iste, cuius meminit Propheta, mons est Calvariae, ubi Christus Dominus ex Crucis patibulo suspensus fuit, ut septuaginta Interpretes exposuere: nam ubi Vulgata nostra legit, *In monte sublimi plantabo illum*, ipsi vertunt: *In monte sublimi suspendam illum.* Hanc igitur arborem in terra montis Calvariae plantatam, testatur Isaias, resurrectionis tempore fore, ut reflloresceret, et copiosum ferret fructum: *Erumpet tin germen, et faciet fructum*: fructum quidem gloriae, claram scilicet Dei visionem, latroni, et Patribus in sinu Abrahae existentibus magnifice donans: et subdit (quod satis utique completum cernimus) *sub ea universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## HOMILIA QUINTA.

*Nervosae rationes adducuntur, urgentissimaque argumenta, multiplici eruditione illustrata, ad comprobandam, et suadendam Christi Domini resurrectionem, in illa verba: Praebuit seipsum vivum in multis argumentis.*

Inter ceteras nostrae fidei veritates, Christi Domini resurrectio gentibus difficilissima semper fuit, quae crederetur, Iudaeis vero fabula, et figmentum visa est. Unde B. Hieronymus testatur, quamvis Pythagoras, Socrates, et Plato, animae immortalitatem cognoverint, corporum tamen resurrectionem sibi minime persuasisse, immo et stultitiam existimasse, ut constat ex Actis Apostolorum. Cum enim Paulus apud Agrippam Regem, et Proconsulem Festum de hoc ageret, responsum accepit: *Insanis Paule, multae te litterae ad insaniam convertunt*: et (*Actorum 17.*), cum Athenis de resurrectionis mysterio sermonem haberet: *Seminator* (dixerunt) *verborum, annunciator novorum daemoniorum*. Tam a veritate alienam corporum resurrectionem existimabant, ut illius auctorem solum daemonem extitisse constanter asseverarent. Immo cum sanctae illae feminae nunciassent Apostolis, resurrexisse Christum; *Putabant*, ait Lucas (*c. 1v.*), *esse deliramenta, quae dicebantur*. Eoque constantius infideles mendacium sibi hoc suadebant, quia irrefragabile axioma illud credebant: *A privatione ad habitum non est regressus*. Cum ergo mors privatio sit vitae, impossibile autumabant, posse resurrectione ad vitam defuncta hominum cadavera revocari. Verum quamvis illius axiomatis doctrina comperta sit, certum tamen est, in causis tantum naturalibus locum habere. Si tamen divinam omnipotentiam inspiciamus, nullo firmo fundamento inniti potest: omnia enim Deus sua omnipotentia metitur, et placito. In hunc eundem errorem lapsi sunt Sadducaei, qui inter Hebraeos, ut inter Christianos, haeretici extiterunt: hos arguit Christus in Evangelio, falsamque eorum sententiam esse comprobavit, dicens (*Matt. 22.*): *De resurrectione mortuorum nunquam legistis, quia dictum est a Deo: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob: non est Deus mortuorum, sed vivorum?* Quo testimonio usus est Dominus, non quia efficacius esset ceteris (multa enim alia clariora proferre potuisset, ut illud Iob: *Credo quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum ego ipse, et non alius, et rursum circumdabor pelle mea*: et illud Davidicum (*Psal. 40.*): *Numquid, qui dormit, non adiiciet, ut resurgat*; et iterum (*Psal. 138.*): *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam*); sed quia Sadducaei libris Moysis plenam adhibebant fidem, atque adeo, ut argumentum urgeret, ex irrefragabilis Scripturae testimonio ab eis admisso desumptum fuit, ne daretur negationi locus. Perspicuum igitur est, difficillime resurrectionis veritatem hominibus persuasam, atque ideo multa afferuntur argumenta, ut credatur, ut ex Actis Apostolorum constat cum dicitur: *Quibus praebuit se ipsum vivum post passionem in multis argumentis per dies quadraginta*. Verum ut rem propositam assequamur, expendamus, quae docuerit Dominus, de quo S. Lucas scribit: *Incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae erant de ipso*. Quod unum quia inter praecipua argumenta, quibus Dominus suam resurrectionem dubitantibus Apostolis patefecit, principem locum tenet (probavit enim omnia in se ipso completa, quae Prophetae divino afflati Spiritu de ipso fuerant vaticinati) placet breviter divinae Scripturae loca percurrere, quae ad rem nostram faciunt. Atque in primis si de conceptione Virginis Matris agitur, apud Isaiam habetur: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium*: si de nativitate in Bethlehem: *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum*: si de fuga in Ægyptum, ab eaque regressu: *Ex Aegypto vocavi filium meum*: si de Magorum adoratione: *Reges Tharsis, et insulae munera offerent: Reges Arabum, et Saba dona adducent*: si de Christi in templo praesentatione: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*: si de baptismate: *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit*: si de victoria: *Super aspidem, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem*: si de praedicationis facundia, et lepore: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum*: si de legis iustitia, et sanctitate: *Lex Domini immaculata, convertens animas*: si de parabolico dicendi more: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio*: si de abstinentia, et ieiunio: *Operui in ieiunio animam meam*: si de paupertate: *Ego autem mendicus sum, et pauper, Dominus solicitus est mei*: si de prodigiis sola voce patratis: *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interioribus eorum*: si de zelo, quo negotiatores e templo eiecit: *Zelus domus tuae comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*: si de inimicorum dilectione: *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam*: si de Scribarum et Pharisaeorum persecutione: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli*: si de ingressu in Hierusalem, et applaudentibus pueris: *O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini*: si de infantilibus clamoribus suis laudibus acclamantibus: *Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, et ultorem*: si de Iudae proditione: *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*: si de venditione: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*: si de dignitate, a qua deturbatus est Iudas: *Et Episcopatum eius accipiat alter*: si de Eucharistiae institutione: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*: si de Herodis, Pilati, et Iudaeorum adversus Christum consilio: *Adstiterunt reges, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius*: si de Apostolorum fuga: *Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi*: si de falsis testibus contra Dominum advocatis: *Surgentes testes iniqui, quae ignorabant, interrogabant me*: si de flagellis: *Congregata sunt super me flagella, et ignoravi*: si de felle, et aceto: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto*: si de silentio, cum iniuriis lacesseretur: *Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones*: si de clavis manuum et pedum: *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt ossa mea*: si de sorte super vestem imposita: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*: si de agonia in Cruce: *Deus Deus meus quare me dereliquisti?* si de contemptu, quo illudebatur: *Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum*: si de anima Patri commendata: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*: si de mortis opprobrio, qua mortuus fuit: *Morte turpissima condemnemus eum*: si de reportato mortis in Cruce triumpho: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno*: si de morte iam victa: *Praecipitavit mortem in sempiternum*: si de sepulcro: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, et umbra mortis*; si de sepulcri gloria et splendore: *Et erit sepulcrum eius gloriosum*: si de corporis incorruptione: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: si de animarum liberatione a limbo: *Eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua*: si de corporis resurrectione: *Ego dormivi, et soporatus sum, et resurrexi*: si de potestate, quae supra caelum, et terram tributa ei fuit: *Et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum*. Cum perspicuum itaque sit, vaticinia omnia Prophetarum in Christo ad litteram adimpleta, quis ambiget de veritate hac, quae ad resurrectionem pertinet: praesertim cum Christi etiam inimici hoc fassi sint? Inimicorum autem testimonium irrefragabile est, cum veritate coacti loquantur. Egesippus testatur Pilatum Tiberio Caesari litteris Christi resurrectionem nunciasse his verbis: *Crucifixerunt igitur illum, et sepulcro, quo conditus erat, custodes adhibuerunt, inter quos etiam ex meis militibus erant, qui tertio die illum a mortuis resurgentem viderunt*. Addit etiam Matthaeus ipsos sepulcri custodes Christi resurrectionis praecones fuisse, eamque per universam civitatem annunciasse: *Ecce*, inquit, *quidam de custodibus venerunt in civitatem, et annunciaverunt Principibus Sacerdotum omnia, quae facta fuerant*. Certum tamen est, Sacerdotum principes enixe operam adhibuisse, ut Christi resurrectio celaretur, milites pecunia corrumpentes, ut dicerent, dormientibus ipsis, Discipulos Christum mortuum sustulisse: *Congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus*. In quae verba Chrysostomus (*ho. 61. in Matth.*) haec habet: *Quomodo enim discipuli furati essent ipsum, homines pauperes, et rudes, qui neque in hominum conspectum prodire audebant? An non erat signaculum appositum? An non tam multi custodes, et milites, et Iudaei? An non isti suspectum hoc ipsum habebant, et vigilabant, atque satagebant?* Augustinus (*ibid.*) addit: *Si dormiebant custodes unde scire potuerunt, quis illum sustulerit de sepulcro? o mali, o pessimi: aut vigilabatis, et custodire debuistis; aut dormiebatis, et quid sit factum, nescitis. Impletum est enim, quod Spiritus sanctus per Psalmistam multo ante praedixerat: Cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire*. Nos etiam addere possumus, nunquam fures crumena relicta nummos ibi inclusos auferre, sed simul omnia incunctanter capere, pecuniam, et crumenam, ne vel aliquantulum immorentur. Si ergo discipuli Christi corpus abstulissent, nequaquam sudarium, in quo revolutum erat, reliquissent; quod in sepulcro absque corpore inventum testatur Lucas: *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, et procumbens vidit linteamina sola, et abiit secum mirans, quod factum fuerat*: ad quod confirmandum mirum in modum conferunt verba Chrysostomi, quae non pigebit apponere: *Nec enim*, inquit, *si qui corpus abstulissent, illa reliquissent, neque si furati essent, sudarium involvere, et ponere in unum locum curassent, sed ut erat corpus abstulissent. Propterea praedixit Ioannes cum multa myrrha fuisse sepultum. Myrrha non minus, quam pix corpori linteamina conglutinat, ut cum audieris ea in sepulcro relicta, furto abreptum non arbitreris. Non enim fur adeo stultus fuisset, ut superflua re tantum laborasset: etenim diutius in ea immorandum erat, et deprehendi potuissent*. Sedulius etiam non longe ab hoc abest, cum inquit:

*Improbe custos*
*Responde scelerata cohors si Christus, ut audes*
*Dicere, concluso furtim productus ab antro.*
*Sopitos latuit, cuius iacet intus amictus.*
*Cuius ad exuvias sedet Angelus: ante beati*
*Corporis ablator velocius esse putavit*
*Solvere contectum, quam devectare ligatum?*

Verum, quia de Christi linteo sermo incidit, silentio nequeo praeterire, curnam Lazarus linteo obvolutus e sepulcro prodierit: *Ligatus*, inquit Evangelium (*Ioan. 15.*), *pedes, et manus institis, et facies illius sudario erat ligata*; Christus autem omni solutus vin-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

culo, et linteamine liber surrexit. Rationem crediderim, quia Lazarus iterum erat vinculis, et mortis carcere detrudendus: et ideo mortis signa gestat; at Christus immortalis resurrexit, dicente Apostolo (*Rom.* 5.): *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Ergo sicut qui e carcere prodit, manibus, pedibusque ligatis, morte vel alio supplicio restat mulctandus; qui vero immunis a supplicio, solutus abire permittitur: sic, quia Lazarus erat iterum moriturus, laqueis obvolutus, Christus vero, qui resurrexerat immortalis, omnibus vinculis liber sepulcro egreditur. Aliud autem argumentum, quo utitur ad hoc probandum D. Thomas, illud est, quia sicut turpissima Christus fuerat morte punitus, plenamque pro criminibus nostris ab eo aeternus Pater vindictam desumpserat, congruum profecto erat, ut aequivalens ei rependeretur praemium, et ad immortalem vitam gloriosamque evocaretur. Divina quippe iustitia non in multis et suppliciis tantum, sed in rependendis etiam praemiis iustissima est. Huic nititur fundamento Apostoli argumentum (*ad Phi.* 2.): *Factus obediens etc. propter quod et Deus exaltavit illum*, etc. Divus etiam Athanasius (*de inc. Ver.*) fatetur victori Christo iuxta iustitiae leges nihil aliud deesse morte iam devicta, nisi ut mortis spolia reportans ad vitam resurgeret gloriosam. Petrus autem Apostolus divinam intuens iustitiam: *Impossibile*, inquit, *erat detineri illum ab eo*, id est a diro mortis hoste. Neque enim sepulcrum aptus erat locus, in quo tantus Christi corporis thesaurus reconderetur. Multa sunt quae extra proprium locum detineri nequaquam possunt: ignis cum intra subterraneos terrae sinus delitescit, totis erumpens viribus, muros, turres, integrasque urbes evertit: aer ibidem inclusus terrae motu terribili ascendens montes invertit: quod non aliunde oritur, nisi quia extra naturalem detinentur sphaeram, quam ut petant, tot prodigia patrant. Cum igitur empyrei caeli sedes Christo Domino, tanquam proprius locus, debeatur (erat enim divinus homo testante Apostolo (1. *Cor.* 15.): *Secundus homo de caelo caelestis*), compertum est non potuisse in terreno sepulcro diutius immorari, sed mortis confractis vinculis prosilire. Tandem Christus etiam alio usus est argumento, ut suam ipsius resurrectionem discipulis dubitantibus persuaderet, cum per omnes sensus percurrit. Sensu auditus cum solito vocis sonu, *Pax vobis.* Verum quia ancipites adhuc non credebant, phantasmaque sibi conspicere videbantur: *conturbati vero, et conterriti existimabant se spiritum videre*, Christus, visus sensu utitur, dicens: *Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum.* Sensu etiam tactus uti voluit ut hanc veritatem quasi manibus contrectarent, addens: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum dixisset, ostendit eis manus, et pedes.* Sed persistentibus nihilominus in sua incredulitate discipulis: *Adhuc autem*, inquit Evangelista, *illis non credentibus*, gustus sensum adhibet: *Habetis hic aliquid quod manducetur? at illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis; et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* Validum fuit, et efficax valde hoc vitae indicium, et irrefragabile argumentum: etenim vita functi non comedunt, sed comeduntur a vermibus, devorantur a terra. Deficere hic tandem odoratus videtur: verum neque hic meo iudicio defuit. Quod ut probemus, sciendum gloriosa corpora miro odore fragrare: ut etiam dixit insignis Hispaniarum praedicator sanctus Vincentius Ferrerius, cum Christus, teste Ioanne, *Insufflavit, et dixit, accipite Spiritum sanctum;* propria respiratione suavissimum communicavit odorem. Itaque sicut (id referente D. Thoma) cum cetus famescit, suavem adeo emittit odorem, ut ab illo pisces attracti, tam prope accedant, ut illos devorare possit, et fami suae plene satisfacere: sic Christus odoris fragrantia discipulos attraxit suos, ut illos spiritaliter secum incorporans vivificaret. Atque hinc colligo, Christum sensuum argumentis ita suam ipsius resurrectionem incredulis persuasisse discipulis, ut Thomas etiam pertinacia dimissa constanter crediderit, et iussa exequens Domini dicentis, *Infer digitum tuum huc, et affer manum tuam, et mitte in latus meum*, responderit: *Dominus meus, et Deus meus.* Tandem Ioannes Apostolus suo, et reliquorum nomine testatus est: *Quod vidimus, et audivimus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, hoc annunciamus, et testamur vobis.* Sed dicet quispiam, Angelos etiam persaepe humana corpora assumpsisse, et cum hominibus conversatos; immo et comedisse, ut videre est in Angelis ab Abraham hospitio receptis, et eo, qui comitatus fuit Tobiam; qui tamen veri homines videbantur, cum revera non essent; sic quis dicet phantasticum fuisse, non verum Christi corpus. Plene difficultati huic satisfactum credere possemus, rationem divi Thomae sectantes, qui inquit: *Licet singula argumentorum non sufficerent ad manifestandam perfecte Christi resurrectionem, tamen omnia simul accepta perfecte resurrectionem manifestant: maxime propter scripturas testimonium, et Angelorum, et etiam ipsius Christi assertionem miraculis confirmatam.* Verum praeter haec dicamus, quod ubi verum corpus non est, ibi vera comestio non intercedit, sed apparens tantum, ut Tobiae significavit Angelus dicens: *Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare, et bibere, sed ego cibo invisibili utor.* Verum in Christo fuit vera comestio: etenim, ut dixit Augustinus: *Non potestas, sed egestas corporibus resurgentium aufertur.* Quod tamen mihi plenius satisfacit, illud est, latum intercesse discrimen inter haec duo, et quod veritas aliqua evidenti ratione in se ipsa comprobetur, et quod credibilis sit, evidenter convincatur. Argumenta igitur, quae Christus congessit ab usu sensuum mutuata ad resurrectionem comprobandam, duplicem poterant finem respicere. Primus est, ut evidentem resurrectionis cognitionem discipulorum pectoribus infunderet, et hanc non mathematicam, sed moralem, quae secum fidei obscuritatem, et aenigmaticam cognitionem compatitur; ut hanc habuere discipuli: etenim nulla certiora vitae signa ostendi potuisset, quam quae ostendit Christus. Secundus est, ut Christus suam resurrectionem evidenter credibilem persuaderet, quam Theologi evidentiam credibilitatis dicunt, qua posita, insanum esset non credere: et ideo incredulos discipulos in Emaus insaniae ipse arguit: *O stulti, et tardi corde ad credendum.* Sed ut magis argumenti vis eluceat, quo usus est Christus ex sensibus, dicant Hebraei, mortuus est ne vere, an phantastice tantum Iesus? certe pro comperto habent, vere vita defunctum: eadem ergo certitudine comperta eiusdem resurrectio apud ipsos esse deberet: nullum enim certius verae mortis signum experti in Christo fuerunt, quam sensuum defectum: ergo eorundem usus evidens resurrectionis signum esse deberet apud ipsos. Sicut enim in morte sensus, ceteraeque vitales operationes defecerunt, et in frigido corpore arteriae etiam immotae quievere; sic in resurrectione vitae operationes exercuit, ambulavit, comedit, conversatus est, et sensibus omnibus usus fuit. Qui ergo tot, ac tam urgentibus resurrectionis Christi argumentis non convincitur, obstinatae mentis morbo manifeste laborat: Cui solus Deus mederi potest, qui vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA SEXTA.

### *De victoria, quam Christus Dominus in triumphante eius resurrectione tulit de triplici hoste, Daemone, Morte, et Inferno.*

Regius Propheta David Christi Domini triumphum vatidico spiritu intuens, non victorem, sed victoriae auctorem, maluit illum nuncupare: in Psalmo enim octavo, in quo de Christi palma ad litteram loquitur, exponente id Paulo (*ad Hebraeos cap.* 5.), ut verba ipsa Psalmi praeseferunt, *Gloria, et honore coronasti eum*, Vulgata legitur editione in psalmi titulo, *Pro torcularibus:* respexit quidem ad illud Prophetae: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Sicut enim ex expressis uvis vinum elicitur, sic Christus, universis eius venis reseratis, in crucis torculari expressus proprium sanguinem elicuit. Aquila, et Theodoretus, *victoriae auctori*, transtulere. Verba autem, *in finem*, quae septuaginta Interpretes apposuerunt, mirum in modum rei nostrae aptari possunt. Qui enim ad finem usque praelii cum hostibus dimicans, eosque fugans, illaesus evadit, non modicis est laudibus efferendus. Tam extitit insignis Christi triumphus, ut de eo dixerit Apostolus (*Coloss.* 2.): *Expolians principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, vel ut alii vertunt, *in semetipsis.* In cuius loci versu animadvertendum, ubi nostra vulgata legimus, *traduxit*, Graecus interpres transtulit *exemplavit;* ac si diceret, hostes non solum devicit, sed palam multis cumulavit opprobriis, eosque in signum, et exemplum constituit, ut qui in Christum conspirarint, inde addiscant retrocedere, divinam ultionem exhorrescentes.

Memini apud Solium legisse, quod etiam Poliybius vidisse testatur, in Africa plurima a leonibus hominum millia enecta; multisque adhibitis in hac re remediis, sed incassum, hoc tandem adinvenere. Captum leonem patibulo suspenderunt, ceterisque leonibus exposuere, qui suspensi leonis morte deterriti aufugerunt; sic Christus suismet clavis ferocem leonem Luciferum (hac enim voce eum exprobravit Petrus: *Adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret*), cruci affixit, ut videntes ceteri daemones sui principis ignominiam, vires, animosque deperderent. Sed ne alicui minus gloriosa, quam par est, Christi victoria videatur, eo quod in cruce suspensus obierit; advertat, quamvis per modicum temporis in agone deciderit; casus tamen ille non dedecoris indicium, sed singularis stratagematis argumentum extitit. Athleta enim nequaquam diiudicandus inglorius, si cum hoste pugnans una cum hoste concidens victo adversario invictus exurgat. Christus igitur cum athleta daemone dimicans, quem nullus unquam hominum vincere potuisset, iuxta Iob sententiam, *Non est potestas super terram, quae comparetur ei*, illum gloriosissime devicit: et quamvis dum luctaretur cum eo, in unum concidit, sed adversario ad pedes, et sub se prostrato, quia non virium hebetudine, aut virtutis defectu, sed industria deciderat, invictus illico assurrexit: *Tertia die resurrexit a mortuis.* Sed praeter hoc etiam maximum intercedit inter casum utriusque discrimen: Christus enim per trium tantum dierum spatia in sepulcro cecidit; daemon per totam saeculorum aeternitatem ad inferos relegatus fuit. Hinc est, quamvis nonnulli cum Basilio affirment, vocem hanc, *Diabolus*, Graecam esse, quae *criminatorem* denotet: et quamvis Glossa (*ca. firm. de sum. Trinit.*), et D. Thomas (*2. par. cap.* 5.) dicant, vocem *hanc ex dia*, quod est duo, et *bolus*, quod buccellam significat, esse compositam, quia daemon duas tantum buccellas appetit, animam scilicet rationalem, et corpus. Sanctus tamen Isidorus (*lib. etym.*) vocem esse hebraeam autumat, significantem eum qui per infima loca incedit. Mirum in modum hoc daemoni competit, non eo solum, quod ad vilia infimaque hominum animos impellat, sed etiam, quod ad inferiora, et abiectissima inferorum loca fuerit deturbatus. Istud Christi praelium cum Lucifero pugnantis, draco cum elephante dimicans adamussim exprimit. Docet Plinius calidissimae naturae draconem esse, atque adeo mira siti impulsum elephantem quaeritare, qui sanguinis est frigidissimi, ut eo sitim extinguat. Unde cum eum arbori adnixum comperit (sic enim dormire consuevit) sanguinem ab eius venis sugit. Tunc exanguis



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

elephans instantem mortem praesentiens in terram decidens sui corporis pondere draconem comprimit, sicque moriens victoriam reportat de dracone. Lucifer in sacro eloquio draconis nomine nuncupatur ( *Psal.* 103. ) : *Draco iste, quem formasti ad illudendum*: et illud (*Apoc.*12.):*Michael praeliabatur cum dracone.* Hic adeo ignitae naturae est, ut Iordanem fluvium potare audeat : *Absorbet* ( ait Iob ) *fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Non cupit solum daemon peccatores, qui suarum passionum fluctibus deferuntur, absorbere, verum etiam iustos ipsos Iordane expressos, quo Deus mira prodigia perpetravit. Draco igitur iste infernalis Christi sanguinem sitiens, qui crucis arbori innitebatur, Hebraeorum manibus, et ore sanguinem suxit, in ipsum tamen dicens, divinitatis pondere in eum irruens compressit ( *Psal.* 37. ): *Tu confregisti capita draconis.* Porro expertus daemon suarum virium imbecillitatem, mortem in sui praesidium, et opem advocavit,dicens ( *Isai.* 50 ): *Stemus simul, quis est adversarius meus ?* Advenit vocata a daemone mors, quae pungenti aculeo Christum feriit : sed instar apis, quae in vivam carnem saeviens, succumbit, vivam Christi carnem, in qua divinitas vigebat, feriens, deperiit. Mirifice rem hanc exprimit, quod Geminianus narrat de silvestri tauro. Hic colores mirum in modum abhorret. Venator versus ipsum viridi, aut purpureo colore incedit. Hunc taurus mira ferocitate impetere tentat: tunc ille post arborem effugiens, taurum frustratur, qui cornua in arborem inferens, cum inde ea educere nequaquam possit, a venatore confoditur : sicque furor ipse, quo in inimicum efferbuit, hostis manibus eum tradit. Hoc Christo accidit, qui cum purpureo humanitatis habitu cruci affixus esset, irruens in eum mors silvestris taurus, cornua in crucis arborem intulit : cum victricem se iactaret, victa succubuit, eiusque cornua Christus Dominus detulit. Quod praedixerat Abacuch : *cornua in manibus eius:* eique tanquam devicto tauro sibilat, ac illudit Apostolus, obiiciens illi : *Ubi est mors stimulus tuus, ubi est mors victoria tua?* ac si diceret : defuerunt tuarum virium aculei, sub me morieris : *O mors tua, morsus tuus ero Inferne.* Exponamus,si placet, haec verba : mirifice enim conferunt ad rem nostram. Ait primo : *O mors ero mors tua.* Isaias haec habet : *Vae qui praedaris, nonne praedaberis?* quasi dicat, qui praedatur, aliquando cogetur restituere, quod depraedatus est. Multa hominum corpora mors fuerat depraedata, sed restituere coegit Deus, et aperire loculos : *Monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum surrexerunt.* Accidit morti id, quod latro experitur, qui parvi momenti res rapiens, cum magnum aliquid sustulerit, omnia in patibulo suspensus exolvit. Rapuerat mors hominum parvi momenti vitas, vita enim eorum (*Iacob.* 4.): *Vapor est ad modicum parens ;* sed Christum rapiens, cuius vita infinitae erat virtutis ac valoris, cum furtum illud crimen laesae maiestatis esset, statim mors morte damnatur: *O mors ero mors tua:* continuoque restituere coacta est : *Et monumenta aperta sunt.* Sicut enim, qui multa comederat, si quidpiam, quod stomachus respuit, deglutiat, quae prius comederat, evomit; sic mors cum multa hominum corpora deglutisset, haec una corporis Christi buccella tantam ei intulit inquietudinem, ut multa evomere cogeretur, Evangelista dicente: *Et multa corpora Sanctorum resurrexerunt.* Non incongrue aptarem hic quae de Hercule effinxit Antiquitas. Is cum dimicaret cum Antaeo terrae filio, nec vincere posset, quia cum prostratus terram tangeret, pia parens gremio suo illum excipiens ad vitam iterum, atque iterum revocabat: hoc cum comperisset Alcides, brachiis suspensum in altum sustulit, ne deinceps a terra foveretur. Sic mors terrae filia terrenis hominibus dimicans coerceri, ac vinci non poterat, quia parens terra vires praestabat ; verum Christus homo de caelo caelestis, ut dixit Paulus, ut eam devinceret, e terra elevavit, ac inter Dei hominis brachia eam constituens, eisdem brachiis, quamvis clavis confossis, enecavit, implens, quod praedixerat : *O mors ero mors tua.*

Hoc idem egregie exprimit, quod rerum naturalium Historici de colubro *enhydros* vocato commemorant. Hunc crocodilus innato quodam odio insectatur; enhydros vero cum illum pascentem comperit, sub herbis se abscondens, os intrat illius, et ventrem, et viscera dirumpit : quod facillimum est, quia mollia sunt, ut docet Plinius; et sic mortuo crocodilo, illaesus egrediens eius victor evadit. Quis absorptum enhydrum cernens non illum victum, victoremque crocodilum indicaret? At e contra sese res habuit : succubuit crocodilus, superavit illum enhydros. Sic sane mors devoravit Christum, sed ipse mortis viscera discerpens, mortem interfecit, et post tres dies mortis victoriam annuncians e sepulcro gloriosus erupit. Olim ante victoriam non alius felicior locus erat post mortis naufragium, quam limbus sanctorum Patrum ; at post mortem Christi, morte iter panditur ad vitam, et vitam aeternam empyreo caelo perfruendam. Terribilis fuerat occisus a Samsone leo, sed eo mortuo in ore eius mellis favum invenit. Ferocissimus leo fuerat mors, sed a mystico Sansone devicta dulcis mellis favos iusti experiuntur. Eusebius Emyssenus ( *ho.* 6. *Pasc.* ) paucis haec omnia perstringens ait : *Mortis iniquitas, quae tanquam hominem vincere gaudebat, expavit subito praedam suam ; et in suo regno, a suo, ut putabat, debitore constricta est, a suo condemnata rea, a suo subiugata est captivo : ideo suis laqueis illigata, et irretita perditio, dum deciperet, sublata est, dum interficeret, extincta est, dum devoraret, absumpta est.* Quod si quis petat, quonam pacto a Christo mortem interfectam dicamus, cum adhuc in suo robore persistens, universos interimat : *Omnes morimur, et quasi aqua dilabimur.* Respondendum cum Apostolo, omnes iustos resurrecturos, nunquam morituros, et tunc mortis tyrannidem cessaturam : *Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria tua.* Et quia universalis illa corporum resurrectio ad Christi exemplar ex suae passionis meritis fiet, ideo vere dicimus eius morte mortem nostram fuisse devictam, quae ante Christi mortem fuerat immortalis. Unde Lyranus explicans praedicta verba : *O mors ero mors tua,* etc. haec habet : *Hoc dicitur in persona Christi, qui mortem destruxit inchoative in sua resurrectione, et in fine mundi destruet consummative.* Ad idem alludit Pagnini versio, qui transfert : *Ero pestis tua o mors, excidium tuum inferne.* Subdit tandem Oseas : *Morsus tuus ero inferne.* Dupliciter verba haec licet exponere. Primo, quod morsus passive sumatur, ita ut Christus ab inferno morsus fuerit, et iuxta hanc intelligentiam sensus erit, quod infernus futurum erat, ut in visceribus suis contineret Christum, limbus animam, et sepulcrum corpus. Verum quia calor non suppetebat eis ad digerendum tantum cibum, non potentes eum retinere, coacti sunt quasi statim illum restituere, iuxta quod dixit Petrus : *Impossibile erat detineri illum.* Accidisse inferno crediderim, quod in rusticis experimur: hi cum rusticis, vilibusque cibis stomachum assuetum habeant, si nobile quidpiam cibi absumant, stomachum insolita agitatum inquietudine sentiunt, nec continere se possunt, donec insolitum illud, quod absumpserant, evomant. Inferni, et sepulcrorum ora mortalibus peccatorum corporibus, et animabus vescebantur, aptique erant eorum faucibus cibi ; sed cum innocentem Christi Domini animam, sanctumque corpus absorbuissent,indigestum post tres dies tradiderunt, quod in Iona illaeso prodeunte e ceti ventre fuerat praesignatum. Secundo exponi Oseae verba possunt, si vox, *morsus,* sumatur active, ita ut Christus Dominus inferos mordens mors inferni dicatur, sumpta metaphora a morsu materiali : etenim sicut qui prae manibus pomum habet, id quod in eo sanum est, comedit, quod putridum, respuit ; sic Christus putridam reproborum partem respuens, dulci sanctorum Patrum buccella se cibavit ; et ideo praedixit, *Morsus tuus ero inferne.* Annuit hoc interlinearis Glossa, dicens : *Morsus tuus ero inferne dixit, meos electos educendo, reprobos ibi relinquendo.* Cum igitur tantis fuerit Christi victoria cohonestata triumphis ; recte morti, inferno, et lucifero tenebrarum Principi licuit, illudens eos, obiicere : ubinam virtus tua, o mors? quonam abiit robur tuum, o Lucifer? ubinam captivi? quis te mundi tuis expoliavit Idolis? quonam pacto o lex Moysis excidisti? disparuere ritus tui, evanuere caeremoniae, sacerdotium redactum ad nihilum, frustrati estis o satrapae vestris consultationibus, reseratum est monumentum, o Pharisaei, cui, ut munirent, custodes adhibuistis. Haec omnia cassa facta sunt : resurgens enim Christus Dominus mortem devicit, de daemone triumphavit, inferna deterruit, idola confregit, scriptam legem in evangelicam commutavit, hostes exprobravit sepulcri custodes, Angelum misit, qui signaculum auferens, victoriae suae praeco esset, dicens. *Iesum quem quaeritis Nazarenum ; surrexit, non est hic.*



## HOMILIA SEPTIMA.

*Sub congrua satis solis, et stellarum metaphora, de Christi Domini resurrectione, et eorum, qui cum illo surrexerunt, concinne disseritur.*

Aptissimum est resurgenti Christo solis nomen: etenim praeterquam, ut dixit Isidorus, planeta hic sol nuncupatur, quasi solus, quia unicus est: quod Christo etiam congruit, quia unicus propria virtute surrexit; si diligentius inspiciamus, in sole velut in imagine expressas quodammodo nostri Salvatoris gloriae dotes licebit intueri. Claritas eius omnibus comperta est: ipse enim est fons, et origo omnium claritatis : velocitas apparet, cum paucis horis tam longam percurrat viam, ut nostrum hoc, aliudque etiam hemisphaerium perlustret: impassibilitatem haud difficile erit invenire : etenim peregrinis non subiacet impressionibus, et cum tot spatia conficiat, nec senescit, nec defatigatur: tandem nec deest illi subtilitas, cum suorum acumine radiorum terrae viscera penetret, ibique aurum, argentum, ceterosque pretiosissimos lapides generet. Cum ergo hoc ita sit, aptissimum est Christo solis, Phoebique coruscantis nomen, cuius corpus his omnibus dotibus decoratum fuit. Sicut autem ad caeli decorem mirum in modum conferunt sol, luna, lucifer, ceteraque duodecim signa Zodiaci, sic etiam in supernaturali ordine, ad suae Ecclesiae caelum decorandum, iustitiae solem Christum, Mariam lunam, Luciferum Baptistam, ceterosque duodecim creavit Apostolos ; et sicut inter caelestia haec duodecim signa unum est pessimum, ut docent Astrologi, quod Scorpionem vocant, sic inter spiritualia signa unicus extitit perfidus, et proditor Iudas: et sicut in firmamento motum admittunt trepidationis, ut Ptolemaeus, et Alphagranus docent; sic militantis Ecclesiae caelo motus hic fuit, cum non invenientes in sepulcro Christi corpus Discipuli, trepidatione commoti sunt: *Sed et multi ex nostris terruerunt nos:* tantusque hic tremor fuit, ut ex altissimo spei caelo in profundissimam diffidentiae abyssum ceciderint, ut fassi sunt discipuli, Christum alloquentes: *Nos autem sperabamus,* etc. Adeoque in sua incredulitate sistebant, ut Christi resurrectionem muliebre somnium indicarent : *Visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista.* Et sicut in caelo errantia videmus sidera, quae modo circa solem feruntur directo motu, modo ab eo longe recedunt motu retrogrado: sic sacrae illae Mariae, veluti sidera errantia, modo sepulcrum recto gressu petebant, mox inde retrogrado motu redeuntes, in Hierusalem redibant,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicentes: *Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus.* Verum quid mirum, si Christum inter mortuos non inveniebant, cum ille ad immortalem, gloriosamque vitam iam resurrexerat? Ibant Christum peruncturae. sed aeternus Pater resurrectionis gloriae oleo eum perungens, illas praevenerat: *Propterea unxit te Deus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Et sicut (ut ab incoepta metaphora non recedamus) luna nullo trepidationis motu agitur, sic B. Virgo per lunam expressa, sole filio in cruce obumbrato, doloris eclypsi obnubilata, semper immota permansit; nec modicum de filii resurrectione trepidavit, sed constanti fide, firma spe, ignita charitate munita, divinae voluntatis placita admirabatur, et venerabatur: et sicut sol primi mobilis motu ad occidens ab oriente circumfertur; sic Christus divinae voluntatis motu raptus, quae erat primum mobile, a vitae ortu usque ad mortis occasum, ubi inclinato capite declinavit, mira celeritate Patrum hemisphaerium perlustravit. Solem quem intuemur, quamvis velocissimus sit, compertum tamen est Iesue iubente a motu cessasse, et tempore Ezechiae decem lineas retrogressum fuisse; verum Christus nequaquam a motu cessavit, nec per modicum spatium retroactus est: *Ego autem non contradico, retrorsum non abii:* numquam moventi Patris restitit voluntati, sed clavis venas suas incidi cupiebat, ut statutam a Patre crucis mortem obiret. Unde cum in civitatibus illum apud se demorari deprecabantur, renuebat, dicens (*Luc.* 4.): *Quia aliis civitatibus oportet me evangelizare:* immo et post resurrectionem etiam id ostendit: etenim inclinata iam die cum discipuli eius rogassent, *mane nobiscum Domine, finxit se longius ire.* Quod si iter tunc non arripuit, veluti coactus id effecit: *Et coegerunt illum;* immo cum apud eos manere decrevisset, manifestationem sui non distulit post coenam, sed in mensa recumbens, antequam quidquam comederet, se illis ostendit in ipsa panis fractione: *Et cognoverunt eum in fractione panis;* vel quia manibus, tanquam cultro frangeret, (ut placet Lyrano); vel quia benedictionem praemittebat, ut consueverat, alias cum illis conveniens, (ut placet Vatablo); vel quia panem frangens, manusque detegens, vulnerum cicatrices conspexerunt; vel tandem, quia fractum panem (sacram synaxim intelligo) omnibus communicavit: est enim Scripturae usitatus sermo, ut communionem panis fractionem nuncupet: *Et erant perseverantes in fractione panis.* Patravit Christus, quod diligenti congruit mercatori: hic nunquam immotus, a nundinis ad nundinas progreditur; nunc orientales, nunc occidentales perlustrat plagas; sic Christus, divinus animarum mercator, qui electorum margaritas in Ecclesiae nundinis quaeritabat, de civitate in civitatem gradiebatur, e convivio in convivium ibat, etiam peccatorum: *Multi publicani, et peccatores discumbebant cum Iesu*, ut eos lucrifaceret, et a Patre sibi datam augeret haereditatem. Vidensque totum hoc ex eo pendere, ut animam in cruce exhalaret (*Isa.* 53.): *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longaevum*, crucem alacriter petit, in qua et lucrum eius, et nostra omnium sita erat salus. Insinuavit hoc David, cum dixit (*Psal.* 16.): *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo caelo egressio eius.* Tabernaculum hoc Christi est humanitas; ubi Verbum aeternum commoratur: *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Huic tabernaculo insidens velociter, sicut sol in sua quadriga, percurrit. Daemon autem Christo hanc tantam velocitatem invidens, eum a cursu detinere posse falso sibi promittens, tabernaculi huius rotas clavis confixit, pedes, manusque in crucis ligno eas affigens; sed efficere nequaquam potuit, ut ab incoepto desisteret itinere: immo sicut qui iter peragit, si equi pedes, ut frequenter assolet, clavis lacerentur; vel si curru vehitur, et rota eius confringatur, inde insiliens ulterius progreditur; ita Christus pedibus, manibusque in cruce confixis, susceptum iter non dereliquit, sed maxima velocitate, anima e corporis curru discedente, in sinum Abrahae ad Sanctos illos visendos properavit, qui, ut docet Augustinus (*ep.* 57. *ad Dori.*) clare Dei essentiam statim intuiti sunt, atque adeo limbum in caelum, inferos in paradisum, carcerem in regias domus convertit, indeque iustitiae sol locis illis perlustratis ad nostrum iterum ascendit hemisphaerium. Unde sicuti fabulantur Poetae, solem nitido illi Phaetontis currui insidentem loca nostra percurrere; non dissimiliter Christus lucida illa suae humanitatis quadriga tamquam triumphali curru, qui quatuor illis gloriosis dotibus, velut rotis, impassibilitate, subtilitate, agilitate, claritate evehitur, nostrum visitavit hemisphaerium. Et quamvis in primo suo adventu, in quo pauperrimus adventabat, a creaturis dona susceperit, *Obtulerunt* enim ei Magi Reges *aurum, thus et myrrham;* in secundo tamen adventu plenis manibus munera elargitur, Patribus limbi in anima essentialem gloriam impertiens, et quibusdam in corpore etiam: nam dicente Evangelista, *Et multa corpora Sanctorum surrexerunt*, ad immortalem vitam resurrexisse tradunt Hieron. (*de assum.*), Clem. Alex. (*libr.* 6. *hist.*), Iustin. Martyr (*qu.* 85.), D. Thom. (*in Matth. cap.* 27.), Epiph. (*haer.* 75.), et quamplures alii. Voluit Dei Filius primo adveniens nostri fieri simillimus, ut dixit Apostolus (*ad Hebr.* 12.): *Debuit per omnia fratribus assimilari;* verum in secundo adventu nos sibi voluit fieri simillimos, ita ut si ipse anima pariter, et corpore caelos ascendit, velit et nos pariter animae, et corporis gloria indutos ascendere. Et sicut solem siderum ingens comitatur copia, quae solis radiis coruscant; sic ascendente Christo, maximus eum comitatur electorum numerus, quos suae gloriae radiis perfundebat, animam, et corpus glorificans, ut in eorum resurrectione, velut in authentica, et fideli copia originalis, resurrectionis Christi veritas clare eluceret. Similes sane sanctos hos patres venerandis illis senibus diiudicarim, regiis coronatis sertis, palmasque in victoriae signa gestantibus,



quos Ioannes in Apocalypsi vidisse testatur, qui ad Agni pedes procidentes, depositis coronis, eas ab illo recepisse fatebantur. Dominus Gregorius, Aretas, et Andreas Caesariensis existimant, adorationem, et confessionem hanc illam horum sanctorum Patrum praesignasse, qui cum Christo resurgentes resurrectionis gloriam Christi meritis tribuebant. Itaque sicut mos apud Romanos inoleverat, ut victores coronas Iovi dicarent, qui iuvans pater interpretatur, ut significarent se Iovis ope, et iuvamine vicisse; sic sacri hi Patres, depositis coronis, Christum venerantur, suae victoriae auctorem profitentes; qui iure optimo iuvans pater appellari debet, cum adiutorium suum nemini deneget. Sed notanda sunt sequentia Apostoli Ioannis verba (*Apoc.* 4.): *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis, et sardinis: et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinae.* Plin. (*lib.* 13. *capit.* 8.), D. Hieron. (*in Isai. cap.* 94.), Epiph. (*lib.* 17. *de lapid.*), Isid. (*libro eth. cap.* 7) aiunt, iaspidem viridissimum esse, simillimumque smaragdo, qui, ut Plinius testatur, oculis gratissimus est: *Nullius quippe* (ait) *coloris aspectus iucundior est illo:* et rationem esse crediderim, quia lapis illa de extremis albo nigroque colore aequaliter participat, mediusque est inter illos. Christus Dominus in primo adventu viridi venerat amictus habitu, duo nempe extrema copulans, candorem scilicet regiae suae naturae, *Candor est lucis aeternae*, et naturae nostrae obscuritatem; medius inde prodiit Christus Deus, et homo, Dei hominumque mediator, qui felici suo adventu nostrae salutis spem certissimam viridi colore praesignatam nobis praebuit. Verum quia in discipulorum cordibus spes haec viva tepescere caeperat: *Nos autem sperabamus*, ac si iam visa dilatione desperassent, ideoque ut iterum revivisceret, eadem indutus veste, sed immortali, et gloriosa apparuit, firmiorem adhuc spem nobis praebens, quod *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Firma de eo erat in Pauli pectore spes haec, ut iam sibi in caelestis gloriae throno sedere videretur: *Qui consuscitavit, et consedere nos fecit in caelestibus in Christo Iesu.* Nonne Paule in lacrymarum valle vitam degis? in spumantibus saeculi undis naufragans, simulantium amicorum insidias sustinens, ad tribunal quasi reus duceris? ter virgis caesus, seme lapidatus es? quonam igitur pacto caelestis gloriae consortem, et divino throno insidentem te dicis? Adeo certus erat de sua gloria Paulus, tam firma erat spes, qua ad caelestem gloriam anhelabat, ut de ea tamquam possessa iam loqueretur: et ideo non dixit, qui consedere nos faciet, *sed consedere nos fecit.* Addit praeterea Ioannes iridem, seu arcum Christum circumdantem, quem constat serenitatis symbolum esse, et tranquillitatis indicium. Antea imber, ignis, turbines, ac tempestates Deum cingebant: *Ignis in circuitu eius, tempestas valida;* nunc autem iride cingitur, pacis nuncia, qua reconciliationis, et remissionis spem portendit. Cum etiam Ioannes eodem loco ait, vultum sardini similem, qui coloris est ignei, ut docent Epiphanius, et Plinius, ardentem Christi charitatem significat, cuius etsi primo adventu in carne mortali degens, manifestissima indicia dederit, nunc etiam gloriosus alia exhibere non cessat, clausis ianuis domum eorum ingrediens: solis virtutem in eo etiam superans, quod ille clausis ianuis, nisi rimulae pateant, ingredi non potest; at Christi virtus, et corporis eius subtilitas, obseratis etiam portis, domum penetrat, ut sui luminis radios in omnes diffundat. Diffudit certe illos copiose adeo in discipulos, ut eorum incredulitatem in firmissimam fidem converterit, Thoma omnium incredulissimo dicente: *Dominus meus, et Deus meus.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA OCTAVA.

### *Quod beatissima Virgo prima fuerit cui Christus Dominus post resurrectionem gloriosus apparuerit, ac de singulari laetitia, quam tunc percepit.*

Adeo plana sunt Marci Evangelistae verba, quibus testari videtur, Magdalenae primum omnium post resurrectionem apparuisse Dominum: *Apparuit*, inquit (*Mar. ult.*) *primo Magdalenae, de qua eiecerat septem daemonia;* ut antequam propositum aggrediar argumentum, congruum, immo et necessarium huic difficultati occurrere mihi videatur. Divus Anselmus (*de exc. Virg.*) existimat, ex iis, de quibus poterat dubitari, cuinam primo Christus apparuerit, Magdalenam fuisse, cui primo visus fuerit, et de ea loqui Evangelium. Verum de beata Virgine, quia Mater erat, dubitari minime poterat, superfluumque Evangelistae fuisset de hoc agere: hominibus enim intellectu praeditis loquebatur, alioquin audituris: *Adhuc et vos sine intellectu estis?* Rupertus putat ex testibus praeordinatis a Deo ad Christi resurrectionem contestandam, primam omnium Magdalenam extitisse; verum inter testes omni exceptione maiores Mater non connumeratur, ut constat ex lege, videamus. ff. de in leg. Iul admitt. ubi cautum est, matrem pro filio numquam posse testimonium perhibere. Additque Rupertus (*super hunc locum*) rem tanto viro dignam: quod licet de hoc non meminerint Evangelistae, sufficiens inde contra nostram assertionem non desumatur argumentum: alioquin dicendum consequenter esset, numquam Matri apparuisse, quia nullus Evangelistarum hoc scripsit: *Quod si idcirco* (inquit Rupertus) *verum non videtur, quia nullus Evangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est, quod nunquam post resurrectionem suam visus sit Matri, quia, quando, vel ubi apparuerit illi, nullus eorum dixit.* Verum quamvis hac responsione difficultati factum videatur satis, aliam tamen in medium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

afferam, fonsitan non ingratam; eaque est, quod sicut filius maternam domum repetens, plagis Indicis perlustratis, si postea primo mane familiarem adierit suum, iure optimo diceremus, illum primo visitasse: quod enim matrem antea viderit, hoc visitasse non est, sed propriam domum ad habitandum intrasse. Hoc Christo accidit: quamvis enim primo viderit Matrem, primo tamen dicitur Magdalenam visitasse; et hoc est, quod Evangelista testatur: *Apparuit primo Magdalenae.* Nunc ergo, quia Evangelistae testimonio non impedimur, facili hoc nobis possumus negolio suadere. Primo, quia in libro Iudicum graphice praefiguratum hoc videtur: ibi enim sacrum testatur eloquium, Samsonem, cum in ore leonis dulcem mellis favum adinvenisset, primo matri impertiisse: *Veniensque ad matrem, dedit partem.* Sic fortissimus Samson Christus, cum primum favum mellis, sui nempe corporis gloriam, resurgens invenit, qualem a leonis mortis faucibus abstraxerat, (mors enim Dominum gloria coronavit, testante Apostolo (*ad Heb. 2.*): *Vidimus Iesum propter passionem suam gloria, et honore coronatum*), statim ante omnes alios gustandum illum praebuit Matri. Et quamvis apertis verbis hoc Evangelistae non testentur, clare tamen ex illorum verbis colligimus: Angelus enim dixit mulieribus, *surrexit, non est hic.* Videamus ubinam Dominus possit commorari. Non est cum mulieribus sepulcro astantibus: non est cum Magdalena, haec enim maximo animi ardore illum inquirit in horto; non est apud Petrum, neque Apostolos: hi enim post mulieres adiere sepulcrum Dominum inquisituri: ubinam igitur locorum erit, nisi apud Matrem? cui poterat Dominus Davidica verba proferre (*Psal. 36.*): *Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non proposuero te in principio laetitiae meae.* Angeli etiam mulieribus praeceperunt, ut Christi resurrectionem notam facerent, nec tamen dixerunt, *Ite, et dicite discipulis*, et Matri, sed *discipulis, et Petro*: noverant enim hoc non latere Matrem: ipsi enim primo Filius apparuerat. Immo antequam hoc mulieribus contingeret, existimo B. Virgini Christi resurrectionem revelatam fuisse; tum quia (ut refert B. Vincentius Ferrerius (in *paschat. serm.* 1.), D. Greg. Papae revelatum fuit, Angelum Gabrielem, qui ante Incarnationem venturum Deum Virgini nuntiarat illis verbis *Ave gratia plena*, post resurrectionem Virginem salutasse verbis illis, quae nunc canit Ecclesia: *Regina caeli laetare etc.* Tum quia cum collegisset beata Virgo (quod probabile crediderim, mos enim hic apud fideles erga Martyres illis temporibus inoleverat) guttas sacratissimi sanguinis, quas e cruce Christus effuderat, ex quibus forte super vestes etiam beatissimae Virginis ceciderant: adstabat enim cruci, *Stabat iuxta crucem Maria mater Iesu*) cum vidisset sanguinem in vestibus non apparere (docent enim omnes Theologi Christum Dominum in resurrectione effusum sanguinem reassumpsisse) plane Filii resurrectionem cognovit. Non desunt sanctorum Patrum testimonia ad rem nostram confirmandam. S. Ambrosius (*de Virgin.*) haec habet: *Vidit Maria resurrectionem Domini, et primo vidit, et credidit*: et S. Bern. (*ser. de resur.*): *Prima vidit Dominum in forma gloriosa, et non ad confirmationem dubii, sed ad consolationem gaudii: et unde et Evangelistae eam non recensent.* Rupertus: *Gestit christiana devotio perpendere, quantus torrens gaudii repente inundans animam eius ferro doloris confossam inebriarit, cum redivivus Filius illi ante omnes mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annunciarit.* Nicephorus Callis. (*lib. 1. His. Eccl. c.* 32.) primum quidem ait a Matre, et reliquis conspectus est mulieribus, deinde a dilectis Discipulis. Sedulius (*ho. de Christi apparit.*):

*Semper Virgo manens huius se visibus adstans*
*Luce palam Dominus prius obtulit, ut bona mater.*

Sancta etiam Birgitta refert dixisse Virginem: *Mihi apparuit Filius meus, priusquam aliis, quamvis hoc non sit scriptum.* Atque ad hoc denotandum primus post Pascha stationum dies fidelibus inducitur a Romana Ecclesia, quae caput est omnium Ecclesiarum, in templo divae Mariae, quae dicitur Maior. Tandem S. Antoninus: *Creditur*, inquit, *licet in Evangelio non habetur, quod ante omnes primo apparuit Mariae matri suae, ut quae plus omnibus doluit, citius et magis consolaretur, et quia plus haec meruit, cum omnibus aliis deficientibus, in fide firma fuerit: et haec est causa quare non ivit ad monumentum.* His Antonini verbis innixi, non incongruas huius rei rationes in medium proferre possumus: gloriosa namque Christi visio proprium est fidei praeconium, dicente Scriptura (*Sapien. 1.*): *Apparet illis, qui fidem habent in illum.* Virgo fuerat immobilis in fide columna, et prima, quae resurrectionem crediderat; congruum ergo erat, ut ei Christus primo appareret. Quod si compertum est, amorem amantem ad amatum attrahere, dicente Ioanne (*Ioan. 14.*): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*; cum Virginis dilectio ardorem, quo Seraphim in caelo aestuant, superaret, iure optimo omnibus fuit praeferenda, eique primo Christus debuit apparere. Quod si Spiritus sanctus praecepit (*Eccl. 7.*): *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris*: et Dominus honorandos parentes praecepit: *Honora patrem, et matrem tuam, ut sis longaevus super terram*; quis ambiget ante omnes Matri filium visum, cum illinc matris gemitus, hinc filiis iura compellerent? Et si de Tobia divinum testatur eloquium, quod roganti, ut plures, quam parentes eius decreverant dies, in peregrinatione demoraretur, ipse ob maximam qua eos dilectione prosequebatur, responderit: *Ego novi, quod pater meus, et mater mea modo dies computant, et cruciatur spiritus eorum*



*inipsis*; qui fieri potest, ut in hoc Christi dilectio defecerit, aut minus fervens, quam illa Tobiae erga parentes suos fuerit? Cum etiam beatissima Virgo prima fuerit, quae Christum passibili indutum carne conspexerat, iure optimo prima omnium immortali praecinctum gloria conspicere debuit. Verum enucleatius inspiciamus, quonam pacto manifestatio haec Filii Matri contigerit. Divinis vacabat B. Virgo colloquiis, ut pie contemplari licet, clamabat: *Exurge psalterium, et cithara: exurge, Domine, tu, et arca sanctificationis tuae*: vel verba matris Sisarae proferebat: *Cur moratur regredi currus eius?* Cur non conspiciendum adest gloriosum corpus Filii mei, triumphali curru, quatuor gloriae dotibus vectum? *Forsitan dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur ei.* Forsitan parta victoria laetabundus hostium spoliis potitur, eaque inter amicos dividit. Sicque res se habebat in Christo: gloriam enim Patribus e Limbo erutis largiebatur. Forsitan de eligenda sponsa agitur; nec in hoc a veritatis scopo aberrabat: etenim de unienda sacro corpori anima, et de coniungenda sibi coniugio Ecclesia agebatur, cui antea fidem manibus in cruce extensis praebuerat. Enimvero si de Tobiae matre Scriptura commemorat, quod tanto filii adventus desiderio flagrabat, ut quotidie domus sublime conscendens, utrum venientem filium posset aspicere, diligenter adverteret, quotidie exiliens sursum aspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, immo et montis cacumina conscendebat: *Anna autem sedebat quotidie super culmen montis, unde respicere poterat de longinquo*; quis non credat desiderium hoc ferventius in B. Virginis pectore aestuasse? montemque contemplationis altissimum conscendisse, illincque, utrum adventaret Filius, oculorum aciem direxisset? Etenim nullum B. Virgini nuncium gratius ac iucundius deferri potuisset, quam Filium resurrexisse gloriosum. Narrat Plutarchus (*lib. 4. apoph.*) cum quadam die moerore conficeretur Alexander Magnus, militem ad eum pervenisse clamantem, Bonum nuncium tibi affero, invictissime Imperator; Alexandrumque respondisse: *Quid mihi boni vir magne nunciabis, nisi nuncies Homerum revixisse?* Sic dixerim; si quis Virgini resurgente Christo dixisset, bonum nuncium tibi affero, sacratissima Maria; responsuram Virginem: Quid mihi boni vir magne nunciabis, nisi nuncies Iesum revixisse? Hoc inquit B. Vincentius Ferrer, Gabrielem B. virgini nunciasse, ut supra diximus, et D. Gregorio id revelatum fuisse. Enimvero sicut post Angelicum nuncium Christus adfuit thalamo virginali: sic in resurrectione post Angeli adventum, Christi resurrectionem Virgini praedicentis, mox Christus ipse manifestus ei apparuit; et B. Virgo dilectum suum intuita est Filium, sicut Ioannes in Apocalypsi depingit: testatur enim Christus album prementem equum apparuisse, caput corona redimitum, arcumque gestantem: *Ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.* Tempore passionis viderat beata Virgo Filium super equum purpureum, sacroque sui corporis sanguine cruentum: verum in resurrectione super equum candidum immaculatae humanitatis, pretiosis gloriae dotibus distinctum conspicit, tanquam invictum ducem caeli, terraeque principem, aurea corona redimitum, arcum in manibus, victoriae insigne, quam ex inferno, daemone, et morte reportaverat, gestantem: et ut significaret B. Apostolus Ioannes hac Christi victoria posse etiam nos victis hostibus coronari, addidit: *Exivit vincens, ut vinceret*, scilicet in nobis. In hac prima apparitione secum duxit, ni fallor, Christus Dominus Patres illos, quos ex inferis eduxerat; quibus sane praestitit, quod Assuerus fecerat, qui post solemne convivium, quod sui regni magnatibus apposuerat, voluit convivas eleganti Vasthis Reginae aspectu recreare. Non dissimiliter Christus, apposita iam Patribus felicitatis mensa, sic eam per Lucam nuncuparat: *Ut edatis, et bibatis super mensam meam in Regno meo*, aspectum B. Virginis praebuit, quae adeo formosa, ac pulchra, ut non immerito de ipsa dicatur: *Cuius pulchritudinem sol, et luna mirantur.* Quis verbis B. Virginis laetitiam valeat explicare, cum vidit dilectum filium tanta gloria, ac maiestate praecinctum, tot sui regni magnatibus stipatum? Si Sara, ut scribit Iosephus, incredibili gaudio laetabatur, cum vivum Isaac filium e sacrificio redeuntem aspiceret: si Iocodeb Moysis mater laetabunda gaudebat, cum Regis filia Moysem adoptasset, qui eiusdem Regis iussu flumine fuerat demergendus: si Iacob ita laetabatur, cum noverat filium suum Ioseph nequaquam mortuum, sed toti imperantem Ægypto, ut Scriptura dixerit: *Revixit spiritus eius*: sufficit mihi, si adhuc filius meus vivit: tandem si Tobiae mater, cum e montis cacumine peregrinatione transacta adventantem conspiceret dilectum filium, lacrymas prae gaudio effudit; quo gaudio exhilaratam B. Virginem credimus, quae post cruentum in cruce filii sacrificium, liberum eum cernebat; et quem intra maris undas fluctuantem prospexerat, incolumem, sceptrumque gestantem, hostium viribus superatis, divitem, et alacrem, completis iam diuturnae suae peregrinationis angustiis contemplabatur? Tantam existimo Virginis fuisse laetitiam, ut praecipue Dei favore indiguisse crediderim, ne laetitiae vi deficeret: hi enim laetitiae, dolorisque affectus, ut experimur, animam mirifice solent extorquere: Tullius enim refert Diagoram repentina occubuisse laetitia, idemque de Polycrata insigni matrona narrat Plinius, et Crinitus. Tandem de Romana quadam scribunt historiographi, cum a milite accepisset, filium suum in praelio occubuisse, Annibale Romanos debellante, maxime doluisse; verum cum postea filium quem periisse crediderat, incolumem conspexisset, adeo laetatam fuisse, ut prae laetitia nec unicum proferens verbum, admotis ad filii colla brachiis, animam exhalarit. Hoc B. Virgini forte accidisset, nisi divino auxi-

lio foveretur: tristitia enim e corde abscedebat, ut laetitiae locus daretur. Reluctabatur Virginis anima inter gaudii, et moeroris affectus:tristitia mortis recedebat,gaudium resurrectionis intrabat: defecisset sane in tanto conflictu Virgo sanctissima, nisi Filius speciali providentia huiuscemodi effectum cohibuisset.

## HOMILIA NONA.

*Quam mirifice Christi Domini resurrectio nostrorum corporum resurrectionis spem erigat, ac fiduciam praebeat, multis sacrorum voluminum monumentis egregie illustratis stabilitur.*

Angelicus Doctor, quod et prius docuerat Philosophus, ait, praestantissimum in unoquoque genere causam existere caeterorum, quae sub illo continentur: sicut inter luminosa corpora sol, qui est excellentissimum mundi lumen, causa lucis est: in diaphanis ignis, qui inter calida calidissimus, causa est caloris ab unoquoque participati. Hinc est, quod sicut inter omnes ad immortalem vitam resurgentes Christus obtinet principatum, eo quod propria virtute seipsum a mortuis excitaverit, ipse etiam causa sit resurrectionis nostrae, non meritoria tantum, et efficiens, ut testatur ipse, *Ego resuscitabo eum in novissimo die*: sed et exemplaris, Apostolo id testificante: *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*: et ibidem(*ad Phil.*3): *Sicut portavimus imaginem terrestris, sic et portabimus imaginem caelestis*. Figurae, et imaginis vox, qua D. Paulus utitur, apte explicat Christi Domini resurrectionem nostrae exemplarem causam extitisse, ideoque dixit Ambrosius: *Prior surrexit, ut forma fieret credentibus sibi*.Sed quamvis quis dicere possit, Deum in suis operibus perfecte exercendis nullo indigere exemplari, et consequenter resurrectionem Christi exemplarem causam non esse; respondet egregie D. Thomas (2. 1. *q* 56. *ar.* 1.*ad* 3.) his verbis: *Exemplar necessarium non est ex parte resuscitantis, qui non indiget exemplari, sed ex parte resuscitatorum, quos oportet illi resurrectioni conformari*. Itaque ex Christi resurrectione resurrectio nostra deducitur, ut recta sit illatio illa Apostoli, *si Christus resurrexit, et nos resurgemus*. Hoc tantum intercedit discrimen inter Christi resurrectionem, et nostram, quod fons vitae, qui in Christo est, *Apud te est fons vitae*, immediate sacratae eius humanitati communicatur, indeque ad nos derivatur, quod et docuit etiam Sanct. Thom. dicens: *Habet hoc loco naturalis ordo, ut quaelibet causa operetur in id, quod est sibi propinquius, deinde mediante illo in remotius: ut videre est in igne calorem suum in partes proximas inducente, et his mediis in remotas.* Immo Deus ipse, ut docet Dionysius (*de caelest. hierarc. capite tertio*), immediate supremum Seraphim illuminat, eoque medio proportionaliter reliquas hierarchias; sic divinum Verbum, quod est vita ipsa per essentiam, Christi humanitati sibi proxime, utpote hypostatice unitae, vitam communicat, eaque mediante, omnibus quos ad aeternam gloriam destinavit: hoc voluit Apostolus (2. *Cor.* 4.) verbis illis: *Si spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, suscitabit mortalia corpora vestra*. Ex his Pauli verbis clare infertur, quod cum suscitatus Christus causa sit exemplaris resurrectionis nostrae, et Deus, qui ipsum suscitavit, nos etiam suscitaturus sit, Christi resurrectio praecipuum est fundamentum, cui spes nostrae resurrectionis ad suae resurrectionis imaginem innititur. Noverat hoc David, ideoque clamabat (*Psal.* 129.): *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino*. Describuntur hic sepulcri custodes, quos ad Christum custodiendum adhibuere Iudaei, ut voluit Augustinus (*in Psal.* 129.) hoc explicans: *Quid ergo*, inquit, *fratres putatis hoc esse: A vigilia matutina usque ad noctem speravit anima mea in Dominum? quia Dominus, per quem nobis dimissa sunt peccata, in vigilia matutina resurrexit a mortuis, ut hoc speremus in nobis futurum, quod praecessit in Domino*; additque praeterea: *Quodammodo hoc nobis dixit Dominus: quod in me vidistis, sperate in vobis, id est, quia erit resurrectio resurgentis, et vos resurgetis. Sed sunt, qui dicunt, etsi resurrexit Dominus, nunquid propterea sperandum est, et me posse resurgere? utique propterea*. Igitur iuxta Augustini sententiam idem est, *A custodia matutina usque ad noctem*, ac si dixisset: ex eo tempore, quo custodes Christi sepulcrum custodierunt, spes nostra coepit resurgendi, et usque ad mortis noctem perseverabit; *Usque moriamur*, ut dixit Augustinus (*loco citato*), vel ut explicat Gregorius: *Usque ad finem mundi noctis voce denotatum, quae diei finis est*: et rationem subdit: *Brevis unius diei expectatio. Sed recurrendum est ad titulum Psalmi, qui habetur pro assumptione matutina*, scilicet pro resurrectione facta mane, ubi alia translatio habet: *A vigilia matutina*: nam qui dormit in morte, vigilat in resurrectione. Brevis equidem esset David spes, si mane incipiens nocte desineret; atque ideo ait Gregorius ad psalmi titulum recurrendum, *Pro assumptione matutina*, quae matutinam resurrectionem designat: unde testatur David nostram spem incoepisse. Cum enim a nostro capite coeperit resurrectio, certum est per universa membra diffundendam. Scribit Pierius de crescentibus inundantis Nili aquis, pisces quosdam inveniri, quos aquae humiditas generare inchoaverat, formata habentes capita vitali motu vigentia, nullum tamen in reliquo corporis, quod terreum adhuc erat, vitae signum apparere: hinc cernere est, naturam opus suum inchoasse, nondum tamen perfecisse. Hoc in Christi resurrectione videre est: coepit in nostro capite resurrectio, sed mysticum



electorum corpus terreum adhuc est, nec immortalis vitae influxus participat, sed influere non desinet: opus enim hoc paulatim perficitur,atque is, qui incoepit, non desistet, donec surgenti Christo illud assimilaverit, ut in simili ait Paulus: *Donec formetur Christus in nobis*: a Christo enim, qui primogenitus est mortuorum, nos qui ad immortalem vitam resurrecturi sumus, velut minores germani immortalitatis, gloriae, alimenta inquirimus, freti spe firma, quam Christi resurrectio nobis tribuit. De hoc locutum Oseam crediderim, cum de Christo aiebat: *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium*. Resurgens Dominus rori comparatur: sicut enim rore terra foecundatur, et plantae vel siccae virescunt; sic eo resurgente veluti caelesti rore terrea electorum cadavera morte arefacta foecundantur, et candentia lilia reviviscunt. Sed cur lilii similitudine, et non alterius floris Propheta utitur? Rationem existimaverim, quia quamvis quilibet flos spei sit symbolum,cum hi futuros fructus praesagiant, lilium tamen praecipue inter flores id designat, quamvis fructus non proferat. Unde cernimus Francos in suis liliis haec habere (*Spes Augusta*) quod ex Alexandro Pio Romano Imperatore desumpsisse videntur, qui in numismate dextram lilia effundentem incidebat, scriptionemque hanc adhibebat, *Spes publica*. Novimus et Poetam, ut significaret maximae spei, indolisque virum esse, dixisse lilia effundenda:

Manibus date lilia plenis.

Rationem autem huius eam esse reor, quod unicum lilium inter flores e materna radice excerptum folia explicat, et sic viget, ac si evulsum non fuisset: ita resurrecturos electos ait Oseas: illis enim mortuis viget adhuc in anima spes resurgendi, cumque ad nihilum eos redactos mundus existimat, maxima in eis gloria, maximus fulgor elucebit. Huc Isaias respexit, cum ait: *Mane semen tuum florebit*: quae verba adducens Incognitus, illud psalmi explicans: *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia*, ait: *Quid enim semen, nisi corpus, quod seminaliter generatur, quod quidem mane florebit, quia mane resurget? sicut enim Christi resurrectio mane accidit, sic etiam eodem tempore nostra erit haec spes. Iob dum maximis detineretur angustiis consolabatur, et in carne mea* (aiebat) *videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, et non alius. Reposita est haec spes mea in sinu meo*. Verum quia antiqui Philosophi, et quamplures haereticorum catholicam fidem qua resurrectionem credimus, irrident; catholicae veritatis praecipua fundamenda mihi afferenda sunt. Nonnulli ita contra nostram fidem insaniunt, ut impossibilem resurrectionem instanter asseverent, hoc referente Luca, et Matthaeo. In hunc errorem lapsus etiam est Porphyrius, ut adnotavit Augustinus (*lib.*12. *de civi. Dei ca.* 25.); lapsus Plinius, ut colligitur, ex cap. 2. et 7. suae historiae; Flavius etiam referente Tertulliano (*libro de praescript. haeret.ca.* 7.); additque hoc fuisse commune Philosophorum placitum: *Ut carnis restitutio negetur, de una omnium Philosophorum schola sumitur*. Sed revera communis non fuit omnium haec sententia. Etenim Epiphanius Graecos admiratur Philosophos, qui patrum resurrectionibus fidem adhibentes, resurrectioni, quam fides credendam nobis proponit, denegabant: *Porro* (inquit) *admiratio animum meum subit de incredulorum Graecorum, atque aliorum barbarorum decepta per omnia mente, quod in fabulis suis non verentur resurrectionem omnibus declarare, et de resurrectione saepe canere, velut fabulae ipsorum describunt. Alcesten quidem Peliae filium mortuam esse propter virum suum Admotum, et propter Herculem: post triduum vero resurrexisse, et ex adytis eductam esse; Pelopem vero Tantali filium, ubi carnes ipsius distributae essent a proprio patre, et Amphiarao, falso appellatis ipsorum Deis; et Encilus ab Aesculapio resuscitatus est; et Castor per Pollucem fratrem suum, qui ultro ipsi vitam alternis diebus alternare voluit, et Protosilaus propter Laodomiam. Sed ut Sisyphum, et Tantalum, et Caucasi filios, quos Erinnyas vocaverunt, et una cum his Tyresiam ad Tartarum detrusos esse tradunt, atque illic poenas dare: illum quidem per saxum, hunc per rotam, et alios aliter supplicio affectos esse,et adhuc in supplicio esse, velut qui non ad interitum sint redacti,licet sint in corporibus. Si enim corpora non haberent, quomodo sub petram, et rotam suppliciis traderentur?* Sed hanc opinionem sequuti fuerint Philosophi, nec ne? S. Augustinus (*serm.* 91. *de verbis Apost.*) manifeste infidelem sic redarguit: *Te appello, quicumque infideli animo de resurrectione dubitas, et putas non posse mortuos resuscitari. Quid est amplius, ex nihilo homines facere, qui vivant, an eos, qui facti sunt,et vixerunt reparare post mortem? Utique plus est facere, quod nunquam fuit, quam reparare, quod fuerit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, ut Deus, qui hominem formavit ex nihilo, reformet? Quomodo nos suscitare non potest conversos in pulverem, qui etsi in nihilum rediremus, facere poterat ut essemus?* Hac etiam ratione, quia potissima est, utuntur Cyrillus Hierosolymitanus (*cat.* 4. *et* 18.), D. Gregorius (*hom.*16. *super Evang.*),pluresque alias addunt Ambrosius, Tertullianus, Athenagoras, Basilius (*homil.* 8.), Theophilus Antiochenus (*lib.* 1. *contra Christ. relig.calum.*) D. Thomas (4. *in Gen. c.* 29.). Sed Gentilibus reiectis Philosophis, quam plures etiam Haereticorum corporum resurrectionem negarunt, Irenaeus (*lib.* 1. *c.* 23.) inter hos recenset Simonem Magum, Cerdonem, Marcionem, Basilidem, Apellem, et Valentinum, quos etiam commemorant Epiphanius (*haer.* 64.), et Tertullianus (*de resurrect.lib.*5. *contra Marcio.*). Hoc etiam, et Philetum et Hymenaeum voluisse credendum est, quos arguit Apostolus (*ad Timot.* 2.): *Exciderunt*, inquit,*dicentes resurrectionem esse iam factam*:)

quod sic explicat Epiphanius (*haer.* 40.): *Resurrectionem iam factam esse dicunt per liberos genitos, ab unoquoque generante.* Quo etiam modo Ambrosius, et Theodoretus (*super epist. ad Timotheum* exponunt. Ad hunc errorem labefactandum adversus haereticos, praecipua sacri eloquii testimonia adducemus, inter quae primo loco profero illud (*Matth.* 22.): *De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob?* Quod perinde fuit ac si diceret: Cum Deus hos patres habuerit tanquam charos amicos, et fidelissimos servos, non patietur eos sine remuneratione abire. Unde cum illi anima simul et corpore, non anima solum Deo servierint, consequens illud est, ut etiam corpori praemia rependantur, eosque ad immortalem deducat gloriam. Sic Hieronymus, et Anselmus exposuere cum D. Thoma. Veritatem tamen hanc clarioribus verbis praedixit Ezechiel: *Vaticinare, ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, et inducam vos in terram Israel, et scietis, quia ego Dominus cum aperuero sepulcra vestra, et eduxero de tumulis vestris*) exponunt haec de resurrectione Augustinus (*de doct. Christ.* c. 34.), Cyrillus Hierosolym. (*cat.* 18.), Cyprianus (*lib.* 3. *ad Quirin.*), Tertullianus (*de resurr. c.* 29.). Daniel etiam resurrectionem manifeste vaticinatus est dicens: *Multi de iis, qui dormiunt, in terrae pulvere evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium.* S. Hieronymus (*super Ezechie.* 37.) vocat hoc testimonium robustum ad resurrectionis veritatem comprobandam, sed aeque robustum est illud Isaiae: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et cognoscetur manus Domini.* Quamplura alia ad hoc idem testimonia suppetunt, (*ut* 2. *Machab.* 7. *Iob.* 14. *et* 19. *Io.* 5. 6. *et* 11. *et* 1. *Cor.* 15. *ad Rom.* 3. *et* 7. *et* 1. *Thessal.* 4. *Actor.* 24. *Apoc.* 20.) Libenter alia praetereo consulens brevitati. Unicum referam variis expositionibus illustratum, quod difficillimum est explicatu. Paulus (1. *Cor.* 15.) ait: *Alioquin quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* Chrysostomus supponit in primitiva Ecclesia neminem baptizari, nisi carnis baptismate tergendae, resurrectionem sperarent: *Hoc, inquit, vocat Paulus baptizari pro mortuis:* atque vanum fore baptisma si de carnis resurrectione desperarent. Divus Thomas idem ait esse baptizari pro mortuis, ac pro peccatis, quae mortua sunt opera. Epiphanius (*haere.* 28) existimat sermonem esse de iis, qui mortis tempore baptizantur, quos vocat mortuos, quia morti sunt proximi. Ambrosius ait, olim haeresim inolevisse, quae crederet defunctos vita homines, si morte praeventi baptismo detergi non potuissent, posse baptismatis gratia adiuvari, si quis pro eis vivus baptisma susciperet. Atque hinc colligit Apostolus, cum pro mortuis baptizarentur, de resurrectione non ambigere. Theodoretus alia incedit via: ait enim: *Qui baptizatur, Domino consepelitur, ut cum mortis fuerit particeps, sit etiam particeps resurrectionis; si autem corpus non resurgit, cur etiam baptizatur?* Ait igitur Theodoretus loquutum Apostolum de baptismate Christianorum, quod Christi sepulcri figuram nuncupavit; *Consepulti enim estis cum Christo per baptisma:* et quia qui baptizatur, mortuum praesefert, ideo Paulus ipsum baptizari, *sepeliri pro mortuis*, nuncupavit. Nonnulli etiam credidere Iudaeos ad cadaverum contactum pollui, quibus et baptismatis aqua praecipiebat Dominus ablui, ut ab illa legali macula emundarentur, atque id vocasse Apostolum baptizari pro mortuis: nam sicut apud Ecclesiasticum (*cap.* 30.) ille dicitur baptizari a mortuo, qui se lavat, ut abstergat maculam, propter contactum corporis mortui contractam; proportionaliter merito ille dici poterit baptizari pro mortuo, qui propter sepeliendum corpus mortuum legalem maculam contraxerat, et ad illam delendam lustrali aliqua lotione utebatur. Respiciens ergo D. Paulus ad curam, et sollicitudinem, quam in sepeliendis mortuorum corporibus Hebraei adhibebant, inde eliciebat, futuram esse resurrectionem mortuorum; alioquin vana fuisset pia illa, ac religiosa corpora sepeliendi mortuorum cura.

Doctissimus Ianeus aliam singularem adhibuit expositionem: ait enim baptizari pro mortuis idem esse quod baptizari cruento sanguinis baptismo, mortem subeundo in defensionem catholicae veritatis, resurrectionem mortuorum docentis, iuxta illud Pauli (*Act.* 24.): *Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a vobis.* Colligebat ergo D. Paulus iuxta hanc interpretationem mortuorum resurrectionem ex laboribus, atrocissimisque tormentis, quae libentissimo animo martyres sustinebant. Tandem non minus ingeniosam, ac subtilem existimaverim expositionem aliam, quam sequuntur S. Ephrem, Hugo, Dionysius, et Petrus Cluniacensis: hi enim asserunt, D. Paulum hoc loco non loqui de baptismo aquae, aut sanguinis, sed de baptismo poenitentiae, qualis est ille, quo quis mundatur, et purificatur per opera poenalia, et satisfactoria; unde aiunt, baptizari pro mortuis, idem prorsus est, quod opera poenalia, et satisfactoria Deo offerre in compensationem poenarum, quas mortui pro commissis delictis exolvere debent: quod sane omnino vanum, et futile esset, si mortuorum resurrectio futura non foret, iuxta illud (2 *Mac.* 12): *Misit Hierosolymam offerri pro peccato sacrificium, bene, et religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis.* Et his apponere placet egregia verba magni Gregorii (*lib.* 14. *Mora. cap.* 38.): *Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerunt. Iustitiae enim ratio, et aequitatis ius mortuorum resurrectionem iure optimo sibi vindicant, ut sicut corpus in consortio animae in vinea Domini laboravit, laboris praemium in consortio eius reportet.* Quod



*neutiquam fieri posset, nisi corruptibilia haec nostra corpora incorruptionem, et immortalitatem per resurrectionem induunt.*

## HOMILIA DECIMA

*Christi Domini resurrectionem in carne exemplar esse, ad cuius normam spiritualis nostra resurrectio fieri debet, multiplici eruditione disseritur.*

Christi Domini resurrectio non corporalis tantum hominum resurrectionis exemplar est, ut supra disseruimus, sed spiritualis etiam, ut docet Apostolus (*ad Rom.* 4.): *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.* Duplicem distinguit Apostolus in peccatorum iustificatione terminum. Is enim motu quodam a termino, a quo, nempe peccati exclusione, ad terminum, ad quem, gratiae videlicet introductionem, movetur: primum tribuit morti, alterum Christi resurrectioni: non quod utraque, immo quaelibet sigillatim considerata, quoad moralem efficientiam, utrumque non effecerit, sed ob diversa, quae unaquaeque illarum denotat. Quod egregie observavit glossa, Pauli verba exponens: *Mors, et resurrectio Christi in nobis efficiendo sunt idem, sed significando sunt diversa: quia mors signat ut moriamur veteri vitae; resurrectio, ut in novitate vitae ambulemus:* ac si diceret, quamvis in iustificatione paris fuerint efficientiae, in ratione tamen exemplaris maximum intercedit discrimen: mors enim exemplar est, quo peccatis, anteactam vitam detestantes, moriamur; resurrectio formam praescribit, qua ad novam gratiae vitam resurgere debemus. Exposuit hoc D. Thomas (3. *p. q.* 56. *ar.* 2. *ad* 2.) his verbis: *In iustificatione animarum duo concurrunt, remissio culpae, et novitas vitae. Quantum ergo ad efficientem, quae est per naturam divinam, tam passio Christi, quam resurrectio est causa iustificationis quoad utrumque; sed quantum ad exemplaritatem, proprie passio, et mors Christi est causa remissionis culpae, per quam morimur peccato; resurrectio autem Christi est causa novitatis vitae, quae est per gratiam sive iustitiam: et ideo Apostolus dicit: traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.* Cum igitur Christi resurrectio exemplaris causa sit; inspiciamus, quaenam debeat imitari, qui spirituali animae resurrectione ad iustificationis vitam cupit revocari, et quonam pacto peccatoris iustificatio resurrectioni similis sit. Primum est; sicut Christi resurrectio omnipotentis Dei dexterae opus fuit, qui solus a privatione ad habitum regressum facit: sic anima totis etiam naturae viribus divina virtute non intercedente nunquam poterit de peccatorum morte ad iustificationis vitam ascendere; quod contra Pelagium Tridentinum Concilium definivit, his verbis: *Si quis dixerit hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.* Ideo mortiferam culpam serae compararem, quam Faber ferrarius tali arte confecit, ut si ostium claudatur, clave exterius remanente, qui in cubiculo est, nulla ratione valeat adaperire; ita cum peccator in mortiferam culpam labitur, cordis ianuam Deo adeo occludit, ut nisi ipse divinae gratiae excitantis clave cor aperiat, neutiquam homo possit a tyranni a peccati servitute liberari. Aptissimum est ad idem, quod de Cretensi labyrintho finxit antiquitas, qui innumeris fuerat fabricatus viarum ambagibus, ita ut qui semel ingrederetur, nulla unquam redeundi facultas, absque alterius adiutorio illum ducentis concederetur. Quod dixit Virgilius quamvis alio respiciens:

*facilis descensus Averni,*
*Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras*
*Hoc opus, hic labor est.*

Labyrintheas peccatorum ambages ingredi quam facillimum est, sed inde evadere divinae dexterae opus est, *hoc opus, hic labor.* Praesignatum invenio hanc catholicam veritatem in Pharaonis Magis: hi activa passivis applicantes, colubros venenatos, angues lethales procreabant; verum eosdem enecare propriis viribus non valebant. Certe nostri arbitrii libertate lethalis culpae anguem (sic eam sacrum vocat eloquium (*Eccl.* 31.), *Quasi a facie colubri fuge peccatum*) progignere facile possumus; verum quamvis omnes nostros conatus adhibeamus, nunquam propria virtute venenatum peccati colubrum interimere poterimus. Secundum quod in spirituali animae resurrectione proponitur imitandum, illud est, ut sit vera resurrectio, non ficta: de Christo enim dicitur: *Surrexit Dominus vere.* Tertium, ut in resurrectione animae perseveremus: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Ut utrumque hoc intime penetremus, advertendum triplex resurrectionis genus in sacris Scripturis signatum.

Primum est apparens tantum, non verax; cuiusmodi fuit resurrectio Samuelis, qui iubente Deo a Saule vocatus apparuit: quamvis enim tunc Samuelis anima advenisset, phantasticum tamen corpus assumpsit, ut ex Augustino colligit Lyranus ibi. Resurrectio haec peccatores illos praefiguravit, quos resurrexisse crederes, quia confessione peccatorum praecedente communicarunt: sed apparenter tantum surrexerunt: nam a proxima peccandi occasione non elongati, in eadem peccata prolabendi periculo iterum expositi remanserunt. Rex Iosias, sicut habetur in sacris litteris (1. *Reg.* 23.) ut idola penitus aboleret, omnes idolatrandi radicitus occasiones abstulit, idolorum artifices relegavit, nemus

quod sic explicat Epiphanius (*haer.* 40.): *Resurrectionem iam factam esse dicunt per liberos genitos, ab unoquoque generante.* Quo etiam modo Ambrosius, et Theodoretus (*super epist. ad Timotheum* exponunt. Ad hunc errorem labefactandum adversus haereticos, praecipua sacri eloquii testimonia adducemus, inter quae primo loco profero illud (*Matth.* 22.): *De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob?* Quod perinde fuit ac si diceret: Cum Deus hos patres habuerit tanquam charos amicos, et fidelissimos servos, non patietur eos sine remuneratione abire. Unde cum illi anima simul et corpore, non anima solum Deo servierint, consequens illud est, ut etiam corpori praemia rependantur, eosque ad immortalem deducat gloriam. Sic Hieronymus, et Anselmus exposuere cum D. Thoma. Veritatem tamen hanc clarioribus verbis praedixit Ezechiel: *Vaticinare, ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, et inducam vos in terram Israel, et scietis, quia ego Dominus cum aperuero sepulcra vestra, et eduxero de tumulis vestris*) exponunt haec de resurrectione Augustinus (*de doct. Christ. c.* 34.), Cyrillus Hierosolym. (*cat.* 18.), Cyprianus (*lib.* 3. *ad Quirin.*), Tertullianus (*de resurr. c.* 29.). Daniel etiam resurrectionem manifeste vaticinatus est dicens: *Multi de iis, qui dormiunt, in terrae pulvere evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium.* S. Hieronymus (*super Ezechie.* 37.) vocat hoc testimonium robustum ad resurrectionis veritatem comprobandam, sed aeque robustum est illud Isaiae: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et cognoscetur manus Domini.* Quamplura alia ad hoc idem testimonia suppetunt, (*ut* 2. *Machab.* 7. *Iob.* 14. *et* 19. *Io.* 5. 6. *et* 11. *et* 1. *Cor.* 15. *ad Rom.* 3. *et* 7. *et* 1. *Thessal.* 4. *Actor.* 24. *Apoc.* 20.) Libenter alia praetereo consulens brevitati. Unicum referam variis expositionibus illustratum, quod difficillimum est explicatu. Paulus (1. *Cor.* 15.) ait: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* Chrysostomus supponit in primitiva Ecclesia neminem baptizari, nisi carnis baptismate tergendae, resurrectionem sperarent: *Hoc, inquit, vocat Paulus baptizari pro mortuis:* atque vanum fore baptisma si de carnis resurrectione desperarent. Divus Thomas idem ait esse baptizari pro mortuis, ac pro peccatis, quae mortua sunt opera. Epiphanius (*haere.* 28) existimat sermonem esse de iis, qui mortis tempore baptizantur, quos vocat mortuos, quia morti sunt proximi. Ambrosius ait, olim haeresim inolevisse, quae crederet defunctos vita homines, si morte praeventi baptismo detergi non potuissent, posse baptismatis gratia adiuvari, si quis pro eis vivus baptisma susciperet. Atque hinc colligit Apostolus, cum pro mortuis baptizarentur, de resurrectione non ambigere. Theodoretus alia incedit via: ait enim: *Qui baptizatur, Domino consepelitur, ut cum mortis fuerit particeps, sit etiam particeps resurrectionis; si autem corpus non resurgit, cur etiam baptizatur?* Ait igitur Theodoretus loquutum Apostolum de baptismate Christianorum, quod Christi sepulcri figuram nuncupavit; *Consepulti enim estis cum Christo per baptisma:* et quia qui baptizatur, mortuum praesefert, ideo Paulus ipsum baptizari, *sepeliri pro mortuis*, nuncupavit. Nonnulli etiam credidere Iudaeos ad cadaverum contactum pollui, quibus et baptismatis aqua praecipiebat Dominus ablui, ut ab illa legali macula emundarentur, atque id vocasse Apostolum baptizari pro mortuis: nam sicut apud Ecclesiasticum (*cap.* 30.) ille dicitur baptizari a mortuo, qui se lavat, ut abstergat maculam, propter contactum corporis mortui contractam; proportionaliter merito ille dici poterit baptizari pro mortuo, qui propter sepeliendum corpus mortuum legalem maculam contraxerat, et ad illam delendam lustrali aliqua lotione utebatur. Respiciens ergo D. Paulus ad curam, et sollicitudinem, quam in sepeliendis mortuorum corporibus Hebraei adhibebant, inde eliciebat, futuram esse resurrectionem mortuorum; alioquin vana fuisset pia illa, ac religiosa corpora sepeliendi mortuorum cura.

Doctissimus Ianeus aliam singularem adhibuit expositionem: ait enim baptizari pro mortuis idem esse quod baptizari cruento sanguinis baptismo, mortem subeundo in defensionem catholicae veritatis, resurrectionem mortuorum docentis, iuxta illud Pauli (*Act.* 24.): *Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a vobis.* Colligebat ergo D. Paulus iuxta hanc interpretationem mortuorum resurrectionem ex laboribus, atrocissimisque tormentis, quae libentissimo animo martyres sustinebant. Tandem non minus ingeniosam, ac subtilem existimaverim expositionem aliam, quam sequuntur S. Ephrem, Hugo, Dionysius, et Petrus Cluniacensis: hi enim asserunt, D. Paulum hoc loco non loqui de baptismo aquae, aut sanguinis, sed de baptismo poenitentiae, qualis est ille, quo quis mundatur, et purificatur per opera poenalia, et satisfactoria; unde aiunt, baptizari pro mortuis, idem prorsus est, quod opera poenalia, et satisfactoria Deo offerre in compensationem poenarum, quas mortui pro commissis delictis exolvere debent: quod sane omnino vanum, et futile esset, si mortuorum resurrectio futura non foret, iuxta illud (2 *Mac.* 12): *Misit Hierosolymam offerri pro peccato sacrificium, bene, et religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis.* Et his apponere placet egregia verba magni Gregorii (*lib.* 14. *Mora. cap.* 38.): *Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerunt. Iustitiae enim ratio, et aequitatis ius mortuorum resurrectionem iure optimo sibi vindicant, ut sicut corpus in consortio animae in vinea Domini laboravit, laboris praemium in consortio eius reportet. Quod*



*neutiquam fieri posset, nisi corruptibilia haec nostra corpora incorruptionem, et immortalitatem per resurrectionem induunt.*

## HOMILIA DECIMA

*Christi Domini resurrectionem in carne exemplar esse, ad cuius normam spiritualis nostra resurrectio fieri debet, multiplici eruditione disseritur.*

Christi Domini resurrectio non corporalis tantum hominum resurrectionis exemplar est, ut supra disseruimus, sed spiritualis etiam, ut docet Apostolus (*ad Rom.* 4.): *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.* Duplicem distinguit Apostolus in peccatorum iustificatione terminum. Is enim motu quodam a termino, a quo, nempe peccati exclusione, ad terminum, ad quem, gratiae videlicet introductionem, movetur: primum tribuit morti, alterum Christi resurrectioni: non quod utraque, immo quaelibet sigillatim considerata, quoad moralem efficientiam, utrumque non effecerit, sed ob diversa, quae unaquaeque illarum denotat. Quod egregie observavit glossa, Pauli verba exponens: *Mors, et resurrectio Christi in nobis efficiendo sunt idem, sed significando sunt diversa: quia mors signat ut moriamur veteri vitae; resurrectio, ut in novitate vitae ambulemus:* ac si diceret, quamvis in iustificatione paris fuerint efficientiae, in ratione tamen exemplaris maximum intercedit discrimen: mors enim exemplar est, quo peccatis, anteactam vitam detestantes, moriamur; resurrectio formam praescribit, qua ad novam gratiae vitam resurgere debemus. Exposuit hoc D. Thomas (3. *p. q.* 56. *ar.* 2. *ad* 2.) his verbis: *In iustificatione animarum duo concurrunt, remissio culpae, et novitas vitae. Quantum ergo ad efficientem, quae est per naturam divinam, tam passio Christi, quam resurrectio est causa iustificationis quoad utrumque; sed quantum ad exemplaritatem, proprie passio, et mors Christi est causa remissionis culpae, per quam morimur peccato; resurrectio autem Christi est causa novitatis vitae, quae est per gratiam sive iustitiam: et ideo Apostolus dicit: traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.* Cum igitur Christi resurrectio exemplaris causa sit; inspiciamus, quaenam debeat imitari, qui spirituali animae resurrectione ad iustificationis vitam cupit revocari, et quonam pacto peccatoris iustificatio resurrectioni similis sit. Primum est; sicut Christi resurrectio omnipotentis Dei dexterae opus fuit, qui solus a privatione ad habitum regressum facit: sic anima totis etiam naturae viribus divina virtute non intercedente nunquam poterit de peccatorum morte ad iustificationis vitam ascendere; quod contra Pelagium Tridentinum Concilium definivit, his verbis: *Si quis dixerit hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.* Ideo mortiferam culpam serae compararem, quam Faber ferrarius tali arte confecit, ut si ostium claudatur, clave exterius remanente, qui in cubiculo est, nulla ratione valeat adaperire; ita cum peccator in mortiferam culpam labitur, cordis ianuam Deo adeo occludit, ut nisi ipse divinae gratiae excitantis clave cor aperiat, neutiquam homo possit a tyrannica peccati servitute liberari. Aptissimum est ad idem, quod de Cretensi labyrintho finxit antiquitas, qui innumeris fuerat fabricatus viarum ambagibus, ita ut qui semel ingrederetur, nulla unquam redeundi facultas, absque alterius adiutorio illum ducentis concederetur. Quod dixit Virgilius quamvis alio respiciens:

> *facilis descensus Averni,*
> *Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras*
> *Hoc opus, hic labor est.*

Labyrintheas peccatorum ambages ingredi quam facillimum est, sed inde evadere divinae dexterae opus est, *hoc opus, hic labor.* Praesignatum invenio hanc catholicam veritatem in Pharaonis Magis: hi activa passivis applicantes, colubros venenatos, angues lethales procreabant; verum eosdem enecare propriis viribus non valebant. Certe nostri arbitrii libertate lethalis culpae anguem (sic eam sacrum vocat eloquium (*Eccl.* 31.), *Quasi a facie colubri fuge peccatum*) progignere facile possumus; verum quamvis omnes nostros conatus adhibeamus, nunquam propria virtute venenatum peccati colubrum interimere poterimus. Secundum quod in spirituali animae resurrectione proponitur imitandum, illud est, ut sit vera resurrectio, non ficta: de Christo enim dicitur: *Surrexit Dominus vere.* Tertium, ut in resurrectione animae perseveremus: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Ut utrumque hoc intime penetremus, advertendum triplex resurrectionis genus in sacris Scripturis signatum.

Primum est apparens tantum, non verax; cuiusmodi fuit resurrectio Samuelis, qui iubente Deo a Saule vocatus apparuit: quamvis enim tunc Samuelis anima advenisset, phantasticum tamen corpus assumpsit, ut ex Augustino colligit Lyranus ibi. Resurrectio haec peccatores illos praefiguravit, quos resurrexisse crederes, quia confessione peccatorum praecedente communicarunt: sed apparenter tantum surrexerunt: nam a proxima peccandi occasione non elongati, in eadem peccata prolabendi periculo iterum expositi remanserunt. Rex Iosias, sicut habetur in sacris litteris (4. *Reg.* 23.) ut idola penitus aboleret, omnes idolatrandi radicitus occasiones abstulit, idolorum artifices relegavit, nemus

ipsum, quod lignariam materiam praebebat, succidit, aruspices delevit, et eos, qui adolebant incensum lunae, exterminavit, ac lucum in pulverem convertit; hac etiam de causa Ezechias aeneos serpentes, quos populus venerabatur, confregit. Compertum etiam est, Moysem aureum vitulum in pulverem redegisse, ne si qua illius particula superstes fuisset, populo relinqueretur occasio iterum idola colendi: nec pulverem ipsum dereliquit, ne iterum conflarent vitulum, ut temporibus Ieroboam accidit, sed potandum illum praebuit, ut penitus idolum e memoria excideret. Nazaraeis etiam cum Dominus vinum prohibuisset, non solum praeceptum fuit ab omni, quod inebriare posset, abstinerent, sed quod nec uvas, aut grana illarum minutissima degustarent: *Uvas recentes, siccasque, et quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque acinum, non comedent:* etenim si uvae grana gustassent, passam etiam uvam cupivissent: hac gustata, quid saporis haberet, antequam desiccaretur, experiri tentassent, ac tandem ad vinum etiam potandum progressi essent, a quo ut abstineant, acini ipsi uvae prohibentur, ut omnis quantumvis minima peccandi occasio prorsus amoveatur. Hinc est, quod Eva serpenti dixerit (*Gen.* 2.): *Praecepit nobis Dominus ne comederemus, et ne tangeremus illud.* Non habetur certe, Deum tactum prohibuisse, sed esum: *ne comedas, ne forte moriaris.* Verum, quia Eva caelesti tunc gratia erat irradiata, quia ab innocentiae statu non exciderat, cum prohibitum a Deo cognoverat pomi esum, prohibitum etiam ex consequenti quidquid ad id conducebat, aut viam parabat, intellexit; atque adeo *praecepit,* inquit, *nobis ne tangeremus, et ne comederemus.* Qui igitur omnem peccandi occasionem non deserit, clare indicat se a peccatorum opere cessare non velle, atque adeo phantastice, et apparenter, non vere resurrexisse. Secundum resurrectionis genus est eorum, qui vera resurrectione resurgunt: hoc pacto filius viduae ab Eliseo resuscitatus, Lazarus a Christo, et alii quamplures ad vitam revocati fuere. Horum quidem resurrectio, quamvis non ficta, sed vera fuisset, tamen cum mortales resurgerent, iterum emorituri erant. Hanc illorum resurrectionem praesignat, qui integra peccatorum confessione praemissa, a peccandi occasione recedentes, vera resurrectione ad spiritualem vitam resurgunt; sed post aliquod temporis spatium, velut canes spurcissimi, quae semel evomuerunt deglutientes, in pristina peccata iterum, atque iterum misere prolabentes, iterato moriuntur. Narrat sacra Scriptura, cum arca Dei Iordanem fluvium transiret, aquas a consueto cursu destitisse; sed postquam progressa erat, iterum sicut antea effluxisse. Idem nonnullis videmus accidere, cum sanctae hebdomadae diebus lasciviae ignem temperant, a ludis se abstinent, linguam a detractione coercent, ultionem inimicorum non tentant; sed ea transacta, effroenatis animi passionibus, odio, ludo, avaritiae, et luxuriae habenas relaxant, et exundantes culparum aquae eodem quo antea impetu feruntur. His sane accidit, quod illis, qui armati noctu civitates circumeunt: hi si insequentes satellites advertant, tuto in loco arma deponunt, qui cum inermes videantur, liberi dimittuntur; cum tamen pertransierint satellites, resumptis armis, malum quod coeperant ad finem perducere conantur. Non dissimiliter advenientibus sacrae hebdomadae diebus, cum concionatores instantem Dei iustitiam promulgant, deponit unusquisque per modicum temporis peccatorum arma, concubinae domum non adit, aleis, et taxillis non vacat, manus vindictam non quaerit; at adventante paschali tempore, deposita arma resumunt, mortemque iterum ingrediuntur, vita caelestis gratiae expoliati, qua fuerant a Christo resurrectionis auctore donati. Tertium resurrectionis praecipuum genus est Christi, qui nunquam moriturus resurrexit: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.* Hoc resurrectionis exemplar diligenter intuendum ante oculos peccatori proponitur, qui ad caelestis gratiae vitam cupit revocari. Insinuavit id egregie Chrysostomus (*ho.* 29. *super epistol. ad Hebraeos*) his verbis: *Non oportet exordia sola habere clara, sed et finem clariorem. Nonne rethor circa finem orationis satagit clarior apparere, ut cum plausibus discedat? nonne poeta circa finem perfectionis suae actionem clariorem demonstrat? nonne athleta, nisi finem ostendat clariorem, et usque ad consummationem semper exuperet, etsi omnes vincat, vincatur autem a novissimo; nonne omnia illi infructuosa forent? nonne gubernator si pelagus totum pertranseat, circa portum autem confringat ratem, omnem perdit anteriorem laborem? quid etiam medicus si liberaverit aegrotum morbo, cum autem ad perfectionem salutis perventurus erat aegrotus, tunc eius corrumpat valetudinem; nonne inquam totum corpus corrumpit, et perdit? sic etiam in virtute contingit; quotquot exordiis finem non imposuerunt competentem, et consequentem, et continuum, perierunt, et corrupti sunt.*

Sanctus etiam Augustinus (*de verbis Dom. sec.* 48. *tr.* 10.) verba illa Dominica exponens: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: Adverte,* ait, *quod non dicit, si me audieritis, aut ad me accesseritis, aut simile quid, sed si manseritis. Et certe, aut perseverare laboriosum est, aut non: quod si laboriosum est, debemus nobis proemium ante oculos proponere; sin minus, plane gravissimam incurrimus reprehensionem, si non perseveramus.* Sanctus etiam Gregorius (*lit.* 12. *moral. c.* 6.) pulchram de hoc sententiam protulit, eius verba iuvabit apponere: *Non est absolutus debitor, qui multa, sed qui omnia reddidit: nec ad bravium victoriae pervenit, qui in magna parte spectaculi currit, si iuxta metas veniens in hoc, quod est reliquum, deficit: nec ad quaelibet destinata loca pergentibus inchoando prodest longum iter capere, si non etiam totum valeant consummare. Qui ergo aeternam vitam quaerimus, quid aliud quam quaedam itinera agimus, per quae ad patriam festinamus? sed quid prodest, quod coepimus multa, si ea, quae ad*



*perveniendum restant, negliguntur?* Quibus Caesarei Arelatensis (*ho.* 25) verba cohaerent: *Quid,* ait, *mihi prodest, si mihi sata viridantia in herbis spem meam ostendant, et me sub ipso falcis tempore subita, vel aeris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant; quid mihi prodest, si vinea spem omnem in flore promittat, et vel ferarum incursio, vel vastitas grandinis spem omnem in consummatione subducat? ideoque omnis prosperitas, aut felicitas in fine consistit.* Sed hoc altius repetamus. Cicero, a quo divus Thomas accepit, perseverantiam definiens: *Est,* inquit, *in ratione bene instituta stabilis, et perpetua permansio:* atque ideo Apostolis dixit Christus (*Ioan.* 15.): *Sicut palmes non potest facere fructum, nisi manserit in vite, sic et vos nisi in me manseritis.* Huc etiam respexit Seneca: *Non coalescit fortasse planta, quae saepe transplantatur.* Verum non plantae solum, sed nihil in natura reperire est, quod in bene coepto opere stabilitatem, firmitatemque non praedicet. Certe quamvis quae sphaericae figurae sunt, quam facillime hinc inde agantur; terra nihilo secius rotunditate praedita, licet in mediis aquis sita, quae nullius sunt ad sustentandum roboris, nunquam tamen ad dexteram, vel ad sinistram deflectit, sed immobilis in imo centro persistens perseverat (*Psal.* 118.): *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi.* Aquae etiam elementum perennis est mundi totius fons, nec unquam potuit absorberi. Si aerem intueris, miram in suo ministerio perseverantiam admiraberis, qui ut vacua loca compleat (quod Philosophi docent, et experientia comprobat) aera, et ferra confringit. Quid de igne dicendum, qui summum sui caloris gradum retinens perpetuo contiguas aeris partes inflammat, perpetuaque stabilitate damnatorum animas caloris vi torquet? Quid de caelestibus orbibus a regulato suo motu nec per breve temporis spatium cessantibus? quid de continuo planetarum influxu? quid de empyreo caelo, cuius firmitas beatorum stabilitatem, qui in eo habitant, ad vivum exprimit? quid de Christi ipsius in cruce perseverantia, a qua nec provocatus quidem descendit (*Ioann.* 19.)? *Si Filius Dei est, descendat de cruce:* perfecto tamen, et consummato iam opere descendit, prius *Consummatum est* dicens. Hinc Apostolus *auctorem et consummatorem Iesum Christum* dixit. Quod si ulterius progredientes, Deum, qui caput est Christi, iuxta illud, *caput Christi Deus,* intuemur, mirum in bonis operibus perseverandi exemplar intuere licebit. Inspiciamus Deum Optimum Maximum ad intra, divinas, ac immanentes actiones exercentem, principio carens, Filium suum unigenitum perpetuo generat, nec per momentum quidem temporis a suo opere unquam desistens: hoc enim annuit illud Davidicum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* idemque Pater, et Filius, Spiritus sancti spirationi, reciproco amore se amantes, perpetuo, ac incessanter insistunt. Si opera deinde ad extra Dei inspiciamus, illud verificari comperiemus: *Dei perfecta sunt opera.* Unde in Genesi nunquam Deum a mundi creatione destitisse, donec extremam manum operi admoveret, legimus: *Igitur perfecti sunt caeli, et terra, et omnis ornatus eorum: complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit ab omni opere, quod patraverat,* hoc est, cessavit a nova creaturarum creatione, sed quas condiderat, non dereliquit, sed creatas conservavit: neque enim unquam a mundi conservatione desistit: *Pater meus operatur, et usque modo ego operor.* Verum inter omnia condita duo nobis perseverantiae exemplaria dereliquit, primum est illud lapidis, quem Abeston vocant, id referente Plinio, et Alberto. Hic cum semel ad ignem applicatus flammam conceperit, nunquam extinguitur, quamvis maxima aquarum vi perfundatur:

*Arcadiae tellus lapidem producit Abeston,*
*Ferreus huic color est, naturae mira potestas:*
*Nam semel accensus conceptos detinet ignes,*
*Extinguique nequit perlucens perpete flamma.*

Sanctus Isidorus refert olim in Veneris templo lapidem hanc extitisse, quo veluti accensa face utebantur. Talis istorum perseverantia in virtutibus deberet esse, ut semel divini amoris igne concepto, tanto ardore ferverent, ut undantes angustiarum fluctus non valerent extinguere (*Cant.* 8.): *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem.* Alterum perseverantiae exemplar laurus praesefert: haec enim, Geminiano referente, tum brumali, tum aestivo tempore nativam retinet viriditatem, immo tonitrua spernit. Et hinc est, quod Tiberius Caesar cum fulgura videret, et tonitrua, lauro cingebat caput, ut fulmen evaderet. Est et lauri proprium, phantasmatum visiones fugare: ideoque in praefato Genesis capite legimus Rebeccam laureo serto redimisse caput. Hoc perseverantiae mirum in modum congruit: haec enim hinc divinae iustitiae fulgura, quae nostris provocata criminibus iaculatur, inde inferni phantasmata, daemones scilicet ipsos propellit, ac fugat: daemonis enim proprium est perseverantiam insectari. Unde illud Bernardi: *Scias diabolum soli semper perseverantiae insidiari, quam solam virtutem novit coronari.* Novit quidem daemon perseverantia deficiente palmam victoriae denegari; ideoque Gregorius: *Sine perseverantia,* ait (*sup. cap.* 1.) *nec pugnans victoriam, nec victor accipit palmam.* Completur autem in daemone, quod de eo in ipso mundi primordio praedixerat Deus: *Tu insidiaberis calcaneo eius,* idest in extremis vitae diebus hominibus laqueos, et insidias parabis: sic enim verba haec D. Gregorius exponit, illudque Davidicum affert: *Ipsi calcaneum meum observabunt,* id est, extremis vitae mae diebus insidiabuntur: tunc enim omnes animi

conatus in laedendo adhibent, quia quae nunc machinati non explent, nullam in posterum dandam sibi perficiendi facultatem recte norunt. Verum si ea omnia, quae hactenus enumeravimus, perseverantiam non suadent, quae Ecclesiasticus admonet, satis esse putaverim, ut numquam caelesti militiae adscriptus miles animus a bonis avertat operibus et sub alio, quam Christo duce militet: *In duobus*, ait Spiritus sanctus (*Eccles.* 26.) *contristatum est cor meum, et in tertio iracundia mihi advenit: vir bellator deficiens perinopiam*, emeritae militiae miles, summa inopia laborans, ob denegata sibi debita stipendia: *vir sensatus contemptus, vir doctus despectus*, haec Ecclesiastici angebant animum; verum de eo, quod subdit, vehementius dolebat: *Qui transgreditur a iustitia ad peccatum*. Dolendum sane, quod tam prompte suavi Dei lege proiecta, ferreo diaboli iugo colla submittat: at sacer textus inquit, debitas dabit poenas: *Deus paravit eum ad romphaeam*, quod interlinearis Glossa exponit: *Deus reservat eum poenis perpetuis*; Vatablus, *Dominus eum caedi destinabit*. Ut autem ad perpetuas aeternitates puniendum monstraret, romphaeae voce utitur, quae longum ensem significat, ut ferreo ense poena, longitudine aeternitatis perpetuae duratio denotetur.

## HOMILIA UNDECIMA.

*De universali omnium laetitia, quam mundus ex Christi resurrectione percepit.*

Inter ceteras praerogativas, quibus triumphalis Christi resurrectio secundos humanarum rerum eventus excedit, ea minima non est, quod prosperi mundi exitus limitati semper fuere: quippe qui unicam domum, cognationem, vel ad summum unam, vel alteram exhilaravere Rempublicam); verum in Christi Domini resurrectione communis est totius mundi laetitia; non est limitatum domus alicuius gaudium, ut in nativitate Isaac risum significantis; non cognationis unius, ut Ioannis Baptistae; non totius civitatis, ut Bethuliae libertas; non totius prosapiae, ut regnum Ioseph; non totius generis, ut Hebraeis accidit ex Babylonica, et Aegyptiaca captivitate erutis; vel cum poena eis, Regina Esther intercedente, inflicta non fuit, post mortis in eos latam sententiam: sed universalis potius totius mundi laetitia fuit. Sicut enim in Christi morte ita communis fuit omnium dolor, ut caelum lugubri amictum habitu viderent, sol eclypsatus, Luna obscurata, terra patula cerneretur, lapidesque invicem collisi scinderentur; immo nec defuit, qui dixerit Angelos aereis assumptis corporibus lacrymis moerorem testatos, quod praedixerat Isaias: *Angeli pacis amare flebunt*; tandem tantus fuit dolor, ut deficiente in cruce Domino, omnia deficere, diemque suum obire cuperent, ut dicit sanctus Leo (*de Pas. Dom.*): *In obitu conditoris sui volent omnia finiri*: sic etiam eo resurgente communis fuit caeli, terraeque laetitia: *In resurrectione tua Domine, caeli, et terra laetentur*. Angeli conceptum gaudium retinere non potuerunt: primi enim praecones fuere Christi resurrectionis, candidisque vestibus induti apparuerunt, quae laetitiae signa sunt, nigrae maestitiae; unde tunc cantat Ecclesia: *Exultet iam Angelica tuba caelorum*: cuius rationem assignavit Gregorius (*ho. in pasch.*): *Quia nos*, inquit, *revocando ad caelestia, eorum numerum complet. Caeli gaudium incredibile est quantum extiterit; sol enim praecipua caeli lampas, tribus horis solitam oriendi legem praeveniens, insolito radiorum ardore coruscus enituit*. Quod testatur Petrus Chrysologus (*ser. de resurr.*), a quo nec doctissimus Rabanus discrepavit: *Sol*, inquit, *qui propter quod Domino compateretur morienti, abscesserat, claritate, ut consurgeret, Domino ante tempus occurit, et ut suo commoreretur auctori, ipsam meridianam mortificaverat claritatem: ut consurgeret, auctori suo victis tenebris antelucanus erupit; et qui ante fugerat, nunc ipsam noctem praevenit fugaturus, ut reddat nox lucis horas, quas transitu Dominicae Passionis invaserat*. Quod ante praedixerat Psalmista dicens (*Ps.* 138): *Nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebrae eius, ita et lumen eius*: quae verba Incognitus explicans: *Praevidens*, ait, *Psalmista tempus Christi passionis, et resurrectionis, quod scilicet tempore passionis lux diei per tres horas obscuraretur, volens Christus satisfacere lumini diei amisso in sua resurrectione, per tres horas illuminavit noctem: sic quod sol ante tempus secundum cursum naturae debitum, per tres horas ante surrexit*. Nec longe ab hoc abest S. Maximus (*ho. de res.*): *In resurrectione*, inquit, *Christi elementa omnia gloriantur; nam et solem ipsum arbitror in hac die solito clariorem fuisse*. Atque hinc crediderim, terraemotum in resurrectione auditum nihil aliud significasse, quam terram prae laetitia tripudiantem exiliisse, eamque remotissimis etiam insulis fuisse diffusam, ut cecinerat David (*Psal.* 96.): *Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae*. In quo psalmo titulus notandus est, ad rem, de qua agimus, accommodatissimus, qui talis est: *Psalmus David, quando ei terra restituta est*. Commemorat Psalmus eventum (2. *Reg.* 17.) cum Absalon per summam iniuriam, Patris regnum occupans, eum e Hierusalem eliminavit: qui deinde, mortuo suspendio Absalon, regno restitutus, in tranquilla pace vitam duxit, atque Psalmum hunc illius memor composuit, cui praedictum titulum inscripsit: *Psalmus David, quando ei terra restituta est*. Verum ut recte adnotavit Incognitus, non agitur hic de eventu illo, sed de illius significato; unde ait David nomine Christum significari, qui inter plures iustos filios Iudam habuit rebellem, et proditorem, sicut Absalon, qui etiam patrem prodidit. Terra, quam Iudas a Christo bello diripuerat, Christi caro fuit, dicente Gregorio (*lib.* 9. *Moral. ca.* 21.): *Quid nomine terrae, nisi caro exprimitur*, quam ipse tradidit inimicis. Nec ab exitu hi duo fuere dissimiles. Sicut enim Absalon crinibus suspensus animam exhalavit, sic Iudas ex arbore pendens, testante S. Evangelista Matthaeo: *Laqueo se suspendit*. Et sicut mortuo Absalon illico terrae dominium restitutum legimus Davidi, a quo fuerat expulsus, sic moriente Iuda, carnem suam resurgens reassumpsit Christus, quae ab anima, Iuda tradente, fuerat separata: quo mortuo, inquit Incognitus, sicut terra sua restituta fuit ipsi David, sic et Iuda suspenso Christus terram suam, scilicet carnem resurgendo reassumptis, et postea regnavit in pace, tanquam verus Rex. Praevidens igitur David felicem hunc Christi resurgentis eventum, quem id quod sibi acciderat, praefiguraverat: *Exultet*, dixit, *terra, laetentur insulae multae*. Verum sigillatim inspiciamus, ad quosnam laetitia ista pervenerit. Iure optimo inter congratulantes Christo, Sanctos illos Patres, in sinu Abrahae cubantes, dixerim adnumerandos: sicut enim non modicum laetitiae affert voti compotem fieri; sic inenarrabile fuisse crediderim Sanctorum Patrum gaudium; Christo enim Domino resurgente spes omnium completa fuit. Sed maius fuisse existimandum est Abrahae gaudium, qui solo spiritu mysterium hoc praevidens, adeo gavisus est, ut Christus Dominus dixerit, Ioanne attestante: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est*. Quamvis enim D. Gregorius (*ho.* 18. *in e.*) putet diem hunc esse illum, in quo mysterium Trinitatis ei fuit revelatum; et sanctus Chrysostomus existimet diem hunc mortis diem fuisse; Lyranus quamplures referens, diem Incarnationis; et Augustinus dubitet, utrum dies hic de temporali, an de aeterna nativitate intelligendus sit: *Incertum est* (ait) *an diem temporalem intelligat, quo erat venturus in carne, an vero diem aeternitatis; sed utrumque Abraham vidit*. Tantorum tamen pace virorum sanctum Theodoretum sequutus, existimo, hic de resurrectionis suae die Dominum loquutum, qui per antonomasiam dies dici potest, quippe qui cunctorum dierum rex sit: quod et annuit Ecclesia cum concinit: *Haec dies quam fecit Dominus, exultemus, et laetemur in ea*. Dies quidem omnes fecit Deus, verum resurrectionis dies praecipue sibi adscribitur, quia in nullo dierum ita eius maiestas enituit, sicut in hoc, in quo Filium Dei se esse manifeste ostendit, suaeque doctrinae veritatem confirmavit. Resurrectio enim Christi sigillum fuit, et nota, quibus universa nostrae fidei mysteria munita fuere. Sicut enim Apostolicae litterae, et regia mandata, Apostolico, et regio sigillo muniuntur, ut integra illis praestetur fides, sic Christus mysteriorum fidei nostrae veritates confirmans, resurrectionis sigillo communivit, sine quo invalida, et infirma essent, ut dixit Apostolus (*Corin.* 15.): *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra*. David etiam de Christo loquens: *Quae utilitas*, inquit (*Psal.* 29.) *in sanguine meo, dum descendo in corruptionem*: ac si diceret iuxta Incogniti expositionem: Si corpus meum non resurgeret, sed ut cetera corrumperetur, quodnam ex mea morte emolumentum humano generi praestabitur? Sed ut Evangelica illa verba exponamus: *Pater vester exultavit etc.* in memoriam revocemus Apostoli verba, qui de Abraham agens filium iam iam immolaturo, habet haec: *Arbitrans, quia et a mortuis suscitare potens est Deus, unde eum et in parabolam accepit*; id est sicut explicat Theodoretus, in symbolum, et typum resurrectionis. Quod enim immunis a morte Isaac evaderet, symbolum fuit Christum resurrecturum illaesum a mortis ferro. Vel dicamus, Abraham Christi resurrectionem cognovisse, cum promisit ei Deus ex se, et uxore Sara, quamvis sterilibus, et ad generationem ineptis, et veluti mortuis filium procreandum. Non est commentum meum hoc, sed id Apostolus docuit, cum dixit (*ad Ro.* 4.): *Non infirmatus est fide, neque consideravit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae*. Itaque ex hac Abrahae, et Sarae morte Deus illis filium suscitavit Isaac, et hanc esse figuram quam praevidit Abraham, voluit Paulus, unde eum in parabolam accepit, quod cum in seipso figuratum videret Abraham, magnopere laetatus est: *Vidit, et gavisus est*. Aggrediamur nunc sanctarum mulierum in Christi resurrectione gaudia. Inter quae, quia excellentissimum fuit Virginis Matris gaudium, ab hoc si placet, exordiamur. Illud crediderim B. Virgini accidisse, quod in nube soli opposita videmus. Sol cum adversam sibi caliginosam nubem prospicit, lucidissimis eam perfundit radiis, et ita rutilantem reddit, ut solem mentiatur: obscuram nubem Mariae cor existimarim, ob tristitiam ex passionis tempestate conceptam; adventante tamen iustitiae sole Christo illam irradiante, incredibili laetitia, summaque complevit gloria, humanitatem suam illius oculis offerens. Innumerae rationes suadent, Mariae gaudium in Filii resurrectione totius mundi excessisse laetitiam; verum quia de hoc paulo ante abunde egimus, unum nunc proferatur: nam sicut natura dicit, summopere laetamur, cum amissas res, quas plurimi faciebamus, repetimus, ut significavit Dominus in evangelica parabola (*Luc.* 15.): *Epulari, et gaudere oportebat, quia hic frater tuus mortuus erat, et revixit, perierat, et inventus est*; et alibi: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram*; sic B. Virgo cum in Christi resurrectione inaestimabilem illum sui Filii thesaurum, supra omnes caeli, terraeque thesauros invenisset, quem morte perdiderat, mirum in modum laetatam credendum est. Drachma pretiosissima erat Matris ad Filium relatio, hanc, iuxta recentiorum philosophandi normam, Virgo perdiderat mortuo Christo: mater enim, et filius correlativi sunt, sicque deficiente uno alterum deficere necesse est. Resurgente Christo, Virgo etiam in sua relatione, Matrisque dignitate surrexit, poteratque merito in evangelica verba prorumpere: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram*. B. Vir-

gini congratulatas etiam censeo sacras illas Mulieres: quae enim fuerant passionis tempore contristatae, iure optimo Christi resurgentis triumphum celebrare debebant. Mos apud priscos inoleverat, mulieres victoribus obvias canticis, musicisque instrumentis illorum celebrare victoriam. Sic Davidi, Golia subacto, hierosolymitanae mulieres occurrerunt, honorifica carmina decantantes (1. *Reg.* 18.): *Percussit Saul mille, et David decem millia.* Idem recenset Iosephus Flavius de Atheniensibus mulieribus, cum Titus Imperator debellavit Athenas. Pausanias etiam refert, cum a Lacedaemoniis Messenii graviter premerentur, quendam Aristomenem nomine noctu Palladis templum ingressum, et ibi clypeum reposuisse, ubi ipsi hostes parta victoria arma reponere consueverant, deinde inimicos invadens fugavit exercitum, populumque suum e molestiis eripuit, eique triumphanti Messeniae mulieres occurrerunt, carmen illud, quod Rianus retulit, decantantes:

*Per medium campum stericleron, et iuga boum*
*Spartanos fugat fortis Aristomenes.*

Sic cum fortis armatus Daemon mundum sua tyrannide opprimeret, misericordia motus divinus Aristomenes (Iesum intelligo) reposuit in crucis sublimi insigne illud I. N. R. I. et in mortis templo, ubi Daemon victorum hominum trophaea asservabat, sacrae suae humanitatis clypeum locavit, quo munitus Daemonem domat, tartareas potestates coercet, carceres reserat, et captivos redimit. Cui deinde opimis spoliis onusto primae illae, atque insignes legis gratiae mulieres laetabundae occurrerunt, victoriam decantantes, verum nom solitis inveteratisque concentibus (novam enim canendi rationem in tanto triumpho desiderabat a nobis David, *Cantemus Domino canticum novum*; non vetus canticum Mariae sororis Moysis, cum mare rubrum sicco pede permeantes Hebraei gloriosam reportaverunt ex Pharaone victoriam; non canticum Debborae insignis decus victoriae: non Annae, ob sterilitatis opprobrium sibi ablatum; non Ezechiae, quindecim annis eius aetati superadditis, sed novum decantetur canticum, quod in caelo ab Angelis compositum, ab iisdem fuit in nostri Salvatoris sepulcro decantatum: *Quid quaeritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit.* Poterant quidem canticum quod David novum dixit, canere: *Salvavit sibi dextera eius, et brachium sanctum eius.* Iure canticum hoc novum inscribi meretur; quamvis enim antiquum iam esset, posse ad vitam mortuos revocare, quod Eliae, et Eliseo negatum non fuerat, posse tamen defunctum semetipsum suae omnipotentiae dextera suscitare, *Salvavit sibi dextera eius*, opus novum erat, et inauditum. Celebrarunt etiam discipuli maxima animi laetitia resurgentis Christi trophaeum: *Gavisi sunt Discipuli viso Domino.* Descripsit adamussim translato loquendi more gaudium hoc Isaias: *Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, et sicut laetantur victores capta praeda, quando dividunt spolia, et sicut in die Madian.* Ait primo similem futuram laetitiam gaudio messorum: sicut enim arandi serendique elapsis intervallis, nivibus, et frigoribus transactis, brumalisque temporis inclementia, maxime laetantur, cum copiosas colligunt messes, quibus horrea complent; hoc discipulis accidit: sato enim Christi corporis frumento intra sepulcri terram: *Granum frumenti cadens etc.*: eorum corda moeror maximus occupavit; verum redivivum videntes Dominum, tanquam maturam splendentemque aristam, qua credendum est laetitia perfusos? Evangelista dicente: *Gavisi sunt Discipuli viso Domino.* Comparat secundo loco Propheta Discipulorum laetitiam militum gaudio victoria parta. Certe tempore belli milites magis premuntur angustiis, quia, ut veteranus quidam dixit miles, *Varius est eventus belli;* verum cum secundus belli exitus acciderit, vexilla extollunt, tympanis personant, concrepant tubis, et innumera alia laetitiae signa praeseferunt. Non aliter Christi Discipuli, cum in montis Calvariae acie dimicaretur, tanto fuerunt terrore concussi, ut terga vertentes, proprium Ducem in hostium manibus reliquerint; at parta victoria, quam Christo resurgente cognoverunt, tristitia in tripudium, moerore in gaudium converso, mirum in modum laetati sunt: *Gavisi sunt Discipuli viso Domino.* Tandem comparat nominatim laetitiam hanc gaudio bellantium in bello Madian: respexit Propheta ad victoriam, quam ex hostibus reportarunt, cretaceis confractis vasibus, in quibus accensus ignis inclusus asservabatur. Confracto enim clavis mortali Christi corpore, indeque rutilante suae animae face prodeunte Daemonem debellavit, et post resurrectionem humani generis hoste devicto, incredibili gaudio Apostoli laetati sunt; ideoque sacrosancta Mater Ecclesia temporibus his adeo laetatur, ut nihil aliud effari, nihil aliud quam in Alleluia, Alleluia erumpere videatur, in singulis pene verbis illud repetens. Transire contemplor matrem Ecclesiam temporibus his ab extremo tristitiae passionis causa, ad extremum laetitiae resurrectionis gratia, eique evenit, quod phialae aqua plenae videmus accidere, quam si repente intorqueas, cum angustum habeat orificium, et tota simul inde aqua pondere suo eam impellente tentet defluere, nec unica solum gutta decidere potest, unde oportet quasi excutere phialam, et sic guttae quaedam discretae absque continuo fluxu decidunt: non dissimiliter Ecclesia sancta a summo moerore passionis ad summum resurrectionis gaudium se repente conversam contemplans, cum tanti gaudii copiam in filios simul effundere non possit, quasi guttatim laetitiam stillet, gaudii sui has discretas guttas emittens Alleluia, Alleluia, Alleluia. Quod sane cum Davidico concentu recte cohaeret, qui cum de Christi Domini resurrectione in Psal. 17. loquutus esset, primo in iucundam Alleluia erupit, Psalmo titulum hunc inscribens: *Alleluia Alleluia:* quasi dicat, laetemur,



et iterum laetemur, sed spirituali gaudio nos laetari commonet, non terreno, sicut profani homines sacro hoc tempore consuevere, qui Christi resurrectionem nequaquam celebrant, sed iniuriis lacessunt, ut recte dixit Bernardus, has calamitates deplorans: *Ipsius plangimus solemnitatis iniuriam. Proh dolor, peccandi terminus, tempus recidendi facta est resurrectio Salvatoris. Ex hoc tempore comessationes, et ebrietates redeunt, impudicitiae repetuntur, et laxantur concupiscentiae froena, quasi ad hoc surrexerit Christus, et non magis propter iustificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum, quem suscepistis? quid minus reverentiae resurrectionis tempus exigit, quam passionis? sed vos, ut manifestum est, neutrum honorastis, nec tempore passionis devote compatientes, nec tempore resurrectioni christiana laetitia congaudentes.* Posset non immerito Ecclesia conqueri, Evangelistae verba repetens: *Cantavimus vobis, et non saltastis: lamentavimus vobis, et non plorastis.* Tempore passionis flebat Ecclesia fletibus maestissimis qui vel durissima quaeque corda emollire potuissent, et non estis compuncti, et lacrymati; nunc tempore resurrectionis devotis vocibus laetabunde concrepat, et ecce spiritualis laetitia non adest, sed magis profana, et mortifera, ut olim dicebat Chrysostomus auditoribus suis in haec verba: *Nonnulli, dilectissimi, festivos se esse dubitant, nisi gulae, nisi ventri, nisi luxuriae satisfecerint. Non est hoc, fratres, festivitatem colere Dei, sed coinquinare. Vultis ergo scire, quid sit hominem festivum esse? Imitamini in aliquo illos, qui primi hac festivitate usi sunt, dico sanctos Dei, quorum semper fuerunt dies sobrii, noctes pudicae, sanctae vigiliae, sopor castus, actus probi, conversatio honesta: neque illos sequamur, quorum, ut Apostolus ait, finis est interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusionem eorum, qui terrena sapiunt:* sermonemque claudit suum, dicens: *Si ergo vultis vera solemnitate uti, in veris gaudiis frui gaudete*, ut Apostolus ait: *Sed gaudete in Domino semper.* Horatius etiam non longe ab hac doctrina aberravit: epistolam enim ad Celsum scribens haec primo apposuit verba: *Celso gaudere, et bene rem gerere:* laetari amicum cupit, sed non improba laetitia, verum honesta, quae a virtute proficiscitur, et a familia, et a rei familiaris cura mentem non avocat, non profana. Tandem si rite diem hunc celebrare desideras, memento quod docuit Paulus: *Itaque festum celebremus* (sic transfert Vatablus) *non in fermento veteri, nec in fermento malitiae, et versutiae, sed in panibus fermento carentibus*, hoc est sinceritate, et veritate: sinceritate in voluntatis affectu; veritate in intellectus cognitione. Sic enim fausto fruemus Paschate, in gloriam Christi resurgentes. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA DUODECIMA.

*De variis circumstantiis comitantibus resurrectionem Christi Domini, ut quod in Dominica resurrexerit, in aurora, in diem tertium illam distulerit, Angelus apparuerit iuxta sepulcrum, terraemotus magnus fuerit, prae timore custodes ceciderint. in specie hortulani, et peregrini Christus comparuerit, ac tandem qui fuerint illi, qui cum eo resurrexerint.*

De praecipua Dominicae resurrectionis circumstantia, de qua, quia iam longum sermonem habuimus, nihil est quod loquamur, nimirum, quod propria virtute se ipsum a mortuis excitarit, quae adeo mirabilis est, ut de ea dixerit Bernardus: *Quis in omnibus ceteris aliquando suscitavit semetipsum? ineffabile illud est, ut a morte se excitet ipse, qui dormit: singulare est, non est usque ad unum.* Proferam tamen hac de re unicum tantum, sed singulare testimonium. Virtutem enim hanc seipsum excitandi in Christi nomine adumbratam reperio, quod unctum significat. Experientia namque compertum est, cum in vas aqua plenum oleum effunditur, quamvis deorsum tendat, propria tamen virtute in altum ascendit. Decidit in mortis rivum Christus, de quo Sponsa dicit: *Oleum effusum nomen tuum:* ibique immersus: *Inpxus sum* (ait) *in limo profundi*, sed per modicum temporis ibi detentus est: corpore enim e sepulcro, velut oleo, anima e limbo ascendente, propria virtute surrexerit, qui claves habet vitae, et mortis. Dies haec Christi resurrectionis dies Dominicus fuit (ut alteram temporis circumstantiam aggrediamur (*Matt.* 28.) dicens, *Prima sabbati:* vel enim sabbatum hebdomadam significat, vel diem ipsum sabbati; et quidquid horum sit, semper prima sabbati Dominicus dies significabitur: ipse enim est primus hebdomadae dies, primusque post sabbatum. Quapropter Augustinus super Psalmi 23 inscriptionem, quae in prima sabbati inscribitur, de Domini resurrectionis die, qui iam Dominicus dicitur, interpretatur. Hoc nomine ab ipso Apostolorum tempore dies haec decorata fuit, ut ex Apocalypsi Ioannis constat: *Et fui in spiritu in Dominica die:* idemque docuit Augustinus (*ser.* 251. *de temp.*) illis verbis: *Dominicum diem Apostoli, et Apostolici viri ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit:* et inferius quamplures diei huius excellentias enumerat: *Ipse est primus dies saeculi; in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque a mortuis resur-*

*rexit Christus, in ipso de coelis Spiritus sanctus super Apostolos descendit: manna in eremo primo die de coelo datum est, his enim indiciis Dominica dies extat insignis.* Verum August. (*sermone* 237.) verba illa: *Haec dies, quam fecit Dominus*, *etc.* exponens, longiorem hac de re sermonem intexuit: *Videtur*, inquit, *mihi haec dies ceteris diebus esse lucidior, sol mundo clarius illuxisse, astra quoque omnia, et elementa laetari; et quae patiente Domino proprium lumen retraxerant, et noluerant creatorem suum aspicere crucifixum, ecce nunc victorem, et ab inferis resurgentem novo claritatis suae venerantur obsequio: credit caelum, credit terra, sermonemque suum hic claudit. Quomodo Maria Virgo mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet, ita et inter ceteras dies haec omnium dierum mater est: rem novam dico, sed quae Scripturae testimoniis comprobatur.* Tandem Iustinus martyr diem hanc *diem Solis* appellat; in qua nempe sol iustitiae Christus, qui mortis eclipsi fuerat obumbratus, nova claritate effulsit. Colligimus igitur die Dominica Dominum surrexisse, cum ex Apostolorum traditione, et Patrum testimoniis id comprobetur. Sed si de hora loquamur, etsi Hieronymus (*in epistola* 150.) quam Hedibiae scripsit: *Surrexisse dicat Dominum, qua hora voluit, quae nulli mortalium cognita est:* idemque senserint Dionysius Alexandrinus (*epist. ad Basilidem*), Theophylactus (*Marci ult.*): Euthymius tamen (*in* 18. *in Matthaeum*): *Omnes*, inquit, *unanimiter sancti Patres, et doctores tempus resurrectionis eius fuisse dicunt circa primum gallicinium, quod iam Dominici diei lucem praeseferebat, ideoque post sextam noctis horam virtutis sectatores soluto ieiunio laetitiam auspicantur.* Non refert Euthymius Patres, sed quos reperi, apponam: Gregorius (*hom. pas.*): *Samson, ait, media nocte non solum exiit, sed etiam portas tulit, quia videlicet Redemptor noster ante lucem surgens non solum liber de inferno exiit, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit.* Athanasius (*lib. de virg.*): *Media nocte excitaberis, et hymnis celebrabis Dominum Deum tuum; ea enim hora surrexit Dominus a mortuis.* Rupertus (*de div. off.*): *Dominus noster media nocte de Virgine natus; idem ut Samson quondam obsessus, media nocte confractis portis inferni surrexit a mortuis, media nihilominus nocte venturus asseritur.* Idem affirmant S. Cyrillus Alex. (*lib.* 12. *in Ioan.* 44.), Greg. Nyssenus (*orat.* 1. 4. *de resur*), Victor Antioch. (*in* 16. *Marc*), nititurque haec opinio testimonio Ioannis, qui ait Magdalenam, quae (cum adhuc tenebrae essent) ad sepulcrum advenerat, revolutum lapidem invenisse. Christus igitur nocte surrexerat, idque cantat hac die Ecclesia: *Quae sola novit punctum et horam, in qua Christus ab inferis victor ascendit*; communior tamen, et quae magis mihi arridet, opinio est, Christum Dominum mane sub aurora resurrexisse: hoc voluit Augustinus, illud Psalmi exponens: *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exaltabo mane misericordiam tuam*, ubi haec habet: *Merito ipsius Domini resurrectio diluculo fuit, ut impleretur, quod dictum est in Psalmo: Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia:* et (*super Psalmum* 127.) in illa verba, *A vigilia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino*, ait: *A vigilia matutina resurrexit a mortuis, ut hoc speremus in nobis futurum, quod praecessit in Domino.* Sanctus Ignatius: *Illucescente*, inquit, *Dominico die surrexit ex mortuis.* S. Prosper; *Vespere Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione.* S. Cypr. (*in exp. orat. dom.*): *Mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur.* S. Thomas: *Christus surrexit iuxta diluculum, illucescente iam die, ad significandum, quod per suam resurrectionem nos ad lucem gloriae inducebat.* Eusebius Emyssenus (*hom.* 8. *de Pass.*) luctantem in aurora cum Angelo Iacobum Christo resurgenti accommodat. Sedulius etiam hoc idem carmine decantavit:

*Coeperat in terra post tristia sabbata felix*
*Irradiare dies culmen qui numinis alti*
*A Domino dominante trahit, primusque videre*
*Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.*

Hoc etiam voluere Leo Papa, Hilar. (*in Matt. can.* 3.) Ans. (*in Mat. c.* 12.), Bon. (*in* 3. *d.* 21. *et* 22.) et Scholastici ibidem. Annuit etiam hoc sancta Ecclesia cum in Paschalibus solemnitatibus ad laudes concinit:

*Aurora lucis rutilat,*
*Cum rex ille fortissimus*
*Victor surgit de funere.*

Et alibi Prudentii verba decantat,

*Ales diei nuncius*
*Lucem propinquam praecinit,*

Quod si ad divini eloquii testimonia mentis oculos convertamus, quam plurima hac de re tum mystice, tum ad litteram protulisse comperiemus. Psal. 56. habetur: *Exurgam diluculo*, vel ut alii legunt: *Excitabo auroram;* quasi diceret: Quamvis Poetae fabulentur velocissimis equis Aurorae currum vehi, lento tamen gressu mihi incedere videtur; et ideo ego eam praeveniam: *Excitabo auroram.* Huc faciunt Sophoniae verba iuxta Septuaginta versionem, *praeparare, consurge diluculo, expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meae.* Quem deinde latet, Psalmum 21. pro susceptione *Matutina* inscribi, *vel pro Cerva aurorae*, in quo iuxta communem omnium sententiam de tempore, quo Christi resurrectio fuit, verba fiant? et (*Psal.* 58.) legimus: *Exaltabo mane misericordiam tuam*, vel ut Chaldaeus Paraphrastes interpretatur, *Celebrabo tempore matutino bonitatem tuam.* Tandem Marci Evangelistae verba mirum in modum rem nostram confirmant, quae si, ut sonant, explicentur, omissis inutilibus recentiorum quorundam interpretationibus, nullum relinquent dubitationi locum: *Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariae Magdalenae.* Nec obstat, quod Iansenius apponit in Graeco, non haberi vocem illam, *Surgens, sed cum resurrexisset*, ita ut vox, *mane*, non sit coniungenda cum resurrectione, sed cum apparitione; unde inquit, *Surgens noctu mane apparuit:* non obstant inquam, Iansenii haec dicta: tum quia Concilium Tridentinum vulgatam sacrae Scripturae editionem Graecae, Syriacae et Caldaeae versioni anteponit: tum quia, etsi Graecam versionem admittamus, adhuc voces illae *Cum surrexisset*, idem prorsus significarent: vox enim *mane* circumstantiam denotat temporis, quo Christus a mortuis resurrexit, quam Evangelista contendebat exponere. Quod si quis dicat Dominici diei mane, post transactam sabbati mediam noctem inchoari, sicque voce illa, *mane*, cum resurrectione coniuncta, Christum a mortuis noctu resurrexisse, verissime dici; atque adeo, *mane*, stricte acceptum, posse noctem etiam signare; tamen iuxta consuetum loquendi morem planum est, mane contra noctem distingui, tenebrasque excludere: et iuxta hanc acceptionem citati patres exponunt. Nec obstat quod D. Ioannes dicat, Marias noctu ad monumentum venisse: *Cum adhuc tenebrae essent:* sanctus enim Marcus orto iam sole advenisse testatur. Dicendum enim, ne invicem pugnantes Evangelistas dicamus, in adventu hoc duplicem posse nos terminum respicere, a quo, et ad quem: a quo quidem, cum scilicet e domo discesserunt, et hoc noctu accidisse, cum adhuc tenebrae essent: alterum ad quem, quo scilicet venerunt, nempe ad sepulcrum, et id illucescente die fuisse, orto iam sole. Vel dicamus intelligenda esse Evangelistarum verba cum sol horizontem conscenderat, ut placet Dionys. Alexand. et aliis; vel cum ascendisset iam, et horizontem illustrasset, nondum autem aerem illuminasset, quod verius videtur Augustino, Euthy. et Theoph. quamvis certius sit, nihil nos evidenter in hac re tamquam certum omnino stabilire posse, ut docet Hieron. ubi supra.

Sed intueamur, quae mysteria in tertia circumstantia delitescant, quod Christus Dominus tertia die ab inferis resurgere voluerit, et quod ante diem tertium non resurrexerit. Congruens videtur ratio D. Tho. (3. *p. q.* 53. *a.* 2. *in corp.*): *Oportuit moram esse inter mortem, et resurrectionem: si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset, quod eius mors vera non fuisset.* Et Chrysost. (*ho.* 3. *in c.* 12.) ad idem inquit: *Non enim cruce solum, et visu omnium, qui tunc aderant, verum etiam dierum numero mortem confirmat: nam etsi universa tempora morti testatura erant, tamen si tunc non multa attestata fuissent, potuisset dubitari; morte autem non credita resurrectionis etiam mysterium vacillabat.* Prius autem hoc insinuaverat Athanasius his verbis: *Ut mortuum esse suum corpus doceret, non prius, quam triduanum cadaver esset, excitavit.* Sed cur tertia die, et non sequentibus resurrexerit, varias rationes sancti Patres excogitaverunt. Sanctus Thomas, ubi supra, ad hoc ait: *Ut confirmaretur fides de veritate divinitatis ipsius, oportuit, quod cito resurgeret, et eius resurrectio non differretur.* Athan. (*loco citat.*): *Ne quispiam*, ait, *obiiceret ipsum, non idem, sed aliud corpus circumferre, ea de causa ultra tridui moram non passus est, neque eos, qui ipsum audierant de resurrectione promittentem, in longum distulit, sed cum adhuc propemodum verba illa in eorum auribus obstreperent, oculique eius speciem retinerent, intra tridui spatium, quod plusquam mortuum erat, immortale, et incorruptibile omnibus ostendit, quo intelligeretur, illud non imbecillitate naturae, cum Verbum in eo domicilium suum haberet, extinctum fuisse; sed ideo extinctum, ut mors viribus nostri Salvatoris Iesu Christi aboleretur.* S. Leo Papa non dilatam Christi resurrectionem existimat: *Ne turbatos*, inquit, *discipulorum animos longa maestitudo cruciaret*, iuxta illud Psalmi (*c.* 11): *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Poterant tunc Apostoli Davidica illa verba proferre: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* Ut ergo eos Dominus consolaretur, tertia die resurgens ait illis: *Ego sum, nolite timere.* Voces illae, *Ego sum*, praecipua sunt Dei insignia: postulans enim Moyses, quodnam esset Dei nomen, et quem dicturus esset qui mitteret illum, responsum accepit: *Ego sum qui sum: haec dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos.* Multas etiam ad hoc congerere possumus morales rationes. Augustinus (4. *de Trin. c.* 5.) ait: *Per diem integrum, et noctes duas in sepulcro commoratum, ut sua morte, quae (ut ait ipse) fuit lux propter iustitiam, duas nostras mortes, corporis scilicet, et animae destrueret.* D. Tho. (*ubi supra*) duas alias rationes apposuit. Prima est, ut significaret: *Quod per resurrectionem Christi tertium tempus incipiebat, nam primum fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Incoepit etiam in Christi resurrectione tertius status Sanctorum: nam primus fuit sub figuris legis, secundus sub veritate fidei, tertius erit in aeternitate gloriae, quem Christus inchoavit resurgendo.* Alia ratio D. Th. est, ut ternario numero, quem in divinis personis credimus, praestaret obsequium: *Per hoc enim quod tertia die resurrexerit, commendatur perfectio ternarii, et quia ut ait Aristot. ternarius est numerus omnis rei, utpote habens principium, medium, et finem: resurrectione Christus suae vitae principium, medium, et finem immortali gloria decoravit.*

Quarta est huius mysterii circumstantia Angelus, quem in sepulcro apparuisse testantur Matthaeus, et Marcus, digna, quam intime perscrutemur: etenim in illa, si alta mente Christi resurrectionem perpendamus, eam mirifice expressam comperiemus. In Angelis impassibilitatem cernimus. Cum enim per tot saecula caelestes orbes moverint, numquam defatigati sunt: est in illis agilitas, quam in Angelo vidimus, qui per brevissimum

temporis spatium Abacuch Prophetam in leonum lacum detulit: nec deest subtilitas, cum eum nullis confractis seris, neque regio signo amoto, quo fuerat signatus lacus, ad Danielem introduxit: claritas nec deest, cum de eo dicat Evangelista, *Aspectus eius sicut fulgur.* Hae Angelorum conditiones quatuor Christi dotes praesignabant, quibus gloriosus ascenderat, iuxta illud Apostoli (1. *Cor.* 15): *Seminatur* corpus *in corruptione, surget in incorruptione*, ecce impassibilitatem; *seminatur in contumelia, surget in gloria*, ecce claritatem; *seminatur in infirmitate, surget in virtute*, ecce agilitatem; *seminatur corpus animale, surget spirituale*, ecce subtilitatem, ut in hoc loco exponit Lyranus. Et ut magis Christum Angelus significaret, ait Evangelista apparuisse Angelum iuvenilem speciem praeseferentem, quod gloriosi corporis proprium est: *Et introeuntes monumentum, invenerunt iuvenem coopertum stola candida*, quod resurgenti Christo adamussim congruit: David enim de eo loquens ait: *Renovabitur ut aquilae iuventus tua.* Et Isaias: *Iste formosus in stola sua.* Tandem testatur Marcus vidisse Angelum sedentem in dextris, quod ad Christi triumphum declarandum conducit: ut enim adnotavit Beda, nascente Christo steterunt Angeli, qui praeliantem Christum signabant; militum autem proprium est stare cum praeliantur: at quia qui regnat, sedet, stare pugnantis est, sedere regnantis; ideo Angelus, qui resurgentis Christi victoriam nunciabat, sedet a dextris. Sedet autem a dextris, ut denotetur, resurgentem Christum a dextris Dei consessurum.

Quinta huius rei circumstantia est, de militum metu, qui terraemotu vehementi audito perterriti sunt. Et de causa huius terroris S. Isid. haec habet: *Leo cubile, in quo habitat, tremere facit.* Cum igitur Christus Dominus fortissimus de Iuda leo esset: *Vicit leo de tribu Iudae;* poterat sola voce, immo et intuitu terram tremefacere, ut dixit David (*Ps.*105): *Qui respicit terram, et facit eam tremere.* Ait ergo Matthaeus: *Terraemotus factus est magnus.* Curiosius intueamur quaeso, cur resurgente Domino terraemotus hic factus est. Multa hac de re alii congerunt; ego unum, aut alterum proferam. Terraemotus inde ortum ducunt: generantur in terrae visceribus venti, his invicem dimicantibus, qui fortior existit, victor ascendit, maximosque fragores terram ipsam erumpens emittit; sic in inferorum claustris Christi anima adversus infernales spiritus dimicavit; cumque victor, et gloriosus ascenderet, terraemotus factus est magnus. Mos apud plures nationes inolevit, ut si quando civitatem princeps quispiam de novo ingreditur, aeneorum, et muralium tormentorum fragore excipiatur. Resurrectionis ergo die cum princeps pacis Christus Dominus terram possessurus ingrediatur, terraemotibus, veluti aeneis tormentis, felicem eius ingressum celebrat. Quod si illud, *Et multa corpora sanctorum*, ut explicat D. Tho. per anticipationem dictum sit (neque enim existimat ante Christum, sed cum eo resurrexisse) certe hoc supposito dicere licebit, exclamasse, atque ingemuisse terram prae dolore, tanquam in die partus, dum eos omnes, quos resurrexisse testatur Evangelista, peperit: resurrectionem enim partum Christus vocavit: *In regeneratione cum sederit filius hominis.* Quod si, ut ait Christus, mulier cum parit, tristitiam habet, quid de terra universali omnium matre dicendum, quae tot simul peperit filios? Cui autem dubium est eum, multis qui spoliatur divitiis, maxime contristari? Asservabat in suis visceribus terra sanctorum thesauros, quibus privata maximos edidit clamores, Evangelista dicente: *Terraemotus factus est magnus.* Experientia etiam docemur, cum arci cuidam igneus pulvis supponitur, si is incendatur, ingenti strepitu, et fragore mille exitus tentat, et arcem solo aequat. Hoc artificio fortis armatus daemon eversus fuit: mundi arcem ipse tyrannica occupaverat potestate. Supponit Christus corporis sui pulverem sub sepulcro, in resurrectione autem vitali calore animam corpori nectens, veluti incendit pulverem illum emortuum, sicque maximis editis fragoribus victor ascendit, et ideo *terraemotus factus est magnus.* Unde sicut acclamantibus militibus Hierici moenia corruerunt, sic facto terraemotu tyrannicum Diaboli dominium concidit: *Nunc princeps mundi huius eiicietur foras.* Praeterea, sicut helluo, qui multis expletur epulis, si quid stomacho ingratum, et conturbans illum comedat, evomit universa, quae devoraverat; non dissimiliter terra, quae helluo merito appellari potest insatiabilis, infernus enim, ut ait Sapiens, nunquam satiatur, plurima quidem peccatorum corpora deglutierat, quae suo stomacho non ingrata fuerant, admisit, et innocentissimi Christi corporis cibum, qui, quia incorruptibilis erat ex divina virtute, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, universa terrae viscera conturbavit, ita ut in voces lacrymabunda erumperet, ut non obscure indicat Evangelista, dicens: *Terraemotus factus est magnus.* Verum non solum clamavit, sed emovuit, nedum Christi corpus, ut olim cetus Ionam, sed multa alia sanctorum corpora: *Et multa corpora Sanctorum resurrexerunt;* completumque est, quod de divite improbo Iob vaticinatus fuerat: *Divitias quas devoravit, evomet, et de ventre eius extrahet eas Deus.* Tandem terraemotus factus est magnus, ut sepulcri custodibus terrorem terra incuteret. Quamvis enim prae laetitia voces emiserit, hoc tamen gaudium tremorem secum compatitur, dicente Davide: *Exultate ei cum tremore.* Terraemotus igitur factus est, ut sepulcri custodes fugarentur: sicut enim tonante caelo perterrita animantia speluncas repetunt; sic terraemotu audito sepulcri custodes, prae timore tabescentes, tandem de monumento aufugerunt. Etenim sicut cum promiserat Deus Moysi, se illi ostensurum, tertia die tonitruum fragores insonuerunt, qui populum perterrefaciebant: *Iamque advenerat tertius dies, et mane inclaruerat, et ecce coeperunt audiri tonitrua, et micare fulgura, clangorque buccinae vehementis perstrepebat.* Sic cum vellet Christus vivus, et gloriosus apparere, praemisit die tertia terraemotus buccinam, qua eius adventus annunciaretur. Hoc annuit D. Ambrosius his verbis: *Terraemotus fidelibus resurrectio est, imperitis metus, adeoque custodes perterriti sunt, ut dicat Evangelista, prae timore autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.* Quod vaticinatus fuerat Isaias (*cap.* 3.): *Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas;* quos summo sermonis lepore irridet Leo Papa in haec verba: *Hoc mane Iudaei non ortus vobis lucis contigit, sed occasus; nec vestris oculis solitus dies prodiit, sed impiis mentibus nox tetra caecitatis incubuit. Hoc mane vobis templum, et altare diruit; legem, et prophetas ademit; regnum, et sacerdotium distulit; in luctum aeternum omnia facta convertit.* Nahum etiam Propheta ut viles exprobrat, et indecoras locustas: *Custodes tui quasi locustae, quae confidunt in sepibus, in die frigoris sol ortus est, et avolaverunt.* Iure optimo locustas eos vocat: hae enim, ut D. Gregorius testatur, noctu loco non dimoventur frigore concretae, sed oriente solis calore evolant, fugiuntque; sic sepulcri custodes, qui nocturno tempore a sepulcro non recesserunt, ascendente tamen iustitiae sole Christo, fulgurantibus suae resurrectionis radiis, *Orto iam sole*, quod de resurgente Christo Bernardus intelligit, e sepulcro aufugerunt, *avolaverunt.* Quod Madianitae praesignarunt, cum detecta luce, quam in vasis absconderant Israelitae, fugam arripuerunt. Apte etiam locustas Propheta Iudaeos dixit: nam, ut Augustinus ait: *Locustis signantur ii qui falsis testimoniis proximos persequuntur:* quod aptissimum est custodibus illis infidelibus, quibus Satrapae dixerant: *Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus.* Tandem sicut locustae maxime omnium amygdalo arbori nocent, ut docent naturales, et sacra Scriptura testatur, dicens: *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta;* sic sepulcri custodes falso suo testimonio Christum laedere conati sunt, merito amygdalo expressum, quia sicut haec arbor prima omnium flores emittit; sic Christus primus omnium veluti reflorescens, resurrexit, ut David praedixerat (*Ps.*27): *Et refloruit caro mea.* Christus etiam horum custodum ineptiam exprobravit: ut enim in libris Regum legimus, cum impius Saul David Regem quaereret, ut eum occideret, ipse autem proditionem praesagiens aufugerat: *Misit* (ait Scriptura) *satellites suos nocte in domum David, ut custodirent eum, ut interficeretur mane. Porro ille aufugit, atque salvatus est.* Sic etiam, ut Augustinus exponit: *Iniustus iudex, ut Iudaeis obsecundaret, milites in sepulcri custodiam destinavit, ne resurgens Christus gloriosus appareret; sed nihil profuit: Christus enim sua omnipotentia resurgens eos fefellit. Porro ille aufugit, et salvatus est.*

Sexta huius resurrectionis circumstantia, diligenti digna examine, varius est Christi resurgentis habitus, quo apparuit. Magdalenae enim horti cultor videbatur: *Existimans, quod hortulanus esset:* discipulis Emmaus petentibus peregrini speciem praeseferre: *Tu solus peregrinus.* Aptissimum est Christo hortulani nomen: ipse enim paradisum plantaverat; ipse Ecclesiae sata, tum sacro cruore, tum lateris aqua, doctrinaeque fluentis irrigaverat; ipse de caelis secundum spiritus rorem immisit; adeoque Christus hac cultura oblectatur, ut ad Patris dexteram sedens ab hoc munere non desistat: *Pater meus operatur, et usque modo ego operor;* immo instar agricolae, in manibus ex assiduo terram colendi labore callos habentis, vulnerum cicatrices in suis manibus asservavit. Voluit etiam Christus tali forma Magdalenae apparere, ut exteriori specie significaret, in excolenda eius anima hortulani munus exercuisse: ipsa enim, quae peccatis velut totidem spinis consitam animam habebat, *A qua septem daemonia eiecerat*, in Paradisum deliciarum, virtutum floribus scatentem, virtute, et industria huius caelestis hortulani conversa fuerat. Quod autem sub peregrini forma Christus apparuerit, multis abundat mysteriis, quae Christo peregrini nomen aptissimum esse ostendunt. Chrysostomus dixit: *In sacra Scriptura etiam in breviori dictione variam sententiarum vim, et incredibiles divitias invenire licet.* Haec Chrysostomi doctrina plane utique verificatur in voce hac, *Peregrinus:* ea enim totam Christi vitam, nedum humanam, sed divinam Cleophas perstrinxit. Si enim divinam Christi generationem intueamur, quid peregrinius illa, quae ab aeterno, et a solo Patre nulla matris opera processit, qua Filius Patri extitit aequalis tempore, et natura? si humanam considerabis, quid peregrinius, quam filium concipi a Virgine nullo viri complexu? hoc tanquam peregrinum, et inauditum in signum dedit Isaias (*cap.* 7.): *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium:* quod adeo est humano captui peregrinum, ut dixerit Leo Papa: *Utramque naturam in unam convenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat.* Peregrinus etiam fuit nomine Christus: de eo enim prophetavit Isaias (*cap.* 30): *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Peregrinus autem dicitur, qui de longe peregrinatur. Eius sermo ita peregrinus fuit, ut ab inimicis etiam eius dictum legamus: *Numquam sic locutus est homo.* In medendis etiam infirmis peregrinus fuit: etenim luto, quo videntes posset excaecari, caecos illuminavit: *Expuit in terram, et fecit lutum, et linivit oculos eius.* Vitam vixit peregrinam: viator enim erat, et comprehensor terminum attingens, in via erat, et currebat. Quid acerba eius passione peregrinius, tum ex parte poenarum, tum patientiae ipsius, tum prodigiorum, quae coelum, et terra ediderunt? Eius mortem peregrinam ne extitisse negabis? quid peregrinius, quam vitae auctorem mori? illud, ut insuetum quid, admirabatur Isaias (*cap.* 18): *Ut faceret opus suum peregrinum, opus eius ab eo.* Pretium, quo venditus fuit, nescio quid habuit peregrini: nam, ut ait Evangelista, ex illo *emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Peregrinum extitit eius sepulcrum: etenim unde ceteri hominum gloria spoliantur, inde gloriosus ascendit, incorruptus, et immortalis; quod praedixerat Isaias: *Et erit*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*sepulcrum eius gloriosum.* Peregrina fuit sepulcri inscriptio: nam cum in reliquis incisum videamus, hic iacet, etc. Angelus non aliud apponit, quam *Surrexit, non est hic;* quasi dicat, hic non iacet Iesus, quia iam surrexit. Tandem in sua resurrectione peregrinus extitit, quia primus omnium propria virtute resurrexit, quod circumstantiam valde peregrinam praefert. Cumque empyrei caeli locus propria sit beatorum patria, iure peregrinus dictus est Christus toto suae vitae curriculo, quo nobiscum conversatus est, et ab ea absens fuit. Post resurrectionem vero peregrinus etiam discipulorum oculis videbatur, poteratque Iob verba proferre: *Alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum:* et illud Davidicum: *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae.*

Ultimam demum resurrectionis circumstantiam Matthaeus subdit: *Multa corpora resurrexerunt:* quod quamvis ex aliorum placitis iam supra exposuerimus, lubet nunc ex propria sententia apponere, quinam hi fuerint, quibus cum Christo feliciter resurgere datum fuit. Ardua res est, et in qua certum est nihil certi inveniri: quare eos solum in hunc numerum referam, quos a sanctis Patribus relatos invenio. S. Augustinus (*ep.* 99. *ad Ex.*) *Durum,* ait, *videtur, ut David non fuerit in illa resurrectione iustorum, si eis iam aeterna donata est, cuius Christus eorum semine tam crebro et tanta evidentia, tantaque honorificentia commendatur.* Sophronii dicta huic Augustini sententiae favent: *Quia,* inquit, *Petrus de morte Davidis loquutus, non dixit cadaver eius Hierosolymis esse, sed tantum sepulcrum eius apud nos est.* Sanctus Ambrosius Moysen etiam surrexisse existimat: *Moysen, licet corpus eius non apparuerit in terris, nusquam tamen in caelesti gloria legimus, nisi posteaquam Dominus resurrectionis suae pignore vincula solvit inferni, et piorum animas elevavit.* Nonnulli recentiorum haec D. Ambrosii verba ad probandum hoc adducunt, sed revera, si auctoris animus perpendatur, Moysis corporis gloriam non probant, sed animarum, ut ex verbis illis, *Legimus,* etc. et ex illo, *elevavit,* non obscure colligitur. Septuaginta Interpretes, Iob cum Christo surrexisse, videntur plane tradere: hi enim verba illa Iob, *Et in novissimo die de terra surrecturus sum,* sic transtulere: *Mortuus est Iob senior, et plenus dierum; scriptum est autem ipsum resurrecturum, cum quibus suscitat Dominus:* quae verba ait Nicetas, quamvis nec in Hebraeo, neque apud Aquilam, aut Symmachum inveniantur, Theodotion tamen admittit, illisque editio Vaticana Sixti subscribit: quod placuit etiam Origeni, et Clementi Romano, qui Apostolicae doctrinae cohaerere sententiam hanc existimat: *Divinus ille,* inquit, *atque insigni tolerantia Iob, de quo ait Scriptura, ipsum rursus suscitandum esse, cum quibus Dominus resurgit.* Quamplures etiam Abraham hic annumerant, nixi Ioannis testimonio. Nec obstat, quod pie Iob dixerit, *in novissimo die de terra surrecturus sum,* quibus resurrectionem in ultimam Iudicii diem differendam videtur ostendere: nam sicut Ioannes gratiae legis statum *horam novissimam* vocavit, quia extrema aetas est, sic Iob ultima aetate suscitandus, id est resurrectionis Christi die, novissimum diem illam vocavit. Volunt etiam nonnulli Abraham cum Christo resurrexisse ex illis verbis Ioannis: *Exultavit Abraham, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est:* quod Theodoretus de Christi resurrectione exponit, affertque ad hoc illud Apostoli; *Tunc accepit filium suum Isaac in parabolam, quod scilicet Isaac a morte erutus Christum resurgentem praesignaverit.* Sed firmo non est fundamento nixa sententia: quamvis enim divino afflatus Spiritu mente praeviderit figuram, non tamen figuratum corporeis oculis vidisse inde colligitur. Illum tandem in hac re verisimile valde crediderim. Sanctorum corpora, quae tunc resurrexerunt, ex illis fuisse, qui propria ossa apud Hierusalem condi solliciti fuerunt, una cum Christo resurrexisse: ad hoc enim Spiritus sanctus eorum corda impulerat, quod de Iacob affirmavit Lyranus his verbis: *Videbat in spiritu, quod cum Christo resurgente resurgerent multi sancti iam defuncti, ut habetur Matt.* 16. *et sperabat cum eo resurgere.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XIII.

*Cur Christus post resurrectionem, clavorum et lanceae signa in suo corpore asservaverit, multiplici eruditione disseritur.*

Haeretici, sicut nihil intentatum relinquunt, ut catholicas veritates evertant, sic semper labefactare, ac destruere conati sunt id, quod sancta mater Ecclesia de Christi cicatricibus docet, profitens resurrexisse Christum veris, non apparentibus vulnerum vestigiis, atque nunc etiam in suo glorioso corpore illa asservare. Sanctus Augustinus (*epist.* 49) de impio Porphyrio refert, qui haec dicebat: *Si post resurrectionem status beatus futurus est, quid sibi vult cibatum Christum fuisse, et vulnera monstravisse? sed si propter incredulum fecit, finxit; si autem verum ostendit, ergo in resurrectione accepta futura sunt vulnera.* Beda etiam ait: *Solent hoc in libro Gentiles astruere, et fidem speratae a nobis resurrectionis stulta garrulitate deridere: si enim ipse Deus* (inquiunt) *nec sibi inflicta a Iudaeis vulnera curare praevaluit, sed cicatricum vestigia caelo secum, ut dicitis, invexit, qua temeritate putatis cum vestra de pulvere membra ad integrum esse restauraturum?* Verum utraque cavillatio debilis valde, ac futilis est: si enim Christus vulnerum vestigiis resurrectionis veritatem probare vo-



luerat, ficta vulnera ostendere non debuerat; quod autem ea reliquerit, impotentiae argumentum non est: sicut enim ait Chrysostomus: *Qui mortuum corpus suum suscitavit, qui tulit costam de latere Adae, et supplevit carnem, nunquid etiam non potuit corpus suum sanare, et integrum suscitare?* Qui enim vitam sibimet restituit, poterat facilius vulnerum delere vestigia, ut e capite spinis confosso delevit. Voluit igitur manuum, lateris, pedumque vestigia retinere, ut testati sunt Angeli, cum a Domino caelum ascendente interrogaverunt iuxta interpretationem Hieronymi, et Cyrilli Alexandrini: *Quae sunt plagae istae in medio manuum tuarum?* Hoc catholico fundamento praeiacto, compertum satis esse reor, non absque praecipuo aliquo hoc factum esse mysterio. Sancti Ecclesiae patres varias huius rei rationes tam pie, quam sapienter excogitarunt, omnesque scitu adeo dignas, ut nequaquam debeant silentio praeteriri. Venerabilis Beda reliquisse existimat Christum plagas tamquam partae victoriae trophaeum, ut *in perpetuum,* ait, *victoriae suae circumferat triumphum:* nihil enim amanti suavius, quam vulnera pro dilecto suscepta gestare. S. Thomas remansisse existimat vulnera ad maiorem Christi corporis pulchritudinem, sicut remansura etiam in Martyrum corporibus censet Augustinus. D. Thomae verba apponam: *Unde, et Augustinus dicit, quod fortassis in illo regno in corporibus Martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quae pro Christi nomine pertulerunt: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quaedam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* Itaque sicut vestis serica variis incisuris distincta magis enitet, internamque pulchritudinem manifestat; sic Christi vulnera in suae humanitatis habitu (sic eum vocat Paulus) *habitu inventus ut homo,* decorem illi addent, et a vulneribus nitidissimus quidam fulgor rutilabit: unde D. Thomas dixit: *In illis locis vulnerum quidam specialis decor apparebit.* Cyrillus Alexandrinus putat asservata vulnerum signa, ut incredulis resurrectionem persuaderet: *Christus,* inquit, *ipse praeter illud, quod rerum conditio requirit, propter utilitatem nostram passionis notas retinuit, ut resurrectionis mysterium recte intelligamus, non aliud corpus resurrexisse credentes, quam quod cruciatu mortuum fuit.* Idem docuit Augustinus dicens: *Ad dubitantium corda sananda vulnerum sunt servata vestigia.* Eidem subscribit Petrus Chrysologus, qui Christum Discipulos alloquentem his verbis introducit: *Tactus digiti vestri inirent vestigia clavorum, manus vestrae alta vulneris exquirant, aperite manuum foramina, sulcate latus, aperite vulnera, quia negare non possum discipulis ad fidem, quod inimicis in poenam saevientibus non negavi: palpate, et usque ad ossa inquisitores ardui pervenite, ut vel ossa carnis astruant veritatem, et me esse ipsum, vel vulnera servata testentur.* S. Leo Papa, et Ioannes Damascenus idem sentiunt. Verum S. Cyprianus asservasse illa ait, ut pro nobis illis Patrem interpellaret: *Ut appareat vultui Dei pro nobis, et ut semper servatae in corpore plagae salutis humanae exigant pretium, et obedientiae donaticum.* S. Thomas, Ioannis verba explicans, *Advocatum habemus ad Patrem,* idem censuit, dum docet in caelo placari iram Patris, repraesentando naturam humanam cicatricibus signatam. Certe orandi facultas edocet, non solum verbis, verum etiam gestibus in persuadendo utendum: unde dictum percrebuit, manuum actus secundam linguam esse, quia ipsis facilius aliquando, quam verbis intentum persuademus. Cum ergo Christus, ut dixit Ioannes, advocati vices pro nobis apud Patrem subire voluerit, non tantum verbis, sed manibus etiam utitur, easque plagis confossas aeterno Patri ostentat. Huc facit, quod narrat Tullius: ait ipse, orante apud senatum pro Aquilio Marco Antonio, facillime patres illos conscriptos persuasos, cum senatui Aquilii vestem ostendens singula vulnera pro Republica suscepta numeraret. Sic Christus vulnerum notas reliquit in corpore suo, quippe qui noverat nihil posse facilius aeterno Patri nostrorum veniam peccatorum persuadere, quam ostensa vulnera, quae pro nobis susceperat. Quinque igitur Christi vulnera totidem sunt patula ora, quae ante iustitiae tribunal divinis auribus clamant, non secus quam sanguis Abel, de quo scriptum est: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra,* scilicet vindictam. D. Bernardus reservatas existimat cicatrices, ut inde devotae animae misericordiae mel, dilectionisque dulcedinem sugerent: *Ego vero fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini; quoniam misericordiae affluunt, neque desunt foramina, per quae effluant. Foderunt manus eius, et pedes, latusque lancea foraverunt, et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Idem Bernardus et ibidem aliam mysticam astruit rationem, ut peccatores a passionum hostibus, vel a divina iustitia vexati, veluti pavidae columbae effugium in illis vulneribus invenirent, sicut hoc significans dixerat Dominus Moysi: *Apud me locus, est, et stabis super petram, et transibo, et abscondam te in foraminibus petrae.* Verba Bernardi haec sunt: *Dominus meus, et Deus meus: unde hoc reportatum oraculum nisi ex foraminibus petrae? in hisce columba tutatur, et circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem, et ideo ait: columba mea in foraminibus petrae. Quid non boni in petra? in petra securus, in petra firmiter sto securus ab hoste, fortis a casu.* Quinque igitur Christi vulnera quinque refugii civitates esse crediderim, quae delinquentium saluti patebant antiquitus: aut quinque illas sacras Ægypti urbes, quarum maxima *Solis civitas* vocabatur, quae maius lateris vulnus denotat: ibi enim coruscantis Christi amoris sol, velut in suo curru triumphans, residet. Et sicut in urbe illa, quam alio nomine *Heliopolim* dixerunt antiqui, Phoenix avis reviviscens renovabatur; sic anima interiorem vitam renovare desiderans, ad Christi latus accedit, ut antiquarum passionum pennis, et anteactae vitae culpis relictis, novas caelestium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

cupiditatum pennas, novaque superna dona recipiat. Tandem Caesarius Arelatensis credidit cicatrices vulnerum retinuisse, ut illis in die Iudicii reprobos confundat: *Illa*, inquit, *clavorum signa bonis salutaria, malis terribilia, usque ad diem Iudicii.* Insinuaverat hoc Augustinus dicens: *Sciebat Christus quare cicatrices in suo corpore servaret. Sicut enim demonstravit Thomae non credenti nisi tangeret, et videret, ita etiam inimicis vulnera demonstraturus est, ut convincens eos Veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis, videtis vulnera, quae inflixistis: agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam per vos, et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Innitantur Patrum horum dicta verbis Zachariae: *Aspicient ad me quem confixerunt*, vel ut Septuaginta transferunt: *Aspicient ad me, pro eo quod insultaverunt.* Quod commemorans divus Ioannes ait: *Et iterum alia Scriptura dicit, videbunt in quem transfixerunt.* Quibus cohaerent verba eiusdem Ioannis in Apocalypsi: *Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* S. Hippolytus Martyr addit, Christum in die Iudicii non solum videndum vulneratum, verum etiam spinis redimitum.

Sed omnibus his libet alias mysticas hac de re addere rationes, quae sese mihi offerunt, ad divinum erga nos amorem in hoc cognoscendum. Primaque sit, Christum vulnera asservasse, ut illis veluti annulis ad nostri reminiscendum uteretur, ut cum in manibus eius scriptos nos cognoscamus, sciamus, nos oblivisci non posse: *In manibus meis scripsi eos*, non calamo, sed clavis; non atramento, sed sanguine. Vel aliter: *In manibus meis scripsi eos*, id est quasi nostrum omnium imagines in suis effinxit manibus, veluti Dilecti effigiem. Secundo dicamus, quod sicut in caelo ex quinque sideribus constellatio quaedam resultat, quam vocant *Sagittam*: tum quia sagittae instar apparet; tum quia effectus suos summa velocitate, tanquam ignita sagitta producit: sic etiam in nitido Christi corporis caelo, quinque impressa vulnera quinque videntur sidera, quae divinam sui amoris sagittam conficiunt, qua Deus suaviter dilectas animas ferit: sagittam sane, cuius plumbum vera fides, cuius pennae incensa charitas, cuius sanguinis tinctura, non draconis, sed Christi Domini pretiosissimus cruor fuit, quo iaculata corda non pereunt, sed ad vitae melioris gaudia evocantur. Tertio, quia Christus dixerat, *Ego sum vitis vera, et vos palmites*, si nos a vite divisi, et seiuncti longe ab illa aberramus, ad nihil ultra valebimus, nisi ad inferni incendia nutrienda. Verum, ut ab hoc tanto malo indemnes evaderemus, voluit Christus plurimas in sua vite incisuras asservare, ut nos tanquam palmites illic inserti, ipsius vitis vita viventes, uberes, ac uberrimos bonorum fructus proferamus. Quarto, in Incarnationis die Deus divini amoris aquam vivam e caelo delapsam in suo corpore, velut in quodam fonte, concluserat, nec Ecclesiam irrigabat. Verum quid agit? ut aquae huic aditus pateat, rumpi patitur aquae venam, et quinque ei vulnera, veluti aquaeductus patefiunt, ut inde animas sacro cruore, et aqua e latere defluente emundaret. Cum ergo postea artificiosam hanc amoris inventionem nobis profuisse experientia comperisset, vulnera non conclusit, sed veluti totidem fistulas, quibus Ecclesiae vallis irrigaretur, asservavit. Quinto, quia sicut olim, ut divina Scriptura testatur, ut elephantes ad praelium irritarent, pannum illis mori nigrique botri liquore perfusum offerebant: *Et elephantis ostenderunt sanguinem uvae, et mori, ad acuendos eos in praelium*: sic Christus, ut Martyribus, Confessoribusque ad praeliandum contra proprium corpus, et daemones vires adderet, corpus suum reliquit vulnerum sanguine cruentatum. Insinuavit hoc S. Bernardus cum dixit: *Vult ergo videri, vult benignus dux decori militis vultum, et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animam erigat, et exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem: enim vero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr triumphans; toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed et alacriter, sacrum e carne sua conspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum sentiret, dolorem non ferret, succumberet, et negaret; nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petrae duruerit?* Sexto, ut cognoscamus, quantum Christus plagas dilexerit. Cum vulnerum dolores, quia impassibilis est, sentire non posset, voluit pro nobis post resurrectionem illarum asservare vestigia, ut in universa tum militanti, tum triumphanti Ecclesia plagae non deficerent; immo non solam vestigia, sed profunda etiam clavorum loca reliquit, ut Christi Domini ad Thomam verba manifeste indicant: *Infer digitum tuum huc, et mitte manum tuam in latus meum.* Quamplures hoc dixerunt Patres, praecipue Cyrillus, qui haec habet: *Postquam Thomas manus in latus, et digitos in clavorum foramina intulisset, statim exclamavit: Dominus meus, et Deus meus*, Angelicus Doctor in Christi vulneribus foramina partibus ad invicem discontinuatis esse concedit: *Apertura*, inquit, *vulnerum quamvis sit cum quadam solutione continuitatis, totum tamen hoc repraesentatur per maiorem decorem gloriae.* Cum igitur haec ita se habeant, aliam possumus mysticam rationem investigare, quod scilicet voluerit Christus summam hominibus liberalitatem ostendere: liberalem enim esse, aut manum perforatam habere, coincidunt apud Hispanos, Sponsa Christi dixit, *Manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis.* Cum igitur pateant foramina manuum, quis non dicet hiacynthos inde casuros, quibus nostra pauperies sublevetur? Deserviunt etiam eadem vulnerum foramina, ut per illa, velut per totidem fenestras, divini amoris, caelestisque sapientiae, ut inquit Bernardus, thesauros inspiciamus: *Quis*, ait, *consilium eius fuit? At clavis reserans, clavis penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini: quidni videam per foramen? clavus clamat vulnus, patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, ex quibus visitavit nos oriens ex alto.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA DECIMAQUARTA

*Varia, ac multiplici Sanctorum Patrum, et aliorum doctorum interpretatione explicantur verba illa Christi Domini in die resurrectionis suae ad divam Magdalenam dicentis: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem, Ioan. 20.*

Proposita Christi Domini verba adeo intellectu difficilia sunt, ut proceres Ecclesiae catholicae, aliosque interpretes in varias sententias abire compulerint. Praecipuaque huius difficultatis ratio inde emergit, quod minime legitima videatur causa, quam Christus Dominus adhibuit, ut pedum tactum Mariae denegaret, nimirum, *Quia nondum ascendi ad Patrem*, cum revera si ascendisset, tangi non potuisset: unde, quia tunc nondum ascenderat, contingi ab ea poterat. Deinde cum ante resurrectionem Magdalenam Christus Dominus ad osculum pedum admisisset, ut quid post resurrectionem renuit ab ea tangi? D. Cyrillus (*lib. 12. super Ioann.*) in hunc modum proposita verba explicat, dicens: *Quia nondum Spiritum sanctum miserat, ideo a tactu suo Mariam prohibebat, dicens: Nondum enim ascendi in coelum ad Patrem meum, unde ipse per me Spiritum sanctum ad vos mittet.*

Non longe ab hac expositione recedit Herselius (*in historia passionis, et resurrectionis Domini*), dum ait, divam Magdalenam non solum tentasse deosculari pedes Domini, sed ab eo postulasse, ut ei Spiritum sanctum communicaret, iuxta promissionem, quam de illo post resurrectionem mittendo, in coena cum discipulis fecerat, et propterea respondisse Christum, se tunc non daturum fore illi Spiritum sanctum, quia nondum ascenderat in coelum, unde illum se missurum promiserat. Iansenius (*in sua concordia c. 145.*), et Caietanus (*in commentario huius loci*) aliam viam ingressi sunt, quae si a veritate non deflectit, rem facilem, et omnino planam reddit: aiunt enim Magdalenam prae nimia alacritate osculo pacis in faciem voluisse salutare, et contingere Dominum, et ab hoc tam familiari contactu Christum Dominum illam repulisse, dicendo: *Noli me tangere*: et addit rationem: *Quia nondum ascendi ad Patrem*, significans beatos admittendos esse in gloria ad hunc familiarem tangendi, et conveniendi modum, ut satis indicat D. Bernardus (*serm. 1. de omnibus sanctis*), ubi explicans praedicta verba, ait: *Vide ne me tetigeris quousque perveniamus ad Patrem.*

D. Hieronymus (*epist. 95 ad Hedibiam*) in hunc modum ea exponit: Noli me tangere, quia in fide tua nondum resurrexi, et ad gloriae statum perveni: sic enim ait: *Quem mortuum quaeris, viventem tangere non mereris: si me nondum putas ascendisse ad Patrem, sed hominum fraude sublatum, meo tactu indigna es.*

D. Augustinus (*tract. 21. in Ioannem et ser. 60. de verbis Domini, et 152. et 155. de tempore*), D. Ambrosius (*Luc. ult. et lib. de Isaac et anima, cap. 5. et serm. 58.*) existimant, Christum Dominum loqui in praedictis verbis de ascensione non corporali in coelum, sed de mystica, et spirituali in animam; quasi diceret: O Magdalena, in fide tua nondum ascendi ad aequalitatem cum Patre, quia nondum bene firma es in fide meae divinitatis, et ideo nolo ut me tangas. Exinde autem ita Magdalena a Christo Domino illuminata fuit, ut deinceps non solum crediderit, sed et alias feminas ad credendum instruxerit: unde postea omnes simul permissae sunt pedes Christi Domini deosculari, ut refert D. Matthaeus.

D. Leo in eodem sermone suam etiam adhibet expositionem, dicens: *Nolo, ut ad me corporaliter venias, neque ut me sensu carnis agnoscas, ad sublimiora te differo, maiora tibi praeparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius, veriusque palpabis, apprehensura, quod non tangis, et credituri, quod non cernis*: haec ille. Quibus aperte indicat, propter imperfectionem fidei repulsam passam fuisse Magdalenam a Christo Domino. Verum Iustinus Martyr (*epist. 4. ad Orthod.*) putat minime imperfectioni fidei Magdalenae tribuendum esse, quod prohibita fuerit Christum contingere: quod etiam placuit antiquissimo Tertulliano, qui (*libro contra Prax. cap. 25.*) dixit: *Illam fidelem feminam, quia non ex curiositate, neque ex incredulitate, sed ex fide, et dilectione Christum tangere aggressa est.* Censet ergo Iustinus, Christum Dominum non omnino prohibuisse Magdalenae osculum pedum, sed ne pristina illa familiaritate, qua eum in carne mortalem intuebatur, pertractaret indicans post resurrectionis gloriam reverentius, et gravius cum illo agendum esse, et non sicut antea, quando apparebat in similitudine carnis peccati, ut dixit D. Paulus. Eidemque expositioni subscribit Chrysostomus (*hom. 58. in Ioan.*).

Alii moderniores, quos suppresso nomine refert Card. Toletus (*sup. cap. 20 Ioan.*) dicunt, Christum Dominum non aliud prohibuisse Magdalenae quam ne nimium temporis absumeret, prout antea solebat, ad pedes eius, sed quam citius inde se expediret, ut de eius resurrectione certiores faceret fratres suos. Potestque haec solutio illustrari

cupiditatum pennas, novaque superna dona recipiat. Tandem Caesarius Arelatensis credidit cicatrices vulnerum retinuisse, ut illis in die Iudicii reprobos confundat: *Illa*, inquit, *clavorum signa bonis salutaria, malis terribilia, usque ad diem Iudicii.* Insinuaverat hoc Augustinus dicens: *Sciebat Christus quare cicatrices in suo corpore servaret. Sicut enim demonstravit Thomae non credenti nisi tangeret, et videret, ita etiam inimicis vulnera demonstraturus est, ut convincens eos Veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis, videtis vulnera, quae inflixistis: agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam per vos, et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Innitantur Patrum horum dicta verbis Zachariae: *Aspicient ad me quem confixerunt*, vel ut Septuaginta transferunt: *Aspicient ad me, pro eo quod insultaverunt.* Quod commemorans divus Ioannes ait: *Et iterum alia Scriptura dicit, videbunt in quem transfixerunt.* Quibus cohaerent verba eiusdem Ioannis in Apocalypsi: *Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* S. Hippolytus Martyr addit, Christum in die Iudicii non solum videndum vulneratum, verum etiam spinis redimitum.

Sed omnibus his libet alias mysticas hac de re addere rationes, quae sese mihi offerunt, ad divinum erga nos amorem in hoc cognoscendum. Primaque sit, Christum vulnera asservasse, ut illis veluti annulis ad nostri reminiscendum uteretur, ut cum in manibus eius scriptos nos cognoscamus, sciamus, nos oblivisci non posse: *In manibus meis scripsi eos*, non calamo, sed clavis; non atramento, sed sanguine. Vel aliter: *In manibus meis scripsi eos*, id est quasi nostrum omnium imagines in suis effinxit manibus, veluti Dilecti effigiem. Secundo dicamus, quod sicut in caelo ex quinque sideribus constellatio quaedam resultat, quam vocant *Sagittam*: tum quia sagittae instar apparet; tum quia effectus suos summa velocitate, tanquam ignita sagitta producit: sic etiam in nitido Christi corporis caelo, quinque impressa vulnera quinque videntur sidera, quae divinam sui amoris sagittam conficiunt, qua Deus suaviter dilectas animas ferit: sagittam sane, cuius plumbum vera fides, cuius pennae incensa charitas, cuius sanguinis tinctura, non draconis, sed Christi Domini pretiosissimus cruor fuit, quo iaculata corda non pereunt, sed ad vitae melioris gaudia evocantur. Tertio, quia Christus dixerat, *Ego sum vitis vera, et vos palmites*, si nos a vite divisi, et seiuncti longe ab illa aberramus, ad nihil ultra valebimus, nisi ad inferni incendia nutrienda. Verum, ut ab hoc tanto malo indemnes evaderemus, voluit Christus plurimas in sua vite incisuras asservare, ut nos tanquam palmites illic inserti, ipsius vitis vita viventes, uberes, ac uberrimos bonorum fructus proferamus. Quarto, in Incarnationis die Deus divini amoris aquam vivam e caelo delapsam in suo corpore, velut in quodam fonte, concluserat, nec Ecclesiam irrigabat. Verum quid agit? ut aquae huic aditus pateat, rumpi patitur aquae venam, et quinque ei vulnera, veluti aquaeductus patefiunt, ut inde animas sacro cruore, et aqua e latere defluente emundaret. Cum ergo postea artificiosam hanc amoris inventionem nobis profuisse experientia comperisset, vulnera non conclusit, sed veluti totidem fistulas, quibus Ecclesiae vallis irrigaretur, asservavit. Quinto, quia sicut olim, ut divina Scriptura testatur, ut elephantes ad praelium irritarent, pannum illis mori nigrique botri liquore perfusum offerebant: *Et elephantis ostenderunt sanguinem uvae, et mori, ad acuendos eos in praelium:* sic Christus, ut Martyribus, Confessoribusque ad praeliandum contra proprium corpus, et daemones vires adderet, corpus suum reliquit vulnerum sanguine cruentatum. Insinuavit hoc S. Bernardus cum dixit: *Vult ergo videri, vult benignus dux decori militis vultum, et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animam erigat, et exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem: enim vero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr triumphans; toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed et alacriter, sacrum e carne sua conspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum sentiret, dolorem non ferret, succumberet, et negaret; nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petrae duruerit?* Sexto, ut cognoscamus, quantum Christus plagas dilexerit. Cum vulnerum dolores, quia impassibilis est, sentire non posset, voluit pro nobis post resurrectionem illarum asservare vestigia, ut in universa tum militanti, tum triumphanti Ecclesia plagae non deficerent; immo non solum vestigia, sed profunda etiam clavorum loca reliquit, ut Christi Domini ad Thomam verba manifeste indicant: *Infer digitum tuum huc, et mitte manum tuam in latus meum.* Quamplures hoc dixerunt Patres, praecipue Cyrillus, qui haec habet: *Postquam Thomas manus in latus, et digitos in clavorum foramina intulisset, statim exclamavit: Dominus meus, et Deus meus*, Angelicus Doctor in Christi vulneribus foramina partibus ad invicem discontinuatis esse concedit: *Apertura*, inquit, *vulnerum quamvis sit cum quadam solutione continuitatis, totum tamen hoc repraesentatur per maiorem decorem gloriae.* Cum igitur haec ita se habeant, aliam possumus mysticam rationem investigare, quod scilicet voluerit Christus summam hominibus liberalitatem ostendere: liberalem enim esse, aut manum perforatam habere, coincidunt apud Hispanos. Sponsa Christi dixit, *Manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis.* Cum igitur pateant foramina manuum, quis non dicet hiacynthos inde casuros, quibus nostra pauperies sublevetur? Deserviunt etiam eadem vulnerum foramina, ut per illa, velut per totidem fenestras, divini amoris, caelestisque sapientiae, ut inquit Bernardus, thesauros inspiciamus: *Quis*, ait, *conscius fuit? At clavis reserans, clavis penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini: quidni videam per foramen? clavus clamat vulnus, patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, ex quibus visitavit nos oriens ex alto.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA DECIMAQUARTA

*Varia, ac multiplici Sanctorum Patrum, et aliorum doctorum interpretatione explicantur verba illa Christi Domini in die resurrectionis suae ad divam Magdalenam dicentis: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem, Ioan. 20.*

Proposita Christi Domini verba adeo intellectu difficilia sunt, ut proceres Ecclesiae catholicae, aliosque interpretes in varias sententias abire compulerint. Praecipuaque huius difficultatis ratio inde emergit, quod minime legitima videatur causa, quam Christus Dominus adhibuit, ut pedum tactum Mariae denegaret, nimirum, *Quia nondum ascendi ad Patrem*, cum revera si ascendisset, tangi non potuisset: unde, quia tunc nondum ascenderat, contingi ab ea poterat. Deinde cum ante resurrectionem Magdalenam Christus Dominus ad osculum pedum admisisset, ut quid post resurrectionem renuit ab ea tangi? D. Cyrillus (*lib.* 12. *super Ioann.*) in hunc modum proposita verba explicat, dicens: *Quia nondum Spiritum sanctum miserat, ideo a tactu suo Mariam prohibebat, dicens: Nondum enim ascendi in coelum ad Patrem meum, unde ipse per me Spiritum sanctum ad vos mittet.*

Non longe ab hac expositione recedit Herselius (*in historia passionis, et resurrectionis Domini*), dum ait, divam Magdalenam non solum tentasse deosculari pedes Domini, sed ab eo postulasse, ut ei Spiritum sanctum communicaret, iuxta promissionem, quam de illo post resurrectionem mittendo, in coena cum discipulis fecerat, et propterea respondisse Christum, se tunc non daturum fore illi Spiritum sanctum, quia nondum ascenderat in coelum, unde illum se missurum promiserat. Iansenius (*in sua concordia c.* 145.), et Caietanus (*in commentario huius loci*) aliam viam ingressi sunt, quae si a veritate non deflectit, rem facilem, et omnino planam reddit: aiunt enim Magdalenam prae nimia alacritate osculo pacis in faciem voluisse salutare, et contingere Dominum, et ab hoc tam familiari contactu Christum Dominum illam repulisse, dicendo: *Noli me tangere*: et addit rationem: *Quia nondum ascendi ad Patrem*, significans beatos admittendos esse in gloria ad hunc familiarem tangendi, et conveniendi modum, ut satis indicat D. Bernardus (*serm.* 1. *de omnibus sanctis*), ubi explicans praedicta verba, ait: *Vide ne me tetigeris quousque perveniamus ad Patrem.*

D. Hieronymus (*epist.* 95 *ad Hedibiam*) in hunc modum ea exponit: Noli me tangere, quia in fide tua nondum resurrexi, et ad gloriae statum perveni: sic enim ait: *Quem mortuum quaeris, viventem tangere non mereris: si me nondum putas ascendisse ad Patrem, sed hominum fraude sublatum, meo tactu indigna es.*

D. Augustinus (*tract.* 21. *in Ioannem et ser.* 60. *de verbis Domini, et* 152. *et* 155. *de tempore*), D. Ambrosius (*Luc. ult. et lib. de Isaac et anima, cap.* 5. *et serm.* 58.) existimant, Christum Dominum loqui in praedictis verbis de ascensione non corporali in coelum, sed de mystica, et spirituali in animam; quasi diceret: O Magdalena, in fide tua nondum ascendi ad aequalitatem cum Patre, quia nondum bene firma es in fide meae divinitatis, et ideo nolo ut me tangas. Exinde autem ita Magdalena a Christo Domino illuminata fuit, ut deinceps non solum crediderit, sed et alias feminas ad credendum instruxerit: unde postea omnes simul permissae sunt pedes Christi Domini deosculari, ut refert D. Matthaeus.

D. Leo in eodem sermone suam etiam adhibet expositionem, dicens: *Nolo, ut ad me corporaliter venias, neque ut me sensu carnis agnoscas, ad sublimiora te differo, maiora tibi praeparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius, veriusque palpabis, apprehensura, quod non tangis, et creditura, quod non cernis*: haec ille. Quibus aperte indicat, propter imperfectionem fidei repulsam passam fuisse Magdalenam a Christo Domino. Verum Iustinus Martyr (*epist.* 4. *ad Orthod.*) putat minime imperfectioni fidei Magdalenae tribuendum esse, quod prohibita fuerit Christum contingere: quod etiam placuit antiquissimo Tertulliano, qui (*libro contra Prax. cap.* 25.) dixit: *Illam fidelem feminam, quia non ex curiositate, neque ex incredulitate, sed ex fide, et dilectione Christum tangere aggressa est.* Censet ergo Iustinus, Christum Dominum non omnino prohibuisse Magdalenae osculum pedum, sed ne pristina illa familiaritate, qua eum in carne mortalem intuebatur, pertractaret indicans post resurrectionis gloriam reverentius, et gravius cum illo agendum esse, et non sicut antea, quando apparebat in similitudine carnis peccati, ut dixit D. Paulus. Eidemque expositioni subscribit Chrysostomus (*hom.* 58. *in Ioan.*).

Alii moderniores, quos suppresso nomine refert Card. Toletus (*sup. cap.* 20 *Ioan.*) dicunt, Christum Dominum non aliud prohibuisse Magdalenae quam ne nimium temporis absumeret, prout antea solebat, ad pedes eius, sed quam citius inde se expediret, ut de eius resurrectione certiores faceret fratres suos. Potestque haec solutio illustrari

ex eo, quod sicut cum Christus dixit discipulis suis ( *Luc.* 10. ), *Neminem salutaveritis in via*, non prohibuit ipsis salutationes, quas charitatis officium postulat, sed ut cito, et diligenter, et absque mora proficiscerentur; ita cum Magdalenae dixit, *Noli me tangere*, non ei interdixit pedum tactum, sed ne in eo moram faceret; unde illud, *Nondum ascendi ad Patrem*, explicant per illud, quod Hispanice dicitur: *Aun no soyido*, nondum discessi, suppetet tibi postea tempus, antequam discedam, ad diutius immorandum, et osculandum pedes meos, nunc perge absque mora ad annunciandum fratribus triumphum resurrectionis meae.

D. autem Leo aliter id explicat (*serm.* 2. *de Ascen.*): ait enim Magdalenam tunc gessisse typum gentilitatis. Et quia Christus Dominus non se manifestandum gentilitati, nec ab illa tangendum decreverat, nisi media fide post Ascensionem, propterea ei dixisse: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.*

D. Bernardus alia via incedit ( *Ser.* 28. *in Cantica* ): hunc enim ait esse germanum sensum illorum verborum: *Noli me tangere, noli meam resurrectionem iudicio sensuum comprobare, sed parumper expecta tempus meae ascensionis, et descensionis Spiritus sancti; et tunc longe melius, et tenacius perpicies veritatem resurrectionis meae, quam modo me contingens;* haec ille. Et in eandem recidit alia expositio B. Odonis, in explicatione Canonis, qui refertur in Bibliotheca sanctorum Patrum c. 4.

Card. Toletus ( *in c.* 20. *Ioan.* ) quibusdam interrogationibus, et responsionibus subintellectis praeposita verba elucidat: *Noli me tangere* (inquit) *quasi enim si ipsa interrogasset, Quare non te tangam? Respondet: Quia non iam tale mihi corpus est mortale quale, cum in terra versarer; sed quasi in coelo, immortale, et gloriosum, et deinde, quasi iterum subinferret: Quare igitur nunc in terris ambulas, si tale habes corpus? nondum* (respondet) *ascendi ad Patrem, ascensurus autem sum: modo autem hic maneo propter vestram utilitatem.*

S. Epiphanius ( *haer.* 26. ) prope finem alium putat longe diversum sensum: ait enim: *Ut ostenderet manifestam castitatem, et sanctimoniam per sanctificationem, dicit Mariae: Ne me attingas.* Itaque vult D. Epiphanius propter exemplum purissimae castitatis noluisse, cum solus erat, a Maria contingi, postea vero in praesentia Discipulorum, non solum illam, sed et alias sanctas feminas, quae ad monumentum abierant, ad osculum pedum admisisse. Potetque huic expositioni non incongrue accommodari ratio subiuncta: *Quia nondum ascendi ad Patrem;* quasi diceret, ut haec prohibitio aliis sit exemplum castitatis; Noli me tangere. Tanges vero in coelo, ubi cum homines sint sicut Angeli Dei, qui nec nubent, nec nubentur, opus non erit simili exemplo, sicut modo, ut purissime vivant.

Alii putant, quod sicut D. Petrus in monte Thabor gloria transfigurationis Christi diu frui desiderans dixit ( *Matt.* 7. ): *Faciamus hic tria tabernacula;* et Evangelista subiunxit: *Nesciebat quid diceret*, ita Magdalena nesciens, quid sibi vellet, frui volebat Christo glorioso; ipse autem dixit ei: noli me modo tangere ad fruendum me, quia status viae non est status fruitionis, sed differ hoc ad statum beatitudinis, cum ascendero ad Patrem, modo namque nondum ascendi. Scio quosdam recentiores plus sapientes, quam oportet sapere, valde immorari in lacerandis nonnullis ex relatis Patrum expositionibus, sed nos huic studio supersedendum omnino censuimus, sanctorum Patrum intelligentiam, quos Christus D. Ecclesiae suae disertissimos magistros praeposuit, satius, et religiosius indicantes suspicere, et venerari, quam cavillosis quibusdam, ne dicam puerilibus argumentationibus impetere. Fateor non omnes, et singulas eiusdem loci expositiones omnibus, et singulis placere posse: verum cui non placet haec, accipiat aliam, non mordeat illam; quod si omnes displicent causam ex parte subiecti, non obiecti facile crediderim, cui morbo solus Deus mederi potest. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

# DE ADMIRABILI

# CHRISTI DOMINI ASCENSIONE

## ET EIUS ARCANIS.

---

# LIBER DECIMUS QUARTUS

---

### HOMILIA PRIMA.

*Gloriosa Christi Salvatoris nostri Ascensio plurimis figuris, ac singularibus sacrae Scipturae locis pulchre explicatis illustratur.*

Omnis memoriae commendatione digna est felicissima haec triumphantis Christi Ascensionis dies: etenim hodie supremus ille universi Monarcha ingenti cum apparatu, summaque pompa, non in curru igneo, sicut Elias, sed in nube quadam gloriosa in altum conscendit: hodie divinus ille Eliseus ascendit ab Hierico ad civitatem Bethel: hodie uberrimus ille eloquentiae fons Aaron ascendit ad montem Hor: hodie integerrimus Elcana Domino visendo in Silom ascendit: hodie fortissimus ille Samson favum mellis, quem ex ore leonis eripuerat, Patri suo tradit, hoc est insigne illud Sanctorum Patrum spolium, quod e faucibus Daemonis vindicavit: hodie strenuus ille Moyses e medio aquarum mortalitatis ereptus montem Sinai ascendit: hodie candidissima illa Columba ramum olivae virentibus foliis vere pacis symbolum portans, eo unde digresse fuerat, revertitur: hodie arca illa sancti Noe super montes Armeniae coelestis Hierusalem requiescit: hodie Eliae nubecula altius evehitur, ut inde copiosa coelestium donorum, atque munerum pluvia abundanter demittat: hodie Christus sol iustitiae, qui in cruce eclipsim passus fuit, refulgens, coruscans, atque gloriosus ab hoc infimo mundi hemisphaerio ad angelicum transmeat: hodie divinus ille ignis, qui e coelo defluens, terrestrem materiam, hoc est carnem humanam apprehendit, ad antiquum sphaerae suae globum revertitur: hodie fons ille de terra exortus eadem cursus celeritate in sublime conscendit, qua ante in proclive descenderat: *Et fons ascendebat de terra:* hodie Christus velut amplissimus quidam militiae dux coelestis patriae arcem occupat, gladium prius e manibus illius Cherubim Paradisi portis praefecti fortiter eripiens, ac tandem ad radiantes coeli vertices ascendit, et ad abundantissimos illius aeternae beatitudinis thesauros viam, atque aditum liberum nobis aperuit: hodie, ut plura uno verbo comprehendam, Christus noster extollitur, ac tamquam regalis quaedam aquila per universam aeris regionem in discipulorum suorum conspectu transvolat, et, ( ut inquit sanctus Lucas ) *Videntibus illis elevatus est.* Egregie admodum Christo Domino ascendenti aquilae nomen convenire mihi videtur: siquidem sicut aquila ad probandum pullos suos, eos adversus ardentiores, atque clariores fulgentis solis radios opponit, et splendidum solis fulgorem oculis non conniventibus fortiter intuentes in legitimos receptat, ceterosque tanquam degeneres e nido expellit; ita quoque hodierna die Christus periculum facit Discipulorum suorum, quandoquidem ipsi in eum tamquam in divinum Solem, clariorem, atque splendidiorem, quam unquam, oculos non conniventes defigunt, Evangelista dicente: *Videntibus illis elevatus est;* nec ab illius intuitu ullatenus abstinuere, quousque lucenti quadam nube coopertus, oculis aspicientium sublatus fuit: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Magnum profecto, atque insigne argumentum hoc est, istos divinae huius aquilae pullos fuisse legitimos, ut qui corde, atque oculis eum ita insequerentur: et quemadmodum aquila in partes diversas hinc inde trahitur, principale volatus sui intentum quasi dissimulans,

UNIVERSIDAD AUTÓNOM
DIRECCIÓN GENERAL D

ex eo, quod sicut cum Christus dixit discipulis suis ( *Luc.* 10. ), *Neminem salutaveritis in via*, non prohibuit ipsis salutationes, quas charitatis officium postulat, sed ut cito, et diligenter, et absque mora proficiscerentur; ita cum Magdalenae dixit, *Noli me tangere*, non ei interdixit pedum tactum, sed ne in eo moram faceret; unde illud, *Nondum ascendi ad Patrem*, explicant per illud, quod Hispanice dicitur: *Aun no soyido*, nondum discessi, suppetet tibi postea tempus, antequam discedam, ad diutius immorandum, et osculandum pedes meos, nunc perge absque mora ad annunciandum fratribus triumphum resurrectionis meae.

D. autem Leo aliter id explicat (*serm.* 2. *de Ascen.*): ait enim Magdalenam tunc gessisse typum gentilitatis. Et quia Christus Dominus non se manifestandum gentilitati, nec ab illa tangendum decreverat, nisi media fide post Ascensionem, propterea ei dixisse: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.*

D. Bernardus alia via incedit ( *Ser.* 28. *in Cantica*): hunc enim ait esse germanum sensum illorum verborum: *Noli me tangere, noli meam resurrectionem iudicio sensuum comprobare, sed parumper expecta tempus meae ascensionis, et descensionis Spiritus sancti; et tunc longe melius, et tenacius perpicies veritatem resurrectionis meae, quam modo me contingens;* haec ille. Et in eandem recidit alia expositio B. Odonis, in explicatione Canonis, qui refertur in Bibliotheca sanctorum Patrum c. 4.

Card. Toletus ( *in c.* 20. *Ioan.*) quibusdam interrogationibus, et responsionibus subintellectis praeposita verba elucidat: *Noli me tangere* (inquit) *quasi enim si ipsa interrogasset, Quare non te tangam? Respondet: Quia non iam tale mihi corpus est mortale quale, cum in terra versarer; sed quasi in coelo, immortale, et gloriosum, et deinde, quasi iterum subinferret: Quare igitur nunc in terris ambulas, si tale habes corpus?* nondum (respondet) *ascendi ad Patrem, ascensurus autem sum: modo autem hic maneo propter vestram utilitatem.*

S. Epiphanius ( *haer.*26. ) prope finem alium putat longe diversum sensum: ait enim: *Ut ostenderet manifestam castitatem, et sanctimoniam per sanctificationem, dicit Mariae: Ne me attingas.* Itaque vult D. Epiphanius propter exemplum purissimae castitatis noluisse, cum solus erat, a Maria contingi, postea vero in praesentia Discipulorum, non solum illam, sed et alias sanctas feminas, quae ad monumentum abierant, ad osculum pedum admisisse. Potetque huic expositioni non incongrue accommodari ratio subiuncta: *Quia nondum ascendi ad Patrem;* quasi diceret, ut haec prohibitio aliis sit exemplum castitatis; Noli me tangere. Tanges vero in coelo, ubi cum homines sint sicut Angeli Dei, qui nec nubent, nec nubentur, opus non erit simili exemplo, sicut modo, ut purissime vivant.

Alii putant, quod sicut D. Petrus in monteThabor gloria transfigurationis Christi diu frui desiderans dixit ( *Matt.* 7. ): *Faciamus hic tria tabernacula;* et Evangelista subiunxit: *Nesciebat quid diceret*, ita Magdalena nesciens, quid sibi vellet, frui volebat Christo glorioso; ipse autem dixit ei: noli me modo tangere ad fruendum me, quia status viae non est status fruitionis, sed differ hoc ad statum beatitudinis, cum ascendero ad Patrem, modo namque nondum ascendi. Scio quosdam recentiores plus sapientes, quam oportet sapere, valde immorari in lacerandis nonnullis ex relatis Patrum expositionibus, sed nos huic studio supersedendum omnino censuimus, sanctorum Patrum intelligentiam, quos Christus D. Ecclesiae suae disertissimos magistros praeposuit, satius, et religiosius iudicantes suspicere, et venerari, quam cavillosis quibusdam, ne dicam puerilibus argumentationibus impetere. Fateor non omnes, et singulas eiusdem loci expositiones omnibus, et singulis placere posse: verum cui non placet haec, accipiat aliam, non mordeat illam; quod si omnes displicent causam ex parte subiecti, non obiecti facile crediderim, cui morbo solus Deus mederi potest. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

# DE ADMIRABILI

# CHRISTI DOMINI ASCENSIONE

### ET EIUS ARCANIS.

---

# LIBER DECIMUS QUARTUS

---

## HOMILIA PRIMA.

*Gloriosa Christi Salvatoris nostri Ascensio plurimis figuris, ac singularibus sacrae Scipturae locis pulchre explicatis illustratur.*

Omnis memoriae commendatione digna est felicissima haec triumphantis Christi Ascensionis dies: etenim hodie supremus ille universi Monarcha ingenti cum apparatu, summaque pompa, non in curru igneo, sicut Elias, sed in nube quadam gloriosa in altum conscendit: hodie divinus ille Eliseus ascendit ab Hierico ad civitatem Bethel: hodie uberrimus ille eloquentiae fons Aaron ascendit ad montem Hor: hodie integerrimus Elcana Domino visendo in Silom ascendit: hodie fortissimus ille Samson favum mellis, quem ex ore leonis eripuerat, Patri suo tradit, hoc est insigne illud Sanctorum Patrum spolium, quod e faucibus Daemonis vindicavit: hodie strenuus ille Moyses e medio aquarum mortalitatis ereptus montem Sinai ascendit: hodie candidissima illa Columba ramum olivae virentibus foliis vere pacis symbolum portans, eo unde digresse fuerat, revertitur: hodie arca illa sancti Noe super montes Armeniae coelestis Hierusalem requiescit: hodie Eliae nubecula altius evehitur, ut inde copiosa coelestium donorum, atque munerum pluvia abundanter demittat: hodie Christus sol iustitiae, qui in cruce eclipsim passus fuit, refulgens, coruscans, atque gloriosus ab hoc infimo mundi hemisphaerio ad angelicum transmeat: hodie divinus ille ignis, qui e coelo defluens, terrestrem materiam, hoc est carnem humanam apprehendit, ad antiquum sphaerae suae globum revertitur: hodie fons ille de terra exortus eadem cursus celeritate in sublime conscendit, qua ante in proclive descenderat: *Et fons ascendebat de terra:* hodie Christus velut amplissimus quidam militiae dux coelestis patriae arcem occupat, gladium prius e manibus illius Cherubim Paradisi portis praefecti fortiter eripiens, ac tandem ad radiantes coeli vertices ascendit, et ad abundantissimos illius aeternae beatitudinis thesauros viam, atque aditum liberum nobis aperuit: hodie, ut plura uno verbo comprehendam, Christus noster extollitur, ac tamquam regalis quaedam aquila per universam aeris regionem in discipulorum suorum conspectu transvolat, et, ( ut inquit sanctus Lucas ) *Videntibus illis elevatus est.* Egregie admodum Christo Domino ascendenti aquilae nomen convenire mihi videtur: siquidem sicut aquila ad probandum pullos suos, eos adversus ardentiores, atque clariores fulgentis solis radios opponit, et splendidum solis fulgorem oculis non conniventibus fortiter intuentes in legitimos receptat, ceterosque tanquam degeneres e nido expellit; ita quoque hodierna die Christus periculum facit Discipulorum suorum, quandoquidem ipsi in eum tamquam in divinum Solem, clariorem, atque splendidiorem, quam unquam, oculos non conniventes defigunt, Evangelista dicente: *Videntibus illis elevatus est;* nec ab illius intuitu ullatenus abstinuere, quousque lucenti quadam nube coopertus, oculis aspicientium sublatus fuit: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Magnum profecto, atque insigne argumentum hoc est, istos divinae huius aquilae pullos fuisse legitimos, ut qui corde, atque oculis eum ita insequerentur: et quemadmodum aquila in partes diversas hinc inde trahitur, principale volatus sui intentum quasi dissimulans,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL D
®

in certum tamen aliquem scopum, partemque dirigitur, ut praedam faciat, quam desiderat; simili quoque ratione Christus tamquam regalis quaedam aquila volatum suum ad coeleste solium dirigens, quasi scopum hunc celare videbatur, cum humili quodam, atque exiguo volatu e visceribus Matris suae ad praesepii paupertatem evolavit: inde tamen trium Regum corda, qui se illius regali coronae subdiderunt, ad se rapuit. Quod initium quoddam fuit spoliorum quae ex humani generis hoste extorquere venerat Sed miror sane, quomodo in infantili aetate coeperis depraedari: sane si tam cito latrociniis vacas, grandior effectus suspendium tibi imminet: latrocinia enim in infantia infamem ligni mortem praeseferunt, ac praesagiunt. Atque hic fuit primus huius regiae aquilae volatus. Secundum fecit, cum redeuntibus Maria, et Ioseph ex Hierosolyma, ab eorum consortio se separavit; sed ibi etiam in templo inventus, mira sapientia ex ore eius effluente sapientes stupefecit, et auditorum animos in sui admirationem pariter, et amorem excitavit. Tertius volatus, quo eundem scopum simulabat, fuit, quando manducabat cum peccatoribus in similitudinem hominum factus; sed tunc etiam ex faucibus Diaboli rapacem avem, Matthaeum scilicet telonarium, et alios plures peccatores venatus est. Quartum volatum considero, cum ascendit in Crucem; sed ibi et homines aucupatus est, et saxa etiam traxit ad se, ut ipse praedixerat: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.* Hic Diabolum delusit, mundum subiugavit, ac tandem mortis victoriam terrae, et coelo ostentavit, quando *Videntibus illis elevatus est.* Ex quibus verbis communi omnium huius loci interpretum sententia colligitur, Christi Ascensionem non in instanti, aut momento, sed cum temporis intervallo contigisse: etenim evidenter eius discipuli per aeris regionem euntem viderunt. Nec desunt etiam, qui dicant, unumquemque secundum sanctitatis suae gradum, qua praeditus erat, Christum altius ascendere vidisse; quo uno supposito existimaverim, procul dubio sacratissimam Virginem omnium fuisse ultimam, cuius aspectui Christus se subtraxit: quippe sicut solaris herba, quam communi nomine Hispani *gigantam* dicunt, propter singularem illius eminentiam, qua super omnes terrae herbas excrescit, solis orientis gressus insequitur, et per gradus suos euntem sine intermissione prospicit, donec se in occidentem abscondit: eadem quoque ratione Virgo illa sanctissima, tamquam Ecclesiae catholicae *giganta* ob eximiam sanctitatis, ac dignitatis suae excellentiam, qua ceteros antecellit, divinum illum iustitiae solem fixis oculis inconniventer intuebatur, donec ad splendidissimum superni domicilii hemisphaerium translatus fuit.

*Videntibus illis elevatus est.* Figuram quandam in sacris litteris reperio, quae huiuscemodi praesentis nostri mysterii proposito non incongrue adaptari posse videtur, historiam videlicet illam Angeli Tobiae, quae effigies quaedam, atque imago est totius Christi vitae decursus, usque ad illius triumphantis Ascensionis diem. Referunt sacrae litterae, Angelum quendam e coelo venisse, ut Tobiae domum protegeret, illi faveret, ac necessitatibus universis provideret, quem Tobias iunior domum egressus in platea in habitu viatoris itineri paratum apprehendit. Angelus vero ei ad civitatem Medorum Rages nomine eunti itineris comitem se exhibuit, ac a prodigiosi cuiusdam piscis invasione, qui tamquam serpens, aut draco quidam, ad eum devorandum e flumine prosilierat, eripuit, et Saram a Diabolo eam infestante liberavit, uxorem ei dedit, omnem pecuniam debitam patri illius recuperavit, filium sanum, et opulentum reduxit, reversus Tobiae seni visum restituit: ac demum tot, tantisque beneficiis in ipsum collatis, die quadam omnibus simul mensae accumbentibus abeundi licentiam petiit, ac ad eandem coeli regionem, unde venerat, convolavit. Angelus iste Verbum divinum in carne humana exprimit, quem Isaias magni consilii Angelum appellabat, qui in hoc mundi theatro palam, non solum inquirentibus, sed non investigantibus eum obviam venit: *Palam inventus sum a non quaerentibus me:* eumque in forma viatoris praecinctum, ac itineri paratum, homines invenere: *Quasi viator declinans ad manendum*, ut inquit Hieremias (c. 14.): quoniam quantumcumque anima comprehensor, atque beatus esset; nihilominus in mortali, ac passibili huius corporis ergastulo inclusus, etiam viator erat, homini ad coeleste iter peragendum comitem se exhibuit, innumera in eum beneficia conferens: *Qui pertransiit benefaciendo*: inter quae non minimum fuit, hominem a fero illo dracone, morte videlicet aeterna, liberare: *Qui mortem nostram moriendo destruxit*; et a servitute, ac daemonum tyrannide eripuit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Alterum beneficium fuit, nuptias inter Deum, et Ecclesiam suam celebrare, ac universum terrarum orbem perpetuis ignorantiae, et caecitatis tenebris involutum illuminare. Omnia haec solita ingenii subtilitate brevibus explicuit magnus ille Pater divus Augustinus (*ser. 28. de sanct.*): *Christus*, ait, *fuit piscis ille mortuus, cuius iecore per passionem assato, fugatus est Diabolus, et per amaritudinem fellis sanatus est caecus, et illuminatus est mundus.* Quin etiam brevioribus id ipsum exposuit divus Paulus: *Destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam.* Et quemadmodum Angelus ille omnem pecuniam Tobiae debitam recuperavit; eodem quoque modo Christus in sinum Abrahae descendens, speciosos Dei thesauros, atque opes, quae erant sanctissimi illi Patres, tot annorum curriculis in limbi carcere detenti, recuperavit, ac Patri restituit, adimplens ea, quae Isaias (c. 45.) praedixerat: *Vectes ferreos confringam, et dabo tibi thesauros absconditos.* Peracto igitur legationis Christi munere, divino huic Angelo nihil aliud peragendum supererat, nisi ut ad coeleste domicilium, unde venerat, remearet; atque ideo discipulis suis dixit: *Vado ad eum, qui me misit.* Quod persimile est ei, quod Angelus Tobiae dixit: *Tempus est, ut revertar*



*ad eum, qui me misit.* Et sicut de Angelo illo dicit sacer textus: *Et cum hoc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est*; ita etiam Evangelista dicit de Christo: *Dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in coelum:* ac velut ibi Angelum ad coelum volantem aspicere non valuerunt, et ultra eum videre non potuerunt, quia disparuerat; eodem quoque modo hic evenisse legimus, quoniam dicit sanctus Lucas: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*; ac si diceret, nubes illa, quae se inter divinum illum solem, et oculos eorum interposuit, intuitum videntium impedivit. Ac domum sicut ibi S. Tobias, ac universa illius familia admiratione perculsi remansere propter tam inauditum mysterium, laudantes, ac Deum glorificantes: *Tunc prostrati per horas tres benedixerunt Deo;* et exacto spirituali hymno, mirabilia, atque prodigia Dei omnibus nota fecerunt: *Exurgentes narraverunt mirabilia eius;* non dispari modo universa illa Christi sacra familia Deum laudando in perpetuis precibus, atque oratione permansit: *Erant omnes perseverantes unanimiter in oratione;* et illinc exeuntes coeperunt praedicare mirabilia Dei: *Audivimus nostris linguis loquentes magnalia Dei.*

*Videntibus illis elevatus est.* Inter gravissimos illos sermones, quibus Deus ad omnipotentiam, et excellentiam suam, hominisque utilitatem, atque exiguitatem declarandam, sanctum Iobum alloquens usus fuisse legitur, singularis profecto est ille, qui habetur (*c. 4.*), dum ait: *Si habes brachium sicut Deus, aut simili voce tonas, circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus. disperde superbos, et omnem arrogantem humilia, et ego confitebor, quod possit te salvare dextera tua.* Sane non me latet, D. Hieronymum locum istum intelligere de gloria, de maiestate divinitatis Dei, ac de potentia, qua superbum illum Luciferum, suosque sequaces castigavit, quando ipse se tam micantem, tam splendidum, atque fortem videns, fortitudinis suae periculum facere voluit, ac divini potentia brachii ita acriter percussus fuit, ut in profundissimam inferni abyssum depulsus, nunquam ab huiusmodi casu resurgere valuerit, sed, ut inquit S. Bernardus (*in serm. 1. de Adven.*): *Et continuo sideribus cunctis clarius micantem aeterna caligine obumbravit.* Dicit deinde Deus Iob, iuxta expositionem D. Hieronymi: Videturne tibi brachium aliquid simile meo, potestas sicut mea, lux vel gloria, quae cum mea collata tenebrosa non videatur, vel tandem vox tantae maiestatis, quae divinitatem redoleat, velut mea? Verum enim vero Gregorius ille Magnus (*lib. 32. moral. cap.* 58.) per forte, ac potens illud Dei brachium, et per divinam illam vocem Dei Filium intelligit, per quem omnia facit: *Omnia per ipsum facta sunt:* et per quem arcana sua revelavit: *Quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Quamobrem huiusmodi suffultus fundamento, verba illa Iob una cum admirabili illa visione divi Ioannis, quae triumphantis Christi Ascensionis festum nobis ad vivum ob oculos ponit, breviter explicabo. Ait S. Ioannes se vidisse Angelum quendam nube amictum, et in capite illius irim, cuius forma, et facies ut sol, ac pedes eius tamquam columnae ignis: erat in manu sua liber apertus: tenebat vero pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram ponebat, ac tam magna voce clamabat, ut et tonitrua loqui compelleret. Et deinde superaddit, Angelum illum levasse manum suam ad coelum, et iurasse per viventem, et regnantem in coelo, in terra, et in mari, venturum tempus, quo consummaretur, et finiretur mysterium Dei. Angelus ille nube amictus, quid quaeso aliud nisi divinum illud Verbum, huiusce nostrae carnis nube circumdatum significat? Splendor vero ille instar solis, qui a divino illius vultu emanabat, quid aliud nisi divinitatis suae splendorem indicat, Paulo (*Hebr.* 1.) dicente: *Qui cum sit splendor gloriae?* Pedes sicut columnae igneae, quid nisi maximam illius agilitatem, qua se, et nos ad coelestis domicilii regna perducit, denotant? pedum altero super mare, altero vero super terram positis suprema eius potestas, qua non modo per universos coelorum orbes, sed etiam per maris, terrarumque sola ultima pollet, egregie describitur: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra.* Sed quid per tonitrua, quae voce sua commoveri coeperunt, aliud denotari putatis, quam omnia coelorum corpora eius divino, ac humano subiecta esse imperio? et tam potentissimos quosque mundi principes, et opulentissimos regnorum monarchas, quam nefarios illos inferorum spiritus, illius audientes vocem, contremiscere, atque expavescere? Porro apertum in manibus tenere librum, denotabat absconditum illum sacrae suae Incarnationis sacramentum ab eo declarandum venire; quippe qui Dei Agnus esset, cui soli librum aperire, et septem illius signacula solvere concessum fuerat. Vox autem, quam emisit Angelus, erat sonora illa sancti Evangelii vox, a Christo suis discipulis iam enixe commendata, dicente (*Marc.* 6): *Praedicate Evangelium omni creaturae.* Demum brachii in altum elevatio, dicentis, quod consummaretur mysterium Dei, toties per Prophetas celebratum, nihil aliud prorsus significat, quam id, quod Christo in elevatione, et Ascensione sua gloriosa, quae finis, metaque sui in hunc mundum adventus fuit, obtigisse traditum reperimus: in ea enim quanta potentia, quantaque virtute, et fortitudine brachium eius polleret, omnibus clare demonstravit, qui nullius suffultus praesidio, sed propriae virtutis viribus per immensa aeris spatia in sublime transvolavit, et in altissima coelorum fastigia, gloriae, atque immortalitatis vestibus indutus penetravit: *Et pretiosis induere vestibus.* Ac denique tanquam victor gloriosus, montiumque, ac rupium occupator, infestissimos eius hostes confregit, ac subiugavit (*Iob* 40.): *Disperge superbos, et omnem arrogantem humilia.* Haec igitur tam heroica Christi gesta, ac praeclara facinora intuentes, non obscure indicant dexteram eius tam fuisse potentem, ut semetip-

sum in tuto pacis portu constituere, et promeritum sibi locum accipere potuerit: *Et confitebor, quod salvare te possit dextera tua.*

*Videntibus illis elevatus est.* David Propheta loquens in persona Christi dicit (*Psal.* 68): *Intraverunt aquae usque ad animam meam, demersus sum in limo profundi, et non est substantia.* Amarae tribulationum aquae in os usque deveniunt, et quamvis egregius videar natator, in illis nihilominus immergor, atque submergor: vere enim mortuus, atque sepultus fuit: tandem tamen turbulentas illas tempestatum undas sic enavit, ut caput extolleret (*Psal.* 109.): *De torrente in via bibet, propterea exaltavit caput.* Sane singulari nota dignum mihi esse videtur verbum illud, *propterea:* perinde enim fuit ac si diceret, Christi exaltationem fructum eius mortis fuisse, id attestante Salomone (*Cant.* 7.) in persona Christi loquente: *Ascendam in palmam, et apprehendam fructum eius*: tunc ascendit in palmam, cum in crucem conscendit. Palmae huiuscemodi fructus fuit corona illa gloriae, qua ipsum resurrectionis suae tempore supremus rerum omnium opifex aeternus Pater cohonestavit: *Gloria, et honore coronasti eum Domine.* Fructus etiam huiusce palmae fuit gloriosissimus Ascensionis eius triumphus, et dexterae aeterni Patris assessio: *Sedet ad dexteram Patris.* Fructus denique foecundissimae illius palmae, nobis coeli ostia reserare, in supremo illo aeternae felicitatis domicilio consedere, ac demum nos coelestibus illis divinisque animis aggregare, iuxta illud Pauli (*Hebr* 2.): *Qui consedere nos fecit in coelestibus, in Christo.* Atque huc spectare arbitror observatione dignam differentiam, quam inter Salomonis templum, et illud, quod a Deo Ezechieli demonstratum fuit, legimus: in illo namque nullae ad sedendum in sanctuario, in hoc vero multae, et diversae inter Sancta sanctorum sedes conspiciebantur, quas Propheta latera per circuitum vocat: unde Hugo Cardinalis, et Dionysius Carthusianus tot fuisse asserunt, ut quatuordecim in loco, Sancta, nuncupato, et centum, ac sex in loco, Sancta sanctorum, extiterint. Videamus nunc igitur, qua de causa, vel qua ratione in celeberrimo illo Salomonis nullae, in illo autem Ezechielis multae essent sedes. Id factum fuisse aiunt praecitati Doctores, ad significandum illo tempore legis scriptae coeli portas occlusas fuisse, ideoque in illo Salomonis templo sedes non fuisse necessarias, cum in coelum, cuius figuram gerebat, introire mortalium nemini permissum esset. Verum cum postsodum gloriosa Christi Ascensio nobis liberum fecit aditum ad sancta sanctorum aeternae beatitudinis, per templum Ezechieli ostensum denotatae, propterea in illo multae sedes reperiebantur, iuxta illud Christi (*Ioan.* 4.): *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Hinc itaque eximiam, et singularem quandam excellentiam infero, quam sacra Scriptura hominibus prae Angelis tribuit, quod videlicet, quando de illis loquitur, dicit, quod stant ante sedem Dei, *et Seraphin stabant, et Angelus Raphael aiebat: Ego sum unus ex septem, qui stamus ante Deum*; verum de hominibus loquens, dicit eos sedere ante Deum una cum Christo (*Luc.* 22.): *Sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Praerogativae istae omnes quid aliud sunt, nisi palmae crucis fructus uberrimi? *Ascendam in palmam, et apprehendam fructum eius.* Antiquus mos inolevit, originem a naturae lege trahens, Deo omnium fructuum primitias offerre; unde hac ratione ipsa terra hominum, quos alebat, coelo primitiae esse debeant non de primis fructibus, qui minutiores esse solent, sed ex melioribus, ut constat ex eo, quod a Deo in Levitico statutum legimus, ubi iussit ne de frugibus agri de novo proscissi primitias ei offerrent, donec prius quadriennio excultus fuisset, cum primi fructus debiliores, minoris vigoris, ac minoris substantiae esse soleant: hinc est, quod quamvis primus huius mundi fructus fuerit nostrum omnium pater Adam, nihilominus, quia non erat pro primitiis idoneus, cum velut corrupta planta putridam habens radicem, culpae, atque peccati fructus germinaret; ideo unigeniti Dei in carne humana, qui est fructus omnium, atque suavissimus, adventum expectavit, ac postmodum iam maturum, atque adultum in ipsa Ascensionis die pro hominum primitiis aeterno Patri offert, unde beneficium, ac singulare emolumentum in nos omnes derivatur. Quemadmodum enim ob Deo oblatas primitias, illius benedictione ceterae omnes fruges, germinaque replentur; ita etiam ob primitias, quas terra donat, aeterno Patri Christum unigenitum eius illi offerens, omnes aeternae benedictionis cumulo abundamus, teste divo Paulo (*Eph.* 1.) dicente: *Benedixit nos in omni benedictione in coelestibus in Christo.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA SECUNDA

*Aquilae metaphoram Christo in coelum ascendenti adaptamus, perplura quae in ea latent arcana detegere incipientes.*

Apud clarissimos quosque omnium temporum, omnisque rerum militiae praefectos, duces, atque etiam apud Principes, Reges, ac Imperatores, ad eorum res egregie gestas, praeclaraque facinora perpetuae posterorum memoriae commendanda, moris semper fuisse reperimus, clypeos, ac scuta ex eorum armis conficere: eaque in militaribus vexillis sculpere, quibusdam imaginibus, et inscriptionibus insignitas, quae tanquam linguae, ac praecones eorum virtutis, strenuitatis, atque animi fortitudinis interpretes, eas perpetuis futuris temporibus celebrarent, ne labilis iniuria temporis, aut vetustas, quae omnia destruit, atque consumit, res omni memoria dignas ulla oblivione deleret. Hinc videmus Semiramim Assyriorum Reginam, feminarum omnium illius nationis clarissimam, scuto suo columbam quandam, ac gladium pro suis stemmatibus, ac armis insculpisse. Columba significare volebat, se tanquam deam ab Assyriis in columbae figura adorandam; gladio autem potentiam portendebat, atque fortitudinem armorum, qua pollebat, tum ad ceteras orbis terrarum nationes suo subiiciendas imperio, tum ad regiae maiestatis mandatis rebelles acriter puniendos. Ad quod sane videtur alludere illud (*Hiere.* 46.): *Fugite a facie columbae, a facie gladii*: quasi dicat, fugite, ne vos contingat, et trucidet gladius occisor columbae. Ægyptii quoque armorum loco ferocissimis quibusdam utebantur draconibus, quos in suis vexillis, atque signis egregie laboratos gestabant, illisque feritatem suam serpentina crudeliorem, ac vindicandi se de ipsorum inimicis inveteratam quandam libidinem, atque insatiabilem cupiditatem denotare volebant. Quod non obscure praedixisse videtur Propheta David, secundum Theodoreti expositionem, dum obtentam Dei de Ægyptiis victoriam celebrans ait (*Psal.* 13): *Contribulasti capita Draconum in aquis:* quasi dicat, immortales ago tibi gratias, Domine, qui istorum ferocium draconum capita in undis immersisti, ac in altissimis rubei maris fluctibus superbissima signa, ac hostium tuorum vexilla perdidisti. Non revocabo in memoriam horrentia illa Francorum arma, e tribus bufonibus antiquitus consistentia, ac deinde in tres candidissimos flores, lilia videlicet, conversa. Consulto etiam taceo arma illa Persarum celeberrima, cum eadem, quae Cupidinis, illa esse sciamus, arcum videlicet, pharetram, et sagittas. Nec memorabo regales illas Romanorum aquilas, non medias Ottomannorum lunas, non illustrium Hispaniae Principum insignium, aut armorum varietatem; quippe singula recensendo dicendi finem vix invenirem. Ita igitur Christus tanquam universali Ecclesiae militanti ac triumphanti a Patre praepositus, veluti summus Princeps, et Monarcha universi, iuxta varias insigniter ab eo res gestas, ac varia totius vitae suae decursu opera heroica, varia, atque diversa insignia, uti mysteriorum suorum praecones, sibi elegit. Et quidem omnia ad vivum expressa invenio in quatuor illis, qua ipse Deus in quatuor Israelitici populi militantibus vexillis poni mandaverat iuxta doctissimorum Hebraeorum expositionem, de qua fit mentio in additione ad Glossam Nicolai Lyrensis. Primum illorum gestabat Ruben, in quo figura quaedam hominis in campo rubro depicta existebat, evidentissimum Incarnationis divini Verbi symbolum. Secundum Ephraim obtigit gestandum, cui insigne erat taurus in campo rubeo: *Quasi primogeniti tauri, pulchritudo eius*, manifesta certe imago atque effigies cruenti Christi in cruce sacrificii. Tertii delatrix erat tribus Iuda, et pro insignibus gerebat leonem in viridi campo: *Catulus leonis Iuda.* Figura haec certissima Christi resurrectionis, secundum illud S. Ioannis (*Apoc.* 2.): *Vicit leo de tribu Iuda.* Dan denique quartum deferebat, cuius stemma erat regalis quaedam aquila in campo candido coronata, vera arma, aptaque insignia praesentis Christi triumphantis Ascensionis, in qua ipse tanquam regalis quaedam aquila tam in sublime se evexit, ut per omnem aeris sphaeram pervolans, supremosque coelorum vertices penetrans, non substiterit, quousque in altissimo coelorum sedem suam collocarit; quod mirabilissimum iure optimo dici potest, ut ipse etiam Salomon (*Prov.* 30.) palam profiteatur, se eo ingenii perspicacitate pertingere nunquam potuisse: *Tria sunt mihi difficilia, et quartum penitus ignoro, viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris, et viam viri, in adolescentia*, ut Vulgata nostra habet, vel in *adolescentula*, ut vertunt Septuaginta Interpretes. Quis quaeso nostrum videns Deum in tenerrimae Virginis viscera introeuntem, atque ibi humanum corpus assumentem, indeque sine aliqua virginei claustri laesione in mundum prodeuntem, non obstupescat? Aut quis non admirabitur mysteriosam illam humanitatis Christi navem in turbulentissima amarae passionis suae tempestate, a tot archipiratis obsessam, et in tot partibus perforatam, quot erant ei plagae a clavis et lancea inflictae, perpetuae mortis naufragium passam minime fuisse? Quis tandem stupendum portentum diffiteatur Christum uti serpentem in terra reptantem, sepulcro inclusum, propriae virtutis suae viribus antiquae mortalitatis pelle exutum, immortalitatis gloriae habitu indutum, in empyreum coelum altius se extulisse? Verum, quod prae ceteris omnibus in maiorem me rapit admirationem, ait Salomon, est celer ille volatus huius regalis aquilae, quae duabus alis, agilitatis videlicet, et subtilitatis suae, propriis subnixa viribus, ad coeleste hemisphaerium convolavit, omnesque coelorum axes penetrans ad dexteram Patris se collocavit. B. Iob admirandum hoc mysterium considerans, nonnulla protulit verba, quae huius volatus celeritatem, ac incredibilem utilitatem inde nobis provenientem adamussim declarare videntur (*Iob* 3.): *Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? Inde contemplatur escam, et de longe oculi eius prospiciunt: pulli eius lambent sanguinem, et ubicumque cadaver fuerit, statim adest.* Magnus ille Pater D. Ambrosius (*serm. suo* 62.) ac S. Maximus (*ho.* 2. *post Pent.*) dicunt aquilae metaphoram Christo mirum in modum convenire: *Est enim*, ait D. Maximus, *similitudo non parva: sicut enim aquila humilia deserit, alta petit, coelorum vicina conscendit; ita et Salvator humilia inferni deseruit, altiora Paradisi petiit, coelorum fastigia penetravit*; et quemadmodum omnia Christi opera per obedientiam Patris in lucem prodibant; hinc est, quod sicut ex praecepto Patris in praesepio natus, in cruce mortuus fuit, ac de sepulcro



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*praeceptum tuum elevabitur aquila? et in arduis ponet nidum suum?* idest, in loco humanis viribus inaccessibili, coelo nimirum empyreo, ubi filiis suis nidos praeparat, ut ait Propheta David (*Psal.* 83.): etenim *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum ubi reponat pullos suos:* quod et pollicitus fuerat dum dixit (*Ioan.* 14.): *Si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* Immo addit Iob (*Iob* 39.): *Inde contemplatur escam, et de longe oculi eius prospiciunt.* Referunt Plinius, ac Aristoteles de aquila, ipsam quantumcumque in altum evolantem, semper in pullos suos intra nidum remanentes defixos tenere oculos, ut si qua ex rapacibus avibus eos laedere tentaret, continuo eis subsidium impendere posset. Non dispari ratione licet Christus, tanquam aquila quaedam regalis, sublimius evehatur, omniaque coelestis curiae fastigia supervolet, ac super Cherubim etiam transcendat (*Ascendet super Cherubim, et volabit*); nihilominus oculos a filiis suis non deflectit, quos in Ecclesiae suae nido reliquit, sed benevolo aspectu intuetur, ut tueatur, atque defendat, ac eorum corporali, ac spirituali sustentationi necessaria provideat: *Inde contemplatur escam.* Unde quemadmodum aquila, omnium naturalis Scriptorum historiae auctoritate attestante, tam generosi est animi, ut rapinam non modo inter pullos suos, verum etiam inter ceteras volucres eam comitantes distribuat; eodem quoque modo Christus gloriosa hac sua Ascensione ingentem coelestium bonorum copiam, quorum hodie possessionem capit, adipiscens, absque ulla interposita mora inter suos divisit, ut ait D. Paulus (*Eph.* 4.): *Dedit dona hominibus.* Paulisper tamen in his verbis subsistamus, quippe ardua atque intellectu satis difficilia reddi videntur, propter illa Davidis (*Psal.* 67.) de Christo dicentis: *Ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus.* Secundum enim neotericam nonullorum scribentium expositionem ad antiquum illum morem, quo victi victoribus munera offerebant, alludit Propheta; unde sensus est, quod eodem temporis momento, quo Christus sceptro suo potitus fuit, omnes populi suae fidei ac confessionis tributum obtulerunt. Quomodo ergo sanctus Paulus ait eum dona hominibus dedisse, David vero ab hominibus recepisse?, Verum nulla omnino hic adest repugnantia aut contradictio. Primo quippe non immerito dicere possumus, Christum hodie et munera dedisse, et recepisse: dedisse quidem hominibus, et recepisse ab aeterno Patre, quos in haereditatem, et velut patrimonium dare pollicitus ei fuerat, dicens (*Psal.* 2.): *Dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Secundo responderi potest, quod quamvis videatur adesse aliqua D. Pauli, et Davidis verborum varietas, cum alter dedisse, alter vero recepisse asserat, nulla tamen in eorum genuino sensu cadit discrepantia: etenim accipere non semper ab alio recipere, sed saepenumero sibi recolligere significat, ut (*Exod. c.* 15.): *Loquere ad filios Israel, ut accipiant mihi primitias:* et (3. *Reg. c.* 17.): *Accipite mihi parum aquae.* David itaque considerat Christum, velut victoriae suae spolia recolligentem, ut illa hominibus distribuat, ac communicet; ideoque dicit: *Accepisti dona in hominibus.* Verum S. Paulus considerabat eum, uti illum qui iam donorum, ac munerum suorum divisionem fecerat, ac propterea dicit: *Dedit dona hominibus.* Subdit S. Iob: *Pulli eius lambent sanguinem:* id est iusti, qui tam assidua passionis eius meditatione, quam divinorum sacramentorum susceptione, in quibus innocuus ille, ac fervidus sanguis ebullit, illum continuo summa aviditate sugent: *Et pulli eius lambent sanguinem.* Ac tandem concludit: *Ubicumque fuerit cadaver ibi adest.* Ait magnus ille Pater D. Gregorius (*l.* 31. *Mor. c.* 22.): Omnis, qui in peccati morte inciderit, non immerito cadaver vocari potest: iure sane optimo in peccati mortalis sordibus delitescens, cadaveris nomen meretur, quandoquidem praecipua gratiae vita orbatus manet. Ubicumque igitur horum aliquis fuerit, continuo divina haec aquila accedit, desiderans illius conversione cibari, atque nutriri: hae sunt enim gratae eius epulae, hic cibus, haec esca, qua ipsa alitur, ut disertis verbis nobis ipse indicavit, dicens (*Ioan.* 4.): *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Demum sicut aquila invitat pullos suos, ut eam volando imitentur (*Deut.* 31.): *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos*, simili quoque ratione Christus in hac gloriosa sua Ascensione fidelium animas signis, atque vocibus, ut eum comitentur, invitat (*Cant.* 2.): *Surge, propera amica mea;* quasi dicat, ut exponit D. Ambrosius (*li. de Isra. c.* 4.): *Resurge a terrenis, et veni ad me supra mundum.* Sed notatu admodum dignum est, quemadmodum Christus, secundum illam Ezechielis Prophetae visionem, quatuor habet facies, de quibus supra diximus, hominis videlicet, leonis, tauri, atque aquilae; ita quoque Christus Sponsam suam, priusquam ad coeli iter sese accingat, examinat, an illis quatuor faciebus assimiletur, ac propterea dicit ei (*Cant.* 2.): *Ostende mihi faciem tuam.* Si enim huiusmodi facies ei defuerint, non erit ei similis, nec eius imagini conformis, et per consequens nec ad regnum coelorum apta. Ex his formis omnium prima est hominis, quam assumere oportet fratres, confitendo vos esse homines ex pulvere natos, non tamen ex quocumque, cum pretiosi, magnique valoris aliqui reperiantur, ut sunt stomachales, ac pectorales; alii ex gemmis, et margaritis, et alii ex auro; alii etiam ex aromatibus compositi, sed ex inutili vos esse compactos pulvere mementote. Unde sapienter David (*Ps.* 103.) loquens de hominibus, non fuit contentus dicere, *In pulverem revertentur;* sed superaddit: *In pulverem suum*, quem constat inutilem, turpem, ac foetidum, atque adeo diversum valde ab aliis, qui utiles, odoriferi, salutares, ac pretiosi sunt. Verum quia sola humilitatis opera, ac sui ipsius submissio ad aeternae felicitatis gloriam assequendam non sufficiunt, necessarium etiam est vituli formam induere, ut sicut vitulus iugi pondera sustinere non



potest: ita et Christiani anima molesto daemonis iugo, intolerabilique peccatorum sarcina gravari minime patiatur, quippe coeli ascensum tanto pondere praepeditus, non solum perficere, sed nec tentare poterit. Leonis etiam forma neutiquam deesse debet, ut universo inferorum coetui se opponere valeat, spem omnem in divina collocans gratia, qua fultus omnes eius infestissimos hostes facile debellabit: etenim (*Prov.* 28): *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit.* Denique aquilae forma indui oportet, ut in eorum numerum recipiatur, quorum meminit Isaias (c. 3.) dicens: *Assument pennas ut aquilae: current, et non laborabunt, ambulabunt, et non deficient.* Spiritus sanctus enim suavi quodam, ac leni flamine illorum voluntatis atque intellectus vela perflans, eorum animos recreabit, ac indefessos efficiet. Quod secus impiis accidit, quos propria peccata, velut viperarum partus, matrem eviscerant: unde lamentantur, dicentes (*Sap.* 5.): *Lassati sumus in via iniquitatis.* Sed prius quam ab Isaiae verbis longius recedam, in eo tantisper immorandum duxi, in quo aliquibus fortasse videbitur Propheta ab artis oratoriae praeceptis deviasse, cum iuxta illius praescripta documenta semper gradatim a minori ad maius sit ascendendum, e converso vero hic a Propheta factitatum videmus, quoniam prius dicit, quod iusti volabunt: *Assument pennas, ut aquilae;* deinde quod current: *Current, et non laborabunt;* ac denique, quod ambulabunt: *Ambulabunt, et non deficient.* E contra vero sermonis series contexenda videbatur, ita ut inde inciperet ubi desiit, dicens primo *ambulabunt;* quod incipientium est: deinde *current;* quod est proficientium: ac demum *volabunt;* quod ad contemplativos spectat: id enim incrementum, ac profectum redoleret; e converso vero volare, deinde currere, ac tandem ambulare, defectum, ac decrementum praesefert. Huic difficultati bifariam occurrere possumus: primo dicentes, iustos volaturos contemplatione, cursuros ardenti desiderio, ambulaturos vero bonis operibus in via divinae legis, quod omnium perfectissimum est, iuxta illud Davidis (*Psal.* 188): *Beati, qui ambulant in lege tua, Domine.* Secundo, et huic proposito nostro congruentior expositio est, quod quamvis sit laudabile ad tempus contemplationis pennis volare, aut in via divini obsequii cursum accelerare, cum David dicente: *Viam mandatorum tuorum cucurri;* laudabilius tamen et pluris pendendum est, ad coeli iter arduum peragendum, passu tametsi lento, sine aliqua tamen mortiferi peccati interruptione ambulare: *Ambulabunt, et non deficient.* Id sane reliquis omnibus excellentius est: viam enim ad aeternam felicitatem primum parat, Paradisi aditum patefacit, regni coelestis portas pandit, ac tandem, quod felicissimum est, nos securos reddit regnandi cum Christo. Unde quemadmodum de coelesti illa Hierusalem scriptum invenimus, quod nihil coinquinatum introibit in illam; necesse est ad hoc, ut illic introeamus, nos ad Christi imitationem renovare: etenim sicut aquila se in altum sublevans alas suas expandit, illasque ardentibus solis radiis comburendas extendit, ac deinceps se in fontem quendam proiiciens, in aqua se balneans, igne, et aqua tandem innovatur; ita etiam Christus, tamquam aquila regalis, in flagranti illo Calvariae monte in altum crucis lignum ascendit, ac extendens alas brachiorum suorum, se ipsum divini sui amoris ardentibus radiis inflammavit, ac deinde copiosissima lateris sui aqua madefactus se ipsum tertio die penitus renovavit, ac plumas mutavit, corpus impassibile, agile, subtile, atque gloriosum assumens: et hac ratione fulgentissimos divini domicilii orbes supervolans supremi coeli fastigium conscendit. Nos ergo eodem quoque modo, ut nobis ad coelestem illam omnibus deliciis affluentem Hierusalem aditus pateat, oportet prius instar aquilae renovari, ut sursum corda nostra contemplationis pennis elevemus, divini amoris flammis aestuemus, ac denique in fluenti lacrymarum nostrarum fonte abluamur. Sic enim renovati, nitidi, ac pulchri in conspectu Dei apparentes, ad societatem Christi in dextera Patris sedentis admittentur. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA TERTIA

*Aquilae metaphoram prosequimur, variis sacrae Scripturae locis pulchre illustratis illam locupletantes*

A priscis iam temporibus more comparatum fuisse legimus, ut Principes de status sui bono regimine, ac Reipublicae utilitate solliciti, omnes imperii sui terminos per se ipsos visitent, subditos agnoscant, de legibus provideant, necessitatibus suorum consulant, ac demum, his omnibus peractis, ad commodiorem imperii sui civitatem ibi commoraturi se recipiant. Christi Regnum in tres partes dividebat D. Paulus Apostolus (*Philip.* 2.): *In nomine Iesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum*, in terram videlicet, in inferos, in coelum. Deus itaque hominis formam assumens, universa regni sui loca visitare, ac inde ad coelestis curiae gloriam requiem capturus reverti voluit. A terra igitur visitationem suam inchoavit (*Luc.* 1.): *Visitavit nos oriens ex alto;* leges, ac sanctiones, et pragmatices condidit, tyrannides e medio sustulit, ac e terra nefarium Satanam, communem humani generis hostem, eiecit, expulit, atque prostravit (*Ioan.* 18.): *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Prima hac visitatione, quae triginta trium annorum curriculo perduravit, absoluta, secundae regni sui parti visitandae incubuit, in inferni scilicet limbo, ut in Apostolico Symbolo fatemur: *Descendit ad inferos.* Durissimos ibi visitavit carceres, ex illis sanctos illos Patres captivos, tamquam innocuos, eripiens, daemones, velut suo rebelles imperio in arctiora, ac duriora vincula coniiciens, illorumque foribus novas, ac fortiores seras alligens: post haec ad terram gloriosus exurgens rever-

titur, Reipublicae suae negotia componit, Petrum Ecclesiae Vicarium, ac vicedeum praeposuit, Apostolos Episcopos declaravit, caeteros autem discipulos novis peditum militiae suae copiis praefecit: *Ecce ego mitto eos*. His omnibus feliciter gestis, Christus ad omnium regni atque imperii sui civitatum amplissimam, amoenissimam, ad clarissima nempe coeli empyrei, quod omnium supremum est, fastigia, summam ibi requiem habiturus conscendit (*Marc.* 16.): *Assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei.*

Verum in hac Christi Ascensione grave dubium examinandum occurrit: nam prima quasi fronte nobis incommodum esse videtur, Christum in coelos ascendere, nosque gratissimo eius aspectu orbatos relinquere: dum enim Deus Pater unigenitum suum nobis tollit, donationem illam inter vivos eiusdem unigeniti antea mortalibus factam revocare videtur. Unde non inepte, sine aliquo etiam dialectices artificio arguere, ac inferre poterimus, quod quemadmodum ipsius donatio summi erga nos amoris, ac divinae amicitiae symbolum extitit, ita illius ablatio sit evidens incredibilis cuiusdam odii, ac inimicitiae erga nos indicium, ac verba illa: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, in hunc modum invertemus, et commutabimus: sic Deus odit mundum, ut Filium suum unigenitum tollat ab eo. Si Indiae, quaeso, omnia auri, atque argenti pondera inde exportata auferrent, quam inops, quam mendica, quam pauper, quam denique destituta universa remaneret Hispania? Si mare omnium aquarum fontium scaturientium, ac insigniorum fluminum ex eo profluentium restitutionem postularet, quam sicca, quamque infoecunda appareret terra? Si demum coelum ipsum solem suum celaret, ac splendidissimum phoebi radiantis iubar aspectui nostro subtraheret, quam obscurum, quam miserum, quam lugubrem hunc orbem redderet? At sine dubio proficuus Ecclesiae catholicae magis ac necessarius est Christus Dominus noster, quam aurum, et argentum Hispaniae, quam aqua universae terrae, quam denique sol toti mundo. Si igitur eum nobis auferat Deus Pater, consequens est, quod in summa rerum omnium egestate, in continua sterilitate, in perpetuis denique tenebris versemur. His adiungo illud D. Pauli (*Rom.* 12.): *Dona Dei sunt sine poenitentia*: Deum enim beneficiorum collatorum numquam poenitet. Quomodo igitur, vel qua ratione iam aeternus Pater Filium suum nobis datum adimit? sane factae donationis eum poenituisse, ac antiquam suam voluntatem retractasse videtur. At huius obiectionis responsio in promptu est, quod aeternus Pater ita nobiscum se gerit in gloriosa Christi ascensione, sicut nutrix cum tenero infante, cui, cum satis ex altero uberum exsuxit, illud abscondit, aliud ei detegens, ut parvulus infans amborum uberum beneficio potiatur. Deum nostrum bina habere ubera, catholica nobis edocet fides, quorum unum Christus, alterum Spiritus sanctus est, quibus omnium animas educat, atque enutrit, ut ipse per Oseam dicit: *Ego lactabo eam*; quasi dicat: Ego ubera mea lactanda ei exhibebo, unum per intellectum, alterum per voluntatem meam profluens. Iam primum uber, Filium nempe suum, nobis lactandum obtulerat, et mundus de sacro doctrinae suae lacte iam dudum suxerat; at cum in triumphantis Ascensionis die illud occultat, et nobis subtrahit, id propterea efficit, ut aliud uber, idest Spiritum paraclitum, qui iam proximus est nobis, lactandum detegeret, ac divinae illius dulcedinis, ac solatii lac sugendum propinaret. Atque hinc videtur haud difficulter solvendum aliud fortissimum argumentum, quod Sponsae proponi posset, desumptum ex ultimis illis epithalamii sui verbis, ubi Sponsum suum alloquens dicit (*Cant.* 8.): *Fuge, dilecte mi, assimilare capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Merito inquiram a te Sponsa sancta, si tuus ille amor est, cur ei dicis, ut fugiat, et discedat a te? amor enim unio est, amor nexus est, amor vinculum est, amor laqueus est, ac denique amantium amor aurea quaedam catena amantem cum amato strictissime copulans est, adeo ut si vere amanti concessum esset, dilecti sibi praesentia, atque consortio semper frui, id pergratum sibi esset: quomodo igitur eum tam obnixe rogas, ut a te fugiat, ac separetur, *Fuge, dilecte mi*? Hocne est antiquum illud, quo ardebas, desiderium, ut Sponsus tuus te inviseret (*Cant.* 4.): *Veniat dilectus meus in hortum suum*? O utinam Sponsum meum ad fruendum amoenissimis horti mei floribus venientem viderem? Haec sunt antiqua illa desideria: *Deosculetur me osculo oris sui.* O utinam inter dulcissimos Sponsi mei amplexus conquiescerem? Hae sunt cordis illae anxietates, hae sollicitudines quibuscum intempesta, atque obscura nocte, amisso epitogio, ab excubiis expoliata, ad eum undique disquirendum egressa fuisti? Bone Deus, Sponsa sancta, quanto nunc mutatam intueor? adeo quidem, ut aspectui tuo se subtrahat, Sponsum importune depreceris, dicens (*Cant.* 4.): *Fuge, dilecte mi.* Huic difficultati respondent D. Bernardus, ac doctissimus ille Carpatiorum Antistes Ogylon (*in s. com. sup. Cant.*), quod petitio illa Sponsae, ut Sponsus in hortum suum introiret, et desiderium fruendi dulci illius amplexu, *Veniat dilectus meus in hortum suum, et osculetur me osculo oris sui*, nihil aliud erat, nisi divini Verbi adventum in carne humana exoptare, ut divini illius uberis suavitate, atque dulcedine gauderet; at postquam illud sibi propinaverat, flagranti quoque desiderio incensa, altero ubere, quod erat sanctus Spiritus, frui percupiebat: quia tamen ei exploratum erat, ita in coelo statutum, et Dei patris voluntatem esse, alterum pectus nobis neutiquam detegere, quousque aliud in Ascensione Christi occultaretur, ipso dicente (*Ioan.* 16.): *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*; ideo Sponsa dixit Christo (*Cant.* 4.): *Fuge, dilecte mi*; regredere mi Rex, ad palatium tuum, revertere mi Christe e terra ad coelestium spirituum consortia: praeterquam enim huiusmodi tuus abscessus tibi summae gloriae, nobis etiam maximae erit utilitati.

Eximius ille Pater sanctus Maximus utrumque magna certe ingenii perspicacitate comprobat, Christum regiae aquilae comparans (*Ho. post Pent.* 2.): *Per omnia*, inquit, *aquilae comparatio convenit Salvatori*. In omnibus et per omnia Christo ascendenti aquilae comparatio congruit, tum ad probandum ascensionem suam ei admodum fuisse gloriosam, tum etiam ad demonstrandum, eandem nobis mirifice conduxisse. Inter ceteras Principum res generose, ac gloriose gestas ea sane vel maxima est, victorias incoeptas strenue prosequi, nec ab illarum incoepto ullatenus desistere, quousque sua victricia insignia in altissimae turris vertice, ubi hostis sua defixerat, collocarint. Omnium maximus, atque antiquissimus Christi hostium fuit Lucifer, ita ut de eo dixerit (*Ioan.* 8.): *Ille a principio homicida erat*: ille a principio quo me agnovit, me sibi infestum semper habuit, inextinguibili siti sanguinem meum ebibendi, ardentissimeque vitam mihi adimendi desiderio semper exaestuavit; hoc studium semper illi fuit. Truculentus iste hostis in empyreo coelorum omnium eminentissimo signa, vexillaque sua erexit, super astra coeli, et in lateribus Aquilonis sedem suam locare satagens; at Christus Dominus tyrannum illum crudelem tam insigni victoria persequutus fuit, ut a molesta infestatione illius nunquam destiterit, quousque vexilla, insigniaque sua in eodem loco, ad quem Lucifer ascendere tentarat, gloriosus extulisset, et in eo triumphans consederet, ut ait D. Marcus: *Assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei.*

Hinc ansam sumere placet ad satisfaciendum curiosae, sed piae quorumdam quaestioni, interrogantium, qua de causa catholica Ecclesia in *Rogationibus*, quas diebus proxime elapsis celebravit, vocet Incarnationem sanctam: *Per mysterium sanctae Incarnationis.* Baptismum et Ieiunium sanctum: *Per baptismum et sanctum ieiunium tuum.* Resurrectionem sanctam: *Per sanctam resurrectionem tuam.* Et nihilominus de Ascensione loquens, eam admirabilem nuncupet: *Per admirabilem Ascensionem tuam.* An fortassis ipsa Christi Incarnatio non est admirabile mysterium, duas in uno supposito copulari naturas? Res forsan prodigiosa non est, vitae auctorem in ligno crucis emori? Portentum non est inauditum, hominem propriae virtutis viribus resurgere? Qua de causa igitur Ascensionis mysterium prae ceteris omnibus admirabile vocat Ecclesia? *Per admirabilem Ascensionem tuam.* Ego sane id effectum fuisse sine dubio crediderim, ut Ecclesia nos doceret, in Christi hominis vitae curriculo, rem tam admirabilem, ac Dei conspectui super omnia gratissimam non esse quidem recte vivendi iter instituere, sed in finem usque constanter fortiterque perseverare: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Quis rogo mortalium tam perversi erit animi, qui semel atque iterum iniquitatum laqueo solutus non fuerit? vel quis erit, qui saltem semel cum vera animi compunctione de peccatis confessus non fuerit? Id quidem fuit recte vivendi initium sumere; verum usque in finem strenue perseverare, ac constanter sine aliqua mortalium peccatorum macula usque ad extremum vitae spiritum perdurare, hoc opus, hic labor, hoc rarum, hoc admirabile, et apud Deum in summo pretio, summaque aestimatione habetur. Olim Deus in lege scripta praecepit, ut sacerdotes habitu longo in terram usque defluente amicti incederent, malis Punicis, ac tintinnabulis circumpendentibus. Habitus ille in terram usque defluens quid aliud significabat, quam rectam Christiani hominis vitam, quae est habitus illius ceteris honestior, atque ornatior, usque ad eius sepulturam, ac ultimum vitalis aurae halitum durare debere? Tintinnabulorum vero appensione denotabatur, Christiani opera talia esse debere, quae ad tintinnabuli sonitum fieri, ac ante Dei, Angelorum, hominumque conspectum in publicum prodire valeant. Demum e vestimenti illius fimbriis granata, quae fructus sunt coronati, dependentia, significabant Deum illis tantummodo gloriae coronam donaturum, quorum in eius servitute, et obsequio usque ad extremum spiritum constans esset perseverantia (*Apoc.* 2.): *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Haec omnia perfecte implevit Christus, qui non contentus in Bethleem nasci, Hierosolymis mori, ac tertia die resurgere, redemptionis humanae negotium eo pertraxit, ut non destiterit ab incoepto, quousque in coelos transcenderit, aeternae felicitatis ostia aperuerit, et omnibus illorum ingressum optantibus aperte reliquerit. Quid profuisset Christum nasci, nisi mortuus fuisset? vel quid etiam mori, nisi resurrexisset: *Si Christus non resurrexit, inanis*, ait Paulus (*1. Cor.* 15), *est fides nostra.* Et si Christus ad coelos ascendere, et stellas calcare non potuisset, quid profuisset eius resurrectio, nisi ut phantasma ac visum aliquod oculos deludens iudicaretur? et ut de eo diceretur; *Hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare.* Hic homo aedificii redemptionis humanae fundamenta iecit, ad finem autem, metamque perducere minime valuit. Quamobrem quoniam Christus gloriosa sua Ascensione universis suis operibus coronam adiecit, ultimam manum redemptionis negotio imponens, ac ad perfectionem tanta cum laude, animique constantia illa deducens, ideo sancta Mater Ecclesia ei illustre illud, atque insigne (admirabilis) cognomen tribuit, dicens: *Per admirabilem Ascensionem tuam.* Quia igitur inter omnia volatilia nullum est aquilae volatu admirabilius, tum quia ceteris sublimius pervolat, tum quia illis est volatu constantior, nec a suo incoepto facile desistit, donec praedam, quam insequitur, unguibus apprehendat; ideo sanctus Maximus Christum in coelum ascendentem aquilae conferens, optime declarat, Ascensionem huiusmodi ingentem gloriam, ac summum honorem ei peperisse. At nobis quoque utilem valde, ac mirum in modum proficuam fuisse, illud Davidis egregie probat, absque eo, quod a proposita aquilae metaphora digrediamur (*Psal.* 103.): *Herodii domus dux est eorum.* Non modica inter auctores est controversia, cuius generis animal sit Herodius.

Suidas non ignobilis auctor ciconiam esse dicit; at Theodoretus, ut refert doctissimus Ambrosius (*in suo Dictionario*) asserit idem esse, quod avem, ardeam nuncupatam, eo quod volando ardua petat, iuxta illud Virgilii (*primo Georg.*):

*... atque altam supra volat ardea nubem.*

Non incongrue id Christo ascendenti quadrat: fide enim catholica docemur, ipsum in nube ascendisse (*Act. 1.*). *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, iuxta Davidis Prophetiam (*Ps.* 103): *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Sed ad rei nostrae propositum magis facit id quod ait Nicolaus Lyrensis, cuius haec est sententia. Herodinm idem quod Gryphum esse, de quo recensent naturales, quandam illius inveniri speciem tam admirabilem, atque portentosam, ut pedibus agno, pectore, ac humeris leoni, facie vero aquilae similis sit. Admirabile hoc est Christi symbolum, et quasi viva quaedam illius effigies adamussim eum repraesentans: Christus enim in nativitate, ac passione sua agno similis erat (*Isai.* 53.): *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obtumuit.* In resurrectione sua, forti, ac animoso leoni similis extitit: *Vicit leo de tribu Iuda*, quemadmodum vidit illum dilectus eius discipulus Ioannes. In Ascensione autem erat instar aquilae regalis: quoniam non secus, ac aquila pullis suis se ducem, atque magistram exhibet ad docendum eos et volare, et terrae clima, atque temperiem, et alia sibi conducibilia investigare; ita etiam Christus in illa gloriosae suae Ascensionis die, tanquam princeps quaedam aquila, regali suo volatu nos ad aeternam beatitudinem ducit, instituit, atque excitat, ut omnem ingenii nostri aciem ad volandum in coelum conferamus (*Deut.* 2): *Sicut aquila provocans filios suos ad volandum, et super eos volitans, expandit alas suas*: quod etiam ad litteram dixit Michaeas: *Ascendit pandens iter ante eos.* Ascendit Christus in coelum tanquam dux noster, iter occlusum aperiens. Quod idem Propheta David, aliis tamen sub verbis, cecinit (*Psal.* 15.): *Notas mihi fecisti vias vitae.* Atque hoc ipsum significant illa alia iam citata, *Herodii domus dux est eorum.* Constituit se ducem nostrum Christus Dominus, ut liberum faceret aditum ad coelestem gloriam, ac aeternae beatitudinis portas in illam usque diem obseratas panderet. In cuius rei figuram legimus Deum ad Paradisi portas ianitorem, ac custodem quendam, Angelum videlicet, igneo in manibus ense posuisse. At Christus Dominus hac die in coelum conscendens nudatum illum gladium Angelo ianitori tollit, in frusta redigit, penitusque disrumpit, ardentique charitatis suae calore liquefacit, ex eoque sic liquefacto claves coeli portis aperiendis affabrefacit, et quidem tot numero, quot sacerdotes, et confessores in Ecclesia Dei approbati reperiuntur. Gestant enim illi omnes tanquam Dei cubicularii clavem auream e cingulo pendentem, qua coeli portas aperiunt. Introite ergo, precor, facilius has: nec enim desunt ianitores, portis illis reserandis paratissimi. At vestrum fortassis dicet aliquis: Pater, omnes meae curae, omnia mea desideria, et studia eo revera tendunt, ut per medias has claves ad aeternas illas coelestium mansiones introire valeam. Recta equidem, et laudanda sunt istaec tua desideria. Sed dic, quaeso, illisne opera tua correspondent? Claves enim Ecclesiae non aperiunt coeli portas in peccatorum faecibus permanenti, et voluptatum caeno se volutanti: unde si cum Christo ad aethera conscendere desideras, peccatorum sarcinam deponas opus est: etenim nisi antiquas veteris pravitatis plumas evulseris, fieri minime potest, ut novae ad volandum in coelos pennae renascantur. Recenset S. Isidorus aquilam eius esse ingenii, atque naturae, ut pullos suos e nido ad sublimius volandum non educat, donec veteres plumas, putridosque pilos exuerint. Eadem quoque ratione nobis persuasum esse velim, Christum similis omnino cum aquila esse conditionis, atque ingenii, ut ad coelestium animarum consortium admittat neminem, nisi prius corruptos antiquae turpitudinis pilos, veteresque suae vanitatis plumas, effroenis licentiae, ac nimiae libertatis pennas praesciderit: quoniam, ut ait magnus ille Hieronymus, Paulo et Eustachio scribens: *Aula coelestis non suscipit nisi sanctos, simplices, et iustos.* Hae sunt conditiones, hae qualitates, haec requisita ad aeternae beatitudinis gloriam consequendam necessaria; cogitationum sanctitas, verborum sinceritas, ac operum, quae cum lege Dei consentanea sint, iustitia. Et ne diutius in genere divagemur, veniamus ad speciem. Vos omnes, qui Sacerdotio initiati estis, sacris manibus pectora vestra admovete: vos vero, qui Sacerdotes non estis, ponite manus vestras super crucem, et iurate, plene respondere proposito D. Hieronymi interrogatorio, *Aula coelestis non suscipit nisi sanctos, simplices, et iustos.* Dicite nunc sub iuramento praestito, ut se habet vestra animi sanctitas, et cogitationum puritas? Pater, vix dum perversa cogitatio intellectum pulsat, cui continuo voluntatis consensus non acquiescat. Et vos dicite, quaeso, ut se habet verborum vestrorum sinceritas? es ne murmurator, maledicus, homo duplex, et velut alter Ianus bifrons? amicus publice, inimicus privatim? Denique, ut se habent opera tua? Facisne satis officio, et muneri tibi iniuncto? orationi vacas? inopi subvenis? castitatem sectaris? an fortassis in summa libertate, in dissolutione, in nimia morum licentia vitam trahis, ut ne in cogitationem tuam veniat, quot et quantis periculis aeternam tuam salutem exponas? Pater mi; Difficilia valde a me postulas, nimis animum meum vexas. Responde, infelix peccator, ad D. Hieronymi interrogationem, nec a quaestione resilias. Si respondendum mihi est, Pater, certe has a me conditiones, atque qualitates longius abesse non diffiteor; et sub iuramenti sacramento antea praestiti, omnes in me contrarias esse fateor. Dic igitur nunc; Si praefatas conditiones, cogitationum scilicet puritatem, verborum sinceritatem, ac bonorum operum venustatem necessaria esse fateris, et nihilominus eas tibi deesse affirmas, quando haec tibi praestanda credis? aut ad quae tempora bonum operari procrastinaris? Forte fortuna res aliqua tibi esse potest, cuius tua magis intersit, quam aeterna animae tuae salus? Quomodo ergo, precor, tanta te illius cepit oblivio, ut eam rebus omnibus postponas, cum agnoscas, quod *Aula coelestis non suscipit nisi sanctos, nisi simplices, nisi iustos?* At licet tanta sit obstinatae mentis perversitas, talis est Christi clementia, talia piissima Christi viscera, ut ipse cum peccatoribus non aliter se gerat, ac regia aquila cum pullis suis. Referunt Aristoteles, et Plinius (*de historia animalium*), et Ælianus (*de varia hist.*) aquilam pullos quasi nido affixos sponte egredi nolentes, rostro pungentem, per vim inde expellere, atque ad volandum cogere; eadem sane ratione Christus tamquam pia quaedam aquila de filiorum suorum salute valde sollicitus, si postquam eos de peccatorum tenebris facillimis quibusdam antidotis, ac suavissimis mediis eruere tentavit (velut sunt divinae inspirationes, recta confessorum consilia, ac vivae praedicantium voces) si nequidquam haec proficiant, et ipsi nequaquam ad bonum commoveantur, sed veluti iniquitatum nido affixi illi adhaereant; inde eos extrahit, quandoque adversa corporis valetudine vexans, quandoque in amaros adversae fortunae scopulos eos deiiciens, quandoque filiis eorum vitam adimens, ac unde minime cogitabant, inde ut lites indeque rixae oriantur, permittens, quae tandem illos penitus conterant, atque consumant. Hae sunt fratres divinae illius aquilae puncturae: hi sunt Christi ictus, atque morsus, qui de salute vestra sollicitus, vos e mortifero pravitatum nido, cui tenaciter adhaeretis, eruere, atque divellere, et in pulchro gratiae divinae statu collocare nititur, ut in omnem aeternitatem felicissimo Dei aspectu frui mereamini. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA QUARTA

*Triumphantis Ascensionis Christi Domini singularis maiestas, ac triumphi illius inaudita pompa, et apparatus varia sacrae Scripturae eruditione pulchre describitur.*

Inter varia, atque diversa sapientissimi illius Salomonis aenigmata, proverbiorum suorum libro compendiose inserta, principem locum sibi facile vindicant ea, quae capite vigesimo proposuit, inter quae omnium illud excellentissimum arbitror, tam ob illius metaphorae obscuritatem, quam etiam ob sententiarum profunditatem, quod de leone, gallo, ariete, et rege scripsit, dicens (*Prov. 30*): *Tria sunt, quae bene gradiuntur, et quartum, quod incedit feliciter; leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum: gallus succinctus lumbos: et aries; nec est rex, qui resistat ei.* Leo dum graditur, magnam in incessu praesefert gravitatem, ut quasi agnoscere videatur, se animantium omnium regem esse, et nuncupari. Gallus etiam singulari quodam modo incedit, erecto videlicet collo, crispata crista, et caput hinc inde circumvolvens. Aries etiam, qui gregem anteit, quamvis non videat, quam lentis, tardisque gressibus oves antecedat. Verum enim vero regis incessus, atque auctoritas, qua in publico subditorum conspectu progreditur, ceteros omnes longo intervallo superat, praesertim cum regiae dignitatis maiestatem ostentare opus est. Scio sane nonnullos sacrae Scripturae interpretes una cum Nicolao Lyrensi (*in suis commentariis*) huiusmodi locum intelligere de quatuor illis, Babylonico videlicet, Persico, Alexandri, ac Romanorum Imperiis, quippe leo Nabuchodonosorem Babyloniae Regem repraesentat, cui Propheta Hieremias leonis nomen indidit: *Surrexit leo de cubili suo.* Cyrum Persarum Regem gallus denotat, qui ingenti armorum, gentiumque suarum fortitudine, ac potentia fretus, Dariique comitis auxilio suffultus, superbam Babylonem Persarum, Medorumque subiecit Imperio. Sub arietis nomine intelligendus venit Alexander Macedo: nam quemadmodum ipse aries, licet animal quoddam mite, ac mansuetum sit, nihilominus stimulatus, provocatus, impugnantem se fortiter aggreditur, inclinato capite cornu petit; ita etiam ipse Alexander Persarum iniuriis lacessitus, atque eorum arrogantia provocatus, ipsos Graecorum iugo subdidit, ac brevi temporis spatio maximam terrarum orbis partem superavit. Rex denique cui nemo obsistere potest, Romanorum indicat Imperium, quod ceteris omnibus regnis, atque Imperiis fortius, validius, ac potentius extitit; adeo ut propterea *ferrum* a Propheta Daniele vocaretur: nam sicut ferrum cetera omnia metallorum genera domat, sic Imperium Romanum alia omnia Imperia, atque regna in potestatem suam redegit, ut ea propter non immerito de eo dicatur, quod feliciter incedit. Verum Magnus ille Gregorius (*l.* 3. *mor. ca.* 5.) ac venerabilis Beda (*in hunc locum*), mystice illum intelligendum esse volunt; atque ita spirituale aliquid ex huiusmodi textu depromere cupientes, Salomonem hic quatuor illa officia a Deo Patre unigenito suo iniuncta denotare voluisse, sapienter edocet, Praedicatoris videlicet, Redemptoris, Iustificatoris, et Glorificatoris. Gallus itaque, ut observat D. Gregor. (3. *p. past. c.* 5.), praedicatoris officium significat: debet enim sicut gallus, dormientes, ac in peccatorum sordibus se volutantes praedicationis cantu expergefacere. Aries Redemptoris officium praesefert, in cuius rei symbolum legimus Patriarcham Abraham in Isaac filii sui immolatione arietem quendam vepribus haerentem in sacrificium Deo obtulisse, quod expressam Christi corona spinea redimiti, et in ara crucis immolati imaginem gerebat. Leone Iustificatoris officium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

repraesentatur, siquidem tamquam leo rugiens in sua resurrectione peccatum, mortem ipsam devincens, vitam nobis dedit, ita ut merito cum divo Paulo dicere valeamus, quod *Resurrexit propter iustificationem nostram*. At rex Glorificatoris officium designat, in quo nullus est, qui ei obsistat, aut secum contendere valeat (*Prov*. 30.): *Neque est, qui resistat ei*. Ait ergo Salomon, quod licet tria bene gradiantur, idest licet Christus in prioribus tribus officiis potentiam, virtutemque suam satis, superque manifestarit, nihilominus excellentius, et cum maiori sui nominis splendore in quarto eius officio propalavit: *Et quartum feliciter incedit*, dum tanquam Rex, ac universi Monarcha in coelorum cacumina glorificatoris officium gesturus conscendit. Non diffiteor Christum in praedicatoris, ac divini verbi seminatoris officio admirabilem se exhibuisse, sed non ea, qua oportuisset felicitate divini huius verbi seminatio profecit: quandoquidem tres ex quatuor seminis partibus suffocatas fuisse non ignoramus, id attestante nobis sancto Luca (c. 8.). Quin etiam et redemptoris officio perfunctus egregie fuit, secundum illud Davidis (*Psal*. 129): *Copiosa apud eum redemptio*: sed praeterquam quod magni constitit illi ea, ibi se immiscuit infelicitas, quod cum pauci sint electi, eis admodum exiguum commodum, aut utilitatem attulit, habita eorum consideratione, quibus ne unquam profuit, nec proderit in futurum. Iustificatoris quoque officium dextere admodum peregit; verum quis nesciat eum multorum animos adversos adeo, atque rebelles reperiisse, ut illius iustitiae, atque sanctitatis participationem nec a primis labiis degustarint, et cum resurrexit, Thomam in fide, deficere Cleopham in spe, vacillare, ac fluctuare novimus. Omnes isti erant velut taxillorum, aut aleae infeliciter puncti, qui quidem doloris, ac acerbitatis multum afferre ei potuissent, si doloris tunc capax fuisset. Ceterum in triumphanti illa ad coelos Ascensione, glorificatoris ibi functurus officio, summa cum felicitate, ac omnibus numeris absoluta prosperitate, praeibat: *Et quartum feliciter incedit*: tunc omnia grata, prospera omnia, cuncta felicia, ut nec vel minimum quidem adversitatis eis admisceretur: *Et non est qui resistat ei*: nullus mortalium illi ascendenti se opposuit, aut cum eo concertare tentavit, prout impio illi Simoni Mago contigisse legimus, qui in medio sui volatus misere prolabens ab incoepto desistere coactus fuit. Christo omnia ad libitum successere, omnia desiderii sui mensuram plenissime explebant, omnia denique illius voluntati, ac nutui parebant, ac felicius ultra quam dici possit, contingebant. In primis siquidem, quamvis triumphantium gloria eorum animos incredibili quadam laetitia, atque gaudio afficere soleat, nihilominus tamen multa militum caedes, quibus victoria parta fuit, non modice triumphi, et gloriae laetitiam imminuit, immo et victoriae splendorem obnubilat. Pericli Atheniensium Duci ex bello contra Samios gesto redeunti, incensam victoriae partae voluptatem tepidasse legimus, quod quaedam insignis matrona Elpinice nomine obviam ei veniens dixit: *Praeclara sunt ista quae gessisti, qui nos tot fortibus viris, et liberis spoliasti*. Hinc etiam Pyrrhus Epirotarum Rex, post duplicem contra Romanos obtentam victoriam, caesorum tamen militum, ac aliorum internecionem animo revolvens, dixisse fertur: *Si uno adhuc praelio Romanos vicerimus, actum fuerit de nobis*: quasi diceret, quid proderit Romanos iterum vincere, si victoria cum tanta gentis nostrae iactura futura est? Verum illa Christi ascendentis victoria tam singularis, tamque admirabilis fuit, ut ne unum quidem ex destinatis sibi ab aeterno Patre, eique traditis perdiderit, ipso dicente (*Ioan*. 18.): *Pater quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*: atque ita non potuit triumphi sui gloriam memoria interfectorum, aut caesorum, qui nulli erant, quidquam minorare. Secundo si verum est quod tanto gloriosior, tantoque dignior sit victoriae triumphus, quanto minori militum copia contra innumerum hostium exercitum parta fuit; quaenam erit illa huius Christi triumphi gloria, quem in ipso conflictu omnes eius milites destituere? *Omnes pariter fugerunt*. Omnes denique inter hostium manus dereliquerunt; ipse tamen absque bellicis tormentis, absque armatis militum copiis, ac tandem absque ullo hominum auxilio praelium cum hoste commisit, eumque solus debellavit (*Isai*. 63): *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum*: nullus mecum cum hoste conflixit, nullus adiuvit, nullus astitit, ideoque victoria mea tanto fuit gloriosior, quanto clarius sine internecione aliquo meorum, et absque alieno subsidio partam esse constat. Bene igitur ait Salomon, quod *quartum feliciter incedit; Rex, nec est qui resistat ei*. Universam sacram Scripturam perlustrans nullum sane reperio triumphum gloriosum magis, aut maiori cum pompa, atque apparatu celebratum, quam illum Patriarchae Ioseph, quoniam, ut habetur in Genesi, Rex Pharao tulit annulum de manu sua, illum ei manu tradidit, vestivitque eum stola byssina, quae tunc temporis in summa erat apud omnes aestimatione, torquem auream in eius collo imposuit, et in triumphalem currum ascendere, ac ad dexteram suam sedere iussit, universis regni primatibus, et nobilibus eum comitantibus, praeconeque clamante, ut omnes coram eo genuflecterent, et totius Ægypti regno praefectum esse agnoscerent. Tradidit autem ei annulum, quia antiquitus ille erat regis insigne; et hinc Nabuchodonosorem laci leonum portam suo proprio annulo obsignasse legimus, ut videntes annulum insigne regium nullus aperire praesumeret: *Allatus est lapis unus, et positus est super os laci, quem obsignavit Rex annulo suo*. Et hinc etiam Assuerus benevolentiam illam singularem, qua Aman prosequebatur, demonstrare cupiens, tulit annulum quo utebatur, de manu sua, et cedit eum Aman, cum etiam teste Quinto Curtio (*lib*. 1. *hist*), dum Alexander magnus in civitate Babyloniae morti proximus esset, quaerentibus sui regni magnatibus, ac Principibus, quem



monarchiae suae successorem esse vellet, respondit *vestrum optimum*; ac postmodum cum morbo ingruente sermonem promere nequiret, annulum suum e digito tollens, in omnium conspectu eximio cuidam Duci Perdicae nomine tradidit. Dare autem Pharaonem Iosepho stolam byssinam, fuit eum sacerdotem instituere velle, cum, ut refert Apuleius (*lib*. 18.), solis Aegypti sacerdotibus permissum erat vestibus byssinis uti. Dum autem illius collo torquem illam auream apposuit, meritorum eius splendorem exprimere voluit, cum huiusmodi praemium non nisi eorum, qui aut doctrina, aut vitae integritate conspicui erant, dari consueverat, ut cecinit Ovidius:

*Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.*

Itaque animus Pharaonis fuit, annulum Iosepho porrigentis, eum regem declarare; stola byssina vestientis sacerdotem creare; monilia vero collo apponentis, meritis suis praemia digna conferre, ac labores illius laureare. Prodit deinde in publicum tanta splendens maiestate Ioseph, praecone per universam curiam clamante *Genuflectite, Ioseph enim transit*, et secundum textum Hebraicum: *Benedicite, laudate omnes, atque magni facite, magnificate Ioseph*, at iuxta Paraphrasim Chaldaeam, *iste est Pater Regis*, et secundum sanctum Hieronymum (*in suis quaestionibus Hebraicis*), *Iste pater tener*; pater propter mirabilem illius prudentiam, tener vero propter illius iuventutem, et modicam aetatem. Celebris sane, atque insignis fuit triumphus iste, quem tamen cum illo gloriosae Ascensionis Christi conferre voluerimus, umbra, atque fumus quidam apparebit, neque unus cum alterius magnificentia, atque splendore ullo modo comparari potest: non huius comitatus cum illius comitiva; non huius concentus cum illius musices suavitate: etenim si triumphalem currum attente contemplari velimus (et haec sit tertia circumstantia apparatus atque pompae huius sollemnis triumphi) in memoriam partim revocare iuvabit Poetarum figmenta, partim veros Romanorum triumphos, partim, quos divinae litterae commemorant. Bacchi currui tigres, Phaetontis equos, Neptuni pisces, Turni serpentes, Oceani ingentes balenas, Thetidis delphinas, Dianae cervos, Veneris cygnos, Iunonis pavones suppositos legimus. De Iulii Caesaris iactantia recensent historici, quod in currum, quem quatuor elephanti ducebant, triumphans ascenderit: Aureliani currum cervi quatuor ducebant; illum vero Marci Antonii quatuor ferocissimi leones. Eliam autem referunt sacrae literae in curru quodam igneo triumphasse; Abrahamum, debellatis, atque prostratis quinque regibus, Melchisedech ei obviam veniente, ac dicente: *Benedictus Abraham Deo excelso, etc*. gloriose triumphasse. David etiam similiter de Philistaeo, gerens pro victoriae suae insigni ensem illum, quo fortissimi et immanissimi gigantis caput absciderat, in eius triumphi honorem, puellarum choris canentibus (1. *Reg*. 18.): *Saul percussit mille, David autem decem millia*, summo omnium applausu triumphavit. Mardochaeus in equo regis sui, divitiis, ac gemmis undique affluente, summo honore incessit, vestibus regalibus indutus, praecone clamitante (*Ester* 6.): *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare*. Demum Ioseph triumphavit in Pharaonis curru, illius honoris, et gloriae circumstantiis supra commemoratis. At Christus supremus omnium Monarcha pro triumphali curru in fulgentissima, ac splendidissima quadam nube incedit, ut ait S. Lucas (*Act*. 1.): *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*; quod etiam praedixerat Propheta David (*Psal*. 103): *Qui ponis nubem ascensum tuum*, et secundum originale Hebraicum, *Qui ponis nubem vehiculum sive currum tuum*. Splendidum hunc currum multa Angelorum millia ducebant (*Psal*. 67): *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium*: sed et Felicis translatio numerum ampliat, *Currus Dei centena millia duo millia Angelorum*: imo illis S. Hiero. lectio, quam de Hebraeo transtulit, superadiicit: *Currus Dei innumerabilia millia Angelorum*. Itaque currum illum, in quo princeps noster triumphans incessit, innumera Angelorum coelestis hierarchiae multitudo ducebat, pariter et lucidissimae Sanctorum phalanges, qui simul cum Christo resurrexerant, circumibant, quorum erat numerus copiosissimus, qualem supremi rerum omnium opificis, ac Monarchae comitatum decebat: nam sicut *In multitudine populi dignitas regis*, ut ait Salomon (*Pro*. c. 14.): non secus principi ignominiosa existit tam in eius regno quam in aula regia populi, famulorumque paucitas. Ideo praecitato loco continuo subdit Salomon: *In paucitate vero plebis ignominia principis*. Paraphrastes etiam Chaldaeus ad vivum huius currus imaginem nobis depingit: *Currus Dei venti ardentis, duo millia Angelorum ducunt illum, divinitas Dei quievit super illos*. Verum si oculos nostros ad ornatum, aut ad vultum, quo divinus ille triumphator incedit, convertere velimus, adamussim illum describit D. Ioannes (*Apoc*. 8.): *Vidi similem filio hominis vestitum podere, et praecinctum ad mammillas zona aurea: caput autem eius, et capilli erant candidi tamquam lana alba, et tamquam nix; oculi eius tamquam flamma ignis; et pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti; et vox illius tamquam vox aquarum multarum*. Adhuc tamen brevis admodum videtur S. Ioannis descriptio: maior enim, atque splendidior multo erat divini huius triumphantis elegantia, vultus, pulchritudo, vestium venustas, ac magnificentia. Quartam circumstantiam gloriosi huius Christi triumphi contemplamur fuisse vexillorum varietatem, in quibus Christi praecipua opera insculpta videbantur. Primum vexillum erat deargentatum, et triangularis formae instar navigantium, in cuius medio depicta erat imago honestissimae cuiusdam puellae Virginis, infantem in brachiis amplexantis; eius inscriptio erat: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Signum hoc sacrae Incarnationis mysterium significabat. Campus autem argenteus Virginis immaculatam puritatem; forma vero triangularis mysteriosam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

coniunctionem trium naturarum in una persona, animam, corpus, atque divinitatem in uno divino supposito pulchre adumbrabat. Vexillifer erat Archangelus Gabriel, cui tamquam paranympho, atque huius altissimi mysterii nuntio iure optimo huiusmodi honor debebatur. Continuo sequebatur alterum vexillum, quod in pacis, ac securitatis symbolum erigi solet : in hoc impressus cernebatur vitulus flavi coloris in campo rubeo. Hoc plane Christi mortis mysterium significabat, dum in ara crucis velut vitulus immolatus fuit, eiusque caro, quae undique rubicunda, ac sacro illius sanguine tincta remansit, facta, velut arcus quidam coelestis, in signum serenitatis, et pacis inter Deum et hominem; Epitaphii haec erat inscriptio : *Levabit signum in nationibus, et congregabit profugos Israel.* Huius vexillifer erat S. Michael Archangelus, qui, ut dicunt sacri Doctores, Christo patienti sempre affuit, et in horto solatium praestitit. Tertium vexillum leonem quendam corona redimitum campo insculptum viridi gestabat, cum hac honorifica subscriptione: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Hoc aperte gloriosae illius resurrectionis arcanum denotabat, qua Christus tamquam leo ad sacrae illius leaenae Virginis Mariae fremitus resurrexit, et in praemium victoriae contra hostes suos obtentae immortalitatis glorioso diademate coronatus fuit. Campus viridis spem certissimam indicat, quam gloriosa eius resurrectio futurae nostrae resurrexionis nobis exhibet. Erat huius vexillifer Angelus ille qui super saxum sepulcri Christi sederat, ac primus fuerat, qui Christi resurrectionem pronunciarat. Quartum vexillum in campo stellato, ac caeruleo aquilam quandam regalem super eius pullos volantem habebat, cuius erat inscriptio: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Hoc vexillo significabatur praesens Ascensionis Christi mysterium, in qua tanquam aquila quaedam regia in conspectu discipulorum ad superos evolavit. Campus autem stellatus caeruleus erat, ad significandum quod super coelestem orbem nidum positurus erat ; *In arduis posuit nidum suum.* Vexillifer erat Cherubin ille, quem ad Paradisi portam Deus custodem posuerat, ut Adam illuc intrare tentantem prohiberet. Quo non obscure innuebatur, Christum in hac Ascensionis suae die portas coelorum aperuisse, quas Adae peccatum nobis antea praecluserat. Neque huic tam admirando Christi triumpho musica, atque instrumenta ad illius celebritatem defuere. Atque haec fuit quinta tam insignis pompae, atque apparatus circumstantia: universi enim supremorum coelestium spirituum chori, quibuscum concinebant dulcissimae gloriosorum corporum Christum comitantium voces, suavissimam quandam musicam, atque admirabilem harmoniam, concentumque efformabant, ut sanctus Cyprianus contemplatur (*in ser. Ascen*). Hi praecedentes, et subsequentes applaudebant victori, et in iubilatione concinentes modulabantur canticum novum: replebat coelos mira illius harmoniae consonantia : hi cornubus, tubisque accinebant (*Psal.* 46.) : *Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubae*: illi citharam lyramque pulsabant: *Vox citharoedorum citharizantium in citharis suis*: alii denique alia tangebant instrumenta, quos ut creatorem suum laudarent, David multo antea invitaverat ( *Ps.* 150.): *Laudate eum in psalterio, et cithara; laudate eum in tympano et choro: laudate eum in cymbalis iubilationis.* His etiam voces victoriam acclamantium occinebant : *Vivat Rex, vivat Rex:* per universam aeris sphaeram nullae audiebantur voces nisi victoris gloria, triumphus, victoria : *Iter facite ei, qui ascendit super occasum*; illae resonabant in auribus eum comitantium, istae in altissima coelorum testudine reboabant; hae denique in ceteris coelestium orbium partibus personabant, ut huiusmodi harmoniae concentus dulcior esset, sua viusque audientium aures demulceret. Christus etiam divinam vocis suae symphoniam elevavit, suavissima illa verba dicens (*Ioan.* 20.): *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* : attollensque vocem hanc divina virtute sacratissimum illud corpus evexit, iter suum ad coeleste Capitolium dirigens, per universam aeris regionem transiens, nubes penetrans, per ignis sphaeram iter conficiens, per universos coeli orbes, per Lunae circulum, per atrium Mercurii, per sphaeram Martis, per Solis globum, per Iovis ignem, per cursum Veneris, per thronum Saturni, per coelum stellatum, per primum mobile, per aquas condensatas et solidas coeli crystallini: nec substitit, donec ad coeli empyrei portas, quod est supremum coelorum omnium, evectus attigisset. Tunc divini illi spiritus, animaeque felices eum comitantes coepere dicere (*Psal.* 22.): *Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae*. Angeli autem personae conditionem non ignorantes, sed gloriam, atque maiestatem admirabilem qua incedebat, demirati dixerunt (*Psal.* 23.): *Quis est iste Rex gloriae?* quibus responderunt : *Dominus fortis, et potens. Dominus potens in praelio.* Verum vestimenta humanitatis Christi rubentia, ictus, atque vulnera plagarum cum cum primis decorantia, atque exornantia intuentes, dicebant (*Isai.* c. 63.): *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Nominat hic Edom locum Idumaeorum ab Esaù descendentium, et Bosra praecipuam Moabitarum civitatem, intelligens per haec duo loca habitatores illorum, qui erant Israelitarum inimici omnium maximi, atque infestissimi. Unde perinde fuit, ac si dicerent, quis est iste, qui veniens e terra hostium suorum plagarum cicatrices deferens? respondit Christus ; *Ego, qui loquor iustitiam*: et continuo tunc ultro apertae sunt duodecim illae coelestis Hierusalem portae, quas S. Ioannes viderat, admodumque perfecte impletum fuit id, quod tot retro annis Prophetae Danieli revelatum fuerat ( et haec est septima circumstantia excellentiae huius gloriosi triumphi ): *Aspiciebam in visione noctis, et ecce in nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum.* Mirabilis haec visio imago quaedam est, Ascensionem Christi egregie adumbrans. Primo ait se Christum vidisse venientem in nubibus: vere enim ascendit in nube (*Act.* 1.): *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Vocat illum, quasi filium hominis, quia licet fide carentibus filius tantum hominis sicut ceteri esse videretur; revera tamen Filius est etiam Dei, et non nisi matrem habebat in terra, Patrem vero in coelo, illum scilicet, quem Ioannes vocat antiquum dierum; non eo, quod Filio, aut Spiritu sancto ullatenus sit antiquior, sed quod eorum principium, et origo est. Ait deinde quod summo cum honore afficiebat, constituens ipsum a dextris suis, super Angelorum universas hierarchias, et ut dixit S. Paulus (*Eph.* 1.), *Constituens illum ad dexteram suam in coelestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.* Atque hic impletum fuisse cernimus illud Isaiae, in persona Patris aeterni loquentis: *Ecce intelligit servus meus : exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde.* Advertite, quod dilectum meum Filium, quem in forma servi vidistis pessumdatum, atque afflictum usque ad mortem crucis, nunc in sua triumphanti Ascensione tam exaltatum, atque elevatum videbitis, ut thronum suum super excelsos coelorum vertices constituat. Sed Chaldaeus Paraphrastes maiora prodidit, in hunc modum illustrans praecitati Isaiae testimonium : *Exaltabitur plusquam Abraham, elevabitur plusquam Moyses, sublimabitur plusquam Angeli superiores.* Demum dicit Daniel, patrem non solum honore, et regno illum cohonestasse, *Dedit ei potestatem, honorem, et regnum*; regnum non temporale, sicut Iosepho in suo triumpho datum, sed regnum aeternum, ut dicit David (*Psal.* 144): *Regnum tuum, regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem.* Ad cuius perennitatem, et perpetuitatem significandam ingeniosa metaphora usus David, regnum Christi vocavit montem lactis coagulatum (*Psal.* 67.): *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus*; ad constituendam differentiam illius a regnis temporalibus, quae veluti lac liquidum defluunt, et transeunt, ac pereunt. Unde Spiritus sanctus terram promissionis, quae erat bonorum temporalium abundantissima, vocavit terram lacte, et melle manantem; sed regnum coelorum vocat lac coagulatum propter eius perpetuitatem: *Mons*, ait, *coagulatus* : et velut alia lectio habet : *Mons caseus.* Christus igitur hodie possessionem regni aeterni accipit, et aeternus Pater collocat eum in throno maiestatis ad dexteram suam, continuoque ait S. Ioannes audivisse creaturas omnes coeli, et terrae, et maris, et singulas earum dicentes: *Sedenti in throno, et agno, gloria, et potestas in saecula saeculorum. Amen.*





## HOMILIA QUINTA

*Prosequimur Christi in coelum ascendentis triumphum, pariterque ostendimus, quam ei gloriosa, et nobis proficua eius Ascensio extiterit, in illa verba: Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

Divi Augustini clarissimi catholicae Ecclesiae Doctoris sanctimoniam, ac singularem vitae integritatem commemorans Possidonius, tria praecipue magni huius viri celebrat desideria, quorum unum erat, celebri alicui adesse Romanorum triumpho; alterum, divinum illum sacrae eloquentiae fontem D. Paulum praedicantem audire; tertium, Christum in carne passibili, ac mortali propriis oculis intueri. Atqui si divus Augustinus triumphantium illum Romanorum gloriam, tam admirabilem, ac visu dignam esse existimavit ; quanto omni admiratione, omnique stupore dignior esse censeri debet gloriosus ille Christi triumphus, ubi non creatura, sed creator ipse, ac rerum omnium opifex; non purus homo, sed homo, et Deus; non intra superbissima urbis Romae moenia, sed in coelesti illa Hierusalem; non de hoste, carne, et sanguine compacto, sed de perversis spiritibus, mundi huius principibus ac tenebrarum suarum rectoribus gloriose triumphavit? Fortissimos profecto ac potentissimos hostes habuit Christus, daemonem videlicet, infernum, et peccatum; at omnibus fortior, ac potentior ipse fuit, qui omnes potentia sua fortiter profligavit, ac una die tot illustribus trophaeis, atque gloriosis victoriis potitus est. In primis de peccato, uti infestissimo omnium hoste, quod insolita quadam tyrannide universum terrarum orbem arctius sibi subdiderat, triumphavit, ut D. Paulus (*Rom.* 8.) sub mysteriosis hisce verbis egregie explicavit: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne.*

Misit quidem Deus unigenitum suum in forma carnis peccati: tametsi enim caro eius, quia divina, hoc est divino supposito unita, peccati esset incapax, peccati tamen poena, cuiusmodi sunt dolores, curae, atque molestiae quas perpessus fuit, peccatum ipsum destruxit, penitusque delevit. Dignum profecto artificium admirabili, ac divina Christi sapientia, qui ipsius veneno sordidissimo, quo totum humanum genus antiquus serpens infecerat, ipsum curavit : ex aerumnis enim, ac poenis, et calamitatibus peccato nostro debitis, quas in innocua illa sua carne toleravit, medicinam atque antidotum ac medium salutare contra peccati mortiferum venenum confecit: et quemadmodum antiquitus robustissimus ille Banaias descendit in campum contra Ægyptium, et vi hastam e manu eius extorsit, eademque ipsum interemit: *Hasta sua interfe-*

coniunctionem trium naturarum in una persona, animam, corpus, atque divinitatem in uno divino supposito pulchre adumbrabat. Vexillifer erat Archangelus Gabriel, cui tamquam paranympho, atque huius altissimi mysterii nuntio iure optimo huiusmodi honor debebatur. Continuo sequebatur alterum vexillum, quod in pacis, ac securitatis symbolum erigi solet : in hoc impressus cernebatur vitulus flavi coloris in campo rubeo. Hoc plane Christi mortis mysterium significabat, dum in ara crucis velut vitulus immolatus fuit, eiusque caro, quae undique rubicunda, ac sacro illius sanguine tincta remansit, facta, velut arcus quidam coelestis, in signum serenitatis, et pacis inter Deum et hominem; Epitaphii haec erat inscriptio : *Levabit signum in nationibus, et congregabit profugos Israel.* Huius vexillifer erat S. Michael Archangelus, qui, ut dicunt sacri Doctores, Christo patienti sempre affuit, et in horto solatium praestitit. Tertium vexillum leonem quendam corona redimitum campo insculptum viridi gestabat, cum hac honorifica subscriptione: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Hoc aperte gloriosae illius resurrectionis arcanum denotabat, qua Christus tamquam leo ad sacrae illius leaenae Virginis Mariae fremitus resurrexit, et in praemium victoriae contra hostes suos obtentae immortalitatis glorioso diademate coronatus fuit. Campus viridis spem certissimam indicat, quam gloriosa eius resurrectio futurae nostrae resurrexionis nobis exhibet. Erat huius vexillifer Angelus ille qui super saxum sepulcri Christi sederat, ac primus fuerat, qui Christi resurrectionem pronunciarat. Quartum vexillum in campo stellato, ac caeruleo aquilam quandam regalem super eius pullos volantem habebat, cuius erat inscriptio: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Hoc vexillo significabatur praesens Ascensionis Christi mysterium, in qua tanquam aquila quaedam regia in conspectu discipulorum ad superos evolavit. Campus autem stellatus caeruleus erat, ad significandum quod super coelestem orbem nidum positurus erat ; *In arduis posuit nidum suum.* Vexillifer erat Cherubin ille, quem ad Paradisi portam Deus custodem posuerat, ut Adam illuc intrare tentantem prohiberet. Quo non obscure innuebatur, Christum in hac Ascensionis suae die portas coelorum aperuisse, quas Adae peccatum nobis antea praecluserat. Neque huic tam admirando Christi triumpho musica, atque instrumenta ad illius celebritatem defuere. Atque haec fuit quinta tam insignis pompae, atque apparatus circumstantia: universi enim supremorum coelestium spirituum chori, quibuscum concinebant dulcissimae gloriosorum corporum Christum comitantium voces, suavissimam quandam musicam, atque admirabilem harmoniam, concentumque efformabant, ut sanctus Cyprianus contemplatur (*in ser. Ascen*). Hi praecedentes, et subsequentes applaudebant victori, et in iubilatione concinentes modulabantur canticum novum: replebat coelos mira illius harmoniae consonantia : hi cornubus, tubisque accinebant (*Psal.* 46.) : *Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubae*: illi citharam lyramque pulsabant: *Vox citharoedorum citharizantium in citharis suis*: alii denique alia tangebant instrumenta, quos ut creatorem suum laudarent, David multo antea invitaverat ( *Ps.* 150.): *Laudate eum in psalterio, et cithara; laudate eum in tympano et choro: laudate eum in cymbalis iubilationis.* His etiam voces victoriam acclamantium occinebant : *Vivat Rex, vivat Rex*: per universam aeris sphaeram nullae audiebantur voces nisi victoris gloria, triumphus, victoria : *Iter facite ei, qui ascendit super occasum*; illae resonabant in auribus eum comitantium, istae in altissima coelorum testudine reboabant; hae denique in ceteris coelestium orbium partibus personabant, ut huiusmodi harmoniae concentus dulcior esset, sua viusque audientium aures demulceret. Christus etiam divinam vocis suae symphoniam elevavit, suavissima illa verba dicens (*Ioan.* 20.): *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* : attollensque vocem hanc divina virtute sacratissimum illud corpus evexit, iter suum ad coeleste Capitolium dirigens, per universam aeris regionem transiens, nubes penetrans, per ignis sphaeram iter conficiens, per universos coeli orbes, per Lunae circulum, per atrium Mercurii, per sphaeram Martis, per Solis globum, per Iovis ignem, per cursum Veneris, per thronum Saturni, per coelum stellatum, per primum mobile, per aquas condensatas et solidas coeli crystallini: nec substitit, donec ad coeli empyrei portas, quod est supremum coelorum omnium, evectus attigisset. Tunc divini illi spiritus, animaeque felices eum comitantes coepere dicere (*Psal.* 22.): *Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae*. Angeli autem personae conditionem non ignorantes, sed gloriam, atque maiestatem admirabilem qua incedebat, demirati dixerunt (*Psal.* 23.): *Quis est iste Rex gloriae?* quibus responderunt : *Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.* Verum vestimenta humanitatis Christi rubentia, ictus, atque vulnera plagarum cum cum primis decorantia, atque exornantia intuentes, dicebant (*Isai. c.* 63.): *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Nominat hic Edom locum Idumaeorum ab Esaù descendentium, et Bosra praecipuam Moabitarum civitatem, intelligens per haec duo loca habitatores illorum, qui erant Israelitarum inimici omnium maximi, atque infestissimi. Unde perinde fuit, ac si dicerent, quis est iste, qui veniens e terra hostium suorum plagarum cicatrices deferens? respondit Christus ; *Ego, qui loquor iustitiam*: et continuo tunc ultro apertae sunt duodecim illae coelestis Hierusalem portae, quas S. Ioannes viderat, admodumque perfecte impletum fuit id, quod tot retro annis Prophetae Danieli revelatum fuerat ( et haec est septima circumstantia excellentiae huius gloriosi triumphi ): *Aspiciebam in visione noctis, et ecce in nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum.* Mirabilis haec visio imago quaedam est, Ascensionem Christi egregie adumbrans. Primo ait se Christum vidisse venientem in nubibus: vere enim ascendit in nube (*Act.* 1.): *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Vocat illum, quasi filium hominis, quia licet fide carentibus filius tantum hominis sicut ceteri esse videretur; revera tamen Filius est etiam Dei, et non nisi matrem habebat in terra, Patrem vero in coelo, illum scilicet, quem Ioannes vocat antiquum dierum; non eo, quod Filio, aut Spiritu sancto ullatenus sit antiquior, sed quod eorum principium, et origo est. Ait deinde quod summo cum honore afficiebat, constituens ipsum a dextris suis, super Angelorum universas hierarchias, et ut dixit S. Paulus (*Eph.* 1.), *Constituens illum ad dexteram suam in coelestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.* Atque hic impletum fuisse cernimus illud Isaiae, in persona Patris aeterni loquentis: *Ecce intelligit servus meus : exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde.* Advertite, quod dilectum meum Filium, quem in forma servi vidistis pessumdatum, atque afflictum usque ad mortem crucis, nunc in sua triumphanti Ascensione tam exaltatum, atque elevatum videbitis, ut thronum suum super excelsos coelorum vertices constituat. Sed Chaldaeus Paraphrastes maiora prodidit, in hunc modum illustrans praecitati Isaiae testimonium : *Exaltabitur plusquam Abraham, elevabitur plusquam Moyses, sublimabitur plusquam Angeli superiores.* Demum dicit Daniel, patrem non solum honore, et regno illum cohonestasse, *Dedit ei potestatem, honorem, et regnum*; regnum non temporale, sicut Iosepho in suo triumpho datum, sed regnum aeternum, ut dicit David (*Psal.* 144): *Regnum tuum, regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem.* Ad cuius perennitatem, et perpetuitatem significandam ingeniosa metaphora usus David, regnum Christi vocavit montem lactis coagulatum (*Psal.* 67.): *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus*; ad constituendam differentiam illius a regnis temporalibus, quae veluti lac liquidum defluunt, et transeunt, ac pereunt. Unde Spiritus sanctus terram promissionis, quae erat bonorum temporalium abundantissima, vocavit terram lacte, et melle manantem; sed regnum coelorum vocat lac coagulatum propter eius perpetuitatem: *Mons*, ait, *coagulatus* : et velut alia lectio habet : *Mons caseus.* Christus igitur hodie possessionem regni aeterni accipit, et aeternus Pater collocat eum in throno maiestatis ad dexteram suam, continuoque ait S. Ioannes audivisse creaturas omnes coeli, et terrae, et maris, et singulas earum dicentes: *Sedenti in throno, et agno, gloria, et potestas in saecula saeculorum. Amen.*





## HOMILIA QUINTA

*Prosequimur Christi in coelum ascendentis triumphum, pariterque ostendimus, quam ei gloriosa, et nobis proficua eius Ascensio extiterit, in illa verba: Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

Divi Augustini clarissimi catholicae Ecclesiae Doctoris sanctimoniam, ac singularem vitae integritatem commemorans Possidonius, tria praecipue magni huius viri celebrat desideria, quorum unum erat, celebri alicui adesse Romanorum triumpho; alterum, divinum illum sacrae eloquentiae fontem D. Paulum praedicantem audire; tertium, Christum in carne passibili, ac mortali propriis oculis intueri. Atqui si divus Augustinus triumphantium illum Romanorum gloriam, tam admirabilem, ac visu dignam esse existimavit ; quanto omni admiratione, omnique stupore dignior esse censeri debet gloriosus ille Christi triumphus, ubi non creatura, sed creator ipse, ac rerum omnium opifex; non purus homo, sed homo, et Deus; non intra superbissima urbis Romae moenia, sed in coelesti illa Hierusalem; non de hoste, carne, et sanguine compacto, sed de perversis spiritibus, mundi huius principibus ac tenebrarum suarum rectoribus gloriose triumphavit? Fortissimos profecto ac potentissimos hostes habuit Christus, daemonem videlicet, infernum, et peccatum; at omnibus fortior, ac potentior ipse fuit, qui omnes potentia sua fortiter profligavit, ac una die tot illustribus trophaeis, atque gloriosis victoriis potitus est. In primis de peccato, uti infestissimo omnium hoste, quod insolita quadam tyrannide universum terrarum orbem arctius sibi subdiderat, triumphavit, ut D. Paulus (*Rom.* 8.) sub mysteriosis hisce verbis egregie explicavit: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne.*

Misit quidem Deus unigenitum suum in forma carnis peccati: tametsi enim caro eius, quia divina, hoc est divino supposito unita, peccati esset incapax, peccati tamen poena, cuiusmodi sunt dolores, curae, atque molestiae quas perpessus fuit, peccatum ipsum destruxit, penitusque delevit. Dignum profecto artificium admirabili, ac divina Christi sapientia, qui ipsius veneno sordidissimo, quo totum humanum genus antiquus serpens infecerat, ipsum curavit : ex aerumnis enim, ac poenis, et calamitatibus peccato nostro debitis, quas in innocua illa sua carne toleravit, medicinam atque antidotum ac medium salutare contra peccati mortiferum venenum confecit: et quemadmodum antiquitus robustissimus ille Banaias descendit in campum contra Ægyptium, et vi hastam e manu eius extorsit, eademque ipsum interemit: *Hasta sua interfe-*

*cit eum*; ita etiam Christus videns arma sua, quibus peccatum universe mundo bellum gerebat, esse poenas, famem, paupertatem, dedecus, quippe homo, ne illis subiiceretur, peccato tradebat, Christus ei huiusmodi arma eripuit, ac illis singulari dexteritate usus, omnes illas aerumnas, calamitates, ac miserias constanter in carne sua pertulit, ut peccatum iam in terra prostratum, et velut hostis extinctus concideret, ac de illo gloriosus victoriam reportaret: idque significant verba Pauli: *De peccato damnavit peccatum*. De morte etiam Christus triumphum egit, cum morte sua ita illam debellaverit, ac exanimem reddiderit, ut iam ipsa mors non mors, sed vita, requies, ac tempestatum, et naufragiorum huius mundi portus tutissimus existat. Cuius rei figuram habemus in Sansone, qui morte sua inimicis suis vitam ademit. De Antheo gigante Neptuni, et terrae filio fingunt Poetae, quod quoties membra labore defessa essent, contactu terrae recreabantur: unde quando Hercules cum eo luctans in terram eum deiiciebat, novis contra eum viribus insurgebat, deiectio enim illius in terram triumphi, atque novae victoriae causam Antheo praebebat. Fabula haec est, sed, ut inquit S. Gregorius Nyssenus, ex illa egregie declarare possumus illius triumphi, ac victoriae veritatem, quam Christus de morte obtinuit: cum ea enim in ligno crucis colluctans, ac in terram sepulcri coniici passus, huius casus mirabili stratagemate humanum genus sublevavit. Neque casus ille quidquam vires eius enervavit: quin potius tanto animo insurrexit, ut mortem destruxerit, spolia eius tulerit, et vitam nobis compararit aeternam, prout sancta canit Ecclesia: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit*. De daemone etiam Christus honorifice triumphavit, ut gravissima illa D. Pauli verba aperte indicant (*Coloss*. 2.): *Expolians principatus traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Alludit hoc loco Apostolus, ut inquit Theophylactus, ad antiquos Romanorum triumphos, apud quos more receptum erat, ut ante ipsos triumphantis victoris currus, victi onerati colla catenis, et manibus post terga revinctis, ad maiorem illorum confusionem, atque dedecus, et ad ampliorem triumphantis gloriam, atque honorem procederent. Unde ubi Vulgata nostra legit *Principatus, et potestates traduxit confidenter*, perdocte interpretatur S. Ambrosius, et vertit, *ostentavit confidenter*, hoc est, publica quadam demonstratione principes, ac potestates inferni confudit. S. Augustinus aliter transtulit, videlicet *Exemplificavit*, in exemplum, ac symbolum gloriae, et honoris, insignis suae victoriae, principes, ac potestates, manibus retrorsum revinctis, omnium oculis exposuit. Admirabilis quaedam huius veritatis imago fuit historia, quam nobis recenset Daniel, ubi Babylonios commemorat draconem quemdam adorasse, per cuius os daemon loquebatur, et responsa dabat; at S. ille Propheta, ut huic tam notabili damno, et errori occurreret, massam quamdam ex pice, adipe, ac pilis confecit, illamque in os draconis coniecit, quam cum draco accepisset, continuo interiit: *Tulit* ait sacer textus, *Daniel picem, et adipem, et pilos, et coxit pariter, et fecit massam, et dedit in os draconis, et diruptus est draco*. Grande hoc est mysterium, inquit S. Gregor. Nyssenus. Nonne animadvertitis, bucceam, quae illius debebat sustentationi, ac vitae cedere, mortem ei attulisse? Admirabilis haec effigies victoriam, quam Christus de daemone reportavit, satis ad vivum exprimit: etenim si Daniel unica buccea ex pice, et adipe composita feroci illi draconi vitam ademit; Christus se ipso, qui est buccea illa, in qua pix reperitur humanitatis, quae in cruce livorem, et nigredinem contraxit, et adeps pinguis suae divinitatis, veneficum illum serpentem, ac ferum draconem, daemonem scilicet, medium dirupit. Peracta huiusmodi victoria, de ipsis inferis gloriose etiam triumphavit, ut praedixit Michaeas Propheta (*Mic*. 2.): *Ascendet enim pandens iter ante eos: divident, et transibunt portam, et ingredientur per eam, et transibit Rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum*. Ascendit Christus, Patribus illis sanctis liberum aditum aperiens, portas limbi reseravit, ut per illas gloriosi, et triumphantes egrederentur, et Rex eorum Christus in capite splendentis illius cohortis omnes anteibat: *Et Dominus in capite eorum*: ita huiusmodi verba intelligenda esse volunt Ionatas, Paraphrastes Chaldaeus, et plurimi Hebraeorum gravissimi, quos refert noster Galatinus. Vidit hos omnes gloriosos Christi triumphos dilectus eius Ioannes, dum in Insula Pathmos moraretur, ubi ait (*Apoc*. 6.): *Vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret*. Primasius divi Augustini discipulus dicit, equum istum album significare candidam Christi humanitatem, propter eius puritatem, atque sanctitatem: per equitem vero intelligit divinum Verbum, quod illam regit, et gubernat: per arcum, et sagittas, arma, quibus omnes eius hostes, atque inimicos debellavit. Deiecit peccatum, ut nos ex illius eriperet servitute; mortem expugnavit, ne homines illam pertimescerent: daemonis superbiam atque animi arrogantiam compescuit, et inferni seras reseravit, atque confregit, ut eum praeda sua spoliaret. Denique corona in capite illius equitis, quid aliud quaeso aptius significare potest, quam coronam illam Christo pro tantis meritis, tantisque victoriis debitam cum gloriosa illa inscriptione faemoris (*Apoc*. 19.), *Rex regum, et Dominus dominantium*? Verum peractis omnibus istis, deerat Christo triumphus omnium suae ascensioni gloriosissimus, ad cuius gloriam ampliandam venit nubes quaedam, ut inquit S. Lucas (*Act*. 1.): *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Quae splendida adeo erat, ut S. Ambrosius (*ser*. 61.) dixerit: *Nec enim poterat obscura esse vel tenebrosa, quia scriptum est, tenebrae eam non comprehenderunt; tenebrae lucem gestare non poterant*. Et quamvis Card. Caietanus voluit, non fuisse illam veram nubem, sed quosdam micantes radios, qui e glorioso Christi triumphantis corpore prodibant, nihilominus Abulensis, et communis doctorum opinio docet eam veram nubem fuisse, ut D. Lucae verba



sonant: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Cum etiam Angelus dixerit discipulis: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum*: et deinde in secundo adventu venturus sit in nube vera, sicut ipse praedixit: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli*. Rationi, et sacro textui admodum congruit dicere, Christum in vera nube conscendisse, quae, ut dixit Tertullianus, non sub eius tantum modo pedibus, ut aliqui opinantur, fuit, sed a vertice usque ad plantas undique ipsum circumdedit; *Circumfusa*, ait, *nube in coelum raptus est*. Recensent sacrae litterae, quod postquam Moyses omnem ornatum, quem Deus ei mandaverat, in templo posuisset, nubes quaedam a coelo delapsa tabernaculum cooperuit: *Postquam perfecta sunt omnia, nubes cooperuit tabernaculum*. Non dissimiliter hodie, postquam Christus omnia suae Ecclesiae necessaria copiosissime providerat, Evangelicam doctrinam evulgaverat, sacramenta instituerat, Episcopos creaverat, infestissimos hostes relegaverat, tandem descendit nubes quaedam coelitus delapsa, quae sacratissimi illius corporis tabernaculum operuit: sic enim illud vocavit S. Paulus tabernaculum, quod finxit Deus, et non homo, *Tabernaculum non manufactum*. Vocat illud tabernaculum Dei manibus, non hominis fabricatum, quia Spiritus sancti opera, nulla virili operatione interveniente, formatum fuit: *Sanctuarium tuum, quod formaverunt manus tuae*, ita interpretatur Origenes. Quod si diligentius perscrutari velimus, quare Deus nubem ista Christo Ascensionis suae tempore miserit, audiamus ante omnia magnum illum Patrem S. Ambrosium (*sermone* 61.), ubi ait: *Semper Deus quos per iniurias perducit ad requiem, protegit nubis umbraculo, sicut filios Israel liberatos de Aegypto nubes coeli protexit, et ut post multum laborem in terram promissionis induceret, expandit nubem in protectionem eorum*. Verum secundo loco crediderim cum venerabili Beda, ac Theophylacto, Christum hac nube usum fuisse, ut nobis demonstraret, se Deum verum esse, eumque, qui ascendebat, non esse purum hominem: etenim, ut affirmant Patres praecitati, nubes semper habitae fuerunt pro loco proprio, atque domicilio ipsius Dei, ex quibus solitus erat alloqui homines. In nube apparuit Moysi (*Num*. 15): *Et descendit Deus per nubem, et loquutus est ad eum*; in nube conveniebat Aaronem (*Exod*. 15): *Ecce gloria Domini apparuit in nube*; in nube se manifestabat super propitiatorium: *In nube apparebat super oraculum*; nubes aliquando Deo currus fuit: *Ecce Dominus ascendit super nubem lucidam*; aliquando vero thronus (*Ps*. 88): *Tronus meus in columna nubis*. Hinc est illud Davidis, qui ad declarandum, nullum esse Deo aequalem, dicit: *Quis in nubibus aequabitur Domino?* Execrabilis ille Nabuchodonosor adorari volens tanquam Deus, dixit: *Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo*. Christus ergo Dominus splendida illa nube in die Ascensionis suae circumdari voluit, ut significaret, cum in Dei throno, quae nubes sunt, sedeat, non solum hominem, sed verum etiam Deum esse. Sane si omnia Christi opera attenta mentis acie perlustraverimus, in omnibus quandam divinitatis suae umbram, in Ascensione tamen splendidissimos illius radios detegemus. In praesepio recens natus frigoris asperitate tremebat, coelestes Angelorum chori illius nativitatem cohonestabant. Circumcidunt eum tanquam peccatorem, Iesu tamen nomen, quod esset super omne nomen, ei imponunt. Fugit in Ægyptum, tanquam Herodis furorem timescens; at ibi Ægyptiorum idola destruxit, daemonum ora compescuit. Baptizatur in flumine Iordanis, tanquam si baptismo egeret, et ibi auditur vox aeterni Patris, eum Filium vocantis. Coeli panduntur, divini Spiritus aura super caput eius in forma candidae columbae defluit. Et denique inter duos latrones cruci affixus, ab uno Rex nuncupatur, et post eius mortem sol obscuratus, ac petrae scissae fuerunt. Signa haec atque portenta speciem quandam, atque odorem suae divinitatis praeseferebant. Verum illa suae triumphantis Ascensionis die apertiores, ac clariores divinitatis suae radios emittit, ita ut omnis creaturarum universitas Creatorem, ac Dominum eum agnosceret: homines e monte Oliveti, tanquam aeterni Patris Filium adorant, aer lucem, et serenitatem novam induit, coelestia corpora novis splendoribus coruscant, nubes splendida ad suscipiendum eum obviam venit, Angeli suavi laudum hymnorumque harmonia occurrunt: omnes denique creaturae unanimes hodierna die Deum suum esse affirmant, aeternusque Pater, tanquam verum, ac naturalem Filium eum recognoscit, eique regni sui claves tradit, atque ad eius dexteram collocat: *Sedet ad dexteram Dei*. Atque his satis superque comprobatum arbitror, Christi Ascensionem in summum honorem, summamque eius gloriam cessisse. Videamus ergo, qua ratione, quove modo nobis Ascensio conduxerit. Sane illa adeo profuit, ut sancti Spiritus adventum ei debeamus, quemadmodum iam Christus praedixerat (*Ioan*. 16.): *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*; ac si diceret, Sacrosancti Spiritus adventus a mea in coelum Ascensione dependet, inde vobis eum mittam, ut animis vestris vivam fidem inspiret, firmam spem infundat, corda vestra ardenti, atque perfecta charitate inflammet, tenebras intellectus expellat, fragilitatem fortificet, varia gratiarum charismata, Apostolorum videlicet, Evangelistarum, pastorum, ac doctorum distribuat, quibus Ecclesia catholica in dies augeatur, et crescat. Insignis huius rei imago fuit coelestis illa Eliae Prophetae pluvia: siquidem cum universum Iudae regnum, ob triennalem pluviae inopiam summa sterilitate opprimeret, sanctus Propheta ad fastigium cuiusdam altissimi montis se transtulit, ferventibus illic precibus Deum deprecans, ut terram siccam, et aqua carentem irrigaret, Deoque preces offerens mandavit famulo suo, ut versus mare aspiceret, et ei re-

censeret, quidquid videret. Cui famulus: *Ecce nubecula magna quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Perseverante autem Elia in oratione, huiusmodi nubecula ita excrevit, et brevi temporis spatio totum coelum operiens copiosum adeo aquarum imbrem emisit, ut terram omni genere fructuum abundantem, atque fertilem redderet. Quemadmodum igitur tunc in altum ascendens nubecula illa tam ingentem aquarum copiam effudit; ita Christus ad altissimum coelorum ascendens, inde divinam illam sancti Spiritus pluviam demisit: *Pluviam voluntariam segregabis Deus haereditati tuae:* Originale Hebraeum vocat illam *pluviam liberalitatum*, pluviam inquam donorum, charismatum, atque gratiarum, quae super sanctos Apostolos effluxit, ut ab illis tanquam a montibus in vallem Ecclesiae derivaretur. Totius huius felicissimi eventus mihi prognosticum, et praesagium quoddam fuisse videtur splendidissima illa nubes, in qua Christus ad coelum ascendit: nam, ut ait Plinius, si coelo sereno, claro, laetoque existente nubes inter Septentrionem, et Meridiem oriatur, signum evidens est, copiosam inde pluviam nascituram, naturam enim duorum extremorum participat, atque ita ventos, pluviamque praenunciat. Hac ratione Christus admirabilis illa nubes per medium Septentrionis, atque Meridiei ascendens ventos, atque coelestes pluvias nobis praenunciavit, unde in die Pentecostes dicit S. Lucas (*Act.* 1.): *Quod factus est repente de coelo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis:* ecce ventos. Davide autem dicente nuper citata verba: *Pluviam voluntariam segregabit haereditati tuae*, ecce pluviam, quae sanctam Dei Ecclesiam ita foecundavit, fertilemque reddidit, ut e terra in amoenissimum, ac pulcherrimum flosculorum hortum excreverit, purpureas Martyrum rosas, castissimarumque Virginum candida lilia, germinantem, ac utrique hemisphaerio, coelesti, et terrestri insolitam, insuetamque quandam odorum fragrantiam ac suavitatem emittentem, ut inde evidentissime innotescat, quantum utrique conduxerit gloriosa Christi in coelum Ascensio. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA SEXTA

*Christi Domini mirabilem Ascensionem longo intervallo antecellere reliquas omnes ascensiones, quas tam humanae, quam divinae recolunt historiae, palam fit.*

Inter ceteras nostrae Christianae religionis excellentias illam non existimarim infimum locum tenere, quod falsa Ethnicorum gentilitas fabularibus Poetarum suorum figmentis eo numquam attingere potuit, ut res tanta admiratione dignas, tantaque prodigia atque portenta effinxerit, quanta de sacris Christi mysteriis catholica praedicat veritas. Et quoniam ista partim lib. 2. partim lib. 9. multis testimoniis a nobis latius comprobata fuere, idcirco in praesentiarum pro huius veritatis corroboratione, atque firmitate ea solummodo recensebimus, quae ad triumphantis Christi Ascensionis mysterium pertinent. Princeps Latinae Poetices (*lib.* 1. *Aeneidos*) scribens de Neptuno Deo aquarum, depingit eum incedentem in quodam curru, alatis, et volantibus equis instructo:

*Flectit equos, curruque volans dat lora*
*secundo.*

Et idem (*lib.*4.) refert de Mercurio Deo poeta, fingens eum supra maria, atque terras aureis alarum talaribus volasse,

*Et primum pedibus talaria nectit*
*Aurea quae sublimem, alis sive aequora*
*supra,*
*Seu terram rapido pariter cum flamine por-*
*tant.*

Atque iterum idem (*lib.*6.) dicit de antiquo illo Daedalo, quem Graeci instar avium alatum finxere, alarum suarum ministerio de homicidio accusatum e fortissima arce, maris undique circuitu circumvallata fugientem provolasse:

*Gelidas enavit ad Arctos:*

Quod se per aerem ita transportavit, ut ad polorum axem pervenerit. Verum, ut haec omnia praetermittam, quis est litterarum humanarum tam expers, qui nesciat Poetas antiquitus finxisse, Perseum Iovis filium, perempta Medusa, cuius aspectus homines in lapides convertebat, in argumentum tam celebris atque insignis victoriae ab hoc infimo mundi hemisphaerio ad coelos transferri meruisse? Nec ignoramus eosdem fabulari Bellerophontem Glauci Regis Ephyrae filium, post devictum ferocissimum Chimerae monstrum, et apertum ungulam equi sui, quem Pegasum vocant, admirabilem illum Hippocrenes fontem, ad coelestium consortia gloriosum et triumphantem pariter delatum fuisse. Icari autem fabula quid vulgatius? quem cereae alae, nimia illarum fretum fiducia volentem ad coelos volare solis ardore liquefacta praecipitem in profundum pelagus egerunt? Fictio certe, quam sacrilegus ille Simon Magus sibi imitandam proposuit, ita ut in conspectu totius populi magicae suae superstitionis alis in coelos etiam advolare praesumpserit; sed in medio eius conatu ferventes D. Petri orationis radii, atque ardores illas, ut tradit Egesippus, liquefecerunt, eumque deorsum, non sine maxima plantarum iactura, in terram depulerunt: *Ut qui*, veluti refert sanctus Maximus, *pennas assumpserat, plantas amitteret.* Plenae etiam sunt historiae arroganti illa Romanorum vanitate, atque superbia, qui ut eorum Imperatores, tanquam Dii ab omnibus colerentur, ipsa funeralium die regalem quandam aquilam (ut scriptum reliquit Herodotus) quae divinitatis, atque ascensus eorum ad superos elogium esset, ab eminentiori eorum tumuli fastigio dimittebant, et huiusmodi caeremoniae genus apo-



stoiam appellabant (quod canonizationem significat.) Hac enim via ipsos deorum immortalium numero adscriptos esse asseverabant. Ac demum magnus ille Pater D. Augustinus (*libro* 8. *de Civitate Dei cap.* 18) refert, senatores Romanos, optantes Urbis suae fundatorem Romulum ut Deum coli, subornasse Proculum quendam, ut se vidisse ipsum ad coelos evolasse, tanquam eorum dominum, publice testificaretur. Verum enim vero si tot Poetarum fabulis, variisque Ethnicorum, ac gentilium superstitionibus postpositis ad divinas historias oculos converterimus, sane inveniemus Ecclesiastem de Enoch referre, quod placuit Deo, et translatus est in paradisum, quod ascendit per aera e terra, in qua existebat, et in aliam regionem speciosiorem, atque amoeniorem, videlicet in paradisum terrestrem, delatus fuit. De Elia quoque dicit sacra Scriptura (*Reg* 2.): *Ecce currus igneus, et equi ignei, et ascendit Elias per turbinem in coelum.* Et D. Paulo memoriae traditum est ipsi in tertium coelum rapto grandia secreta aperta fuisse. Porro licet in aliquibus harum, similibusque ascensionibus, tum veris, tum etiam fictis, multa hominum adiunxerint ingenia, in aliis vero divina se demonstraverit potentia; earum tamen omnium memoriam una illa gloriosa Christi nostri Redemptoris Ascensio oblivione vindicat, penitusque obscurat. Quippe si Neptunus, si Mercurius, si Daedalus alas habuere, sane non nisi maria cum illis transvolasse feruntur, at illae Christi alae tantae virtutis, tantaeque erant potentiae, ut iis ignis, atque aeris regionem tranaverit universam, suique volatus viribus ultimos coelorum cardines, atque fastigia superarit. Si Perseo post obtruncatam Medusam serpentem ad superos evolasse concessum fuisse permittimus; Christum etiam devicto antiquo illo serpente daemonio, prostratoque ferocissimo illo dracone, e morte videlicet, quippe *Qui mortem nostram moriendo destruxit*, in praemium tam illustris, tamque insignis victoriae, gloriosum, atque triumphantem ad altissimos divini domicilii recessus transmigrasse non ignoramus. Si Bellorophon feroci illo Chimerae prodigio domito, ac invento Hippocrenes fonte una cum suo Pegaso ad coelos elatus fuisse traditur, figmentum profecto est istud, atque inventum Poetarum; at vero Christus sine cuiuspiam suffragio solo corporis sui immortalis equo subnixus, feroci illa bestia, mundo scilicet debellato (*Ego vici mundum*), et aperto documentis suae doctrinae praeclaro illo divinae sapientiae fonte, ubi non musae commorantur, cum ingenti coelestium omnium iubilo, atque applausu ad antiquam illam coelestis patriae gloriam remeavit. Si Icarus, et nefarius ille Simon Magus in altum sese extulerunt, id omne sane pennis artificialibus obtinuerunt, et talibus quidem, ut nec coelum attingere potuerint, cum in medio sui volatus ab incoepto desistere, atque hic in terram, ille vero in profundum pelagus decidere non sine magna animi perturbatione, atque confusione coacti fuerint; at Christus cum summa, atque incredibili constantia a glorioso Ascensionis suae volatu non destitit, sed eodem, quo coeperat motu, progressus est, donec in altissimo coelorum sedem suam collocavit. Neque porro id magiae, ut Simon Magus, sed divinae virtutis ministerio effecit. Et si Romani suis Imperatoribus divinitatis dignitatem adscribere totis viribus elaboravere, eisque pennas pro coelorum peragendo conscensu addidere: non immerito Iustino martyri (*in* 2. *sua Apologia*) ludibrio fuere, dum in eos ita ludit; *Imperatores, qui apud vos e vita excedunt, immortales esse vultis, quendamque iuratum producitis qui Caesarem combustum in coelum ex igne reverti viderit;* at Christus, neque divinitatem, quam habet, neque pennas, quibus ad eminentissimos coelorum vertices transvolavit, a subditis suis, sed ab aeterno Patre rerum omnium opifice suscepit. Si Romani quoque senatores, ut omnes gentes Romulum Urbis conditorem tamquam Deum adorarent, nihil facere omiserunt, uti talem ad superos eum ascendisse asseverantes, idque falsissimo Proculi cuiusdam testimonio, asserentis se illius fuisse praesentem ascensui, probaverunt: bene profecto D. Cyprianus eorum arrogantiam atque impudentiam illudit, dum ait: *Romulus praesente Proculo Deus factus est*: quod idem tradit Tertullianus, dicens: *Romulus scalis mendacii ascendit in coelum;* at Christus ad Ascensionis suae veritatem comprobandam non falsos, non subornatos, sed Apostolicos inducit testes, non unicum, ut erat Proculus, sed plures, eosque contestes, ac omni exceptione maiores, ut eorum personae, eorumque dicta nulla ratione taxari, nullaque calumniantium iniquitate convelli queant. Et quamvis Elias, et Enoch e terra fuerint sublevati, id tamen non ut ad coeli, sed terrestris paradisi auram transmigrarent, effectum fuisse legimus, ubi hodie permanent, atque Antichristi adventum expectaturi permanebunt; sed Christus ad coelos evolavit, *Assumptus est in coelum*, non in curru igneo, qui formidinem incutit, sed in splendida, atque lucenti nube: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Demum si S. Paulus in coelos, non tamen ultra tertium raptus fuit, Luca attestante: *Raptus est usque ad tertium coelum*, et nihilominus, ut ipsemet testatur, sive in corpore, sive extra corpus, nesciebat; Christus autem, ut inquit S. Thomas, usque ad connexam ultimi coelorum superficiem ascendit, neque id raptu quodam imaginario, aut solo animo, sed et corpore, quod cum eo simul ad coelos gloriosum pervenit. Verum ut universas istas Ascensionis Christi praerogativas atque excellentias praetermittam, unam attingam solummodo, tanquam earum praecipuam, et ad quam poeticae fictiones, hominumque ingenia nunquam attingere potuerunt, cum nullo unquam tempore vel in eorum devenerit cogitationem, hominum quempiam propriis viribus, atque virtute, sine alieno subsidio volare potuisse, ita ut his alas, illis talaria, istis equos, aliis vero currus adscripserint; Eliae etiam currum igneum, Enoch, et Abacuch, Angelos, qui illos per aerem veherent, attribuerint. Ceterum Christus in illa gloriosae

suae, atque triumphalis Ascensionis die propria virtute, propriisque viribus fretus ad coelum ascendit, quemadmodum praedixit Isaias (*c.* 63.): *Iste formosus in stola, gradiens in multitudine fortitudinis suae.* Utitur hoc dicendi genere, ut nobis significet quod divinitatis, atque animae suae sanctissimae virtute in altum gradiebatur; neque ei corporis deerat potestas, cum insigni illo agilitatis dono praeditus esset, quod ab infusa gloria in corpus redundabat: quae omnia quemadmodum sine medio aliquo a Christi ascendentis persona proveniunt, ita apud omnes indubitatum esse debet, ascensionem huiusmodi propriis eius viribus, non alienae virtutis auxilio contigisse: et ob tam singularem illius excellentiam David passerem solitarium Christum vocasse non immerito crediderim, cum in volandi modo sit unicus, solus, ac singularis; ob eandem quoque rationem arbitror, Ecclesiam iure optimo Ascensionem admirabilem vocasse: nam quamvis alia etiam quamplurima corpora per aerem ascendisse scriptum inveniamus, tamen id (ut nuper dicebam) non eorum propria virtute, sed alieno contigit subsidio: ita ut merito Christi Ascensio tanquam res rara, admirabilis fuerit appellata, et quam uti talem felices illi Christi discipuli admirabantur, dum eisdem suspicientibus dixit Angelus: *Quid admiramini aspicientes in coelum?* Quamobrem non abs re erit hoc loco Hieremiae de Christo loquentis verba explicare, dum dixit: *Quasi leo ascendet de superbia Iordanis.* Refert enim Eustratius auctor antiquissimus, tantam esse leonis, eiusque sanguinis generositatem, ut quamvis fortitudo atque virtus cordis ceterorum animantium ex stellarum, ac coelestium signorum influxu valde dependeant, illisque specialiter subordinentur; nihilominus vis illa leonis ita egregia sit sui natura, ut ab huius speciali dependentia, atque subordinatione libera penitus existat. Si igitur Christus ex sui naturae ingenuitate, ac conditionis generositate leo est, Ioanne dicente: *Vicit leo de tribu Iuda*; sane quando ad coelos transmeavit, illa propria eius virtute, non ab alio quopiam, aut alieno dependens auxilio ascendit. Et quamvis veritas se habeat eum nube circumdatum, prout David (*Psal.* 103.) praedixerat, ascensurum: *Qui ponis nubem ascensum tuum*; non tamen illa adminiculi, aut sustentaculi sedes erat, aut vehiculum, cum ipse eam sustineret, atque veheret, sed ad ornatum, pompamque gloriosissimae suae Ascensionis deserviebat. Itaque, ut nunc paucis superius dicta perstringam, haec est gloriosae Ascensionis Christi praerogativa, haec singularis eminentia, quod hodierno die ascendit, non alis, aut pennis artificialibus, ut Neptunus, Mercurius, atque Daedalus: non cereis, ut Icarus: non arte magica, ut Simon: non aquilae fallaci ingenio, ut Romani Imperatores: non falsorum testium attestatione, ut Romulus: non curru igneo, ut Elias: non in puncto, vel momento temporis, ut Enoch, sed paulatim translatus fuit: *Videntibus illis elevatus est*: non quopiam imaginario ascensu, ut Ezechiel, aut divus Ioannes in sua Apocalypsi: non demum raptu, aut mentis extasi, ut divus Paulus: sed revera, corporaliter, et sensibiliter gradiens, supra omnes coelos propria sua virtute elevatus fuit: nam quamvis Deus per se solum moveri, ipsaque humanitas per se solam in altum ascendere nequeat, cum ipsa tamen humanitate coniunctus Deus alio divertere, ipsa vero humanitas in altum conscendere potest. Atqui, ut huiusce rei veritatem vobis ob oculos clarius exhibeam, ingenioso illo Alciati de caeco, et claudo tractantis utar emblemate, qui dum ad ripam cuiusdam fluminis simul starent, et ad alteram illius partem transgredi desiderarent, unicuique tamen eorum per se solum id obtinere esset impossibile, cum claudus pedibus, caecus vero oculis caret; ita sibi invicem subvenerunt. Caecus claudum humeris imposuit, atque ita claudus caecum oculis, caecus vero claudum pedibus ducebat, sicque alterum iuvando ad alteram fluminis partem sibi invicem transitum dedere. Ita etiam nec dispari ratione, cum ob magnam Dei immutabilitatem, et immensitatem ei impossibile sit per se ipsum ad coelos e terra moveri (*Mal.* 5.): *Ego enim Dominus, et non mutor*: atque ipsa humanitas in altum per se ipsam ascendere ob ponderosam corporis gravitatem eam deorsum detinentem minime valeat, utique divinitas cum humanitate se coniungens, pedes humanitas Deo, ut moveri posset; humanitati autem Deus virtutem impertitus est, ut ad coelos se elevaret, et regni sui possessionem acciperet in dextra Dei Patris sedens. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA SEPTIMA.

*Christi Domini Ascensionis splendidissimum triumphum prosequimur, in illa verba: Sedet a dextris Dei, quae multiplici tam sacrarum, quam humanarum litterarum, simulque aperitur, in qua empyrei coeli parte Christus Dominus thronum suum locarit, et an sedens, vel stans in eo resideat.*

Priusquam ad varios circa proposita verba certantium Doctorum sensus progrediar, turpissimum quorundam errorem, cuius D. Augustinus meminit, in primis refellere operae pretium duxi. Ait enim nonnullos haereticorum asseruisse, Christum non revera, sed ficte, ac metaphorice in coelum ascendisse, opinionis suae fundamentum sumentes ex illo D. Ioannis, *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo.* Ex quo ipsi etiam inferebant, Verbum divinum in tantum in terram descendisse, inquantum sub humanae naturae humilitate magnitudinem suam, potentiamque occultavit, absque ulla tamen cum carne hypostatica unione: et versa vice in tantum in coelos ascendisse, in quantum terrarum orbi gloriam, et maiestatem suam in Christo ostentavit. Quin etiam



praecitati loci verbis innitentes, Christi humanitatem iure in coelis non esse, asserere non erubuerunt. *Nemo*, inquiebant, *in coelum ascendit, nisi qui de coelo descendit*: ergo cum Christi humanitas de coelo non descenderit, sequitur in coelo secundum realem, et veram existentiam minime esse. At catholica veritate edocemur, Christum revera in coelum conscendisse, ut disertis verbis tradit S. Lucas, dicens: *Et ferebatur in coelum.* idque unanimi consensu confessi sunt universi Patres Concilii Nicaeni, ex Symbolo Apostolico edocti; quod et praedixerat David multis in locis, inter quae observatione digna sunt illa verba (*Psal.* 113): *Paravit in coelo sedem suam*: quibus aperte praesupponebat, eum revera illuc fore ascensurum, ut illius loci corporalem possessionem caperet. Neque huic tam manifestae veritati quidquam refragantur verba illa: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo*: siquidem, ut prudenter advertit Theodoretus (*in c. 4. ad Ephes.*): *Non alius descendit, et alius ascendit, sed aliter ascendit, et aliter descendit.* Quod et ab Augustino (*in comm. illius loci*) clarius expositum legimus, dum ait: *Quia ascendere est personae, non naturae, nisi in quantum est in persona; eadem persona Christi descendit, et ascendit. Descendit quidem sine corpore, ascendit vero corpore induta.* Hoc iam confutato errore, varia sunt circa intelligentiam illorum verborum, tam priscorum, quam recentiorum Doctorum placita: quippe omisso, quod Dei tanquam veri spiritus nulla potest esse manus, aut dextera, aut sinistra, quae tametsi concederetur, nequaquam dextera Filio deberetur, cum apud omnes catholicos indubitatum sit, Spiritum sanctum eiusdem esse dignitatis, et maiestatis cum illo: non ergo honoratior locus Filio deberet dari, quam Spiritui sancto. Deinde cum Pater aliarum personarum origo, et fons sit, et hac speciali prae ceteris divinis personis polleat dignitate, quod a nulla alia procedat; reliquae vero ab eo originem ducant; certe ratione huius dignitatis dextera deberet ei adscribi, non Filio. Permulti neoterici Doctores hac pressi difficultate in eam abiere sententiam, ut antiquitus sinistram dextera digniorem fuisse affirmaverint; idque comprobare contendunt ex eo, quod, ut S. Thomas recenset in antiquis illis divi Petri et Pauli Apostolorum imaginibus, D. Petrus ad sinistram, Paulus autem ad dexteram collocarentur, quae consuetudo hoc usque perdurat, ut patet tum in sacro palatio, tum in bullis summorum Pontificum: et tamen apud omnes indubitatum est, D. Petro, tanquam Ecclesiae catholicae, ac apostolorum principi primum, et digniorem locum dari. Eusebius vero recenset, Constantinum adhuc aetate tenerum, Imperatoris patris sui dexterae adstitisse. Quin et huic opinioni sacrae litterae opitulari videntur: legimus enim Salomonem Regem matri suae Bethsabeae ad eum introeunti occurrisse, eamque ad throni sui dexteram collocasse. Et Propheta David, loquens de Rege sponso, quod Reginam sponsam ad dexteram locarit, ait (*Psal.* 44): *Astitit Regina a dextris tuis.* Est autem satis compertum, dedecore personam publicam, etiam patri suo, aut matri in publicis actionibus primum locum deferre; unde non immerito antiquitas laudabile illud, atque insigne Fabii factum celebravit, utpote qui dum consulatus fungeretur officio, patrem suum sibi obvium equitantem aspiciens (quod apud Romanos in consulum praesentia prohibitum erat) satellitem misit, iniungens ei, ut ex equo continuo descenderet; qui filii sui mandato lubenti animo obtemperavit, et eundem tanquam consularis dignitatis zelotypum collaudans censuit. Cum ergo, aiunt, Salomon matrem in publico actu ad throni sui dexteram collocavit, primarium ei locum non detulit, sed inferiorem. Causa autem, qua antiqui moti fuere sinistram digniorem reputare, ea, inquiunt, fuit, quod ii, qui illustrem aliquem virum comitabantur, aptiorem locum ad eum protegendum, cuiusmodi est dextra, sumebant, et veluti defensores, ac custodes a dextris ei assistebant. Unde etiam fiebat, quod illustrioris personae latus sinistrum medium locum obtineret inter latus sinistrum protegentis, et dexteram protecti. Hincque originem traxit, quod ii, qui ita ad alicuius dexteram tanquam defensores illius incedebant, antiquitus *laterones, aut stipatores*, nuncuparentur. Eadem etiam de causa D. Petro Apostolorum principi, cui tanquam Christi in terris Vicario primus, digniorque locus erat debitus, in imaginibus, ac litterarum Apostolicarum sigillis sinistram, D. Paulo dexteram, tanquam illius defensori, nudum prae manibus gladium gestanti Romani assignaverunt. Ex qua singulari doctrina illius sequaces colligunt, aeternum Patrem in illa gloriosa Ascensionis die, Christo dicentem *Sede a dextris meis*, non digniorem, sed proximum a suo loco attribuisse locum, ipsumque sinistram tenuisse, uti maiestate, et auctoritate digniorem habitam.

Verum haec sententia vulgi tantum aures demulcens, mihi probari non potest: fundamentum enim illius, dexteram videlicet antiquitus inferiorem fuisse dignitate, debile admodum iudico. Nam praeterquam id falsum esse censent D. Hieronymus, et S. Ambrosius, ex Genesi evidenter nobis contrarium demonstratur: dum enim Patriarcha Ioseph ad patris sui dexteram filium suum Manassem collocasset, sanctus senex Ephraim illi praeferre volens, manus commutavit, ac dexteram super Ephraim, sinistram vero super Manassem posuit, quem inferiorem futurum praenunciabat. Quinimmo Christus in Evangelio testatur, se praedestinatos ad dexteram, damnatos vero ad sinistram positurum: iudicavit igitur ipse illam hac multo digniorem. Nec videtur admodum urgere quae in contrarium allata sunt: etenim si Salomon, aut sponsus, ille matrem, hic sponsam ad dexteram posuere, id solum indicat, eis prae ceteris aliis primum locum dedisse, sed non digniorem suo. Ad illud autem de imaginibus DD. Petri, et Pauli Apostolorum apprime respondet divus Thomas, quod quemadmodum in sacris litteris per sinistram praesens vita,

per dexteram vero coelestis significatur: hinc est, quod sicut S. Petrus a Christo, in hac mortali vita existente, sanctus vero Paulus, postquam Christus in coelo aeterna vita gauderet, vocati fuerunt, hac ratione moti, S. Petrum ad sinistram, Paulum autem ad dexteram collocarunt. Aliam vero responsionem instituto nostro admodum congruam suggerit nobis doctissimus ille Ioan. Molanus, qui id effectum fuisse autumat ad summam divi Petri humilitatem demonstrandam, qui cum omnibus maior esset, inferiorem tamen locum sibi elegit, ut successoribus suis exemplo esset capiendi pro illorum insigni humillimum illum titulum: *Servus servorum Dei.* Verum omissa hac explanatione, tanquam magis curiosa, quam vera, D. Athanasius, S. Ioannes Damascenus, ac S. Chrysostomus locum huiusmodi exponunt de Christo in quantum Deus est, ita ut per dexteram, divinam eius maiestatem, et cum aeterno Patre aequalitatem intelligant: *Qui non rapina arbitratus est se esse aequalem Deo.* Et sane paraphrasis ista recte admodum in D. Paulo fundari videtur, utpote, qui (*c. 1. Epistol. ad Hebr*). probat Christum Deum esse: *Quia sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Porro sanctus Theodoretus (*in hunc divi Pauli locum*), et Cyrillus Alexandrinus eundem de Christo, in quantum homo est, intelligendum esse asserunt, adeo ut quod aeternus Pater illum a dextris posuit, id fuerit ei tantum honoris, tantumque maiestatis attribuere, ut propter universale dominium ei in omnes creaturas concessum, in proprio suae maiestatis throno collocarit, et ipsum latriae cultu coli, atque adorari voluerit. Cuius rei imaginem quandam nobis ob oculos poni videmus in Salomone, qui in proprio Davidis patris sui throno sedit: *Salomon autem sedit super thronum patris sui, et firmatum est eius regnum nimis.* Verum obiiciet aliquis, Christum haec omnia ante eius in coelum ascensionem habuisse; aliquid ergo ab his diversum est, quod in die Ascensionis ad dexteram Dei Patris sedisse sancta confitetur Ecclesia. Huic obiectioni respondeo, Christum in Ascensione divinae excellentiae, et supremae suae dignitatis singularem manifestationem, ac claritatem recepisse, quam quidem ipse antea a Patre postulaverat, dicens (*Ioan.* 17.): *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te;* id est manifesta hominibus me tibi aequalem esse, et Deum verum de Deo vero. Demum quia Christus in gloriosa illa triumphantis Ascensionis suae die, imperii, ac regni sui possessionem apprehendit, ibique excellentissimum inter omnes locum, ac supremam cum summa auctoritate sedem obtinet, propterea etiam aeternum Patrem a dextris suis eum collocasse asserimus. Verum ne in hoc prolixiori forsan dicendi genere uti videar, indagemus modo, quo in coelo, aut in qua illius parte Christus sibi sedem, thronumque locari delegerit. Nefarii illi Seleucian haereticae pravitatis sectatores, ut divus Augustinus (*li. de haer. c.* 59.) attestatur, asserebant, Verbum divinum in Ascensionis die se humanitate sua exuisse, humanitatemque ipsam in splendenti solis globulo locasse, iuxta illud Davidis (*Psal.* 18.): *In sole posuit tabernaculum suum.* Et Serapion Episcopus, referente Sixto Senensi, Origini adscribit, Christum in Ascensionis suae die in sole substitisse, nec ulterius fuisse progressum, praedicto Davidis loco innitenti. Unde etiam Manichaei, ut scribit etiam sanctus Augustinus, solem adorabant tanquam locum quendam sacrum, in quo Christi corpus depositum conquiesceret. At ut recte Pamphilius martyr (*in quadam apologia sua*) testatur, non modo Origenes in hunc errorem non incidit, quin potius eum evidenter refutavit in explanatione illorum verborum, eaque allegorice explicat, sicut et S. Augustinus, licet diversa sub allegoria ea exposuerit: tabernaculum enim putat gloriosum Christi corpus esse, quia animae velut domicilium, et tabernaculum est, et illud ait posuisse in divina persona, quam per solem intelligit. Nicolaus autem de Lyra, aliique quamplurimi interpretes ad litteram de sole ipso praedicta verba exponunt, cui ait David coelum pro tabernaculo traditum esse. Verum quidquid de hoc sit, Christum in sole substitisse pugnat evidentissime cum divi Pauli doctrina, asserentis eum super omnia coelorum fastigia transvolasse (*Ephes.* 4.): *Ascendit super omnes coelos.* Compertum autem, solem in quarto coelo esse, ac super illud plures alios existere, quidquid nonnulli delirantes Astrologi oblatrent. Porro hic tria praecipue discutienda occurrunt. Primum est, An Christus intra ipsum coelum, an extra illud sit. Noster Alexander Alensis eum intra coelum empyreum esse asseverat, eiusdemque sententiae fuit Durandus; fundanturque in eo quod Christus corporaliter videt, et a Beatis corpore constantibus corporaliter videtur: visio autem fieri nequit sine speciebus visibilibus, quae ab obiecto ad potentiam attingere minime possunt, nisi per diaphanum aliquod corpus pertranseanti quod cum extra ultimum coelorum non reperiatur, necessario dicendum esse videtur, Christum intra illud existere. Verum Angelicus Thomas (*3. p. q.* 57. *ar.* 4. *ad* 2. *arg.*) asserit, totum Christi corpus extra ultimam coelorum sphaeram existere, ita quod pedum plantis convexam coeli empyrei superficiem attingat: quod etiam significavit D. Paulus, dicens (*ad Heb.* 7.): *Excelsior coelis factus:* idemque antea praedixerat David, siquidem ubi vulgata nostra translatio dicit, *Ascendisti in altum*, Graeci interpretes verterunt, *Ascendisti in fastigium.* Quam interpretationem sequitur Tertullianus (*libro quinto contra Marcionem*), et eidem sententiae consentiens Nicolaus de Lyra (*in Psalmum* 67.) dicit, quod Christus ascendit super extremitatem coeli empyrei, quod est excelsius super omnes coelos. Nec ratio Alexandri de Ales, et Durandi videtur mihi esse alicuius momenti, cum per coelum, et per ipsum corpus Christi, et cuiuscunque alterius Beati, propter eximiam eorum claritatem, species visibiles diffundi, et multiplicari facile possint usque ad visivam potentiam.

Secundum quaesitum est, in qua coeli parte Christus thronum suum, sedemque locarit: etenim quamvis aliquibus videatur ad Orientem, propter illud Davidis (*Psal.* 67.): *Psallite Deo qui ascendit super coelum coeli ad Orientem;* eadem tamen ratione dici potest, thronum Christi in Occidente esse: siquidem in eodem Psalmo dicit, *qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Unde Nicolaus Lyrensis primum locum explicans, dicit, quod quando David refert de Christo *Qui ascendit super coelum coeli ad Orientem*, significat, quod Christi Ascensio fuit a Monte Oliveti, qui est in Orientali Hierosolymorum parte; dum vero secundo loco dicit *Qui ascendit super occasum*, id dixisse, ad significandum, Christum eo direxisse iter suum, ut confirmaret, et approbaret id, quod Israelitis mandaverat, ut ad Occidentem orarent, Idolorum cultoribus se opponentes, qui cum solem, tanquam Deum colerent, ad eius Orientem orabant, ut ex Ezechielis capite octavo colligitur. Eadem quoque de causa praecepit Deus, ut constat ex Exodi capite vigesimo sexto, ut tabernaculum, in quo erant Sancta sanctorum, Occidentem versus collocaretur. Porro si coniecturae hic quidquam deservire possint, rationi admodum consentaneum esse videtur dicere, Christum in medio convexae coeli empyrei superficiei thronum posuisse. Etenim omisso nunc, quod locus ille medius omnium dignissimus est, non ignoramus etiam solem in Planetarum medio existere, et indivisibile cuiusque sphaerae centrum in medio illius obtinere sedem. Sic igitur Christum, qui tanquam sol iustitiae, coelestem illam Hierosolymam illuminat, et in cuius aspectu, veluti in centro quodam, Beati conquiescunt, non immerito in medio coelorum collocasse sedem arbitrabimur. Sed cum divinae litterae illius thronum, sedemque nobis satis aperte innuant, non est, quod ab eis ullatenus recedamus. Capite decimo quarto Isaiae legimus, Luciferum thronum suum ponere praesumpsisse in eodem loco, ubi Christus proprium suum collocaret. At ipse Lucifer dicit se illum positurum in Aquilone: *In coelum ascendam, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis.* Igitur Christus thronum suum in eadem coeli parte collocatum habet, quam ipse occupare superbe appetierat. Confirmatur id potissimum ex illo (*Psalmi* 47.): *Latera Aquilonis civitas Regis magni.* Habet ergo Christus thronum in latere Aquilonis.

Tertium tandem restat examinandum, num Christus in coelo stet, vel sedeat. Divus Paulus (*ad Eph.* 2.) videtur clare docere, Christum sedere: *Qui consedere nos fecit in coelestibus in Christo.* Verum nullus sanctorum Patrum hunc divi Pauli, aut ei similem illum Symboli locum, *Sedet ad dexteram Patris*, de corporali Christi consessu, sed de gloriae eius dignitate, atque excellentia intelligit: unde rationi consentaneum magis esse videtur, Christum super coelum empyreum stare: stantem enim vidit illum sanctus Stephanus (*Act.* 7.): *Video coelos apertos, et Iesum stantem a dextris Dei.* Et quamvis non inficiemur, verbum illud, *stantem*, exponi posse, ut idem significet, quod existentem: in quo significatu usus fuit illo Christus Dominus, dum ait (*Mat.* 16.): *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, id est, de hic existentibus. Divus tamen Chrysostomus, plurimique alii Patres Graeci (*in commentariis huius loci*) explicant verbum illud, *stantem*, pro, in pedibus consistentem. Et quamvis etiam verum sit, quod locus iste, eo etiam sensu acceptus, rem hanc omnino certam, et exploratam non faciat, cum recte Christus, qui prius sedisset, tunc surgere, et stare potuisset, ut dilecto suo Stephano promptitudinem, qua eum adiuvare, et favere paratus erat, demonstraret, ut exponit sanctus Gregorius (*homilia* 24. *in Evan.*): at procul dubio gloriosi corporis perfectioni magis congruit, erectum, et stantem esse, quam sedentem: sedemus enim, ne corpus nimio labore fatigetur, et cum defessum est, conquiescat. Unde cum gloriosum Christi corpus omnis lassitudinis sit incapax; non est cur dicamus ipsum sedere in coelo, sed stantem esse. Unde in hac positione verosimilius est Deum creasse hominem in statu innocentiae, et non iacentem, aut sedentem. Verosimilius igitur est, Christum in coelo stare. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA OCTAVA

*Prosequimur aliter clarissimum Ascensionis Christi triumphum, palam facientes, quibus honoris indiciis tum a Patre, tum ab Angelis, et aliis creaturis in coelum exceptus fuerit.*

Ascensionis Christi Domini honorem, et gloriam contemplans Isaias haec verba praedixit (*Isa.* 2.): *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Unanimis est Patrum sententia, Ambrosii (*super Luc. c.* 19.), Augustini (*quaest. in Evang.* 29.), Hieronymi (*super Isai. c.* 2.), Origenis (*hom.* 2. *in Cant. et homil.* 4. *in Matth.*), et Arnobii (*super Psal.* 67.), per montem Christum Dominum intelligi, magnum quidem, et excelsum virtute, et incomprehensibilem cogitatu. Sed videamus, quando hic mons factus, quando praeparatus, quando elevatus, quando tandem ad eum confluxere omnes gentes; maxime, quod confluere non ad superiorem, sed ad inferiorem locum fluxum designat; Christus autem conscendens in coelum, inferiora deseruit, sublimia petiit. Hic mons factus est, quando *Verbum caro factum est:* praeparatus est, quando, ut unigenitus a Patre, plenus gratia, et veritate Patri obediens, quamvis excelsus mons, humilis vallis conditiones induit: elevatus fuit in vertice montium, quando in praemium eximiae eius humilitatis, et abiectionis excelsior coelis fac-





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per dexteram vero coelestis significatur: hinc est, quod sicut S. Petrus a Christo, in hac mortali vita existente, sanctus vero Paulus, postquam Christus in coelo aeterna vita gauderet, vocati fuerunt, hac ratione moti, S. Petrum ad sinistram, Paulum autem ad dexteram collocarunt. Aliam vero responsionem instituto nostro admodum congruam suggerit nobis doctissimus ille Ioan. Molanus, qui id effectum fuisse autumat ad summam divi Petri humilitatem demonstrandam, qui cum omnibus maior esset, inferiorem tamen locum sibi elegit, ut successoribus suis exemplo esset capiendi pro illorum insigni humillimum illum titulum: *Servus servorum Dei*. Verum omissa hac explanatione, tanquam magis curiosa, quam vera, D. Athanasius, S. Ioannes Damascenus, ac S. Chrysostomus locum huiusmodi exponunt de Christo in quantum Deus est, ita ut per dexteram, divinam eius maiestatem, et cum aeterno Patre aequalitatem intelligant: *Qui non rapina arbitratus est se esse aequalem Deo*. Et sane paraphrasis ista recte admodum in D. Paulo fundari videtur, utpote, qui (*c. 1. Epistol. ad Hebr*). probat Christum Deum esse: *Quia sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*. Porro sanctus Theodoretus (*in hunc divi Pauli locum*), et Cyrillus Alexandrinus eundem de Christo, in quantum homo est, intelligendum esse asserunt, adeo ut quod aeternus Pater illum a dextris posuit, id fuerit ei tantum honoris, tantumque maiestatis attribuere, ut propter universale dominium ei in omnes creaturas concessum, in proprio suae maiestatis throno collocarit, et ipsum latriae cultu coli, atque adorari voluerit. Cuius rei imaginem quandam nobis ob oculos poni videmus in Salomone, qui in proprio Davidis patris sui throno sedit: *Salomon autem sedit super thronum patris sui, et firmatum est eius regnum nimis*. Verum obiiciet aliquis, Christum haec omnia ante eius in coelum ascensionem habuisse; aliquid ergo ab his diversum est, quod in die Ascensionis ad dexteram Dei Patris sedisse sancta confitetur Ecclesia. Huic obiectioni respondeo, Christum in Ascensione divinae excellentiae, et supremae suae dignitatis singularem manifestationem, ac claritatem recepisse, quam quidem ipse antea a Patre postulaverat, dicens (*Ioan.* 17.): *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te*; id est manifesta hominibus me tibi aequalem esse, et Deum verum de Deo vero. Demum quia Christus in gloriosa illa triumphantis Ascensionis suae die, imperii, ac regni sui possessionem apprehendit, ibique excellentissimum inter omnes locum, ac supremam cum summa auctoritate sedem obtinet, propterea etiam aeternum Patrem a dextris suis eum collocasse asserimus. Verum ne in hoc prolixiori forsan dicendi genere uti videar, indagemus modo, quo in coelo, aut in qua illius parte Christus sibi sedem, thronumque locari delegerit. Nefarii illi Seleucian haereticae pravitatis sectatores, ut divus Augustinus (*li. de haer. c.* 59.) attestatur, asserebant, Verbum divinum in Ascensionis die se humanitate sua exuisse, humanitatemque ipsam in splendenti solis globulo locasse, iuxta illud Davidis (*Psal.* 18.): *In sole posuit tabernaculum suum*. Et Serapion Episcopus, referente Sixto Senensi, Origini adscribit, Christum in Ascensionis suae die in sole substitisse, nec ulterius fuisse progressum, praedicto Davidis loco innitenti. Unde etiam Manichaei, ut scribit etiam sanctus Augustinus, solem adorabant tanquam locum quendam sacrum, in quo Christi corpus depositum conquiesceret. At ut recte Pamphilius martyr (*in quadam apologia sua*) testatur, non modo Origenes in hunc errorem non incidit, quin potius eum evidenter refutavit in explanatione illorum verborum, eaque allegorice explicat, sicut et S. Augustinus, licet diversa sub allegoria ea exposuerit: tabernaculum enim putat gloriosum Christi corpus esse, quia animae velut domicilium, et tabernaculum est, et illud ait posuisse in divina persona, quam per solem intelligit. Nicolaus autem de Lyra, aliique quamplurimi interpretes ad litteram de sole ipso praedicta verba exponunt, cui ait David coelum pro tabernaculo traditum esse. Verum quidquid de hoc sit, Christum in sole substitisse pugnat evidentissime cum divi Pauli doctrina, asserentis eum super omnia coelorum fastigia transvolasse (*Ephes.* 4.): *Ascendit super omnes coelos*. Compertum autem, solem in quarto coelo esse, ac super illud plures alios existere, quidquid nonnulli delirantes Astrologi oblatrent. Porro hic tria praecipue discutienda occurrunt. Primum est, An Christus intra ipsum coelum, an extra illud sit. Noster Alexander Alensis eum intra coelum empyreum esse asseverat, eiusdemque sententiae fuit Durandus; fundanturque in eo quod Christus corporaliter videt, et a Beatis corpore constantibus corporaliter videtur: visio autem fieri nequit sine speciebus visibilibus, quae ab obiecto ad potentiam attingere minime possunt, nisi per diaphanum aliquod corpus pertranseanti quod cum extra ultimum coelorum non reperiatur, necessario dicendum esse videtur, Christum intra illud existere. Verum Angelicus Thomas (*3. p. q.* 57. *ar.* 4. *ad* 2. *arg.*) asserit, totum Christi corpus extra ultimam coelorum sphaeram existere, ita quod pedum plantis convexam coeli empyrei superficiem attingat: quod etiam significavit D. Paulus, dicens (*ad Heb.* 7.): *Excelsior coelis factus*: idemque antea praedixerat David, siquidem ubi vulgata nostra translatio dicit, *Ascendisti in altum*, Graeci interpretes verterunt, *Ascendisti in fastigium*. Quam interpretationem sequitur Tertullianus (*libro quinto contra Marcionem*), et eidem sententiae consentiens Nicolaus de Lyra (*in Psalmum* 67.) dicit, quod Christus ascendit super extremitatem coeli empyrei, quod est excelsius super omnes coelos. Nec ratio Alexandri de Ales, et Durandi videtur mihi esse alicuius momenti, cum per coelum, et per ipsum corpus Christi, et cuiuscunque alterius Beati, propter eximiam eorum claritatem, species visibiles diffundi, et multiplicari facile possint usque ad visivam potentiam.

Secundum quaesitum est, in qua coeli parte Christus thronum suum, sedemque locarit: etenim quamvis aliquibus videatur ad Orientem, propter illud Davidis (*Psal.* 67.): *Psallite Deo qui ascendit super coelum coeli ad Orientem*; eadem tamen ratione dici potest, thronum Christi in Occidente esse: siquidem in eodem Psalmo dicit, *qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*. Unde Nicolaus Lyrensis primum locum explicans, dicit, quod quando David refert de Christo *Qui ascendit super coelum coeli ad Orientem*, significat, quod Christi Ascensio fuit a Monte Oliveti, qui est in Orientali Hierosolymorum parte: dum vero secundo loco dicit *Qui ascendit super occasum*, id dixisse, ad significandum, Christum eo direxisse iter suum, ut confirmaret, et approbaret id, quod Israelitis mandaverat, ut ad Occidentem orarent, Idolorum cultoribus se opponentes, qui cum solem, tanquam Deum colerent, ad eius Orientem orabant, ut ex Ezechielis capite octavo colligitur. Eadem quoque de causa praecepit Deus, ut constat ex Exodi capite vigesimo sexto, ut tabernaculum, in quo erant Sancta sanctorum, Occidentem versus collocaretur. Porro si coniecturae hic quidquam deservire possunt, rationi admodum consentaneum esse videtur dicere, Christum in medio convexae coeli empyrei superficiei thronum posuisse. Etenim omisso nunc, quod locus ille medius omnium dignissimus est, non ignoramus etiam solem in Planetarum medio existere, et indivisibile cuiusque sphaerae centrum in medio illius obtinere sedem. Sic igitur Christum, qui tanquam sol iustitiae, coelestem illam Hierosolymam illuminat, et in cuius aspectu, veluti in centro quodam, Beati conquiescunt, non immerito in medio coelorum collocasse sedem arbitrabimur. Sed cum divinae litterae illius thronum, sedemque nobis satis aperte innuant, non est, quod ab eis ullatenus recedamus. Capite decimo quarto Isaiae legimus, Luciferum thronum suum ponere praesumpsisse in eodem loco, ubi Christus proprium suum collocaret. At ipse Lucifer dicit se illum positurum in Aquilone: *In coelum ascendam, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*. Igitur Christus thronum suum in eadem coeli parte collocatum habet, quam ipse occupare superbe appetierat. Confirmatur id potissimum ex illo (*Psalmi* 47.): *Latera Aquilonis civitas Regis magni*. Habet ergo Christus thronum in latere Aquilonis.

Tertium tandem restat examinandum, num Christus in coelo stet, vel sedeat. Divus Paulus (*ad Eph.* 2.) videtur clare docere, Christum sedere: *Qui consedere nos fecit in coelestibus in Christo*. Verum nullus sanctorum Patrum hunc divi Pauli, aut ei similem illum Symboli locum, *Sedet ad dexteram Patris*, de corporali Christi consessu, sed de gloriae eius dignitate, atque excellentia intelligit: unde rationi consentaneum magis esse videtur, Christum super coelum empyreum stare: stantem enim vidit illum sanctus Stephanus (*Act.* 7.): *Video coelos apertos, et Iesum stantem a dextris Dei*. Et quamvis non inficiemur, verbum illud, *stantem*, exponi posse, ut idem significet, quod existentem: in quo significatu usus fuit illo Christus Dominus, dum ait (*Mat.* 16.): *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, id est, de hic existentibus. Divus tamen Chrysostomus, plurimique alii Patres Graeci (*in commentariis huius loci*) explicant verbum illud, *stantem*, pro, in pedibus consistentem. Et quamvis etiam verum sit, quod locus iste, eo etiam sensu acceptus, rem hanc omnino certam, et exploratam non faciat, cum recte Christus, qui prius sedisset, tunc surgere, et stare potuisset, ut dilecto suo Stephano promptitudinem, qua eum adiuvare, et favere paratus erat, demonstraret, ut exponit sanctus Gregorius (*homilia* 24. *in Evan.*): at procul dubio gloriosi corporis perfectioni magis congruit, erectum, et stantem esse, quam sedentem: sedemus enim, ne corpus nimio labore fatigetur, et cum defessum est, conquiescat. Unde cum gloriosum Christi corpus omnis lassitudinis sit incapax; non est cur dicamus ipsum sedere in coelo, sed stantem esse. Unde in hac positione verosimilius est Deum creasse hominem in statu innocentiae, et non iacentem, aut sedentem. Verosimilius igitur est, Christum in coelo stare. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.





## HOMILIA OCTAVA

*Prosequimur aliter clarissimum Ascensionis Christi triumphum, palam facientes, quibus honoris indiciis tum a Patre, tum ab Angelis, et aliis creaturis in coelum exceptus fuerit.*

Ascensionis Christi Domini honorem, et gloriam contemplans Isaias haec verba praedixit (*Isa.* 2.): *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes*. Unanimis est Patrum sententia, Ambrosii (*super Luc. c.* 19.), Augustini (*quaest. in Evang.* 29.), Hieronymi (*super Isai. c.* 2.), Origenis (*hom.* 2. *in Cant. et homil.* 4. *in Matth.*), et Arnobii (*super Psal.* 67.), per montem Christum Dominum intelligi, magnum quidem, et excelsum virtute, et incomprehensibilem cogitatu. Sed videamus, quando hic mons factus, quando praeparatus, quando elevatus, quando tandem ad eum confluxere omnes gentes; maxime, quod confluere non ad superiorem, sed ad inferiorem locum fluxum designat; Christus autem conscendens in coelum, inferiora deseruit, sublimia petiit. Hic mons factus est, quando *Verbum caro factum est*: praeparatus est, quando, ut unigenitus a Patre, plenus gratia, et veritate Patri obediens, quamvis excelsus mons, humilis vallis conditiones induit: elevatus fuit in vertice montium, quando in praemium eximiae eius humilitatis, et abiectionis excelsior coelis fac-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ius super empyrei coeli cacumen sedem suam locavit, propter quod et tunc, et modo, ac semper iusti cuncti ad eum fluere contendent, si quo modo ascendant ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, sicque secum scandant, ac sedeant: nam ut in centonibus Proba Falconia cecinit:

*Nec vidisse semel satis est, iuvat usque morari,*
*Et conferre gradum, et dextrae coniungere dextram.*

Confluere autem illos dicit ad montem, ut significet, quod quemadmodum aqua natura sua in inferiorem locum propendit; et ideo si sursum ascendat, quandam violentiam patitur, eam tamen libenter sustinet, ut muneri suo, quatenus pars est universi, satisfaciat; ita iusti, tamquam habentes corpus, quod aggravat animam, licet ad inferiora deiiciantur; ipsi tamen contra nituntur, et violentiam sibi inferunt, quia *regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Et quia membra mystici corporis Christi sunt, capite sursum se ferente, et ipsa feruntur, et cum David incessanter proclamant (*Psal.* 23.): *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?*

Ceterum, ut ad honoris, et gloriae inaudita indicia in hac Christi Domini Ascensione Deo a Patre, et creaturis ei exhibita accedamus, illud in primis observare oportet, quod quamvis humanitas Christi dum ascenderet, plusquam sol in ortu suo praefulgeret, nec egeret his, quae solitum est in triumphis ad pompam, et apparatum triumphantis exhiberi; eis tamen neutiquam carere voluit, ut spectaculum intuentibus magnificentius fieret, et maiestas triumphantis magis innotesceret; dumque alios exornaret, illum non exornarent, aut decorarent, sed potius decorarentur ab eo, velut stellae a sole, quae non illuminant illum, sed illuminantur ab eo. Licet autem permulta de gloria huius triumphi in superioribus effuderim, argumentum adeo foecundum est, ut materia dicendi numquam deficere possit. Addam ergo illis, quae de Romanorum triumphis dixi, quaedam alia nostro instituto non parum consentanea, quorum D. Isidorus, Plutarchus, et Tranquillus meminere: hi duo ultimi auctores tradunt neminem triumphi gloria potiri potuisse, nisi qui quinque millia hominum in bello occidisset. Unde aiunt Iulium Caesarem noluisse triumphantem Urbis portas ingredi, antequam quinque illas insignes obtinuisset victorias, primam Gallicam, secundam Alexandrinam, tertiam Ponticam, quartam Africanam, quintam Hispalensem. Non dissimiliter Christus Dominus triumphi gloriam renuit sibi usurpare, quousque de quinque infestissimis hostibus victor evasisset, Daemone scilicet, mundo, peccato, morte, et populo hebraeo. Aliam praeter hanc triumphi ditionem commemorat divus Isidorus, nempe, quod celebrari non poterat absque totius Senatus consensu, et unanimi suffragio; sed nec haec conditio Christi triumpho defuit: Senatus enim Angelorum omnium concordi suffragio non solum ei consensit, sed illum, quantum potuit, auxit, et splendidiorem reddidit, omnibus victoriam triumphantis acclamantibus. Refert etiam divus Isidorus, solitum esse triumphantem purpura indutum, corona laurea redimitum, et manu sceptrum, cuius vertici aquila insidebat, gestantem incedere, ac tandem in curru triumphali usque ad Iovis Capitolium duci, ubi insignis orator eloquentissimam orationem, multis encomiis triumphantem ad coelum usque efferens recitabat. Haec adamussim observata cerno in Christi ad coelos ascendentis triumpho. Primo Verbum divinum carnis purpura indutum ascendit; unde Angeli proclamarunt (*Isa.* 63.): *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Secundum corona redimitus processit, ut praedixerat David (*Psal.* 8.): *Gloria, et honore coronasti eum.* In manu imperii sceptrum gestabat, quia sceptrum exactoris superaverat (*Isai. c.* 9.): *Sicut in die Madian,* ut praedixit Isaias. Currus triumphalis fuit, quem regius Vates praedixit (*Ps.* 67.): *Currus Dei decem millibus multiplex millia laetantium.* Nec defuerunt captivi, quos secum duceret, Paulo attestante (*Eph.* 4.): *Captivam duxit captivitatem*; sed non, ut consuevit aliis triumphantibus, servituti addicendam, sed in libertatem dandam, quia novus is triumphans non venit captivare, et opprimere, sed liberare, redimere, et consolari. Ac tandem ad Capitolium non Iovis, sed ad dexteram aeterni Patris conscendit, ubi non unus adfuit orator, sed tot disertissimi, ac eloquentissimi oratores, quot Spiritus angelici, qui triumphantem summis encomiis laudare coeperunt, et nunc, et in saecula saeculorum laudabunt.

Haec tamen, quae de Christi Domini glorioso triumpho paucis perstrinxi, placet maiorem eius in gloriam latius, ac fusius disserere. Reticent illa Evangelistae, non diffiteor: sed quare? non alia ratione, nisi quia incredulis fidem non facerent; fidelibus vero permulta, eaque praeclara tam ex sacris, quam ex profanis litteris licet contemplari. Nam si Iudith, quando Holofernem obtruncavit, Israel totus processit obviam; Esther, quae populum liberavit, vel externi commendabant: Moysem, qui AEgyptum et afflixit, et nudavit, etiam gentiles sequebantur; David, qui bella feliciter gessit, usque modo hebraea gens extollit; nec Salomonem, qui per circuitum regna fecit tributaria, sibique amica, et pacifica, cessant admirari: quidni et Christum, qui hisce maiora, meliora, et diuturniora coeli, et terrae incolis praestitit bona, haec a suis in Ascensione mirabili accepisse encomia affirmabimus? Coronatur Pontifex, et Roma ubique luminibus claret; Imperator eligitur, et convivia passim in Germania celebrantur. Ad solium Rex in Polonia sublimatur, et fit totius regni conventus omnium statuum, ut Regem magnificent; et eum, *Qui est Rex Regum, et Dominus dominantium,* admittemus ire ad solium Patris, ut solet ad ardua montium aquila, cervus ad petrarum abrupta, navis piratica ad portum, et ut fur solus, ac silens ad thesaurum? apage: *Omnis terra adoret te, et psallat tibi* o Christe: *Et*



*coeli enarrent gloriam tuam*; et Angeli numquam laudare cessent. Contemplare ergo fidelis, quem Angelus per capillos capitis inter coelum, et terram elevat, ut videas, quem non licet loqui mirabilia, quae in Christi Domini ascendentis triumpho acciderunt. Oportet enim ut contemplatio narrationem nostram longius transcendat: nam ut recte Sedulius:- *Si cuncta sacris voluissem tradere chartis facta Redemptoris, nec totus cingere mundus sufficeret densos per tanta volumina libros.* Cum primum intuentibus discipulis in monte Olivarum coepit sacrosanctum Christi corpus cum ingenti omnium stupore altius sublevari, et ovans triumphum prosequi, tunc inquit insignis Arator Poeta:

*Nec cessant elementa suo servire Tonanti,*
*Stella comes praegressa Magos venientis honori*
*Militat.*

Voluisset tunc terra et hortos memorabiles, silvas densissimas montium, et collium, et campestrium arbores, et herbas eradicari, et flores omnes evelli, et prosterni creatori ovanti. Nec tantam animalium multitudinem mactavit quondam David, vel Salomon, vel Iosias ante arcam, quandam tunc obtulisset terra si potuisset, quando non iam typica, sed vera illa arca Domini processit ad locum, qui praeparatus erat ei. Immo etiam terra mortuos dedisset, si placuisset eius dominatori: interim tamen Davide id attestante (*Psal.* 113): *Montes exultaverunt, ut arietes, et colles sicut agni ovium.* Quemadmodum et Virgilius cecinit (*in Bucolicis*):

*Ipsi laetitia voces ad sidera iactant*
*Intonsi montes.*

Quod si ab eis quaeras: Montes, *quid exultasti. sicut arietes?* respondebunt, quid miramini nos exultare, quando *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Iacob?* id revera factum Hebraei affirmant, quando ad montem Sinai venit Angelus, legem daturus. Quidni igitur, putas, terram, et montes fecisse, quando magni consilii Angelus, et Dominus universorum ascendit in gloriam Patris sui? Mare etiam suo creatori exultavit (*Psal.* 92.): *Mirabiles elationis maris, mirabilis in altis Dominus.* Flumina ex eo profluentia mare imitabantur: *Elevaverunt flumina vocem suam,* quia Arca Noe super montes coelestis Armeniae elevabatur. Volucres coeli non defuerunt, quibus aetherea regio triumphanti Domino obsequium suum praestitit: illae enim cantuum melodia, prout auctor concesserat, triumphanti Christo famulabantur. Silentio etiam nulla ratione praeteribo, quod et Christi triumphum splendidiorem ac celebriorem reddidit: dum enim cum summo iubilo Ascensionem prosequeretur, et micantibus radiis omnia replens ad mediam aeris regionem, quae ex sententia Philosophorum per tria milliaria a nobis distare creditur, pervenisset, quid putas, legiones daemoniorum innumeras illuc inclusas, ut ex communi Patrum sententia theologi tradunt, tunc effecisse? sane id quod David eis praedixit: *Turbabuntur a facie eius.* Equidem *Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius.* Aderant ibi inter illa daemoniorum agmina fauni, satyri, et alii huiusmodi, qui inde variis praestigiis homines dementicabant, fulminum prodigiis turbabant, grandinibus fruges conterebant, diluviis aedificia devastabant, et alia pene innumera mala patrabant. In hos ergo infestissimos humani generis hostes, ut olim in Sodomitas:

*Tunc sol exoritur toto ferventior igne*
*Irato fulgore micans, radiosque severos*
*Dirigit.*

Sol quidem iustitiae Christus suis splendoribus habitatores illius regionis turbavit, omnesque contabuerunt, ut solent rei, qui iudicem iratum adesse cernunt: unde impletum fuit quod David dixit (*Ps.* 103.): *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur*: nam daemones, ut ait Incognitus, Christi maiestate territi fugati fuerunt. Verum quia non poterant fugere a facie Domini, existimarim compulsos fuisse stare, cum fugam arripere tentarunt: tum ut confusionem sustinerent in conspectu Domini, totiusque Sanctorum gloriosi cetus: tum ut triumphanti Christo (tametsi inviti, et reluctantes) genua flecterent, iuxta illud Pauli (*Philip.* 2.): *In nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et inferorum.* Quantum hic dolor daemones contorserit, facile est coniectare. Videbant enim hominem acerrimum eorum hostem, ad Dei gloriam exaltatum, regnumque, et imperium, quod ipsi appetierant, ei datum, seseque ei subiectos, ac propter eum hominibus ceteris, quos desperarant, et inferiores natura probe agnoscebant. Hinc iam transcendere coepit Christus Dominus coelestes Orbes; et quamvis eius corpus mixtum et compositum esset, simplicia coelorum corpora, nullo scissurae vestigio derelicto, quae nulla fuerat, propria virtute penetravit. Luna, quae secundum Isidorum est quasi *Luminum una*, et iuxta Ambrosii sententiam *Est decor noctis, dominatrix maris, moderatrix humorum*, ut Marcianus testatur, solique in novilunio, et in linea ecliptica generat eclipsim, nunc sub pedibus humanitatis Christi Domini sternitur. Mercurius, quem eloquentiae Deum fingebat antiquitas, silet ad transitum sapientissimi, ac eloquentissimi Praeceptoris nostri, in quo tota Dei sapientia delitescit. Venus planeta benevolus, qui in piscibus regnat, sed in virgine regnum perdit secundum Ptolemaeum, tametsi in Christo non habeat quidquam, ad introitum eius benevolum, et praefulgentem se praebuit, ut opere ipso veneretur, et agnoscat auctorem suum. Quid dicam de sole, qui vel ad occasum properabat, vel sub nostro tunc hemisphaerio erat? non retraxit radios, sed splendidius scintillans, clariores illos emisit, dum coram ipsis triumphare disposuit sol iustitiae Christus. Mars, qui belli auctor fingitur, nunc recipit pacis

auctorem, et arma omnia sua triumphanti cedit. Iupiter, quem Deorum summum excors et insana gentilitas autumabat, aureis suis radiis transeunti Christo per coelum suum acclamabat (*Psal.* 99.): *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Saturnus planeta suo modo agnovit saturitatem adventare quae nedum temporalium, sed coelestium opulentiam, et felicitatem asportaret. Ad firmamentum deinde cum venit Christus splendor Patris, prae nimia eius alacritate videbantur stellae coeli non expandere lumen suum, ut Ioel praedixerat, *Et stellae splendorem suum non excitare*, ut Chaldaeus transtulit: cesserunt ut stillae cataclysmo, ut oceano rivuli, ut immenso igni parvae scintillae, ut Assuero Aman, ut Salomoni Tyrus, ut Alexandro universa terra, quae *siluit in conspectu eius.* Tandem empyreum coeli cacumen iam iam Christo ascensuro contemplatur P. Ambrosius multitudinem illam sanctorum Patrum, quae illum comitabatur, factam esse velut sedem, qua Christus gloriose scandebat: sic enim ait: *Solebat, sicut dicunt, regum triumphantium currus captivorum pompa praecedere. Ecce Dominum euntem ad coelos non praecedit, sed comitatur gloriosa captivitas; non ante vehiculum ducitur, sed ipsa evehit Salvatorem: quodam enim mysterio, dum Filium hominis extollit ad coelum, ipsa captivitas portatur, et portat;* haec S. Ambrosius. Portat quidem (intelligendum est) non elevans corpus, nec aliquod fulgimentum praebens illi, qui ut nubes volat, sed ad gloriam, et magnificentiam ascendentis quaerens se illi approximare, solium exhibere, ut licet in multitudine fortitudinis suae graderetur quasi sedes gestatoria, collectio illa Sanctorum videretur Christo adhaerere: quemadmodum in examine apum, quae volantem regem comitantur, in gruum multitudine, et in exercitu militum, qui equitantem ducem circumdat. Humeris igitur Sanctorum insidente Domino, et portis coelestis Hierusalem appropinquante coeperunt Angeli, qui illum comitabantur, ad eos, qui in coelo empyreo triumphantem summo honore excepturi expectabant, clamare (*Psal.* 23.): *Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.* Sed cur (quaeso) nunc clamant, non aperite portas, non levate, sed attollite? nonne sufficiebat ad ingressum triumphantis Christi portas coelestis Hierusalem reserari? In ingressu David post victoriam, quae triumphum hunc praefigurabat, non leguntur ablatae portae, sed apertae. Baptizato etiam Christo, aperti sunt ei coeli: ut enim adnotavit Euthymius: *Veteris utique Adam inobedientia paradisum nobis clausit, novi autem obedientia coelum nobis aperuit.* Respondeo huic difficultati cum divo Chrysostomo (*hom.* 4. *in Matth.*), quod videntes Angeli, quod coeli iam numquam erant claudendi, sed omnes peccatores poenitentes in coelum ascensuri, quantumcumque enormibus peccatis onusti fuissent, iudicabant minime iam necessarias portas coeli, et ideo non dicunt, *Aperite portas*, quae iam in baptismo Christi fuerant apertae, sed, *attollite portas, Principes, vestras.* Divus Damascenus tradit, in hoc Christi solemni ac celebri ingressu, omnes coelestes Angelorum hierarchias summum, quem potuere, et honorem, ac reverentiam, triumphum Regis sui celebrantes, detulisse: *Interim* ait, *toto illo decursu ab empyrei introitu usque ad summos Angelorum ordines, o Christe, humanam naturam una tecum ascendentem conspicientes, summa admiratione perculsi, sine ulla intermissione laudes tuas celebrant.* Sed quas, quaeso, perscrutemur. Certe Angelorum chorus ait (*Psal.* 100.): *Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine,* qui ad fideles terrae respexisti. Archangelorum secundus chorus (*Psal.* 88.): *Misericordias Domini in aeternum cantabo, quoniam dixisti, in aeternum misericordia aedificabitur in coelis.* Tertius Virtutum cecinit (*Psal.* 91.): *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime, quia tu altissimus in aeternum Domine.* Ad secundam hierarchiam cum venisset, occurrerunt Potestates, simulque laudem intonant (*Psal.* 56.): *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, et psallam in gloria mea, quia magna est super coelos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua. Exaltare super coelos Deus.* Subsequuntur Principatus pariter cantantes (*Psal.* 64.): *Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Hierusalem. Beatus quem elegisti, et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Statim Dominationes eructarunt (*Psal.* 28.): *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino gloriam, et honorem: Adorate Dominum in Christo eius.* Quamprimum ad proximam accessit hierarchiam, ecce Throni obviam clamant (*Hebr.* 1.): *Thronus tuus Deus in saecula saeculorum.* Volant illico Cherubim dicentes (*Psal.* 41.): *Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Denique Seraphim laudem eius non silent (*Psal.* 99.): *Tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.* Hoc est profecto iubilum, haec vox exultationis, quam omnes Angelorum chori emiserunt Domino ascendente, quod iuxta Gregorii sententiam in albis apparentes non obscure indicarunt: sic enim ait: *Quid est, quod, nato Domino, in albis vestibus Angeli apparent, nisi quod tunc magna solemnitas Angelis facta est, cum in coelum Deus homo penetravit? quia nascente Domino, videbatur humanitas humiliata, at ascendente Domino est humanitas exaltata.* Sed his laudibus non contenti spiritus illi angelici, aliud grandioris laudationis genus excogitarunt referente Christo Domino, quae per ipsum in singulis eorum choris operabatur Deus. Amat namque in Seraphim, ut charitas; novit in Cherubim, ut veritas; sedet in Thronis, ut aequitas; dominatur in Dominationibus, ut maiestas; regit in Principatibus, ut principans; agit in potestatibus, ut salus; tuetur ut virtus in virtutibus; in Archangelis revelat, ut lux; et assistit ut pietas in Angelis. Acceptum ferunt Christo Seraphim, quod Deo per excessum amoris appropinquent, et inextinguibilem lucem habeant, qua ceteros perfecte illuminent, et excitent ad fervorem, ut Isaiam, ad quem unus de Seraphim volavit: Cherubim, quod plenitudi-



nem scientiae habeant, qua Deum vident, et in eo omnia, nosque erudiunt, ut Ioannem, quem sustulit Angelus in montem magnum, et altum, illique ostendit civitatem Hierusalem: Throni, quod sedes sint Dei, per eos Deus discernat iudicia, et subiecta disponat, legemque tradat, iuxta illud (*Apoc.* 21.): *Accepistis legem in dispositione Angelorum*: Dominationes, quod participationem veri dominii, quod est in Deo, sortiti fuerint, a servili conditione liberum, et tyrannide, quo aliis divina mysteria imperant: Principatus, quod ducatum praebeant inferioribus ad explenda mysteria, quae a Deo imperantur, iuxta illud (*Psal.* 67.): *Praevenerunt Principes coniuncti psallentibus:* Potestates, quod valeant coercere eos, qui opera Dei impediunt, ut Raphael Asmodeum, et Angelus, qui inter Ægyptios, et populum Israel se interposuit: Virtutes, quod ad virtutis opus, et miraculorum ministri sint, virilem quandam, et inconcussam habentes virtutem, absque timore aggredientes, quod ministerii illorum est proprium: Archangeli, quod principes nunciorum Dei assignentur, sub quorum ordine unicuique Angelorum officia deputantur ab eis: Archangeli enim praesunt Angelis: Angeli, quod voluntatem Domini denunciare hominibus sint ordinati. Itaque quidquid boni in coelis possident spiritus beati, ad Christum ordinant, illique ut principi, ac principio, et principatum in omnibus tenenti referunt, et incessanter cantant ipsae tres hierarchiae. Prior intonat: *Sanctus*, qui est Filius Patris: respondet secunda, *Sanctus* qui erat in principio apud Deum, antequam quidquam fieret: repetit tertia *Sanctus*, qui venturus est in consummationem Sanctorum, ut tradat regnum Deo et Patri. Accedit ad hunc honorem, quem creaturae suo exhibuere creatori, alius, quem aeternus Pater longe illo excellentiorem Christo triumphanti impertivit, ad dexteram suam illum collocans, omnia imperio illius subiciens (*Psal.* 8.): *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas, insuper et pecora campi.* Hoc est, Angelos sanctos, qui ut oves Deo semper fuerunt subiecti; homines iustos alios docentes, qui velut boves spirituali animarum agriculturae inserviunt; pecora campi magnates intelligit Hieronymus, et merito, cum plerumque velut animalia rationis expertia vivant. Volucres coeli contemplativos accipe; pisces vero maris vitae activae deditos. Sedulius hanc Christi sublimitatem super omnem creaturam considerans, apte satis cecinit:

*Iam super astra sedet, cuncti exultate fideles.:*
*Perfide quid saevis? iam super astra sedet.*

Sed paucioribus verbis regius Vates id dixit; *Gloria, et honore coronasti eum Domine. Gloria*, inquit Hieronymus, cum in eius descensu inferi claruerunt: *honore*, cum vicit mortem: *corona*, cum circumdatus Sanctorum choro triumphans rediit ex inferno. Magister autem sententiarum (*super Psalmo octavo*): *Gloria*, hoc est *corporis incorruptibili claritate, et honore, ut omnibus sit venerabilis.* Id autem, quod honorem, et gloriam Christo collatam mirum in modum commendat, illud praecipue est, quod non velut fumosi mundi honores, evanescere possit, sed permanens firma, et stabilis, et in aeternum, et ultra duratura sit, quod nullus unquam assecutus est eorum, qui nomen suum voluerunt in terris celebrare; vel armis, ut Assyrii; vel sapientia, ut Athenienses; vel divitiis, ut Ægyptii; vel operum curiositate, ut Corinthii, et alii aliis huiuscemodi. Unde qui in his primatum habuit, dixit (*Eccl.* 2.): *Cumque me convertissem ad universa opera, quae fecerunt manus meae, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.* Sed agite, ubi est domus Principis, quam Nero voluit auream dici? Ubi tabernacula impiorum, quae Arbaces, Sosarmi, Cambyses, Diocles in Media, in Persia Cyrus, Artabanus in Syria, Seleucus in Asia, Antiochus ac similes in regnis aliis, atque imperiis struxerunt? Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quae vino irae fornicationis suae dotavit omnes gentes. Illa quidem, quam Nembroth aedificavit, quae idololatriam invenit, et per orbem diffudit, et cecidit, Babylon omnis, quae prioris confusionem imitata est, ut Ninive, ut Tyrus, ut Sidon, Memphis, Troia, et huiuscemodi, quae olim fuerunt sedes Dynastarum Ægypti, Dictatorum Romae domus amplissimae; habitatores autem ubi? Erunt sicut paleae ante faciem venti, et sicut favilla, quam turbo dispergit. Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur; vel iuxta Chaldaeum, quoniam in diem interitus servatur malus, in diem, quo furores inducentur: *Tunc* (ut Danielis utar symbolo) *contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum, et aurum*, hoc est debellator, et imperium, quod ferro vel acquisivit, vel conservavit. Artifex, qui opus vanitatis, vel ad superstitionem, vel ad curiositatem conflavit: avarus, ac dives, qui aes multum collegit, ac fructus, dixitque (*Luc.* 12.): *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*; sapiens apud semetipsum, qui perdit sapientiam in decore suo: et hypocrita, qui cum nihil sit, se aurum simulat. Horum figmenta, et spectare redacta sunt quasi in favillam aestivae areae, quae rapta sunt vento, nullusque locus inventus est. Ubi Cyrus, qui Imperio tantum effudit sanguinem? Ubi Plato, quem Graeci prae sapientia divinum appellabant? Neque Scopas, neque Timotheus, qui Artemisiae Reginae Cariae pro marito mausolaeum unum e septem mirabilibus mundi condiderunt, neque Simon Magus, aliusve falsorum hominum reperitur in terra: *Transierunt, et ecce non sunt: cecidit flos, verbum autem Domini manes in in aeternum.* Quid plura, postquam Dominus ascendit in coelum, nemo unquam fuit, qui Dei nomen sibi usurpare tentaret: id enim solum debitum erat Christo, qui quanto Angelis excelsior, tanto prae illis excellentius nomen haereditavit: nomen certe Dei, qua naturalis Filius erat Patris.

Caius Imperator licet diu contenderit, volueritque Deus ab omnibus coli, ut tradunt Philo, Svetonius, et Diodorus, id tamen non est assecutus; immo ob immane illud sacrilegium gladiis confossus cum uxore, et filia occubuit. Quam poenam sustinuit quoque Domitianus ob simile flagitium, ut testatur Philostratus (*in Tiad. lib.*59.). Atque hinc est, quod providente Deo, eodem tempore, quo Christus coelum scandit, et ad dexteram Patris sedere coepit, Tiberius Monarcha secundus post Augustum, se Dominum a quocumque dici vetuerit, si credimus Svetonio in vita eius id referenti; neque ut scribit Diodorus (*lib.* 57. *histor.Rom.*) ullum templum sibi proprium extrui, nec se in ullo alio coli passus sit: quin et nomen Patris patriae a Senatu sibi oblatum recusavit, ut tradit Tacitus (*lib.* 1. *annal.*): sed neque his contentus, a Senatu enixe postulavit Christum Dominum, tanquam verum Deum ab omnibus deinceps haberi, ut Tertullianus (*in apol. c.*5.), Eusebius (*lib.*2.*hist.c.*2.): Orosius (*lib.*7. *c.* 4.), et Gregorius Turonensis, et alii gravissimi auctores scriptis tradiderunt.

Porro postquam iam vidimus, et pro modulo nostro contemplati sumus honorem, et gloriam, tum a Deo Patre, tum a coelicolis omnibus, tum a planetis, et elementis triumphanti Christo exhibitam, contemplemur tantisper, si placet, laudes, quibus Beatissima Virgo ovantis Mater, et discipuli eius hoc eodem tempore intonabant. Nec enim credibile est quibus poterant, laudibus, et encomiis triumphantem Christum non cumulasse: immo Hieremias id non obscure praedixisse mihi videtur (*Hier.*38.): *Tunc laetabitur Virgo in choro, iuvenes, et senes simul*: quaenam Virgo haec, nisi illa, de qua Isaias (*cap.*7.): *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium?* quinam iuvenes, et senes, nisi de quibus loel (*Ioe.*2.): *Somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt?* Hi sunt Apostoli, ut et Rabbini ipsi tradunt, praesertim Rabbi Samuel Mazzochianus. Somnium somniarunt, cum futura praedixerunt, et visiones viderunt, quando Spiritum sanctum in linguis igneis super capita eorum descendentem conspexerunt. Hinc Virgo sacra primatum in choro illo tenens intonare coepit (*Psal.* 94.): *Exaltabo te Deus meus Rex: et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi*. Tunc Apostolorum coryphaeus Petrus ad omnes conversus dixit (*Ps.* 10.): *Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, praeoccupemus faciem eius in confessione, et in psalmis iubilemus ei*; respondit discipulorum multitudo: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Confessio, et magnificentia opus eius, iustitia eius manet in saeculum saeculi*. Denique communis, ac privata laus erat: *Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae. Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos*. Sed ne et nos a Christi laudibus, et celebratione huius gloriosi triumphi cessemus, regius vates, ut psallamus, nos invitat (*Psal* 46.): *Psallite Domino nostro, psallite, psallite Regi nostro, psallite*. Ubi observatione dignum est, ut et Incognitus (*super Psal.* 40) adnotavit, quod quater repetit, *psallite*, ut quatuor modis Christo Domino honorem exhibeamus, postulando, obsecrando, orando, et gratias agendo: quorum meminit Bernardus in haec verba: *Reverentiam Christo offerre debemus quadrupliciter: postulatione, obsecratione, oratione, et gratiarum actione. Postulatio est, quam primam ponimus circa obtinenda temporalia necessaria vitae, in qua Deus postulantis approbans bonam voluntatem, facit tamen quod melius ipse iudicat. Obsecrationi vero in exercitiis spiritualibus est adnexa ad Deum instantia, quibus ante gratiam succurrentem, qui apponit scientiam, non apponit nisi dolorem. Oratio vero est hominis Deo adhaerentis familiaris quaedam et pia alloquutio. Porro gratiarum actio est in intellectu et cognitione gratiae Dei bonae voluntatis indeficiens ad Deum, et inreflexa intentio*. Ut ergo regius Vates ad hos quatuor psallendi modos nos invitaret, quater repetit, psallite, *psallite Deo nostro* postulando: *psallite* obsecrando: *psallite* orando, Regi nostro *psallite*, gratias agendo. Sed advertere oportet, fratres, laudes a nobis Christo Domino exhibendas non praecipue consistere in canticis, sive mente tenus, sive ore prolatis, sed in operibus ex ferventi charitate elicitis, aut imperatis: quod ut nos edoceret David, consulto usum fuisse arbitror verbo illo *psallite*: nam si linguae Latinae peritissimis credimus, proprie idem est, quod gestu corporis gaudium mentis exprimere. Unde recte Incognitus (*praecitato loco*) ait: *Psallere a psalterio scriptum est, quia David decantabat Domino non solum voce humana, sed principalius psalterium decem chordarum manu tangendo*.

*Quid autem per psalterium decem chordarum intelligitur, nisi decalogus decem praeceptorum! Tunc ergo psallimus Domino, cum decem Domini praecepta manu tangentes adimplemus opere*. Collaudemus igitur, fratres, Christum triumphantem, non solum voce, et mente, sed et opere: sic enim promerebimur cum ipso regnante regnare. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA NONA.

*Multis sacrae Scripturae locis pulchre elucidatis ostenditur viam, per quam Christus Dominus in coelum ascendit, fuisse humilitatem, ac proinde hanc eandem viam nos ingredi oportere, si cum Christo illuc conscendere cupimus.*

Minime, fratres, intexendae haec homiliae frustra operam impendam, nec modicum ex ea fructum percepisse me arbitrarer, si vobis coeli iter panderem, scalamque, per quam in aeternam beatitudinem conscenditur, palam detegerem. Equidem iudicio meo ausim asserere, olim et Deum, et hominem eiusdem propositi fuisse: uterque enim ad eundem finem, et scopum tetenderunt. Appetiit homo Deo ipsi similis esse, diabolico serpente illi suggerente (*Gen.*3.): *Eritis sicut Dii*. Desideravit et Deus hominem similem fieri Deo; unde in eius creatione ad similitudinem, et imaginem suam illum efformavit, et in eius sanctificatione divinae naturae consortem fecit. Idem ergo procul dubio Dei, ac hominis erat scopus; verum in adhibendis mediis ad illum pertingendum magna fuit disparitas, ingens consiliorum discrepantia. Certe hominem falsa sui fefellit opinio, ut qui non recta, sicut decebat, via ad institutum processit, sed Luciferum infestissimum humani generis hostem in propositi sui consultorem imprudens adhibuit, qui idem quo ipse antea usus fuerat, consilium dedit, ut videlicet se similem Altissimo fieri, et ad deitatis thronum ascendere tentaret: *Eritis sicut Dii*. Quod sane consilium perversum adeo, et insanum fuit, ut ascendens descenderet, et praeceps in superbiae barathrum decideret. Unde dum super stellas thronum, sedemque suam se collocaturum credebat (*Eritis sicut Dii*), in profundam inferni abyssum prolapsus est. Hac igitur fallacia Satanas hominem circumvenit. Deus autem Optimus Maximus videns hominem a recto tramite deflexisse, voluit eum ad rectum iter reducere, per quod sine dubio aliquo ad coeli fastigia conscenderet. Hoc fuit humilitatis iter, hominis opinioni omnino contrarium, quippe qui ascendendo ascendere cogitaret; at humilitas nos descendendo ascendere docet, et quod, qui humilius descendit, eo gloriosius ascendit. Unde propterea Christus ceteris omnibus sublimius altiusque evolavit, quoniam prae ceteris humilius se deiecit, ut egregie adnotavit sanctus Gregorius (*ho.* 29.) his verbis: *Quia nascente Domino humiliata est divinitas, ascendente Domino est humilitas exaltata*. Manifestum est, quod quanto quis in altiori loco est, tanto magis potest descendere. Cum ergo Christus Dominus adeo excelsus esset, ut Dei altitudinem aequaret, liquido constat, nullum magis descendere potuisse, quam illum: unde quia plus omnibus se deiiciens descendit, plus omnibus est exaltatus; ad eundem certe modum quo in fontibus contingit, quorum aqua quanto ex sublimiori loco magis descendit, tanto postea sublimius ascendit, fortiusque scaturit: quod non obscure edixit D. Paulus (*Ephe.* 4.): *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit ad inferiores partes terrae, ut adimpleret omnia?* Quid praesepi inferius, et humilius? quid cruce abiectius, quae tunc infamis supplicii patibulum erat? et tamen eo Christus descendit, ut adimpleret omnia, hoc est, ut omnem terrae, coelique defectum et vacuum compleret. Deficiebant in coelo homines, vacuae erant sedes Angelorum, qui ceciderant: deficiebat etiam in terra spiritus, omnia carnem redolebant (*Gen.* 6.): *Omnis quippe caro corruperat viam suam*; at in coelum ascendens secum ducit animas sanctorum Patrum, qui vacuas illas sedes occupare incipiant, indeque mittit eis Spiritum sanctum, quem eis pollicitus fuerat: *Cum assumptus fuero a vobis, mittam vobis eum*; cuius proprium est vacua replere: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Charitate enim vacuos charitate replet, sapientia vacuos sapientia replet, castimonia vacuos castimonia replet, humilitate tandem vacuos humilitate replet: et hoc est, quod ait D. Paulus (*Eph.*4.) ascendisse Christum, ut mittens nobis Spiritum sanctum, *adimpleret omnia*. Atque hoc Paulino loco responderi potest quaestioni cuidam a Salomone (*Proverb.* 30.) motae, ubi de tribus interrogatis ait primo: *Quis ascendit in coelum?* secundo: *Quis continuit Spiritum in manibus suis?* tertio: *Quis suscitabit terminos terrae?*

Prima quaestio erit ultimo loco discutienda, duas vero posteriores prius exponemus: *Quis continuit Spiritum in manibus suis?* Quis tanta potentia, aut fortitudine pollet, ut hominis effraenem appetitum coercere valeat; praesertim lascivi hominis amoris flammis exusti, qui nec per momentum ab ea, cuius amore inardescit, mentem deflectit, aut cogitationem divertit? Unde id, quaeso, evenire crediderис? sane ex eo, quod ab initio huius perversi animi, ac voluntatis cupidinem non refraenasti, quod principio non obstitisti:

*Principiis obsta, sero medicina paratur.*

Effraenataeque atque indomitae libidini habenas laxasti. Si nascenti pravae cogitationi infantia eius, priusquam adolesceret, et fortiores vires assumeret, viam praeclusisses, aut eam suffocasses, neque ipsa radices egisset, neque damnum, aut dolorem illum, quo modo affligeris, attulisset. Dum Pharao primogenitos Hebraeorum internecioni tradere iussit, unus solum ex omnibus, qui evasit in afiscella quadam scirpea, Moyses nomine, dum adultus erat, coronam capiti illius, ac sceptrum manibus abstulit, regno privavit, ac demum in mari rubro eundem cum universo militum agmine suffocavit, et extinxit. Eadem quoque ratione obscena illa cogitatio, qua aditum in animam tuam patefecisti, paulatim crescens, tantum robur, viresque acquirit, ut charitate privet, quae virtutum corona est, et de manibus sceptrum christianae fortitudinis eripiat, neque desistat, quousque in rubrum illud propter ardentes flammas inferni mare praecipites trahat, atque misere submergat. Animam in his perversis, atque obnoxiis cogitationibus perseverantem increpat Dominus, dicens (*Exod.* 14.): *Quousque morabuntur in te cogitationes noxiae?* Sanctus Gregorius (*li.* 7. *Mor.*) haec verba elucidans observat, Deum non reprehendere animam, quod pravis cogitationibus agitetur, cum id saepius in eius positum non sit potestate: immo plerumque ea renuente pravae ebulliant cogitationes; sed quod in eis detineatur, ac morosa delectatione lasciviat: *Quousque*, ait, *morabuntur*: propter moram enim, atque oblectationem peccatum erumpit. Vermes serici in semine veluti acini quidam parvuli, minutioresque sunt, haec tamen minima semina, dum uberibus suis feminae admovent, et calore fovent, vermes inde gignuntur. Ad eundem modum pravae, ac perversae hominis cogita-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiones, quae cum primum eruperunt, velut minima semina erant, ac tenuissimi acini, dum voluntatis suae calore diutius confoventur, ex eisdem infestissimi peccatorum vermes progignuntur, intima praecordia corrodentes, quae animae virtutem exsugunt, atque penitus absorbent. De basilisco, seu regulo serpente referunt naturales, contigisse non semel, ut postquam ova sua peperit, avis ad ea descenderit, quae vitali suo calore illa confovet, donec in lucem reguli filii prodeant, prodeuntes tamen, veneno suo, quod in eam evomunt, enecant. Sic procul dubio accidere solet his, qui pravas cogitationes enutriunt: haec enim ova sunt a basilisco illo Satana humanae mentis nido imposita; ipsa vero affectus, atque consensus sui calore illa confovens, tandem peccatorum partus prodeunt, qui veneno suo conscientiam inficiunt, supernaturalem gratiae vitam penitus extinguunt, et aeternae poenae reatum in animam inducunt. Remedium igitur praesentissimum, quo tanto malo occurrendum, videtur illud esse, mihi credite, ut dum pravas subintrare noveritis cogitationes, continuo eas excutere, et longe abigere conemini, sanctum Paulum imitantes, cuius manum, ut ait D. Lucas, cum vipera quaedam invasisset, confestim, nulla interposita mora, illam excussit, ac repulit, ne virus suum in eam evomere posset. Ita sane, dum pravae cogitationis vipera animam exulcerare tentat, illi ex adverso occurrere continuo necesse est, dicendo: Non ego tam vili pretio Christum meum venumdabo. Egone Deum immensum ac infinitum tam sordida, impuraque, ac brevi voluptate permutabo? Absit a me tanta dementia. Hac ratione longe propulsatur prava cogitatio, et venenum suum in animam expuere impeditur. Secunda quaestio erat (*Prov.* 30.): *Quis suscitabit terminos terrae?* Quis erit tam potens, ut novam vitam terminis terrae eos suscitans conferat? Per terminos terrae intelligit homines, quippe ipsi in prima rerum creatione ultimi fuere, ipsi etiam sunt finis, et terminus, quibus, et propter quos Deus reliquas omnes, et inferiores creaturas ordinavit. Est igitur sensus eorum verborum: Quis erit tantae virtutis, tantaeque potentiae, ut hominem peccati morte extinctum ad gratiae vitam revocare valeat? Id sane quam arduum sit, quantaque difficultate plenum, sanctus Cyrillus Alexandrinus egregie edocet, observans verbum illud Graecum, *Hagios*, quod Latine, *Sanctus*, significat, idem esse, quod *sine terra*. Certe dum Deus creavit hominem, corpus eius ex terrae limo efformavit, et postea *inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*, statimque eum vocavit Adam, quod idem ac terrenus est. Posset quispiam merito Deum interrogare, ut quid huiusmodi nomen homini imponis? nonne ita est, quod in hoc composito praeter corpus terrenum, et corruptibile adest et anima immortalis, et incorruptibilis? Certum etiam est, animam partem hominis esse digniorem, et iuxta Dialecticae, ac philosophiae documenta a praecipua, ac digniori parte rei sumitur denominatio. Non igitur homo terrenus, sed coelestis potius, et divinus appellandus erit, iuxta Pauli sententiam, Atheniensibus dicentem illud Poetae, *Ipsius enim genus sumus;* id est, ex divina progenie Dei, et sanguine regio; non autem dixit ex humili, et terreno. Huic difficultati respondeo, propterea Deum hominem terrenum vocitare, quia praevidit futurum, ut terrae semper adhaereret: in terra nascitur, terram homo incolit, in terra laborat, in terra dormit, in terra moritur, in terra sepelitur, in terram tandem convertitur; et quod miserimum est omnium, terrae amore trahitur, hic honoris, ille divitiarum, alius voluptatum, et similium. Hinc igitur manifeste innotescit, quam ardua secundum se, ac difficilis sit hominis iustificatio, et sanctificatio; terrenum, terra exuere, et quod naturae sua terrestre est, efficere, ne terram, aut terrena sapiat, rem summe difficilem esse, nemo sanae mentis negabit. At omnipotentia Christi solo verbo, soloque nutu id potest, ut aperte patet in Paulo, dicente (*Gal.* 2.): *Vivo ego, iam non ego*, iam non terrenus, iam non persecutor Ecclesiae: *Sed vivit in me Christus;* ipse est vita mea, qui cum sit homo de coelo, coelestis, iam non vivo vita terrestri, sed coelesti, et divina. Demum tertia a Salomone proposita quaestio erat: *Quis ascendit in coelum?* sanctus Paulus ipse respondet praecitata verba: *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes coelos.* Lubet igitur modo ex praemissis duabus quaestionibus in hunc modum Christiana hac argumentatione syllogizare; Si Christus Dominus, qui humanas potest coercere cogitationes; si Christus, qui solo verbo adeo praepotens est, ut etiam hominum corda immutet, et ex terrenis hominibus coelestes efficiat; si denique Christus Dei unigenitus ad ascendendum descendit; toto coelo aberrant huius saeculi amatores, qui ascendendo ascensuros se autumant, cum revera e contra descendendo ascendere oporteat, Christo dicente (*Luc.* 3.): *Qui se humiliat, exaltabitur.* Hanc normam secutus est magnus ille Ioannes Baptista, quem quantum ipse se deiiciebat, tantumdem Christus exaltabat. Dicebat Ioannes: *Non sum Propheta;* Christus ait, *et plusquam Propheta*: Ioannes, non sum Elias; Christus, *et ipse est Elias*: Ioannes, *Ego sum vox;* Christus, et ipse Angelus est; *Ecce ego mitto Angelum meum.* Ioannes, *Non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti eius:* at Christus ait, *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Itaque Ioannes per eosdem gradus, quibus descendebat, continuo ascendebat. Huc etiam mirifice facit, quod Christus Dominus pluris habitus est, dum humilitatis, quam dum magnitudinis, atque omnipotentiae suae signa ostentavit: *Erat quidem Iesus eiiciens daemonium.* Et quamvis huiusmodi expulsio solo imperio Christi facta, omnipotentiae eius non exiguum erat indicium; nihilominus Hebraei, in Beelzebub Principe daemoniorum eiecisse daemonia effutierunt. At dum seipsum humiliavit, infamem crucis mortem subiens, et inter duos latrones positus animam exhalavit, non defuit, qui clamaret: *Vere filius Dei erat iste:* nec defuerunt alii,



qui sanctum et innocentem praedicantes, reverterentur *percutientes pectora sua.* Hoc quid erat, nisi quod Christus descendendo ascendebat, et se deiiciendo magis sublimabatur? Porro, fratres, omne Satanae studium, omnisque eius cura eo tendit, ut ab hac via deflectatis, et contrariam ingrediamini, ut scilicet ascendatis. Sed credite mihi, haec ascensio non absque ingenti vestro detrimento erit: etenim sicut aquila, cum altius testudinem rostro sublevat, non eam in altum tollit, ut in aere sublatam detineat, sed ut ipsa maiori cum ruina labatur, confractoque conchylio tandem eam devoret; haud dissimili ratione Satanas non semel ex humili loco in excelsae dignitatis fastigium quosdam evehit, non ut eos ibi cum gaudio morari faciat, sed ut inde turpiori casu decidentes perpetuo miseram vitam agant, et in desperationem miserius prolabantur. In quo videtur humani generis hostis, quod olim Herculem cum Antheo Neptuni, et Terrae filio fecisse Poetae finxere, quoties pugnans cum eo in terram illum deiiciebat, toties membra eius labore pugnae defessa, tactu terrae eius matris illum excipientis, novas vires assumebat: quod Hercules animadvertens, eumdem altius sublatum, et terrae contactum illi prohibens, inter brachia altius, vehementiusque illum constringens enecavit. Accidit quidem eodem modo daemoni: pugnat enim cum homine, et divina permissione humi illum deiicit, divitias tollit, honorem deturpat, et similia nocumenta ei infert; at videns homo ab omnibus, quae vulgo vocant, fortunae bonis penitus destitui, continuo adhaeret Deo. Tunc autem daemon videns humilitatis via non solum hominem non expugnasse, sed maioris boni spiritualis materiam ei subministrasse, illum exaltat, et ad sublimia dignitatum cacumina provehit, et velut alter Hercules in aerem sublevatum superat, ac facile vincit: unde ille ascendens misere descendit, et ab hoste suo irridetur, et illuditur. Hoc sibi volunt verba illa Christi Domini (*Luc.* 4.) *Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur:* quasi dicat, qui se exaltaverit, parum se exaltabit, quia parum potest; ego autem multum humiliabo eum, quia multum possum: et vice versa, qui se humiliaverit, parum se humiliabit, quia parum potest; ego autem multum humiliabo eum, quia multum possum. Quod in Christo adamussim adimpletum cernimus, qui cum se humiliaret usque ad turpissimam crucis mortem, aeternus Pater eum exaltavit usque ad supremum empyrei coeli cacumen, propter quod ait Paulus (*Philip.* 2.): *Et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Unde quemadmodum in libris rationum fieri solet, ut in fine paginae summa eorum quae expensa sunt omnia, ibidem commemorata contineat; ita Deus permulta egregia opera patraverat, sed unum tandem effecit, quod summa, et compendium eorum est, nempe ut Verbum aeternum humana carne indueret, qua indutum in novissimo loco eum collocavit, adeo ut ipse diceret (*Ps.* 21.): *Vermis sum, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis.* At verso folio cum ad Patrem revertitur (*Psal.* 21): *Factus est in caput anguli.* In principio quidem paginae ascribitur (*Psal.* 3.): *In capite libri scriptum est de me.* Ad dexteram Patris assidet (*Psal.* 39): *Sedet a dextris mei.* Hinc iam facile intelligemus, quid sibi velint verba illa (*Marc.* 16.), *Mitte radicem deorsum, et faciet fructum suum.* Plane sermo mihi videtur de Christo, qui deorsum profundas adeo humilitatis radices iecit, ut mereretur sursum id est, in coelo, exaltationis, et gloriae sui corporis copiosum fructum percipere: *Et faciet fructum suum.* Fecit sane adeo uberem, ut opprobria omnia, et contumelias in summam gloriam, et honorem converteret, coronam spineam in diadema pretiosis margaritis contextum, arundinem in regale sceptrum, purpuram derisionis in vestem immortalitatis, et gloriae, crucis sedem in lucidissimum urbis thronum: dolor etiam, gaudium, blasphemantium convicia in concentus Angelorum commutavit. Ac tandem sicut ille Evangelii conviva, qui pro eximia eius humilitate, et morum ingenuitate infimam in convivio elegit sibi sedem, a Patrefamilias convivii auctore in capite mensae collocatus est, dicente illi: *Amice, ascende superius;* ita et Christus, quia se in humillimo, atque abiectissimo omnium loco collocavit, ut Isaias (c. 54.) testatur: *Vidimus eum despectum, et novissimum virorum:* aeternus Pater illum exaltans vocat, dicens (*Luc.* 14.): *Amice, ascende superius.* Coepit Christus Patri obediens in conspectu discipulorum suorum ascendere et elevari: *Videntibus illis elevatus est.* Et primo quidem gradu in aeris regionem conscendit: *Qui ambulas super pennas ventorum;* sed continuo Deus clamavit: *Amice, ascende superius.* Lucidissimam ignis sphaeram ingreditur, sed audit iterum: *Amice, ascende superius.* Superius transcendere te oportet, Fili mi, quandoquidem pectus tuum ita charitatis igne ardet, ut altera divini ignis sphaera naturali igne subtilioris ac penetrantioris mihi esse videatur. Ascendit deinde in coelum Lunae, sed Pater ait: *Amice, ascende superius.* Hic enim planeta mutabilis, tuus autem thronus firmus, stabilis, atque ab omni vicissitudine alienus est. Ascendit in coelum Mercurii, sed Pater inquit: *Amice, ascende superius:* nam si hic planeta eloquentiae virtutem influere dicitur, ut falsa Ethnicorum gentilitas commentabatur, unde illum uti scientiarum parentem, ac Deum adorabat, divinae mentis partus tu es (*Coloss.* 1.): *In quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei.* Progreditur ad Veneris coelum, sed dicere Pater non cessat: *Amice, ascende superius:* dignior magnificentiorque locus tibi debetur. Venus enim lascivus planeta est, tu vero puritas ipsa, speculum sine macula, et Spiritus sancti opera, atque virtute in utero virgineo efformatus. Conscendit in Solis coelum, auditque Patris vocem: *Amice, ascende superius:* tu enim es sol iustitiae, cuius splendori comparata lux istius obscura quaedam caligo videtur. Hinc ad Martis coelum graditur, atque Pater ei dicit: *Amice, ascende superius.* si enim Mars filius Dei reputatur, sed falso;

tu autem verus, et naturalis mihi Filius es, Deus verus de Deo vero. Postmodum in Iovis coelum principis monarcharum ascendit, sed *Amice*, ait Pater, *ascende superius*: tuum enim est regna, et monarchias impertiri (*Prov.* 8.): *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt*. Denique ut finem faciam, super firmamentum coeli ascendit, ac primum mobile, coelumque empyreum, et adhuc Pater inquit, *Amice, ascende superius*, ad thronum divinitatis meae, sedens ad dexteram meam. Quid plura? Aequum, ac consentaneum mihi videtur, ut cum hodierna die Christum Dominum regni sui possessionem capere intuemur, ei congratulemur. Solemus etenim, cum quis ad Episcopalem dignitatem promovetur, ter ei congratulari. Primo, quando recens facta est electio: secundo, quando peracta Apostolica diplomatum expeditione consecratur; tertio, quando Ecclesiae, cui praeficitur, possessionem accipit. Ita etiam Christo Domino nascenti congratulati sumus: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine*. Deinde resurgenti, dum illi bullae dignitatis suae absolutae, et expeditae traditae sunt, ut ipse dixit (*Matt.* 21.): *Data mihi est omnis potestas in coelo, et in terra*. Tunc illi congratulantes cecinimus (*Rom.* 6.): *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Verum quia deerat illi, ut regni ac throni sui ad dexteram aeterni Patris possessionem caperet, ideo illam nunc accipienti exultantes congratulemur, summoque dicamus iubilo: Ascendat in coelum noster Ioseph, qui regnum a fame, et annonae infestatione liberavit. Ascendat noster Moyses, qui populum Israeli cum a captivitate Aegypti eripuit. Ascendat noster Iosue, qui filios Israel in terram promissionis introduxit. Ascendat invictissimus Rex Cyrus, qui universum Persarum regnum, populumque a servitute vindicavit. Ascendat Rex noster per eosdem gradus, quibus ipse descendit. Venit, ut ministraret (*Matt.* 20.): *Non veni ministrari, sed ministrare*. Ascendat, ut in aeternum Angeli ministrent ei. *Descendit in inferiores partes terrae*, ut ait Paulus (*Eph.* 4). Ascendat super coelestes orbes (*Ps.* 56.): *Exaltare super coelos Deus, et in omni terra gloria sua*. Descendit, ut ab hominibus iudicaretur: *Passus sub Pontio Pilato*. Ascendat ut Iudex vivorum, et mortuorum: etenim aeternus Pater omnem ei iudicandi potestatem concessit (*Ioan.* 5.): *Omne iudicium dedit Filio*. Descendit demum mortali, atque passibili carnis vestimento indutus; ascendat impassibilitatis, atque immortalitatis dotibus exornatus. Descendit tandem, ut cum iniquis deputatus moreretur; ascendat, ut cum Patre, et Spiritu sancto vivat, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA DECIMA

*Sub metaphora ducis omnibus in re militari numeris absoluti de Christi Domini Ascensione agitur, et pleraque alia ad idem mysterium spectantia multiplici sacrae Scripturae eruditione exornata subiiciuntur.*

Inter alia illustrissima nomina, et clarissima epitheta, quibus Pater Filium suum unigenitum humana carne indutum cohonestavit, illud sane, quo illum ducem vocavit, mirum in modum ei congruit: *Ex te enim*, ait (*Mich.* 5.) *exiet dux qui regat populum meum Israel*: et alibi (*Dan.* 9.): *Ecce dedi eum gentibus ducem, et praeceptorem*. Tres praecipue conditiones in duce desiderantur, ut huic muneri omni ex parte satisfaciat. Prima, ut in arduis rebus, et gravioribus cum hoste congressibus ipse primus omnium milites suos antecedat, et belli pericula non pertimescat. Secundo, ut plurimi faciat cuiuscumque militis vitam, et salutem: hac enim ratione omnium animos sibi conciliat, dum milites vident ducem de eorum vita, et salute sollicitam curam gerere. Tertia tandem est singulare studium et sollicitudo, ut dispersi milites congregentur, infirmorum militum vulnera curentur, et victoriae spolia inter eos dividantur. Sane cum hae sint boni ducis proprietates, dux noster Christus carere eis minime potuit, cum inter omnes duces ipse principatum teneat, et (ut Sponsa dixit (*Cant* 5.): *Electus sit ex millibus*, vel ut septuaginta Interpretes vertunt, *Electus ex milliaribus*, vel ut habet originale Hebraeum, *Vexillatus in decem millibus*. Primam conditionem, ut dux primus sit in rebus belli arduis, adamussim observavit Iulius Caesar; nam ut refert Lucanus (*lib.* 9. *Pharsaliae*), ad expugnandos acriter inimicos volens ipse militum animos excitare, in haec verba prorupit:

*Ad magnum virtutis opus summosque labores*
*Primus arenas*
*Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.*
*Me calor aethereus feriat, mihi plena veneno*
*Occurrat serpens, fatoque pericula vestra*
*Praesentate meo.*

Additque Poeta, exemplo suo animos militum permovere efficaciter adeo solitum esse, ut cogere, et compellere eos videretur:

*Cogit, ait, tantos tolerare labores*
*Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena*



*Excubat, atque omni fortunam provocat hora*
*Primus inire manus, postremus ponere.*
*Matrem.*

Huc etiam facit, quod Æneas Silvius de Duce Alberto de Austria commemorat: ait enim, quod cum de bello Bohemis indicendo pertractaretur, interrogaverunt eum quidam milites, quis futurus dux eorum in eo bello esset? quibus ipse continuo respondit: Si alterum quam me ducem habituri estis, ut quid me ducem vocatis? cum ducis officium alios ducere sit. Hanc boni ducis conditionem in Christo Domino splenduisse non obscure indicant, quae de illo sacri Evangelistae referunt: nam D. Marcus ait, quod cum iam ad bellum cum hoste in monte Calvario ineundum cum discipulis properaret, Ipse tamquam dux militiae praeibat ante omnes: *Erant autem in via ascendentes Hierosolymam, et praecedebat illos Iesus*: et D. Lucas (*Act.* 1.) testatur, Christum Dominum in rebus arduis, quae praecipiebat, primum executioni mandare, quam eas doceret: *Coepit Iesus facere, et docere*. Sicut enim sacra referente historia dux Abimelech in praesentia militum virgam arboris praecidens, et humero suo imponens, dixit eis (*Iudic.* 9.): *Quod me videtis facere, cito facite*: et singuli confestim singula ligna praeciderunt, et propriis humeris imposuere; ita Christus Dominus lignum crucis primus humero suo imponens, militiae suae sectatoribus dixit (*Matt.* 16.): *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. Secunda etiam boni ducis conditio, quam praediximus, nimirum ut militum vitae sollicitus sit, necnon et salutis, minime Christo Domino defuit, qui tantum incolumitatis suorum militum, et indemnitatis eorum curam gessit, ut cum hostes praevideret tamquam rabidos canes in eos irruere velle, excellentiae potestate, qua vigebat, utens, eis dixerit (*Ioan.* 18.): *Si ergo me quaeritis, sinite hos abire*; et illaesi abire permissi sunt. Ipse etiam pro eorum salute Patrem rogabat (*Ioan.* 17.): *Pater sancte serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi*: et exauditus fuit pro sua reverentia, ipso dicente (*ib.*): *Quos mihi dedisti, non perdidi ex eis quemquam*. Licet enim Iudas periit, sed non fuit ex numero eorum, quos Pater dedit Christo, ut cum eo re ipsa perseverarent. Tertia tandem boni ducis conditio erat, ut de vulnerum militum medela curaret, dispersos in varias partes in unum aggregaret, ac tandem victoriae spoliis eos locupletaret. Utrumque sane perfectissime solertissimus dux noster Christus Dominus observavit: dispersi fuerant milites eius, prout ipse praedixit (*Matt.* 26.): *Percutiam pastores, et dispergentur oves*; ipse autem eos in unum congregavit, ut praeviderat Ezechiel, in persona Christi dicens (*Ezech.* 34.): *Visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersae fuerant in die nubis, et caliginis*, hoc est, passionis tempore. Spoliis etiam milites suos locupletavit, ut vaticinatus fuerat David (*Psal.* 67.): *Rex virtutum dilecti dilecti, et speciei domus dividere spolia*: Paulus (*Ephes.* 4.) testatus est: *Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Haec ut magis illustrentur, variis divinarum litterarum monumentis ea exornare properemus. Regius Vates divini huius ducis conditionem, et ingenium probe agnoscens, dixit (*Psal.* 7.): *Et propter hanc in altum regredere, Dominus iudicat populos*. Incognitus hunc locum intelligit de Ascensionis mysterio: *Sicut enim* (ait) *Christus per incarnationem de alto venit ad ima, de coelis ad terras; sic per Ascensionem suam de terris ad coelum, de imis ad alta est regressus*. Sed quid est quaeso, quod ait: *Et propter hanc?* Existimo sane signare synagogam, de qua in praecedenti versu dixerat: *Et synagoga populorum circumdabit te*. Duplex autem Christum Dominum circumdedit synagoga, amantium scilicet, et odientium; et de utraque dicit: *Et propter hanc in altum regredere*, hoc est ad coelum ascende; sed ob diversos fines: nam propter hanc, scilicet credentium discipulorum, *In altum regredere*, ut de alto mittas eis Spiritum sanctum, ut enim tu dixisti: *Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*; verum etiam in altum regredere propter synagogam odientium te, ut inde iudicium ultionis in eos exerceas; unde continuo subdit David: *Dominus iudicat populos*; hoc est singulis impertiens, secundum quod eorum merita, vel demerita postulant: hoc enim sibi vindicat rectitudo iudicii. Idem David Christi Ascensionem contemplans, et munera, quae tunc largitus est, ait (*Psal.* 18.): *Occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius*. Loquitur hic Propheta de regressu Christi in coelum: sicut enim Verbum Dei ab aequalitate Patris descendit in mundum, humilem carnem nostram assumpturum, sic postquam assumpsit, factus iam homo, ad summum est reversus per Ascensionem, id est ad Patris aequalitatem. Quid autem per talem ascensum nobis contulerit, continuo exprimit dicens: *Nec est, qui se abscondat a calore eius*. Christus enim postquam ascendit ad Patrem, Spiritum sanctum in specie ignis misit, a cuius calore, et flammarum ardore nemo, nisi renuat, se abscondere potest: sicut enim sol, quantum est ex se, omnes illuminat, quamvis non omnes quandoque illuminentur, ex ipsorum tamen defectu, non solis: sic divinus iste Spiritus sancti ignis, quantum est ex se, calorem emittit, ut omnes eo incalescant; quod si quidam non calefiunt, id non caloris defectui, sed ipsorum ignaviae tribuendum est: in quorum figura sacra pagina commemorat, quod David cum operiretur vestibus, non calefiebat. Cuius rei rationes tres ex Stephano refert Incognitus (*super Psal.* 18.) in praecitata verba: *Nec est qui se abscondat a calore eius*. Prima, quod erat antiquus dierum. Secunda, quia in bellis cruentis multum profuderat sanguinem. Tertia, quia ex tempore, quo viderat Angelum Domini districto gladio populum percutientem, ingenti pa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vare confalsit. Tria haec totidem impedimenta ad vivum exprimunt, ob quae plerique Spiritus sancti igne non incalescunt. Primum est antiquitas temporis: spiritualiter enim antiquari, idem arbitror esse, quod antiquioribus mundi peccatis implicari; antiquorum autem peccata invidiam, et superbiam esse nemo ambigit, Sapiente dicente (*Sap.* 2.): *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum:* et Ecclesiastico (*Eccles.* 24.) asserente: *Initium peccati superbia.* Quorum ergo animi huiusmodi antiquioribus peccatis deturpati sunt, Spiritus sancti igne calefieri non possunt, ut testatur Isaias (*c.* 57) dicens: *Non sunt prunae, ut calefiant, nec focus, ut sedeant ad eum.* Secundum impedimentum erat magna sanguinis profusio: haec crudelitatem in proximos nostros significat, quam qui exercent, cum a se ipsis charitatis ignem longe abiiciant, quid mirum si non calefiant? Tertium tandem erat tremor et pavor quem David ex visione Angeli populum caedentis conceperat. Hic vehementiorem quam oporteret, divinae iustitiae et iracundiae considerationem, quae ad usque desperationis barathrum homines perducit, satis satis delineat: hi divino Spiritus sancti igne calefieri minime possunt, cum ad eius ingressum omnem penitus viam ei praecludant. Quo igitur remedio utemur, ut huius ignis flammis incalescamus? certe mandatorum custodiam tanquam praesentissimum expertus est David: nam postquam protulit (*Ps.* 38): *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea;* confestim subiunxit: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* De his ergo David dixit praecitato loco: *Nec est qui se abscondat a calore eius.*

Sed iam nonnullas huius mirabilis Ascensionis circumstantias praeter omnes superius dictas subiiciamus. Clemens Papa in suis constitutionibus ait, diem Ascensionis fuisse diem Iovis, quinta die Maii. Humilitatem exercuerat Christus Dominus die Iovis: lavit enim pedes discipulorum, unde convenienter et die Iovis exaltatio respondeat humiliationi. Et quia die Iovis creatae fuerunt omnes aves, quarum regina est aquila, conveniens etiam fuit, ut regia Aquila Christus usque ad cacumen supremi coeli evolaret. Meridiano tempore ascendit in coelum, qui meridiano tempore mortuus fuerat in Calvario, Paulo dicente: *Qui ascendit, ipse et descendit in inferiores partes terrae.* Aug. (*in Psal.* 54) huic consentit sententiae: nam in verba illa: *Vespere, et mane, et meridie narrabo, et exaudiet vocem meam*, ait: *Vespere in Cruce, mane in Resurrectione, meridie in Ascensione. Narrabo vespere patientiam morientis; annunciabo mane vitam resurgentis: orabo, et exaudiet meridie sedens ad dexteram Patris.* Est alia congruentia huius temporis, quia eadem hora eiecit Deus Adamum de paradiso, et ianitorem Cherubinum cum flammeo ense ingressum eius impedientem ad fores eius posuit. Eadem ergo hora oportuit Christum paradisi portas aperire, ut quod primus Adam terrenus amiserat, secundus coelestis recuperaret.

De lapide autem, ex quo Christus elevatus est, et in quo vestigia eius manserunt impressa, meminerunt divus Hieronymus (*de locis Hebraicis*), Paulinus (*in Epistola ad Severum Sulpicium*), et Cardinalis Baronius tomo 1 Annalium. Et mirabile quidem est, quod cum peregrini devotionis causa multas illius lapidis particulas illam abradentes demerint, vestigia tamen semper integra manent: quod difficile creditu cuiquam non erit, si legerit Gregorium Turonensem, et Paulum Orosium (*in suis historiis*): ubi auctores isti tradunt, quod statua illa salis, in quam conversa fuit uxor Loth, quamvis non paucae partes ab ea detractae fuerint, integra semper manet, Deo miraculose illam restaurante. Refert eandem historiam Tertullianus (*carmine de Sodoma*):

*Nec pluviae dilapsa situ, nec diruta ventis,*
*Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,*
*Protinus ex sese suggesta vulnera complet.*

Significavit quidem vestigiis in lapide impressis Christus Dominus, quod si in coelum tendere placeat, etiam vestigia eius sequi: unde D. Petrus (1. *Pet.* 2) dixit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* D. etiam Hieronymus (*praecitato loco*), et Beda (*de locis sanctis*) rem aliam mirabilem commemorant, nimirum, quod cum in eodem loco, unde Christus coelum ascendit, postea templum aedificaretur in memoriam mirabilis Ascensionis, nunquam aedificatores tectum construere potuerunt, Deo sic ordinante, ut via, qua Christus Dominus coelum ascendit, semper pateret, nec manus hominum illam occluderent. Refert Lactantius Firmianus (*de falsa religione lib.* 1. *capit.* 20.) quod cum Tarquinius vellet templum iam aedificatum, occupatum tamen a multis Diis soli Iovi consecrare, omnes illi Dii facile cesserunt, immo et in terram corruerunt, Deo tamen, nomine Termino, quia Romanorum terminos servabat, in loco suo immoto semper perseverante: ob quam fortitudinem, et perseverantiam Tarquinius iussit partem tecti loco, ubi iacebat, correspondentem tolli, ut significaret, propter illius fortitudinem meruisse coelum illi pandi. Ita sane, ut significaret Deus, post Ascensionem Christi, omnibus coeli aditum patere, qui divina Christi vestigia sequuti fuerint; ideo locum, unde ascendit, tecto cooperiri passus non est. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA XI.

*Ascensionis Christi Domini mirabiles fructus incipiunt recenseri, inter quos primum connumeratur augmentum fidei, spei, et charitatis.*

Angelicus ille Doctor D. Thomas (3. *p. quaest.* 57. *articul.* 1.) de eximia Ascensionis Christi utilitate pertractans ad tres divinas illas, ac Theologicas virtutes, fidem videlicet, spem, et charitatem illius fructus revocat, utpote quae ex illius in coelum abeuntis absentia singularem quendam profectum, atque incrementum suscepere. In cuius rei evidentiorem probationem omnem huius discursus operam impendere decrevi: id enim tanquam felicis S. Thomae ingenii inventum non parum spiritualis dulcedinis, et utilitatis allaturum esse existimavi, quarum quidem mixtione, et copulatione nihil iucundius inveniri potest, teste Horatio ita canente:

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

Et quidem, ut a fide ipsa exordium ducam, cum iuxta divi Pauli sententiam *Fides sit argumentum non apparentium*, unanimis Theologorum sententia dicat, fidem esse de non visis; unde Sponsa lacti illam comparavit, dicens: *Meliora sunt ubera tua vino;* quasi diceret, salubrior, et melior est mihi lac fidei divinae, quod ex uberibus tuis sugo, quam cerebrosum humanae scientiae vinum, quod Philosophi mihi propinant. Aptissime fidem comparat lacti: nam sicut infans dum materna ubera sugit, lac, quod non videt, in stomachum traiicit, nec eius qualitates examinat; sic fides versatur circa obscura, et non visa, et fidelis minime ea scrutari, aut examinare debet, sed captivare intellectum in obsequium fidei. Cum ergo hoc ita se habeat, consequens est, Christo abeunte, quem corporis oculis non videmus, fidem solidiorem, ac firmiorem factam fuisse, adeo, ut ipse non immerito S. Thomae nolenti nisi visa credere dixerit (*Ioan.* 20.): *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Hinc est, quod S. Hilarius (*ho. de Christi Ascen.*) sapienter observavit, Christi discipulos, dum continuam vitae societatem cum eo peragebant, illiusque et consuetudinis, et familiaritatis consortio perfruebantur, modicae fidei semper extitisse, eo tamen iam absente, non modo divinorum mysteriorum indefessi praecones, ac sanctae fidei magistri, sed catholicae religionis columnae adeo solidae ac firmae facti fuere, ut tyrannorum Principum rabies, ac divini nominis hostium potentia, nec a corde, nec ab ore ipsum avellere potuerint, sed invicta quadam animi fortitudine, atque constantia Christum Dominum in conspectu omnium palam profiterentur, ut testatur D. Marcus: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.* Porro clarius huius rei veritas ex S. Fulgentii, et Procopii doctrina elucescet, qui Christum cum sole, Ecclesiam vero cum luna conferunt: quippe astrologica scientia, longa rerum experientia id approbante, docet, solem quanto magis a luna distat, tanto clarius lucem suam in ipsa diffundere: tunc enim radiis suis plenius, ac directius eam illuminat: et hinc est, quod cum magis luna decrescit, tunc illam esse in coniunctione dicimus; quando vero sol distantius, ac longius ab ea abest, tunc plenilunium adesse asserimus. Non dissimiliter, dum fulgidus illae divinae iustitiae sol Christus cum luna, idest Ecclesia sua, quem tunc temporis in sola discipulorum suorum congregatione consistebat, coniunctior versabatur, eosdem ita parum de sacro illo fidei lumine participasse cernimus, ut iure optimo Christus Dominus eorum incredulitatem acriter increparet, divo Marco dicente: *Exprobravit incredulitatem eorum;* verum clarissimo illo sole Christo per Ascensionem suam longius ab eis recedente, modico interiecto dierum intervallo, veluti sacrosanctae fidei plenilunio copiosiori lumine abundaverunt (*Eccl.* 5.): *Sicut luna plena in diebus suis lucet.* Sane tam admirabilis, atque ingens fuit lux illa, ut solis luci illam compararit Isaias (*Isai.* 26.): *Erat lux lunae sicut lux solis.* Praenunciata fuerant haec omnia a Propheta Abacuch, dicente: *Exaltatus sol, et luna stetit in ordine suo.* Quae verba divus Gregorius de Christi Ascensione intelligit, ita ut illa significare videantur per exaltationem divini solis iustitiae Christum, et in eius ascensione lunam, hoc est eius Ecclesiam, insolito splendore, novo charitatis ordine fuisse condecoratam, S. Luca in Actis Apostolicis attestante, sacros illos Apostolos una cum Diva V. Maria unanimes in coenaculo se congregasse, charitatis ordinem in omnibus servantes. Id ergo est: *Et luna stetit in ordine suo.* Subducto igitur Christo Domino ab eorum aspectu, fides in eum credentium, et non videntium firmior, et stabilior redditur, ut ponderat D. Petrus (1. *Pet.* 1.): *In quem non videntes credimus.* Atque hinc est, quod merito ob singulare hoc fidei argumentum ex corporali Christi absentia in Ecclesia proveniens, D. Paulus (*Heb.* 12.) *Fidei consummatorem* illum vocavit. Ad haec usu etiam atque experientia docemur, solem dum terram illuminat, atque calefacit, eo ardentioribus radiis illam ferire, quo sublimius elevatus est, adeo ut in ortus sui principio vix altissima montium rupiumque fastigia attingat, medio autem die altius evectus luce sua profundissimas etiam valles, maiorique quam antea fervore, ac potentia irradians illuminat. Sic sane divinus ille sol Christus initio sui ortus paucis admodum innotuit, paucisque sacratae suae lucis radios, atque splendorem communicavit, paucis nempe pastoribus, et tribus

Regibus; verum in hac celebri eius in coelum Ascensionis die sacrosanctae fidei luce universum terrarum orbem illustrare coepit; quae quidem eo magis excrevit, quo ipse sublimius, ac sublimius avolavit. Neque profecto haec Christi absentia solam fidem, verum etiam nostram in coelum ascendendi spem adauxit, quae ultra quam firmissime innititur verbis illis Christi, dicentis (*Ioan* 4.): *Si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis*, sunt et alia non parum firma eiusdem spei fundamenta. Non secus enim, ac navigantes mari, undique procellosis undarum tempestatibus, ventorumque inclementia infestati, si navium aliquam ad portum salvam appellare, ipsosque navigantes in terram prosilire videant, recreantur, ac novam spem se in tuto etiam collocandi concipiunt: et sicut si milites ducem suum in arcem ab eo expugnatam conscendere, et in vertice illius vexilla defigere conspiciant, nullus certe eorum est quantumcumque pusillanimis, aut timidus, qui eo quoque ascendendi animum, ac spem non arripiat; ita etiam cum videmus regalem illamEcclesiae triremem, Christi nempe humanitatem, post tot, tantasque ventorum iniurias, ac persecutionum procellas ad tutissimum coeli portum appulisse, ac ducem nostrum in fastigio illius vexillum suum erexisse: quis nostrum quaeso erit abiecti adeo animi, qui ad coelos ascendere desperet, aut sempiternae felicitatis, ac gloriae possessionem, Christi adiuvante gratia, se capessere posse inficietur? Immo si, ut sculptorum peritissimi nos docent, servata membrorum proportione, foramen, per quod caput intrat, totum etiam corpus transire potest; certe cum caput nostrum per angustam paradisi portam introierat, merito et nos per eamdem ingressuros sperabimus, ut S. Leo Papa (*ser. de Ascens.*) grandiloquio illo suo dicendi more de Ascensionis sacramento agens, his verbis edixit: *Christi Ascensio nostra provectio est; et quo processit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam coelorum superna in Christo penetravimus.* Duo admodum notatu digna dicit. Primum, quod Christi Ascensio, nostra ascensio est: *Christi ascensio nostra provectio est.* Christus enim in illa habuit se velut magnes, qui ad se ferrum etiam gravissimum trahit: et velut electrum, quod paleam in altum sublevat: et sicut sol, vapores e terra attollit, adeo ut lutum, quod antea hominum pedibus conculcabatur, in exhalationes resolutum, subtile, et agile adeo reddatur, ut ad nubes etiam altissimas pertingat. Hinc cernere est admirabilem Christi in coelum Ascensionis virtutem, quae cum corpora nostra ferro graviora, putrida palea corruptibiliora, ac luto turpiora sint, ea nihilominus attollat, nec sursum ferre desistat, quousque super omnia coelorum fastigia evecta, stellas ipsas conculcare faciat. Alterum autem eorum, quae dicit D. Leo, est quod eodem modo, quo Christus in coelos ascendit, et nos cum eo ascendimus, (*ad Eph.* 2.

*Coelorum superna in Christo penetravimus.* Desumpsit hoc dicendi genus a divo Paulo, dicente: *Conresuscitavit, et consedere nos fecit inChristo in coelestibus.* O rem admiratione dignissimam? Necdum divus Paulus ex hac vita migraverat, et tamen se in resuscitatorum numero collocabat. Rem inauditam profert: qui enim e terra nondum discesserat, quomodo iam se cum Christo in coelis sedere existimabat? *Consedere nos fecit in Christo in coelestibus.* Bifariam huic difficultati respondere possumus, duplicem quidem huius rei reddentes rationem.

Prima est, spem D. Pauli tam certam, firmam, ac stabilem consedendi cum Christo in coelis fuisse, ut quasi iam revera possessionem illius accepisset, loqueretur, dicens de praeterito, quod omni modo importat certitudinem, *Consedere nos fecit in coelestibus.*

Secunda ratio, quod quemadmodum dum triumphantis capiti corona imponitur, totus homo coronatur, quamvis alioquin solum caput coronari videatur; ita etiam quamvis huius triumphi Ascensionis corona Christo capiti nostro solummodo imponatur, nihilominus nos etiam omnes tanquam corporis sui mystici membra illo eodem diademate fuimus coronati. Unde divusAugustinus (*in suis soliloquiis*) dicebat: *Ubi portio mea regnat, ibi me regnare credo: ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me agnosco: ubi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio; et quamvis peccator sum, de hac communi gratia non diffido.*

Quod perinde fuit, ac si dixisset, cum praemium hodie Christo capiti nostro tribuitur, omnibus membris corporis commune adeo est, ut illius triumpho non immerito dicamus nos triumphare, illius corona coronari, illius demum gloria glorificari: *Ubi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum agnosco.* Tandem huc facit illud Iob (*Iob* 20.): *In manibus suis abscondit lucem, et praecepit ei, ut rursus adveniat, annunciet de ea amico suo, et quod possessio eius sit, et quod ad eam possit ascendere.* Tunc enim divinum illud Verbum divinitatis suae lucem in manibus abscondit, dum hominis formam assumpsit (*Isa.* 45.): *Vere hic est Deus absconditus.* Tamen sicut manuum nostrarum digiti nunquam ita coniuncti sunt, quin aliquid radii lucis illarum iuncturas pertranseat; ita quamvis mundo absconditum esset divinum illud Verbum, Ioanne dicente (*Ioan.* 1.): *Et mundus eum non cognovit*; prodigiosa tamen, ac portentosa illius opera, cum mutis linguas, surdis auditum, mortuis vitam donabat, manifesta erant increatae lucis indicia. Quamvis autem passionis tempore lux haec occultaretur, et Christus Dominus, qui crucis candelabro inerat, tamquam divina quaedam fax per mortem extingueretur; resurrectionis tamen tempore appropinquante, iterum accensa alias etiam accendit (*Matt.* 27.): *Et multa corpora quae dormierant, surrexerunt.* Ac demum in altissimum, ac lucidissimum coeli empyrei candelabrum facem illam transtulit, ubi facis, ac lucernae munere fungitur (*Apoc.*



21.): *Et lucerna erat Agnus.* Ex quibus omnibus facile iam erit conicere, felicissimum illud appropinquasse tempus, quo omnibus aeternae beatitudinis possessionem capere posse, ex Christi gratia donatum est (*Iob.* 36.): *Ut annunciet de ea amico suo, et quod possessio eius sit, et quod ad eam possit ascendere.* Cum haec igitur ita se habeant, cuiusnam spes deiecta, atque adeo languens erit, quae protinus non erigatur? quae charitas tenuis adeo, ac tepida, continuo effervescere non incipiat? Atque hic est tertius a Domino commemoratus Ascensionis Christi fructus: nec immerito sane. Si enim ipse thesaurus noster est, ut corda nostra ad se rapiat, et in altum perducat, cum illud verissimum sit, quod *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Quis ergo erit, qui non summo in Dominum amoris, ac delectationis ardeat incendio? quippe tam enixe, tantaque sollicitudine nostrae redemptionis negotio incubuit, ut non destiterit, quousque coeli iter nobis panderet, ac supremae beatitudinis portas reseraret (*Mich.* 2.): *Pandens iter ante eos*, ut dicit Propheta Michaeas. Divus Hieronymus legit: *Ascendit qui dividit ante eos*; quasi diceret: sicut in vallium faucibus nivibus obstructis, ac montibus prae nimia arborum copia condensatis illic circumvicini fustibus, et lignis nivem in hanc, et illam partem dividunt, hi vero bipenni, aut securi arbusta dissecant, quousque viatoribus commodam, aptamque iter sternant; non dissimiliter Christus videns frigidissima flagitiorum nostrorum nive coeli iter obturatum, et regni coelestis aditum occlusum, illud aperuit, aspera in vias planas convertens: *Pandens iter ante eos.* Quinimmo addit D. Paulus ad Hebraeos scribens, quod viae novae a nemine antea unquam calcatae, aut inventae principium dedit: *Initiavit nobis viam novam.* Semitam quidem iam semel tritam, aut cognitam, quamvis alioquin nive coopertam sternere non adeo laboriosum, atque molestum est; verum numquam antea viam inventam et semitam numquam protritam, ac novum, et incognitum ad coeli gloriam iter adinvenire, Christi omnipotentiae, solique Deo peculiariter erat reservatum. Unde cum parum nobis profuisset, illuc Christum ascendisse, nisi pariter coeli portae nobis patuissent, ideo ipse liberum nobis ad coelos ingressum ob scelerum nostrorum enormitatem iam praeclusum patefecit. Opus profecto singulare adeo, atque heroicum, ut sola Christi omnipotentia illud ad finem usque perducere quiverit. Deus olim Cherubin quemdam gladium prae manibus gerentem ante paradisi portas constituerat, ut hominibus introitum illius prohiberet. *Nunc autem*, ut ait Cyrillus (*li.* 7, *de ora. in spiritu*) *avertit Cristus gladium, qui nos inde arcebat, liberque est deinceps ingressus*: et ante haec (*libro quinto*) dixerat: *Primus ascendit ad Patrem, instaurans nobis aditum ad coelum, praeparansque supernas mansiones, sicut ipse in Evangelio dixit: Vado vobis parare locum.* Primus omnium nostrorum genitor Adam superbiae iter ingrediens mortis aperuit portam: per hoc enim peccatum introivit mors in hunc mundum, ut testatur Apostolus. At Christus e contra per humilitatem suam viam coeli aperuit ad vitam, de qua David (*Psal.* 15.): *Notas mihi fecisti vias vitae.* In cuius figuram in libro Iosue legimus, arcam testamenti populo Israelitico liberum Iordanis fluvii ad terram promissionis aquis miraculose se dividentibus sive transitum patefecisse, sicut et quondam Moyses mare rubrum, ad populum a furore Pharaonis eum insequentis liberandum transmeavit. Haec igitur Christus prodigia in triumphanti illius Ascensione mirabilius instauravit. Fidem enim corroborans, spem erigens, charitatem accendens, coeli iter nobis pandit, liberumque eius aditum relinquit, ut ab hoc miserrimae vitae exitio ad coelestem patriam, desideratamque aeternae felicitatis gloriam pervenire valeamus, quam Christus nobis promeruit, qui cum Patre, et S. Spiritu vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

*Fructus varios Ascensionis Christi prosequimur, pariterque ostendimus, quam illa universi, coeli, terraeque incolis alacris, daemoni infesta, et inferno lugubris fuerit.*

Communis adeo, ac universalis fuit laetitiae fructus, qui in hoc orbis theatrum ex gloriosa Christi Ascensione percepit, ut non modo terram, sed etiam coelos ipsos penetrarit, nec homines tantum, sed et Angelos apprehenderit, nec non in Christo solum, sed in aeterni etiam Patris, ac purissimae illius Matris praecordiis exultationis, et gaudii iubilum locum habuerit. Et ut hinc exordiamur, si ante omnia diligenter consideraverimus illa Christi discipulis dicentis verba: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*, facile ex iisdem colligemus, aeternum Patrem ac dilectissimam Christi Matrem, qui ardenti adeo amore eum diligebant, ob victricem, ac triumphantem eius in coelum Ascensionem ingentem concepisse laetitiam. Ingentem dico, quia quanta est amoris magnitudo erga dilectum, tanta esse solet de eius bono diligentis laetitia. Cum ergo Pater aeternus, et Beatissima Christi Mater ferventiore, quam dici possit amore, illum prosequerentur, consequens est, ingentem fuisse eorum laetitiam. Referunt historici, duos illos Lacedaemonios Chilum videlicet et Elphodium quatuor eorum filios laureis coronis redimitos ob victoriam in olympicis ludis partam triumphare videntes, prae nimio gaudio, et laetitia animam exhalasse. [illegible] ingens igitur adeo fuit istorum gaudium. [illegible] quale, quantumque credemus fuisse ill[illegible] aeterni Patris, ac sanctissimae Christi [illegible] Matris trium-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Regibus ; verum in hac celebri eius in coelum Ascensionis die sacrosanctae fidei luce universum terrarum orbem illustrare coepit ; quae quidem eo magis exerevit, quo ipse sublimius, ac sublimius avolavit. Neque profecto haec Christi absentia solam fidem, verum etiam nostram in coelum ascendendi spem adauxit, quae ultra quam firmissime innititur verbis illis Christi, dicentis (*Ioan* 4.): *Si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis*, sunt et alia non parum firma eiusdem spei fundamenta. Non secus enim, ac navigantes mari, undique procellosis undarum tempestatibus, ventorumque inclementia infestati, si navium aliquam ad portum salvam appellare, ipsosque navigantes in terram prosilire videant, recreantur, ac novam spem se in tuto etiam collocandi concipiunt : et sicut si milites ducem suum in arcem ab eo expugnatam conscendere, et in vertice illius vexilla defigere conspiciant, nullus certe eorum est quantumcumque pusillanimis, aut timidus, qui eo quoque ascendendi animum, ac spem non arripiat ; ita etiam cum videmus regalem illamEcclesiae triremem, Christi nempe humanitatem, post tot, tantasque ventorum iniurias, ac persecutionum procellas ad tutissimum coeli portum appulisse, ac ducem nostrum in fastigio illius vexillum suum erexisse : quis nostrum quaeso erit abiecti adeo animi, qui ad coelos ascendere desperet, aut sempiternae felicitatis, ac gloriae possessionem, Christi adiuvante gratia, se capessere posse inficietur ? Immo si, ut sculptorum peritissimi nos docent, servata membrorum proportione, foramen, per quod caput intrat, totum etiam corpus transire potest ; certe cum caput nostrum per angustam paradisi portam introierat, merito et nos per eandem ingressuros sperabimus, ut S. Leo Papa (*ser. de Ascens.*) grandiloquio illo suo dicendi more de Ascensionis sacramento agens, his verbis edixit : *Christi Ascensio nostra provectio est ; et quo processit gloria capitis , eo spes vocatur et corporis. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus , sed etiam coelorum superna in Christo penetravimus.* Duo admodum notatu digna dicit. Primum , quod Christi Ascensio, nostra ascensio est: *Christi ascensio nostra provectio est.* Christus enim in illa habuit se velut magnes, qui ad se ferrum etiam gravissimum trahit: et velut electrum, quod paleam in altum sublevat: et sicut sol, vapores e terra attollit, adeo ut lutum, quod antea hominum pedibus conculcabatur, in exhalationes resolutum, subtile, et agile adeo reddatur , ut ad nubes etiam altissimas pertingat. Hinc cernere est admirabilem Christi in coelum Ascensionis virtutem, quae cum corpora nostra ferro graviora, putrida palea corruptibiliora, ac luto turpiora sint, ea nihilominus attollat, nec sursum ferre desistat, quousque super omnia coelorum fastigia evecta, stellas ipsas conculcare faciat. Alterum autem eorum, quae dicit D. Leo , est quod eodem modo, quo Christus in coelos ascendit, et nos cum eo ascendimus, (*ad Eph.* 2. *Coelorum superna in Christo penetravimus.* Desumpsit hoc dicendi genus a divo Paulo, dicente : *Conresuscitavit, et consedere nos fecit inChristo in coelestibus.* O rem admiratione dignissimam? Necdum divus Paulus ex hac vita migraverat, et tamen se in resuscitatorum numero collocabat. Rem inauditam profert: qui enim e terra nondum discesserat, quomodo iam se cum Christo in coelis sedere existimabat? *Consedere nos fecit in Christo in coelestibus.* Bifariam huic difficultati respondere possumus , duplicem quidem huius rei reddentes rationem.

Prima est, spem D. Pauli tam certam, firmam, ac stabilem consedendi cum Christo in coelis fuisse, ut quasi iam revera possessionem illius accepisset, loqueretur, dicens de praeterito, quod omni modo importat certitudinem, *Consedere nos fecit in coelestibus.*

Secunda ratio, quod quemadmodum dum triumphantis capiti corona imponitur , totus homo coronatur, quamvis alioquin solum caput coronari videatur; ita etiam quamvis huius triumphi Ascensionis corona Christo capiti nostro solummodo imponatur, nihilominus nos etiam omnes tanquam corporis sui mystici membra illo eodem diademate fuimus coronati. Unde divusAugustinus (*in suis soliloquiis*) dicebat : *Ubi portio mea regnat, ibi me regnare credo: ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me agnosco : ubi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio; et quamvis peccator sum , de hac communi gratia non diffido.*

Quod perinde fuit , ac si dixisset, cum praemium hodie Christo capiti nostro tribuitur, omnibus membris corporis commune adeo est, ut illius triumpho non immerito dicamus nos triumphare, illius corona coronari, illius demum gloria glorificari: *Ubi caro mea glorificatur , ibi me gloriosum agnosco.* Tandem huc facit illud Iob (*Iob* 20.): *In manibus suis abscondit lucem, et praecepit ei, ut rursus adveniat, annunciet de ea amico suo, et quod possessio eius sit, et quod ad eam possit ascendere.* Tunc enim divinum illud Verbum divinitatis suae lucem in manibus abscondit, dum hominis formam assumpsit (*Isa.* 45.): *Vere hic est Deus absconditus.* Tamen sicut manuum nostrarum digiti numquam ita coniuncti sunt , quin aliquid radii lucis illarum iuncturas pertranseat; ita quamvis mundo absconditum esset divinum illud Verbum , Ioanne dicente (*Ioan.* 1.): *Et mundus eum non cognovit*; prodigiosa tamen, ac portentosa illius opera, cum mutis linguas, surdis auditum, mortuis vitam donabat, manifesta erant increatae lucis indicia. Quamvis autem passionis tempore lux haec occultaretur , et Christus Dominus , qui crucis candelabro inerat, tamquam divina quaedam fax per mortem extingueretur; resurrectionis tamen tempore appropinquante , iterum accensa alias etiam accendit (*Matt.* 27.): *Et multa corpora quae dormierant, surrexerunt.* Ac demum in altissimum, ac lucidissimum coeli empyrei candelabrum facem illam transtulit, ubi facis, ac lucernae munere fungitur (*Apoc.*



21.): *Et lucerna erat Agnus.* Ex quibus omnibus facile iam erit conücere, felicissimum alud appropinquasse tempus , quo omnibus aeternae beatitudinis possessionem capere posse, ex Christi gratia donatum est (*Iob.* 36.): *Ut annunciet de ea amico suo, et quod possessio eius sit, et quod ad eam possit ascendere.* Cum haec igitur ita se habeant, cuiusnam spes deiecta, atque adeo languens erit, quae protinus non erigatur ? quae charitas tenuis adeo , ac tepida, continuo effervescere non incipiat ? Atque hic est tertius a Domino commemoratus Ascensionis Christi fructus: nec immerito sane. Si enim ipse thesaurus noster est , ut corda nostra ad se rapiat, et in altum perducat , cum illud verissimum sit , quod *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Quis ergo erit, qui non summo in Dominum amoris, ac delectationis ardeat incendio? quippe tam enixe, tantaque sollicitudine nostrae redemptionis negotio incubuit, ut non destiterit , quousque coeli iter nobis panderet, ac supremae beatitudinis portas reseraret (*Mich.* 2.): *Pandens iter ante eos*, ut dicit Propheta Michaeas. Divus Hieronymus legit: *Ascendit qui dividit ante eos*; quasi diceret: sicut in vallium faucibus nivibus obstructis , ac montibus prae nimia arborum copia condensatis illic circumvicini fustibus, et lignis nivem in hanc, et illam partem dividunt, hi verò bipenni, aut securi arbusta dissecant, quousque viatoribus commodam, aptamque iter sternant; non dissimiliter Christus videns frigidissima flagitiorum nostrorum nive coeli iter obturatum, et regni coelestis aditum occlusum, illud aperuit, aspera in vias planas convertens: *Pandens iter ante eos.* Quinimmo addit D. Paulus ad Hebraeos scribens, quod viae novae a nemine antea unquam calcatae , aut inventae principium dedit: *Initiavit nobis viam novam.* Semitam quidem iam semel tritam , aut cognitam, quamvis alioquin nive coopertam sternere non adeo laboriosum, atque molestum est; verum numquam antea viam inventam et semitam numquam protritam, ac novum, et incognitum ad coeli gloriam iter adinvenire, Christi omnipotentiae , solique Deo peculiariter erat reservatum. Unde cum parum nobis profuisset, illuc Christum ascendisse, nisi pariter coeli portae nobis patuissent, ideo ipse liberum nobis ad coelos ingressum ob scelerum nostrorum enormitatem iam praeclusum patefecit. Opus profecto singulare adeo, atque heroicum, ut sola Christi omnipotentia illud ad finem usque perducere quiverit. Deus olim Cherubin quendam gladium prae manibus gerentem ante paradisi portas constituerat, ut hominibus introitum illius prohiberet. *Nunc autem*, ut ait Cyrillus ( *li.* 7, *de ora. in spiritu* ) *avertit Cristus gladium, qui nos inde arcebat, liber, ue est deinceps ingressus:* et ante haec (*libro quinto*) dixerat : *Primus ascendit ad Patrem, instaurans nobis aditum ad coelum, praeparansque supernas mansiones, sicut ipse in Evangelio dixit: Vado vobis parare locum.* Primus omnium nostrorum genitor Adam superbiae iter ingrediens mortis aperuit portam : per hoc enim peccatum introivit mors in hunc mundum , ut testatur Apostolus. At Christus e contra per humilitatem suam viam coeli aperuit ad vitam, de qua David (*Psal.* 15.): *Notas mihi fecisti vias vitae.* In cuius figuram in libro Iosue legimus , arcam testamenti populo Israelitico liberum Iordanis fluvii ad terram promissionis aquis miraculose se dividentibus sive transitum patefecisse, sicut et quondam Moyses mare rubrum, ad populum a furore Pharaonis eum insequentis liberandum transmeavit. Haec igitur Christus prodigia in triumphanti illius Ascensione mirabilius instauravit. Fidem enim corroborans, spem erigens, charitatem accendens, coeli iter nobis pandit, liberumque eius aditum relinquit, ut ab hoc miserrimae vitae exitio ad coelestem patriam, desideratamque aeternae felicitatis gloriam pervenire valeamus, quam Christus nobis promeruit, qui cum Patre, et S. Spiritu vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

*Fructus varios Ascensionis Christi prosequimur , pariterque ostendimus, quam illa universi coeli, terraeque incolis alacris, daemoni infesta, et inferno lugubris fuerit.*

Communis adeo , ac universalis fuit laetitiae fructus , qui in hoc orbis theatrum ex gloriosa Christi Ascensione percepit , ut non modo terram, sed etiam coelos ipsos penetrarit , nec homines tantum, sed et Angelos apprehenderit, nec non in Christo solum, sed in aeterni etiam Patris, ac purissimae illius Matris praecordiis exultationis , et gaudii iubilum locum habuerit. Et ut hinc exordiamur , si ante omnia diligenter consideraverimus illa Christi discipulis dicentis verba: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*, facile ex iisdem colligemus, aeternum Patrem ac dilectissimam Christi Matrem, qui ardenti adeo amore eum diligebant, ob victricem , ac triumphantem eius in coelum Ascensionem ingentem concepisse laetitiam. Ingentem dico, quia quanta est amoris magnitudo erga dilectum, tanta esse solet de eius bono diligentis laetitia. Cum ergo Pater aeternus, et Beatissima Christi Mater ferventiore , quam dici possit amore, illum prosequerentur, consequens est, ingentem fuisse eorum laetitiam. Referunt historici, duos illos Lacedaemonios Chilum videlicet et Elphodium quatuor eorum filios laureis coronis redimitos ob victoriam in olympicis ludis partam triumphare videntes, prae nimio gaudio, et laetitia animam exhalasse. [illegible] ingens igitur adeo fuit istorum gaudium. [illegible] quale, quantumque credemus fuisse ill[illegible] aeterni Patris, ac sanctissimae Christi [illegible] Matris trium-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

phantem Filium suum ascendere dum vident, non ludis olympicis, sed ex cruento Calvariae montis bello, laboriosissimoque certamine, non laureo cinctum diademate, sed pretiosa caput eius corona circumdatum, ut praedixerat David (*Ps.* 26.): *Posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso.* Coronam quidem non civicam, ut antiquitus Romani, non muralem, non ovalem, non vallarem aut castrensem, sed gemmis, atque adamantibus pretiosiorem, cum Sapiens vocet illam (*Eccl.* 1.): *Coronam exultationis:* Ezechiel (*Ezec.* 16.): *Coronam pulchritudinis:* sanctus Ioannes (*Apoc.* 2.): *Coronam vitae:* S. Petrus (*Petr* 5.): *Coronam gloriae:* S. Paulus (2. *Tim.* 4.): 1. *Coronam iustitiae.* Fuit etiam gloriosa illa Christi Ascensio sacratissimae eius humanitati summae alacritatis, et laetitiae; tum quia, quemadmodum non modicam affert exultationem, grave aliquod negotium prae manibus habenti, ad optatum finem, felicemque exitum illud perducere, prout Salomoni contigit, qui finito illo sumptuoso templo, cum universo populo per quatuordecim dierum spatium ingenti iubilo exultavit; ita sane Christus, deducto ad perfectionem nostrae redemptionis opere, gloriosaque coronide tanto muneri imposita, ut ipse praedixit (*Ioan.* 17.), *Opus consummavi, quod dedisti mihi:* peracta etiam, ac perfecta sumptuosa haec catholicae Ecclesiae fabrica, quam summis laborum impendiis extruxerat, fieri minime poterat, quin summa animi voluptate, ac singulari iucunditate perfunderetur. Atque hinc est, ut sancti Patres inter ceteras omnes Christi solemnitates illum suae gloriosae Ascensionis diem praecipuum esse semper existimarint, ut qui ea die omnia opera sua veluti sigillo quodam obserarit, ac obsignarit, quo incredibilem auctoritatem, summumque splendorem omnibus per universum eius vitae curriculum patratis operibus contulit, adeo ut divus Bernardus Christi Ascensionem appellet: *Felicem clausulam totius itinerarii Filii Dei.* Si enim attente universum vitae suae curriculum contemplemur, nihil aliud esse comperiemus, quam librum quendam calamo velociter scribentis conscriptum, mirabilem eius doctrinam continentem, prodigiis, ac miraculis firmatum, morte approbatum, resurrectione constabilitum, Ascensione demum obsignatum, ut absque rubore intrepide evulgari possit. Fuit etiam totius vitae Domini progressus instar cuiusdam solemnis Missae, quam in hoc mundo celebravit, cuius introitus fuit illius in hunc mundum venientis Nativitas; Epistola, atque Evangelium praedicatio; sacrificium hostiae, quod in ara crucis Deo Patri obtulit; Ascensio vero, Ite Missa est. Nec defuit benedictio, S. Luca dicente (*Luc.* 14): *Benedicens ferebatur in coelum.* Unde egregie D. Epiphanius dixit: *Ut enim caput totam corporis constitutionem ornat, ita hodierna die solemnitas divinae oeconomiae pulchritudinem, quasi colophonem imponens mirifice illustrat.* Igitur cum hodiernae diei opus omnia Christi opera perfecte complevit, non immerito summam illi voluptatem hodiernam solemnitatem attulisse credimus. Secundo, quid quaeso mortalibus magis a natura insitum est, quam ut a patria absentes ex eorum in illam reditu summam animo voluptatem concipiant? Testis nobis erit Ulysses ille, quem Graecorum poetarum facile princeps Homerus refert a sapientibus omnibus destitutum, tam singulari in patriam, ac natale solum amore incensum fuisse, ut diceret, semper patriae adeo vicinum esse desiderare, ut fumum ex illius caminis salientem videre posset. Unde a Luciano proverbium prodiit, *fumum propriae patriae clariorem esse, quam solem in aliena.* Quibus si adiiciamus, illam Ulyssis patriam non Romam caput mundi, non Athenas Graeciae gloriam, non populosam Alexandriam, sed Ithacam humile oppidulum asperrimis maris saxis veluti nidulum affixum fuisse, facile inde deprehendemus, quanta sit naturae vis, quantumque amoris pondus in patriam, et quale tandem ob reditum in illam gaudium, quod incolarum ad eam revertentium animos exhilarat. Volucres etiam, ceteraque orbis animantia summopere eo, unde digressa sunt, redire delectantur; aves ad nidos suos, ad venatoris manus accipitres, cuniculi ad antra, serpentes demum ad cavernas suas regredi gaudent, unde Poeta cecinit:

*Repetunt proprios quaeque recessus,*
*Redituque suo singula gaudent,*
*Nec manet ulli traditus ordo,*
*Nisi qui fini iunxerit ortum,*
*Stabilemque sui fecerit orbem.*

Si igitur haec est hominum, et animantium omnium natura, ut in patriam, propriaque domicilia redeuntes summopere exultent, quis, quaeso, Christum Dominum in coelum, connaturalem eius patriam (utpote, quia iuxta Pauli sententiam erat secundus homo de coelo coelestis) feliciter redeuntem, summa alacritate perfusum ambiget? Ex his infero, quantum in nobis tepuerit, immo et emortuum sit supernae felicitatis desiderium, qui tametsi coelum nostra sit patria, ne vel minimo illius trahimur amore. Verum si me tantisper de coelestibus huius patriae bonis disserentem audieritis, spero vestrum omnium corda incredibili quodam, atque insolito eo quamprimum adeundi desiderio accendenda, atque inflammanda fore. Ibi sumptuosa praeclaraque extant palatia (*Num.* 14.): *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, et tentoria tua:* ibi ornatissima cubilia (*Psal.* 143.): *Laetabuntur in cubilibus suis:* ibi continua musica dulci melodia animum recreans (*Psal.* 117.): *Vox exultationis, et laetitiae in tabernaculis iustorum:* ibi ingentes divitiae (*Psal.* 111.): *Gloriae, et divitiae in domo eius:* ibi summa libertas (*Gal.* 4): *Quae sursum est Hierusalem, libera est:* ingens adeo auri copia ut ipsa civitas aurum sit, Ioanne dicente (*Apoc.* 1.): *Ipsa civitas aurum mundum:* ibi omnium generum deliciae (*Psal.* 35.): *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae:* locus ille ab omni periculo, omnique malo immunis (*Psal.* 19.): *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo:* ibi nihil impurum, in-



fectumve ingreditur (*Apoc.* 20.): *Non intrabit in illam civitatem quidquam immundum, aut coinquinatum;* ibi peccati turpitudo non adest, omnia sanctitatem redolent (*Isai.* 35.): *Via sancta vocabitur, et mala bestia non ascendet per eam;* ibi omnes chari filii Dei sunt (*Osee* 1.): *Dicetur eis filii Dei viventis;* ibi omnes Reges (*Apoc.* 22.): *Regnabunt cum Agno, et Agnus cum illis;* ibi omnes felices, ac beati (*Psal.* 83.): *Beati qui habitant in domo tua Domine;* ibi perfecta omnibusque numeris absoluta satietas (*Psal.* 17.): *Satiabor, cum apparuerit gloria tua:* ibi summa pax (*Isai.* 32.): *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis;* ibi denique plenitudo, ac summa omnium bonorum, quae excogitari, aut desiderari possunt, exuberantia (*Exod.* 333.): *Ego ostendam tibi omne bonum.* Patriam igitur commodam adeo, tam delitiosam, tam omnium rerum abundantia profluentem non possidere, aut eius possessionem differri quis una cum Davide Propheta (*Psal.* 119.) profusis lacrymis non lamentabitur? *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Tertio, si inanimata vi quadam naturae insita ad proprium locum, velut ad centrum, inclinantur, quem extra pacifice consistere nequeunt, et in eorum propriis locis reposita summa quiete demorantur, quae in rebus inanimatis est veluti metaphorica quaedam delectatio veram illam, quae in possessione rei antea desideratae percipitur, imitans: proprium Christi locum coelum esse, haud difficile erit comprobare. Tellus rerum corruptibilium, et tempore labentium naturalis locus est, ut Sapiens dixit (*Eccles.* 1.): *Generatio praeterit, et generatio advenit etc.* sacrum autem Christi corpus licet passibile, ac mortale esset, divina dispensatione corruptioni non erat obnoxium, Propheta dicente (*Psal.* 15.) *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et ideo tanquam incorruptibili corpori incorruptibile coelum, omnis peregrinae impressionis expers, tanquam proportionatus locus ei debitus erat. Si enim Aristoteles tradit locum, et locatum proportionari debere, et experientia nos docet, omnia elementa, omnes coeli volucres, omniaque animantia propria, ac proportionata sibi loca appetere, et in eisdem summa quadam delectatione requiescere: quis ergo, quaeso, Christum coeli empyrei fastigia calcantem, et connaturalem sibi locum possidentem vehementer exultavisse inficiabitur? At obiiciet forsan aliquis illud S. Gregorii: *Carnis enim locus proprius terra est, quae quasi ad peregrina ducitur, dum per Redemptorem nostrum altius in coelo collocatur;* igitur coelum non naturalis, sed peregrinus locus est Christo. Ego ut huic obiectioni faciam satis, utar exemplo relato per Aristotelem, et Herodotum dicentes, Imperatorem Amasim Demetiadem appellatum, ex humili loco natum ad imperialem dignitatem pervenisse, eaque de causa apud suos auctoritate parum valuisse, qui, ut ipsi eorum errorem agnoscerent, accito ad se aurifice mandavit, ut e pelvi quadam pedibus suis lavandis antea destinata insignem quandam Iovis statuam conficeret; quam, dum quadam die ipse, totusque populus in templo versarentur, iussit in medium afferri, eamque omnes flexis genibus statim adorarunt. Quibus Amasis: *Quid, inquit, adoratis quod hesterna die vas abluendis pedibus meis deserviebat? Cui omnes responderunt, non aspicimus quod fuit, sed quod nunc est,* Unde ipse haec verba in eos retorquens continuo dixit: *Ergo non aspiciendum quod fui, sed quod sum.* Egregiam hanc huius imperatoris responsionem rei nostrae applicantes, sane si naturam mortalis nostri corporis contemplemur, proprium eius locum terram esse, utpote ex illa formatum, incunctanter dicemus, unde cum ad coeli locum elevatur, ad peregrina ducitur, ut ait S. Gregorius. Verum si aspiciamus non mortale, quod fuit, sed quod nunc est immortale, et gloriae dotibus cumulatum, coelum ipsum proportionatum, et connaturalem illius locum esse ingenue fatebimur: *Non igitur aspiciendum quod fuit, sed quod est.* Quemadmodum experimur naturalia omnia, mutatis eorum conditionibus, et qualitatibus, locum etiam mutare: quod enim antea aqua erat, ideoque in inferiori terrae loco propter eius gravitatem consistebat, iam in vapore resoluta, in altum subtilis effecta conscendit; ita Christi corpus de mortali in immortale, de passibili in impassibile commutatum, ac novis, et gloriosis etiam qualitatibus exornatum, non terram, sed coelum coelorum, et sublimiorem eius verticem tanquam proprium, et connaturalem locum sibi vindicat. Unanimis est philosophorum sententia totalem, vel praecipuam corporis existentiam esse a forma; unde quanto forma nobilior est, et etiam corpus nobilius existit, et consequenter nobilior, et dignior locus ei debetur. Cum ergo corpus Christi ceteris omnibus nobilius, et excellentius sit tum propter modi productionis illius excellentiam, cum Spiritus sancti opera efformatum fuerit; tum propter formae illud informantis nobilitatem, quae omnem formam huc usque creatam longo intervallo superat; tum ob insignem dotium illud exornantium varietatem; tum tandem, et potissimum propter hypostaticam cum Verbo, a quo sustinetur, unionem: iure sane optimo locus omnium nobilissimus, ac excellentissimus, nempe empyreum coelum, ei debebatur, ubi nunc in maiestatis throno sedet, ac in aeternum, et ultra sedebit. Iam nunc de mira Angelorum alacritate dicamus. Sane Christi ascensio non modicum divinos illos angelicos spiritus oblectavit. Cum enim coelestis illius Hierusalem lux existat (*Et lucerna erat Agnus*) necessario singulari quadam animi delectatione solem istum nasci, et ex eo novam in eorum hemisphaerio prodire lucem videntes, oblectari necesse erat; maxime quod si peccatorem per poenitentiae portas ingredi vident, delectantur adeo, ut Christus Dominus dicat (*Luc.* 15.): *Gaudium est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente:* maiori proculdubio gaudio affectos non dubitabo, cum creatorem, et Dominum suum paradisi portas introeuntem conspexerunt. Si quando Christus uti generalis Ecclesiae dux in terram descendit, cruentum cum hoste certamen initurus, prae nimio gaudio Angeli in porticum Bethlehem descenderunt, cum ingenti iubilo

canentes (*Luc.* 2.): *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*; quid, quaeso, cum iam exacto conflicto, prostratoque potentissimo hoste, ipsum victorem, ac triumphantem, et regni possessionem in praemium victoriae accipientem conspexerint, maiori gaudio non afficientur? Ceterum iam discutiamus hominum laetitiae causas. Gregorius Nyssenus mirabile Ascensionis mysterium cum nativitatis arcano conferens, causam, ob quam in illa magis, quam ista laetari debeamus, brevi verborum compendio in haec verba exponit: *In die nativitatis Dominus vere hominem se esse confessus, in ascensione vero se esse Deum testatus est: in illo die descendit redempturus nos, in hoc ascendit glorificaturus: illa fuit veluti medium quoddam, haec vero finis.* Merito igitur magis de Christi Ascensione, quam de illius nativitate gaudere, laetarique fas nobis est. Quamvis autem non diffitear, sacros Apostolos ex Christi discessu non modicum dolorem, ac timorem concepisse, ut Christus eis praedixerat (*Ioan.* 16.): *Tristitia implebit cor vestrum:* quod et observavit D. Bernardus, dicens: *Quid putatis, fratres, quantus dolor, et timor irruit Apostolica pectora?* Illud enim amantium ingenium, est haec communis omnium conditio, ut ex amati absentia contristentur. Unde videmus Agar Abrahami, David Ionathae, Ephesios divi Pauli discessum aegre admodum, molesteque tulisse, adeo ut discedentis Pauli collum tenentes amplexarentur, et illum deoscularentur (*Act.* 20.): *Incumbentes super collum Pauli eum deosculabantur*; Christus tamen Dominus cruentum Calvarii montis certamen initurus, cum a discipulis suis discessurus esset, maiorem dolorem ex eorum absentia concepit, ut aperte indicat Lucas, dicens (*Luc.* 21.): *Et avulsus est ab eis.* Quibus verbis metaphoram ab arbore sumit, quae cum altissimas fecerit radices, difficulter eradicari, aut evelli potest, semelque eradicata adhuc plures radicum reliquiae terrae defixae restant. Non secus Christus Dominus, qui adeo amoris, et benevolentiae altas radices in discipulorum animis fixerat, ut ab eis discessus non exiguo animi dolore ante resurrectionem eum afficeret. Similem ergo dolorem, ait Bernardus, *Apostoli, quasi par pari referentes, ex absentia Christi conceperunt.* Ipse autem ita benevole, ac iucunde iam iam in coelum ascensurum eos allocutus est, ut exaltatio, et laetitia exinde in eorum animis praedominari coeperit. Ut etiam consolaretur eos, novas militiae copias, tanquam catholicae Ecclesiae ducibus, ad universum expugnandum terrarum orbem a principe tenebrarum tyrannice usurpatum concessit, et singulis Evangelicae doctrinae evulgationem, et Christianae religionis propagationem commisit. Haec enim erant arma, haec bellica tormenta, hi gladii evaginati, quibus hostes debellare, ac superare debebant. Videor sane audire opportune Christum tunc dicentem (*Ioan.* 16.): *Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Ecce ego officium meum adamussim adimplevi, sic et vestrum rogo vos, adimpleatis, nec diutius quam opus fuerit, in mundo immoremini, sed ad me confestim Apostolico munere completo revertamini. Quod si praesentiam meam multum utilitatis vobis allaturam putatis, credite mihi, absentia mea supra modum magis proderit: *Nam si ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos;* et haec dicens singulos amplexabatur, subiungens (*Ioan.* 14.): *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Tunc discipulos ei dixisse contemplor: Domine, quando servus tuus Elias curru igneo in coelum subvectus est, bona mobilia, atque immobilia discipulo eius Eliseo reliquit: mobile quidem pallium, immobile vero duplicem eius spiritum. Nobis autem tu, qui maior es Abraham, Elia, et priscis omnibus Patribus, quid relinquis? Ego, ait Christus, loco bonorum immobilium Spiritum sanctum polliceor, qui superveniet in vos, in sempiternum vobiscum permansurus (*Act.* 1.): *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos:* et vice bonorum mobilium Sacramentum Altaris, ubi sacramentaliter permanebo usque ad ultimam mundi periodum, sed non ultra: *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* His igitur dulcissimis verbis recreati discipuli Christi, ac pretiosissimis muneribus, divinisque pignoribus locupletati non poterant non ingenti gaudio, et alacritate perfundi. His adiungamus communem aliam omnibus nobis laetitiae causam, et summi gaudii rationem. Christus enim Dominus coelum ascendit, ut ibi pro nobis advocati munus, ac procuratoris officium, in causis nostris, tam civilibus, quam criminalibus gereret, ut ait sanctus Ioannes: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Si quis ergo in peccatum inciderit, sciat se in coelo perpetuum, ac indefessum veniae sollicitatorem habere, qui thuribulo cordis igne charitatis accenso Deo Patri semper thurificat, ne flagitiorum, peccatorumque nostrorum graveolentia sursum ad Deum ascendat, ac divinam contra nos provocet iram.

Sciat qui peccavit, disertissimum in coelo adesse advocatum, qui singulari cura ac diligentia, cum summa sapientia coniuncta, aeternae salutis suae negotium procurat, totque linguis in favorem nostrum rationes allegat, quot vulnerum cicatrices in sacratissimo suo corpore servans aeterno Patri incessanter praesentat: illud enim instaurans, quod olim fecisse legitur dux ille, de quo refert Plutarchus in vita Marci Marcelli, eum gravis cuiusdam criminis accusatum, in conspectu senatus vestimenta exuentem, ac plagas, vulneraque sua pro senatus, populique defensione accepta detegentem dixisse; nonne (o Romani) mortalia haec vulnera, pro communi Reipublicae utilitate accepta, praemium aliquod promerentur? Tantae fuit efficaciae spectaculum istud, et loquentis verba vehementer adeo auditorum animos permoverunt, ut continuo delictum condonarent, summisque honoribus Marcellum cumularent. Non dissimiliter Christus Dominus coram aeterno Patre vulnera manibus pedibusque, ac



sacratissimo eius lateri inflicta praesentans clamat in tribunali Dei, misericordiam exhibe aeterne Pater, et veniam impertire peccatoribus. His plagatus sum, ut eorum plagis medearis: nonne plagae istae praemium hoc promerentur? Congruenter admodum ad rem hanc illustrandam loquutum arbitror, qui Christum in coelo placantem pulmonis officio functum praedixit. Natura in animalium corpore, quia cor est inter omnia calidissimum membra, pulmonem ei adesse providit, qui instar follis perflantis nativum calorem suaviter refrigeraret, eiusque vehementem temperaret ardorem. Ita aeterni Patris pectus intueor contra peccatores furoris igne incensum atque inflammatum: *Ignis succensus est in furore meo.* Christus autem vi clamorum suorum hunc divini furoris ignem, ardentesque flammas mitigat, ac temperat, ne iustitiae fulgura in nos mittat, et pro meritis in nos excandescat. Singularem hanc curam, quam Christus in coelo habet suos protegendi, exigebat olim Sponsa, cum dicebat (*Cant.* 2.): *Fuge dilecte mi, assimilare capreae, hinnuloque cervorum.* Nam, ut testantur Archelaus, et Alemon, quos Pierius Valerianus refert, capreae peculiare est, per aures respirare, ideoque acutissimi est auditus: nam sicut inde respirans aerem ad aures attrahit; sic etiam necessarium est vocem, sonitumque illi suppositum, et inhaerentem attrahere. Dum igitur Sponsa Christo dixit, *Assimilare capreae*; perinde fuit, ac si diceret, cum capra acutissimo vigeat auditu, assimilare capreae, a distantissimo loco audienti; et sic mortalium clamores exaudi, ne illis divinae tuae misericordiae aures obtures. De hinnulo autem referunt Plinius, et Aristoteles, et ipsa rerum magistra experientia docet, quod dum fugit, nonnumquam caput retrorsum intorquet, quod nimiae suae agilitatis fiduciae volunt quidam adscribere. Pierius Valerianus e contra ait, causam illius esse, quod pectoris compressione laboret, et ideo paulisper sistit, ut respirare, et novum aerem attrahere possit. Verum quidquid sit de hoc, id satis exploratum est, Christum in coelum ascendentem a discipulorum intuitu oculorum aciem non deflexisse, neque ad eos faciem convertisse ob pectoris compressionem, sed potius propter tantam illius amplitudinem, ac latitudinem, ut nos omnes in eo velut amantissima mater contineat, et complectatur, unde ex regali maiestatis suae throno nec per momentum oculos ab orphanis filiis, quos in hoc videt demorari exilio, deflectit, sed semper in eos intendens protegit, eorumque subvenit indigentiae. Denique si Christi resurrectio insolitam in catholicis animis excitavit laetitiam, dum intuentes velut exemplar quoddam, ad eius imitationem corporis resurrectionem futuram contemplantur (*Phil.* 3.): *Configuratum corpori claritatis suae*, ut inquit Paulus; non minorem Christi Ascensio alacritatem parere debet, cum et ipsa perfectissimum quoddam exemplar sit omnium nostrum ascensionis in coelum, ut ipse ascendit, ita et nos ascendemus; et sicut ipse in nubem subiit (*Qui ponis nubem ascensum tuum*) ita et nos, ut testatur Apostolus (2. *Thes.* 4.) ascendemus: *Simul rapiemur cum illo in nubibus obviam Christo in aera.* Verum dicet aliquis: si Christo Domino attestante (*Ioan.* 3.); *Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo:* ergo solus Christus in coelestem patriam *ascendet*, et nos in lacrymoso hoc exilio miseri remanebimus. Acute admodum huic obiecto respondet S. Bernardus in illius loci expositione: *Solus quidem ascendit, sed tamen totus.* Unde cum nos simus partes huius totius, ut ita loquar, tanquam sui mystici corporis membra, sane per illa verba ab ascensione coeli neutiquam excludimur, immo sub illis omnino comprehendimur, ac proinde hodierna die illius in Christo capimus possessionem. Potest etiam hoc apto hoc exemplo explicari: cum enim dicimus in hac domo tantum esse unum hominem, nemo sanae mentis dicet, vestimenta eius excludi; iusti autem vestimenta sunt Christi, sicut in Isaia (*Isai.* 49.) scriptum est: *Vivo ego, dicit Dominus, omnibus his vestieris.* Verum enim vero, licet omnia Christi opera, omnesque et singulae eius actiones ad hunc scopum tenderent, ut nobis coelestem gloriam compararent, unde hanc nobis in vita promisit, in morte acquisivit, et in resurrectione manifestavit; nihilominus quia, ut possessionibus cautum est: *Non nudis pactis rerum nobis dominia acquiruntur:* ideo cum Christus hodie, uti caput nostrum, pro nobis omnibus coeli possessionem capiat, hodie etiam nos illam accepisse censemur. Hoc cuius, quaeso, animum non exhilaret? cuius moerorem non depellat? cuius viscera summa alacritate non perfundat? Atque ut finem dicendi faciam, illud silentio non praeteribo, quod quantum laetitiae, et gaudii gloriosa Christi Ascensio catholicae Ecclesiae attulit, tantundem tristitiae, et moeroris diabolo, ac inferno contulit. Unde eleganter D. Epiphanius (*de Ascensio. Christi*) dixit: *Hodie per Iesu Ascensum peccatum veluti fumus disparuit; hodie Diabolus corpus nostrum in coelum sublevatum cernens, calamitatem suam deplorat. Quid faciam infelix? Mariae filius me conculcavit.* Quamvis autem verissimum sit, Christum Dominum mortalem vitam agentem in omnibus praeliis cum Satana initis eum acerrime compescuisse, ac facili negotio profligasse; hodie tamen, cum in altissima coeli empyrei fastigia conscendit, merito Hispanus illud proverbium pro Christo usurpare licebit, *que tiene la cuestaylas piedras contra su enemigo.* Unde tanto cum saxorum turbine inde obruit, ut pristinis viribus extenuatis tenellae virgines illum expugnent, vincant, et Christi gratia roboratae, ignominiose illudant. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## HOMILIA XIII.

*Multiplici eruditione, et conceptuum varietate explicantur verba illa: Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Iesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis.*

ALERE FLAMMAM VERITATIS

Tot ac tantis proposita verba mysteriis scatent, et ad informandos nostros mores apta adeo, ut in eorum expositione non transcursim percurrere, sed longiori sermone immorari oporteat. Recenset sacer Evangelista Christum discumbentibus discipulis apparuisse. Admiratione dignum arbitror, quod Christus Dominus sapientia Patris cum esset, ad discipulorum increpationem non aliam elegerit opportunitatem, quam tempus prandendi, cum aptius videretur, cum orationi, aut alii religiosae actioni vacabant. Hoc sane Dei ingenium est, ut ubi infirmitas crebrior est, ibi frequentius, et accuratius medicinam adhibeat. Inter epulas autem, et convivia multa flagitia solita esse patrari, et totidem supplicia a Deo infligi facile omnibus innotescet, si sacrorum Bibliorum monumenta parumper consulemus. Sane omnes Israelitae teste David (*Psal.* 77.) dum escas in ore haberent, divina ira coelitus percussi mortem oppetierunt: *Adhuc escae erant in ore ipsorum, et ira Dei descendit super illos.* Rex Balthasar in splendido quodam convivio, cum regni sui Primatibus mensae assidens in parietis superficie manum tribus digitis sententiam mortis scribentem conspexit. Babylonios lautissimis epulis vacantes, discumbentesque, Persae, et Medi invasere, Isaia Propheta id attestante (*Isai* 21.): *Comedentes, et bibentes surgite Principes, et accipite clypeum.* Quamvis autem se bello accingere tentarunt, ciborum tamen gravedine praepediti, nihil effecerunt, sed *Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia Deorum eius contrita sunt in terram.* Amnon ad convivium ab Absalone vocatus inter ceteras escas mortis buccellam pugione confossus deglutivit.

Filiis Iob in domo fratris sui primogeniti lauto, et opiparo convivio discumbentibus, ventus vehemens concussit quatuor angulos domus, quae corruens omnes pariter oppressit. Quid plura? Hanc conviviorum intemperantiam lasciviae fontem, et multorum malorum originem ita Deus semper execratus est, ut illam statuerit legem (*Deut.* 21.): *Filius vester si comessationibus vacat, atque conviviis, lapidibus obruet eum populus.* Unde sanctus ille Iob agnoscens gravia, quae ex conviviis pullulare solent nocumenta, filiis epulis vacantibus ipse orabat, ac Deo sacrificia, non secus, ac si in procelloso mari, aut infestissimi belli discrimine versarentur, pro illis offerebat, dicens (*Iob.* 1.): *Ne forte peccaverint filii mei.* Et exitus rei aperte docuit, quam prudenter mala, quae inde emergere possent, pertimescebat: inter pocula enim, et cibos discumbentes, omnes eius filii occubuerunt. Denique neminem divinarum litterarum ita inscium arbitror, qui Loth nefandum incestum, Absalonis contra Amnonem proditionem, Balthasaris execrabile sacrilegium, Herodis contra Ioannem iniustam capitis sententiam, Idolorum cultum ab Israelitis praestitum, (*Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere*), ex nimia epularum ingluvie ortum habuisse, ulla ratione inficiari possit. Tot ergo, tantorumque malorum convivia seminarium sunt, ut ad ea exterminanda consulto Christus Dominus non semel conviviis adesse voluerit, quoniam cum publicanis non semel recubuit, a Simone invitatus mensam eius non respuit, apud Matthaeum Telonarium domi pransus est, nuptiis Canae Galilaeae interfuit, ut vesceretur in domo Zachaei, ipse se invitavit: *Hodie oportet me manere in domo tua.* Ac deinde cum discipulis suis favum mellis comedisse apud Lucam legimus. Nunc tandem: *Recumbentibus undecim discipulis*, ait Marcus, *apparuit illis Iesus.* Ad quid dum prandent? Sane cum epulae appetitui sensitivo gratae valde, ac consentaneae sint, facileque propterea earum animum depravare possit, ideo discumbentibus apparet, ne a temperantiae regula deflectant, ac devient, sed per epulas etiam Dei gloriam quaerant, D. Paulo dicente (1. *Cor.* 10.): *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* Iob epularum illecebras adeo pertimescebat, ut pransurus prius suspiraret (*Iob.* 3.): *Antequam comedam, suspiro*, quod arma infestissimo huic hosti porrigam, et sensualitatis igni fomentum addere compellar. Propheta etiam David ad coercendum effraenem gulae appetitum, cinerem, in quem corpori, quod nutriebat, revertendum erat, alta consideratione prius perpendebat (*Psal.* 101.): *Et cinerem tanquam panem manducabam.* Ac si diceret, nullo vescebar cibo mortis memoria, et cineris consideratione non condito. Recenset sacra Scriptura historiam quandam huic argumento non parum consentaneam. Babylonis Rex falso sibi persuadebat, Idolum suum vitae spiritum habere, utpote, quod dapes, epulaeque omnes in altari suo noctu oblatae mane non comparebant; revera tamen sacerdotes clam templum introeuntes omnes illas devorabant. Propheta Daniel ut eum ab eo errore liberaret, monuit Regem, ut ea nocte eodem, quo solebat, ciborum apparatu altaris mensa sterneretur, et claves templi secum ipse ferret. Daniel tamen cinerem afferri mandavit, quo universum templi pavimentum aspersit. Nocte autem sequente sacerdotes templum secrete ingressi omnia ciborum genera, ut solebant, surripuerunt. Rex summo mane una cum Daniele adiens templum, et intuitus mensam appositis cibis carere, continuo exclamavit: Ecce Daniel, Deus meus, ut praedixit tibi, quae illi offero, omnia comedit, ac ebibit. Cui Daniel subridens respondit: Converte (quaeso) oculos tuos in pavimentum, et cinerem aspersum, et mox sacerdotum fraus tibi innotescet. Tunc Rex intuitus vestigia cineri impressa, dolumque eorum, qui templum ingressi fuerant, epulasque deglutiverant, detegens, Idoli execrandum cultum detestatus est. Ratione profecto non dissimili si edaces, si helluones, Epicuri discipuli, oculos non in delicias, aut ciborum lautitiam, sed in pulverem cineremque, in quam corpora tandem sua sunt convertenda, conicerent, et cinerem cum Davide tanquam panem manducarent, facile a ventris sui turpissimo cultu se abstinerent, quem tanquam Deum venerantur, ut ait D. Paulus (*Phil.* 3.): *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione.*



*Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Iesus.* Possumus etiam eiusdem facti rationem assignare; sed prius difficultatem proponamus. Cum enim Christus Dominus ad discipulos ingrederetur, ut de propagatione fidei catholicae, de promulgatione Evangelii, de veritate suae resurrectionis, de necessitate suae in coelum Ascensionis, ac tandem de Spiritus sancti felicissimo adventu cum eis sermonem faceret, non videbatur ad negotia tanti momenti pertractanda prandii tempus aptum: unde illi litigantes, quorum meminit Isaias, litum negotia pertractaturi a cibis se abstinebant: *Ecce ad lites, et contentiones ieiunatis.* Verum facile huic obiectioni respondere possumus, discipulos Christi Domini temperate adeo cibis uti solitos, ut tempore etiam prandii ad negotia gravia pertractanda, minime ut alii, epularum satietate praepediti minus apti redderentur. Haec epularum temperantia, quae in Christi discipulis emicuit, eorum intemperantiam et effraenis appetitus libidinem condemnat, qui velut legitimi illius epulonis haeredes, qui animae dicebat (*Luc.* 12.): *Anima mea comede, bibe, epulare*, variis ciborum, et epularum generibus ventrem onerantes, cupidinis flammas accendunt, et velut bruta animantia cibo se ingurgitantes coelestia oblivioni tradunt. Divus Basilius, explicans praecitata verba sanctae Lucae, interrogat, quid sit quod cum corpori conveniat, non animae, vesci, et comedere, epulo ille non corpus, sed animam ad comedendum invitarit: *Anima mea comede, bibe, epulare.* Respondet, quod intemperati, et voraces homines consuevere plerumque etiam satiato corpore, epularum suavitate allecti, ut animae voluptati inserviant, amplius comedere. Tunc autem satiato corpore, cum de satietate appetitus animae agatur, magis certe anima, quam corpus, comedere videtur, et idem intemperantissimus ille epulo animae dixit: *Anima mea comede.* Corpore enim, utpote iam plene satiato, non erat ut illud quis invitaret, cum satietas nauseam, non appetitum pariat. Huic tamen intemperantiae atque nimiae edacitati continuo nuncium misit, dicentem, hac nocte repetam animam tuam a te. Supplicium sane intemperantiae satis consentaneum: sicut enim temperantia longiorem, ita intemperantia breviorem reddit vitam, Ecclesiastico id attestante (*Eccl.* 37.): *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adiiciet vitam.* Sicut enim lucerna dum paulatim cerae nutrimentum assumit, ardet, et lucet; deorsum tamen conversa tanta cerae copia decidit, ut tandem illam extinguat; unde fit, quod eiusdem nutrimenti usus, qui alioquin temperatus lucernae lumen conservabat, idem intemperatus illum suffocet; non secus cibus temperatus vitam nutrit, et fovet; nimius autem superfluus eandem decurtat, immo et extinguit.

*Recumbentibus discipulis, apparuit illis Iesus.* Voluit Christus Dominus convesci una cum discipulis, ut hoc humanitatis indicio Principes doceret non difficiles, sed humanos erga subditos praebere se debere. Eiusdem enim mensae convictus humanitatis, et benevolentiae argumentum semper extitit. Unde, ut Babylonis Rex singularem erga Danielem Prophetam benevolentiam ostenderet, illum ad convivium invitavit (*Dan.* 14): *Erat autem Daniel conviva Regis.* Patriarcha Ioseph in testimonium amoris, quo fratres suos diligebat, eos secum discumbere iussit. Ac tunc praecipue Assueri erga Amanem benevolentia innotuit, cum eundem sibi convivam adhibuit: unde ipse gloriabatur, dicens (*Genes.* 43): *Nullum ad convivium vocavit Rex praeter me.* Immo Christus Dominus, ut significaret quam familiari consuetudine cum beatis in coelesti beatitudine sibi utendum esset, dixit discipulis suis (*Luc.* 20.): *Ego dispono vobis, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo.* Igitur simul discumbendi consuetudinem amoris, et humanitatis pignus esse compertum satis est. Principes ergo, si humanos se, ac benevolos subditis exhibeant, eorum animos facile sibi conciliabunt, iuxta illud Ecclesiastici (*Eccl.* 23.): *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris.* Unde praecipuum Absalonis stratagema ad debellandum, et a regia sede deturbandum Davidem suum fuit, quod humanitate summa, atque benevolentia erga subditos uteretur. Ad fores civitatis veniebat, advenarum calamitati, ac miseriae condolere se simulabat, quo (ut ait sacra pagina) *Sollicitabat corda virorum Israel.* Quintilianus etiam (*libro institut. suarum orator. c.* 9.) dicit Spurium Melium, et Marcum Manilium apud Romanos antiquitus in suspicionem venisse, quod proditionem Reipublicae molirentur, et ad Romani Imperii dignitatem tyrannice occupandam conspirarent, eo quod singulari quadam humanitate, ac comitate omnium animos sibi conciliarent. Plutarchus quoque in vita Thesei de eo refert, ea erga omnes illum humanitatis ac benevolentiae signa demonstrasse, ut Athenienses egregium, ac mirabile, summaeque magnificentiae sepulcrum ei extruerent, qui delinquentibus tutissimum asylum erat, et ibidem quotannis solemne quoddam sacrificium ei fiebat. De Milciade Rege Probus vitae eius historiographus testatur, tantae erga omnes humanitatis fuisse, ut nullius quantumcumque humilis, ac abiectae conditionis consuetu-

dinem, et familiaritatem repulisse, sed omnes, et singulos comiter semper allocutum fuisse asserat. Nos denique experientia rerum omnium magistra edocet, quod Principes, qui insolita quadam superbia nimium elati, et quasi super cardines coeli perambulantes, nec nostra considerantes, inaccessibiles se exhibent, non modo a subditis non amantur, sed summo ab omnibus habentur odio, ut egregie nobis significavit AEsopus sub illa ranarum fabella, cum regem a Iove sibi dari postularunt, quibus Iupiter annuens truncum quendam arboris, quem in paludem proiecit, misit illis in regem, qui vehementem adeo strepitum ac fragorem in palude excitavit, ut ranae prae nimio timore perculsae pariter aufugerent, nullumque prorsus novo regi honorem praestarent. Ecce Æsopi fabula, sed quae veritatem ad vivum exprimit, cum principes quidam propter nimiam eorum inhumanitatem, ac debitae comitatis defectum, subditorum animos exosos adeo sibi reddant, ut et ab eis fugiant, ac debitam servitutem, honoremque praestare recusent; et cum praestant, inviti atque reluctantes id faciant. *Recumbentibus undecim discipulis.* Quamvis sacer Evangelista Marcus Christum Dominum cum discipulis comedisse non referat, id tamen S. Lucas non praetermisit. Cupiebat sane Christus Dominus quasi quamdam suscitatae iam humanitatis suae symbolicam fieri a sensibus anatomiam, ut vera eius resurrectio magis discipulis innotesceret. Et ideo voluit a discipulis pertractari, ut et visu illum intuerentur, audita loquentem audirent; manum tactu palparent, et contrectarent, olfactu respirationem, et anhelitum eius perciperent. Ut tamen gustus testimonium ad stabiliendam veritatem resurrectionis eius non desideraretur, in conspectu discipulorum manducavit: *Et cum manducasset cum illis.* Unde egregie divus Gregorius Magnus (*in commentario huius loci*) ait: *Notate verba, signate mysterium: convescens elevatus est, comedit, ascendit ut per affectum comestionis veritas patesceret carnis.*

*Apparuit illis Iesus.* Nihil discipulis praemeditantibus de Christi adventu praeter eorum opinionem sese oculis illorum obiecit: in quo piissimi Dei viscera mihi deteguntur, qui plerumque non quaerentes se ipse avidissime quaerit, ut per Isaiam testatur (*Isai.* 63.): *Palam apparui non quaerentibus me.* Hoc beneficium vocationis, licet inaestimabile sit, omnibus tamen divina largitas illud confert: *Ad ostium*, ait (*Apoc.* 3.) *sto, et pulso.* In cuius figura legimus summi sacerdotis vestem hoc speciali ornamento decoratam fuisse, ut ex eius fimbria malogranata, et tintinnabula penderent. Granorum multitudo, et divisiones eorum, quibus malogranata scatent, diversitatem gentium, et provinciarum varietatem, in quibus habitant, praesignificabant. Tintinnabula vero, quae sonum, vocemque emittebant, Dei vocationem, qua gentes vocat, apte designabant. Ut autem significaretur, vocationem hanc ad omnes gentes, et nationes extendi, praecepit Deus, taut malogranata fuissent numero septuaginta duo, ut Hebraeorum quidam magistri observarunt, quia secundum insignem cosmographum Ptolemaeum, totidem sunt mundi provinciae. Unde etiam discipulos septuaginta duos esse cernimus, ut singulis provinciis singuli Episcopi praeficerentur, qui catholicam fidem docendo eis evulgarent. Vocationem hanc contemplatus Propheta Oseas, dixit (*Ose.* 6.): *Quasi diluculum erit praeparatio eius, et veniet quasi imber matutinus, et serotinus.* Sicut enim Deus tanquam auctor naturae auroram mittit, qua hemisphaerium nostrum clarescere incipit, deinde imbre matutino terram irrigat ad seminationem valde necessario, ac tandem serotina pluvia illam foecundat, ut quod satum est, crescat, atque pullulet, ac tandem in pulchram suo tempore erumpat spicam; sic etiam ut auctor gratiae praeoccupet peccatorem, internae illuminationis aurora praevenit; deinde imbre matutino, hoc est, multiplici inspiratione, dura peccatorum corda emolliente (quam adiuvantem gratiam merito nuncupant Theologi); ac tandem serotina pluvia subsequentis gratiae animam foecundat. Vel dicamus matutinum imbrem vocationem Dei tempore iuventutis; serotinum vero tempore senectutis factam designare: quia misericos Deus sustinens in multa patientia iuvenem, senescentem vocat (*Isai.* 45.): *Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canes ego portabo.* Verum id valde dolendum est, quod cum Deus in vocationis gratia omnibus impendenda sollicitam curam gerat, peccatores tamen tanta segnitie torpescant, ut Christo millies vocanti nec semel respondeant (*Hiere.* 33.): *Vocavi eos, et non responderunt mihi.* Accidit his, quod Samueli, qui lecto cubans a Deo vocatus non respondebat ei, sed Heli. Heli autem dicebat, ut ad lectum reverteretur, et ibi persisteret. Heu quoties semel et iterum vocat Deus peccatorem, ipso tamen ei non respondente? mundo vero divitiarum, et voluptatum illecebris invitanti continuo respondet, et ab eo pravum illud Heli consilium accipit, ut ad lectum revertatur, hoc est, ad pristinam peccatorum consuetudinem redeat. Huius conditionis peccatores in maximo aeternae damnationis periculo videntur mihi esse constituti. Nam si ius Civile disponit, prout constat ex leg. inter. ff. de publ. iudiciis, ut qui a competente iudice vocatus, respondere, et comparere renuerit, bona eius sequestrentur; et si intra annum resipiens non responderit, omnibus illis spolietur, eorumque dominio ac proprietate privetur; quibus, quaeso, suppliciis putabimus afficiendum eum, qui a Christo Domino, supremo omnium iudice, non semel, sed millies vocatus, non modo per unum, immo et per plures annos divinae vocationi respondere distulit, et adhuc non respondit? Sane coelestibus omnibus donis spoliabitur, aeternis non fruetur, sed sempiternis gehennae cruciatibus deputabitur. Verum, ut magis innotescat modus, quo Deus Optimus Maximus peccatores misericorditer vocet, expendamus, si placet, verba Sponsae ad Sponsum loquentis, (*Cant.* 1.): *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Prius quidem est Deum nos trahere, postea



vero nos vocantem, et trahentem sequi: prius est Deum nos quaerere, quam nos eum invenire: prius denique Deum nos invitat, quam nos invitanti consentire, ut in conversione David satis id elucet. Prius enim Deus misit ad eum Prophetam Natan, ut peccatum, in quo per menses novem demoratus fuerat, ut colligit Cardinalis Caietanus ibi, (quia iam foetus in lucem prodierat ex adulterio conceptus) in faciem illi obiiceret, revera David tunc Dei, ut aiunt, inimicus declaratus erat. Videamus ergo, quis veterem illam amicitiam redintegrare, et instaurare incoepit: Deus ne, an David: quis dicet illud Ecclesiastici (*Eccl.* 37.): *Ego amicitiam copulavi.* Deus ne, an David? quis prius alterum ad conciliandam amicitiam invitavit, Deus, an David? Sane sacer textus respondit, dum ait (2. *Reg.* 12.): *Misit ergo Dominus Natan ad David.* Deus quidem quasi aegre ferret mensium trium inimicitiam, reconciliationem cum illo diligenter quaeritavit, et ad eam sollicitandam internuncium Prophetam misit Natan, qui Davidi pacem offert: quam ille acceptans, intimo cordis dolore, ac profusis lacrymis ad Deum conversus fuit; si tamen Deus eum non praeveniret, hodie adulterii eius macula deleta non fuisset. Ut ergo significaret Sponsa necessitatem gratiae efficacis physice praevenientis, et modum divinae vocationis animam physice praedeterminantis, efficaciter praemoventis, prius dixit, *trahe me post te*: tractio enim efficaciam divinae vocationis aperte denotat; ut autem divinae vocationi consensum libere et infallibiliter praestituram ostenderet, subdit: *et curremus in odorem unguentorum tuorum.*

*Et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis.* Tangit hoc loco sacer Evangelista discipulorum incredulitatis culpam, et ad credendum eius resurrectionem cordis tarditatem: id enim significat duritiam cordis, ut verba illa Christi (*Luc.* 14.) indicant: *O stulti, et tardi corde ad credendum*: unde quod Christus cordis tarditatem, vocaverunt Evangelistae duritiam cordis. De hac igitur disseramus, postea de increpationis Christi gravitate dicturi. Evenit Christi discipulis id quod navium classi accidere solet; onerat quidem ea opulentus mercator ingenti mercium copia, et ad regna, et provincias, in quibus illae desiderantur, transmittit. Verum vix medium navigationis suae iter confecerant, cum tumentibus undis mari fremente, exorta tempestate naves hinc inde errantes vagantur, haec in Siciliam, in Flandriam, aliae in Angliam immani ventorum turbine conquassatae rapiuntur; sedata tamen tempestate, confestim omnes ad eundem locum, unde aeris inclementia digressae fuerant, confluunt, et conveniunt. Non dissimiliter Christus Dominus, veluti coelestis, ac divinus mercator, ingentem quamdam navium classem praeparavit, duodecim Apostolos, ac septuaginta duos discipulos, et regiam triremem, Beatam scilicet Virginem; tempestate tamen passionis ingruente, naves illae tametsi eius doctrina communitae, naufragium passae sunt, una excepta triremi, Deipara Maria, quam urens incredulitatis ventus nunquam tetigit, sed in confessione Christi etiam externa, in qua Petrus illum negans, retenta tamen interna fide, defecit, ipsa semper perstitit. Tunc Iudae navis cupiditatis, et avaritiae ventis exagitata in desperationis miserrimam appulit insulam; reliquae vero in varias partes dispersae fuere, ut compleretur illud (*Matt.* 26.): *Percutiam pastorem, et dispergentur oves.* Transacta tamen passionis tempestate, et felici resurrectionis tranquillitate subsequuta, ad eundem iterum confluere locum; sed adhuc increduli, et tardo corde ad illam credendam. Huius autem incredulitatis causam si altius perscrutemur, eam potissimam esse arbitror, quod Christum in crucis patibulo assum animam exhalantem conspexerant, quod a Dei immortalitate, et maiestate adeo alienum iudicabant, ut quantumcunque Christus Dominus per quadraginta dies, quasi absentiae suae per mortem horas quadraginta compensans apud illos diverteret, multis argumentis resurrectionis suae veritatem suadere contendens, adhuc verum Deum esse vacillantes, incredulitatis morbo laborarent. Atque haec sine dubio eorum incredulitatis radix, et origo extitit. Praecipiebat olim Deus, ut in eius templo duo altaria extruerentur, quorum unum erat velut macellum quoddam animalium, carne, et sanguine plenum, quod permulti gentiles videntes, et scandalum patientes, exprobrabant Israelitarum Deum, et sacerdotes eius, pecorum sanguine, velut carnifices, aut macellarios cruentatos irridebant. Aderat tamen ex divino praecepto aliud sacratius altare in interiori parte, quod Sancta sanctorum vocabatur, pretiosissimis quibusdam Cherubinis ex auro contextis ornatum, et speciebus aromaticis suavissimum odorem exhalantibus refertum, in quo divina oracula sacerdoti summo consueverat Deus dare. Templum hoc duplici illo altari constans Christum Dominum ad vivum satis refert. Erat enim templum illud, de quo ipse dixerat (*Ioan.* 2.): *Solvite templum hoc, et iterum reaedificabo illud.* Duoque in eo reperiebantur altaria, unum carne et sanguine plenum, humana scilicet eius natura, in qua flagella, opprobria crucis, et mortem ipsam passus est. Ad hoc altare solum multi intuentes scandalizabantur, sed ipse praedixit (*Luc.* 7.): *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me*; quasi diceret: felix ille quem primum hoc altare non offenderit, sed progressus fuerit ulterius ad aliud sacratius, et excellentius, quod divinitatis meae Sancta sanctorum est: ibi enim Cherubinis, et Seraphinis adoratum, et a cunctis Angelis Sanctus, Sanctus, Sanctus, numquam clamare cessantibus me conspicient. Non ergo te primum altare deterreat, nec in eo sistas, sed ad secundum progredere, ut inde facile coniicias, quod tametsi Christus tanquam verus homo in cruce occubuerit, ut Deus tamen propria innataque virtute surrexit. Quia ergo Apostoli mentis aciem ad primum dumtaxat humanitatis Christi altare coniiciebant, et ibi sistentes ad divinitatis sacrarium non progrediebantur, ideo in Christo scandalizati fuere, increduli que fa-

eti sunt: quam incredulitatem merito Christus severe, acriterque reprehendit (*Marc.* 16.): *Exprobravit incredulitatem eorum.* Hic etiam nobis clare detegitur, quam divinum ac supernaturale sit donum fidei, quandoquidem tanta cum difficultate animis illis Apostolicis illa adhaesit, quibus tamen veritas haec, tot, tantisque non modo testimoniis, sed etiam miraculis comprobata, ac manifestata fuerat. Declaravit id mirabiliter D. Paulus, qui et pati, et credere in unum coniunxit (*Phil.* 2.): *Datum est non solum, ut in illum credatis, sed ut pro illo patiamini.* Quemadmodum enim caro oblata mortificationis, et tolerantiae occasione nauseat, renuit, recalcitrat, et illam longe a se repellit; simili etiam ratione intellectus humanus arcanorum fidei difficultate sibi proposita, nisi divino auxilio fulciatur, dissentit eis, illa abhorret, et execratur, ut patet in gentibus, quibus Deus crucifixus, et mortuus stultitia reputatur, ut et dixit Paulus, et quotidiana experientia comprobat. Itaque, quam effraeni carni infesta esse solet crux, tam menti humanae divina gratia destitutae invisa, et ingrata est eius fides. Coniunctio etiam, et copulatio mortalis corporis cum immortali anima non obscure me docet unionis, et coniunctionis fidei cum intellectu eximiam difficultatem: etenim in anima, et corpore simul unitis admirabile quoddam naturae prodigium intueri licet, cum interea summam conformitatem cum summa discordia coniunctam cernamus; conformitas adest, dum unionis vinculo coniuncta, tamquam partes ad componendum unum, et idem compositum coeunt; dissensio vero, et discordia, dum caro concupiscit adversus carnem, et absque intermissione acriter inter se dimicantes pacem nunquam ineunt. Idem sane prodigium in fidei coniunctione cum ratione, et intellectu nostro: reperio conformitatem cum summa discordia coniunctam. Ut enim philosophicum proloquium edocet, verum vero consonat; ratio autem naturalis, ac fides divina cum veritatem semper edoceant, eorum veritates repugnantes esse non possunt, ecce conformitatem. At cum fidei divinae secretissima arcana intellectum humanum longe superent, suboriri assolet plerumque dissensio: fucatae namque quaedam rationes solent illum decipere, adeo ut per fidem revelatis dissentiat, ecce discordiam. Quam acriter adeo Christus increpavit, ut dicat sacer Evangelista, quod *Exprobravit incredulitatem eorum.* Duo praecipua documenta in reprehensione, ut debita fiat, desiderari non debent. Primum, quia quadraginta dierum spatio suae incredulitati tenaciter adhaerentes perstiterant: quam legitimam increpationis causam fuisse nemo sane mentis inficiabitur. Ex ea id Praelati utilitatis elicere possent, ne praecipites ad reprehensionem ferantur, sed post conveniens aliquod temporis spatium illam adhibeant, ut et Deus fecisse legitur, Amorrhaeos cum puniturus esset, quos licet alioquin ob execrabilem idolorum cultum iuste plectere potuisset, distulit tamen in longius supplicium: *Non sunt completae iniquitates Amorrhaeorum.* Imprudentes item ego non semel vidi Praelatos, qui ita in minimos subditorum excandescebant defectus, ac si gravissimi fuissent: similes in hoc insipienti, et crudeli Pharaoni, de quo peritissimi quidam Hebraeorum Rabbini commemorant, pincernam et pistorem in carcerem coniecisse, eo quod ille in vini calice sibi propinaverat ciniphem; iste vero panem unico, eoque minutissimo terrae grano coxisset. Sane si pro his minutissimis defectibus Praelati ita in subditos exacerbantur, et increpationis fulmine illos continuo feriunt, oportebit eos fulminum copia, ut decepta gentilitas fingebat, Iove locupletiores esse, nec satis erunt: nam ut egregie observavit Ovidius, et refertur *in cap. Episcopus, distinct.* 3.

*Si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat*
*Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.*

Secunda vero reprehensionis conditio, ut scilicet opportuno tempore fiat, mirum in modum necessaria est: quemadmodum enim calix aquae frigidae aegroto, febre iam declinante, porrectus, eum apprime reficit, et febris ardorem plerumque penitus extinguere solet; ea vero crescente, atque fervente, tamquam intempestivo tempore exhibitus, et febrim auget, et ingens nocumentum affert: ita etiam Praelati reprehensio, aut fraterna correctio indebito tempore facta, non modo non prodest, sed obest, graviter laedit, et morbum auget; et qui illam adhibet, perinde se habet, ac ille, qui dum tecti foramen unum, per quod pluviarum guttae decidebant, obturare curat, quinque alia invitus aperit. At dicet quispiam, non videtur Christus opportunum tempus ad discipulorum increpationem elegisse, cum tunc prandentes essent: illa enim amaras, et insipidas reddidisset escas; sed non ita res habet, quia licet discolis, et indisciplinatis hominibus ingrata soleat esse increpatio, at iustis gratissima, et iucundissima. In cuius figuram legimus non modicam Reginam Esther concepisse laetitiam, quando Rex Assuerus virgam ei extendit: id enim quoddam amoris, et benevolentiae argumentum fuit; non dissimiliter discipulis correctionis virga a Christo porrecta, humanitatis, et amoris indicium extitit. Signa autem amoris in conviviis exhiberi solita nemo ignorat.

Non ergo Christus increpationis suae importunum tempus elegit. David huius doctrinae magister dicebat (*Psal.* 21.): *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt*; quasi dicat, correctionis virga, quae alios exacerbare solet, ipsa me reficit, et consolatur. Unde sicut pulvis pallio delitescens virga ab eo excutitur, non ad illud atterendum, sed purgandum; ita quidem dum Christus a discipulis incredulitatis pulverem correctionis suae virga excutere tentavit, eorum commodum, non detrimentum quaeritabat. Verum licet hac via non videatur importunum tempus, quod Christus ad huiusmodi increpationem elegit; minus tamen



opportune ex duplici alio capite deprehendi posse videtur: tum, quod non deberet differri ad diem triumphi; Christi autem Ascensio solemnissimus triumphus erat (non autem minus luctus in musica, quam musica in luctu importuna narratio est): tum quia illud tempus proximum valde erat profectioni eius in coelum, quando humanioribus, ac suavioribus verbis utendum videbatur: tum quia illos decreverat Ecclesiae suae pastores, et rectores praeficere, et in Christianae militiae duces creare; sapientis autem Principis est, quibus regni regimen committit, non exacerbare, et infestos sibi reddere. Unde de David sacra narrat historia, quod fortissimum illum sui exercitus ducem Ioab morte dignum, quia inimicum suum occiderat, et sanguine eius propria calceamenta cruentaverat, non solum dum vixit, morte non mulctavit, sed neque increpavit; quinimmo eo usque se immane illud flagitium ignorasse finxit, quo opportunitatem nactus filio suo Salomoni, ut eum occideret, testatum reliquit. Quid, quaeso, huic difficultati respondebimus? Sane putaverim, Christum hic demonstrare voluisse, se Dominum esse absolutum, et a nulla dependentem creatura: si enim David dissimulavit, prudenter admodum fecit, utpote qui Ioab opera, et industria egebat, a quo totius belli, et exercitus regimen pendebat; et, quo deficiente, non erat in potestate Regis Davidis alium similem ducem creare. At cum Deus omnipotens sit, et duces de nihilo creare, sicut de lapidibus filios Abrahae suscitare facile possit, non opus habuit, ut olim David, discipulorum incredulitatem dissimulare: et ideo *Exprobravit incredulitatem eorum.* Verum tamen est, quod continuo etiam eos summo honore cumulavit, vicedeos illos constituens, ac potestatem impartiens miracula patrandi, etiam maiora, quam ipse fecerat (*Ioan.* 24.): *Maiora horum facietis*, prout revera factum est: Christus enim cum sanabat, verbo suo id praestabat, aut tactu; at sanctus Petrus sola sui corporis umbra, adeo ut certatim infirmi ad eum adirent, si quo modo umbra eius operirentur, dicente D. Luca (*Act.* 5.): *Ut saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum.* Quid plura? *Exprobravit*, ait, *incredulitatem eorum.* Ipsamet incredulitatis vox, quae terminus abstractus est, ut dialectici vocant, maximum, quod inter ingenium Dei, et hominum discrimen versatur, mihi detegit: etenim Deus infidelitatem, ipsi vero infideles persequuntur: Deus impietatem, ipsi vero impios ipsos profligare contendunt: Deus peccatum sine peccatore destruere novit, ut quotidie in iustificatione ab eo fieri videmus, in qua peccatum occidens peccatori vitam confert; e contra vero principes, si scandalum ortum in Republica ab ea removere tentant, scandali auctorem opus est de medio tollant: ut olim fecisse legitur Moyses, qui cum nullum non movisset lapidem, ut idolorum cultum aboleret, adeo ut Idola ipsa in pulverem redacta idololatris ebibenda dederit, ut sic simulacris deficientibus, deficeret et idolorum cultus; sed numquam illum penitus extinguere potuit, quousque et ipsos etiam Idolorum cultores pariter exterminavit atque extinxit. Dei vero adeo singularis est potentia, cum summa dexteritate coniuncta, ut peccatum tollens peccatorem de medio non tollat, quia ipse est, *Qui tollit peccata mundi.* Non dixit qui tollit peccatores, sed peccata, ut et nunc fecisse testatur sacer Evangelista, incredulitatem extinguens, non incredulos ipsos. Et ideo usus fuit termino abstracto *incredulitatis*, et non concreto, *incredulorum*, cum tamen revera dixisse potuisset, quod increpaverat incredulos discipulos.

*Ad extremum exprobravit incredulitatem eorum.* Merito quidem: nam quid turpius quam Apostolos fidei magistros esse incredulos, praedicatores ad emolliendа lapidea peccatorum corda missos et cordis duritie ipsos laborare? Ostendit Christus Dominus in hac acri increpatione, quanto verae amicitiae vinculo cum discipulis suis coniunctus esset: verus enim amicus amici peccata non insimulat, sed reprehendit, et in faciem exprobrat; falsus vero praesentis amici gesta laudat, absentis mordet, et exaggerat, quam amiciam Pharisaicam dixerim. Pharisaei enim Christum suavi sermone alloquentes, veracem illum vocitabant (*Matt.* 22.): *Scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces*; celerum in eius absentia garrientes obmurmurabant (*Scimus, quia hic homo peccator est.* Attendite contrapositionem verbi illius, *Scimus*, praesentem sciunt hominem sanctum; absentem vero peccatorem, ac facinorosum. Secus autem Christus cum illis sese gessit: praesentes enim, peccata acriter increpans, Satanae filios appellabat (*Ioan.* 8): *Vos ex patre Diabolo estis*; absentes vero Dei filios nominabat (*Marc.* 7.): *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Proh dolor, quam mundus huius doctrinae expers est, sexcentis adulationibus, et mendaciis, et totidem falsis laudibus, et simulatis encomiis scatet. Auctores eorum execrans Ezechiel dicebat (*Ezec.* 13.): *Ipse aedificabat parietem, illi autem liniebant eum luto.* Parietem peccatum sacrae litterae intelligunt: sicut enim paries domus dividit, ita peccatum mortiferum Deum ab anima separat ac dividit, ut Isaias testatur, dicens (*Isai.* 59.): *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum.* Cum autem Propheta adulatores parietem hunc linire ait, perinde fuit, ac si diceret, quod adulationibus amicorum peccata contegere contendunt, dulcium verborum fuco ea delinientes. Sed observate, quaeso, Prophetam dicentem quod *liniebant luto*: quia sicut lutum quos linit, turpiores reddit, ita et adulatio quibus blanditur, non parum nocumenti infert, prout alia eiusdem Prophetae verba satis commonstrant (*Ezech.* 3): *Vae qui faciunt cervicalia sub capite ad capiendas animas.* Cervicalia vocat adulationum illecebras, quas velut mollissima cervicalia Principibus supponunt, ut his blanditiis allecti facile eorum animos aucupentur *ad capiendas animas.* Assentatores hos non possum non damnare, sed neque Principes adeo dementes, qui huiusmodi assentationibus ita oblectantur, ut merito

Sophoni illi Carthaginensi conferri possint, quem referunt insolita quadam, ac inaudita industria domi suae plurimos corvos, turdos, psittacos, aliasque huius generis volucres humanam vocem edoctas imitari aluisse, easdemque instruxisse, ut dicerent: *Sophon Deus est*; postmodum vero ita pronunciare instructas, e cavea dimittens, deitatis illius praecones fuere: unde quotquot illas audiebant, stupefacti dicebant: sane Sophon Deus est, cum volucres coeli diserta voce deitatem eius proclament. Hoc etiam eodem morbo his nostris corruptis temporibus Principes laborare non sine magna Reipublicae iactura cernimus, veritatem dicentes famulos abhorrent, veraces a se abigunt, sinceros amicos expellunt, contra praedicatorem verbi divini eos increpantem indignantur, et obmurmurant; turdos illos loquaces, atque adulatores psittacos quaeritant, qui sibi blandientes dicant, *Sophon Deus est*. Non sic hodierna die Christus Dominus, non sic, sed discipulos arguit, increpat, et duros appellat, ac rebelles corde ad credendum mysteria Dei. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XIV.

*Multis sacrae Scripturae locis Christi Ascensionem pulchre illustrantibus, ingentique conceptuum copia verba illa elucidantur, Dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in coelum.*

Memoriae proditum reliquit Sanctus Marcus Evangelista, Christum priusquam iter arriperet, per quadraginta dies immoratum fuisse inter discipulos suos, gloriam corporis sui illis ostentantem. Sicut enim cum equites in eodem stadio currunt, qui accipit bravium, obtenta victoria non modo statim ab illo non desilit, quin potius deambulans elato in manibus praemio ad victoriae suae ostentationem per idem stadium regreditur; ita divinum Verbum postquam e coelo descenderat, et carnem induens in stadio huius vitae insigni illi, atque obsequentissimo pariter et ornatissimo humanitatis suae equo insidens, fidelissime cucurrerat, ut ait David (*Psal* 18.), *Ad currendam viam a summo coelo egressio eius*, in cursus sui termino, atque coronide, hoc est in morte, inclinato capite substitit, iterum per resurrectionis gloriam, quasi elata manu palam praemium gestans, corporis sui claritatem ac maiestatem ostentans regreditur, (*Act.* 1.): *Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei*. Ad quod etiam alludunt illa divi Marci verba (*Marc.* 16.): *Postquam loquutus est eis*, quae veluti summam, et epilogum quendam huius evangelii continent. Perinde enim se habent, ac si diceret, postquam eos mundi debellatores, et sacri Evangelii praecones constituerat: *Euntes in mundum praedicate Evangelium omni creaturae, assumptus est:* postquam omnes docuerat animarum salutem, non ex sola fide, sed ex operibus pendere (*Qui crediderit, et baptizatus fuerit, hic salus erit,*) *assumptus est*.

Postquam credentibus eorum praedicationi virtutem, ac potestatem supra daemones, serpentes, et omnem infirmitatem eis liberaliter daturum pollicetur: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, assumptus est*. Postquam denique omnia, quae ad bonum Ecclesiae catholicae regimen spectabant, summa sapientia stabilierat, *assumptus est in coelum*.

Mysterio sane non vacat, ut observat sanctus Augustinus (*serm. tertio de Ascens.*), quod in sacris litteris Christi Domini Ascensio quandoque active, quandoque passive explicatur: Christus active eam significavit (*Ioan.* 20), *Ascendo ad Patrem meum*. Apostoli etiam, et Patres Concilii Nicaeni in symbolo unanimi consensu dixerunt: *Ascendit in coelum*. E contra divus Marcus Evangelista passive eam declaravit, *assumptus est in coelum*; et D. Lucas, *ferebatur in coelum*.

Id in hoc mysterii latere putat sanctus Augustinus, quod Christus Deus et homo cum esset, ratione Deitatis propria ac innata sibi virtute ascendebat, et seipsum elevabat; ratione vero humanitatis elevabatur ac ferebatur. Itaque ait Augustinus: *In eo qui elevat, divinam potentiam; in eo quod elevebatur, humanam agnosce substantiam*.

Verum verbo illi *assumptus est* nonnihil inhaereamus, et vim in eo facere mihi liceat. Non parum ex illo innotescit ardens, ac tenerrimus Christi amor erga discipulos suos: adeo enim anima illius conglutinata erat animae eorum, ut ad recessum ab illis opus fuerit aeternum Patrem ab illorum aspectu eum subducere, ac sibi illum assumere. Ad id ergo significandum ait Evangelista *assumptus est*.

Quin etiam et huius assumptionis tempore Severus Sulpitius, et Aymon sacratissimas pedum suorum plantas saxo illi cui insistebat, impressas reliquisse affirmant. Unde videtur, eum quasi pedibus saxo illi vehementer haesisse, significans, quod si aliter Pater non decrevisset, diutius adhuc hominum consortio, et consuetudine uteretur.

Atque hinc est, quod quamvis mirabili omnipotentiae suae virtute in ictu oculi terra ad coelum conscendere potuisset; voluit tamen, dum ab illis discedebat, paulatim atque pedetentim scandere in conspectu illorum: *Videntibus illis elevatus est*, non solum ut manifestior, sed ut productior esset ascensio.

Singulari profecto consideratione dignum esse reor ad Christi erga nos ardentem amorem comprobandum, eius in hunc mundum adventum celerem adeo fuisse, ut Sponsa diceret (*Cant.* 2.): *Venit saliens in montibus, transiliens colles;* hodie vero e contra in coelum propriam eius patriam tendens, non celeri cursu, sed lento revertatur gressu.

Quid est, quaeso, Domine Iesu, quod in mundum tot ac tam acerba passurus velocissimo cursu descendis, *sicut gigas ad currendam viam a summo coelo egressio eius;* in coelum vero in aeternum regnaturus, et ad Patris dexteram sessurus, tam lento regrederis passu? Equidem Domine Iesu, te mihi respondere audio; Amor, qui calcaria mihi addidit, ut tanta cum celeritate vestro usurus consortio descenderem, *quia deliciae meae esse cum filiis hominum*, ille idem habenas non laxavit, sed strinxit, ut morose satis a vobis discederem.



Sed continere me non possum, dulcissime Domine Iesu, quin te interrogem, quomodo in coelum ascendens sanctissimam Virginem tibi adeo dilectam tecum non sublevasti? Sane et in hoc Christi Domini singularis erga nos mihi detegitur amor: Matris enim super omnes puras creaturas sibi dilectissimae dulcissimo in coelis consortio pro nobis orbari voluit, inaestimabilemque hoc discipulis suis amoris pignus reliquit, ut iam quod eorum pater abesset, mater saltem eis non defuisset.

Ad eum enim modum, quo naturae auctor providit, ut sole occidente, Luna se manifestans viatores illuminet; ita etiam idem, quatenus auctor gratiae, cum primum sol iustitiae Christus se ab sublunari mundi huius hemisphaerio subduxit, et ut ad coeleste transmigraret, a nostris oculis evanuit, continuo discipulorum necessitatibus subveniendis, et ois in multis ab ea illuminandis pulchram Lunam Mariam Matrem suam substituit: Lunam certe non decrescentem, sed plenam, ut Angelus eam compellavit (*Luc.* 1.): *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Referunt divinae litterae in huius figuram libro Iudicum, quod toto tempore, quo filii Israel Iudice ac gubernatore caruerint, insignem feminam, Debboram nomine, gubernatricem habuerint, in qua veluti divino quodam oculo Spiritus sanctus assistebat ad bonum reipublicae illius regimen, et ut egentium necessitatibus praesto occurreret. Non dissimiliter Christus Dominus supremus Rex, ac reipublicae Christianae rector et moderator, cui aeternus Pater omnem delegavit potestatem iudiciariam, *Omne iudicium dedit Filio*, cum gloriosae Ascensionis suae die discessurus esset, prudentissimae Debborae, sacratissimae videlicet Mariae, in qua tanquam in divino quodam oraculo Spiritus sanctus aderat, discipulos tanquam verae eorum regenti commendavit. Hac igitur de causa Christus ascendens in coelum secum non duxit matrem suam, sed discipulis eam in magistram, dominam, et gubernatricem reliquit.

*Assumptus est in coelum*. Praesens triumphantis Ascensionis Christi mysterium egregie declarant illa Prophetae verba: *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius:* quae verba licet partim exposuerim in superioribus, latius tamen hic elucidanda, et illustranda veniunt.

Quidam interpretes hunc locum de ipso sole materiali exponunt; longe tamen a veritatis scopo aberrant, cum apertissime ipse David de Christo sermonem faciat, dum ait: *A summo coelo egressio eius*. Satis autem superque notum, et omnibus exploratum est, solem non in supremo, sed in quarto coelo sedem suam semper habuisse. Ut igitur locum hunc de Christo Domino cum divo Augustino interpretemur, nihil aliud dicere voluit Propheta, quam Christum veluti sponsum animarum dilectione flagrantem e thalamo pectoris aeterni Patris processisse, non modo ad intra, ut aiunt Theologi, per generationem aeternam, sed ad extra per nativitatem temporalem ex visceribus sanctissimae Virginis, ubi se ad peragendum totius vitae suae laboriosum cursum aptavit, ut Apostolus dixit (*Heb.* 10.): *Corpus autem aptasti mihi*. Aptavit certe ad famem, sitim, frigus, et inopiam, et alios plures labores perferendos: et ut tandem nudus in cruce expiraret, ubi divinus hic sol quasi caliginem quandam, ac eclipsim passus, obtenebratus fuit. Ad hoc enim tendebat illa *A summo coelo egressio eius:* ortus enim est ex coelo, ut occasus esset in cruce. Verum cum iam vitae huius stadium percurrisset, ac terram nostram visitasset (*Luc.* 1.) *Visitavit nos oriens ex alto*, in inferni abyssum Sanctorum praeda illum spoliaturus descendit, indeque postea revertens *Videntibus discipulis elevatus est in coelum*, ut inde ardentiores suae charitatis radios emittens, omnes Ecclesiae catholicae arborum fructus eius calore maturescerent (*Psal.* 18.): *Nec est qui se abscondat a calore eius*. Concinne profecto iustitiae solem Christum splendidissimo huic mundi Phoebo comparari autumat Cyrillus Alexandrinus (*libro de vero cultu et adoratione*). Recenset quidem nonnullos ex antiquis illis Graecis Philosophis voluisse solem divinae esse naturae, cuncta videre, audire, ac omnia et singula intelligere.

Alii vero, ut s. Augustinus ait, animam, seu mundi mentem illum compellabant, ac tandem universi Deum sub Iovis nomine vocitabant. Verum ut rudes, indoctasque errantium gentilium nugas missas faciam, de sole ceteris omnibus melius atque aptius sensit sapientissimus ille Salomon (*Eccl.* 1.): *Oritur*, ait, *sol, et occidit, et ad locum suum revertitur; ibique renascens gyrat per Meridiem, et flectitur ad Aquilonem, lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur*. Varios hosce solis cursus S. Hieronymus de cuiusque diei curriculo explicat, alii de totius anni cursu per quatuor illa tempora, hyemis, veris, aestatis, et autumni; quidquid tamen sit de hoc circulo seu cursu solis huius, mihi coelestis solis iustitiae cursus velut quandam eorum vivam imaginem adamussim referunt, ipso dicente (*Ioan.* 16.): *Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem*. Ab ortu pectoris aeterni Patris exivit (*Mich.* 5.): *Egressus eius ab initio a diebus aeternis:* et alibi (*Zach.* 16): *Vir oriens nomen eius*. Quia tamen non solum exivit a Patre, sed etiam a Matre, subdit, *et venit in mundum*. Et quia in cruce pendens venit in occasum, ubi auctor cum esset vitae, occubuit, ideo ait *iterum relinquo mundum*, quae manifeste delineatur in praecitatis verbis Ecclesiastici

Sophoni illi Carthaginensi conferri possint, quem referunt insolita quadam, ac inaudita industria domi suae plurimos corvos, turdos, psittacos, aliasque huius generis volucres humanam vocem edoctas imitari aluisse, easdemque instruxisse, ut dicerent: *Sophon Deus est*; postmodum vero ita pronunciare instructas, e cavea dimittens, deitatis illius praecones fuere: unde quotquot illas audiebant, stupefacti dicebant: sane Sophon Deus est, cum volucres coeli diserta voce deitatem eius proclament. Hoc etiam eodem morbo his nostris corruptis temporibus Principes laborare non sine magna Reipublicae iactura cernimus, veritatem dicentes famulos abhorrent, veraces a se abigunt, sinceros amicos expellunt, contra praedicatorem verbi divini eos increpantem indignantur, et obmurmurant; turdos illos loquaces, atque adulatores psittacos quaeritant, qui sibi blandientes dicant, *Sophon Deus est*. Non sic hodierna die Christus Dominus, non sic, sed discipulos arguit, increpat, et duros appellat, ac rebelles corde ad credendum mysteria Dei. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XIV.

*Multis sacrae Scripturae locis Christi Ascensionem pulchre illustrantibus, ingentique conceptuum copia verba illa elucidantur, Dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in coelum.*

Memoriae proditum reliquit Sanctus Marcus Evangelista, Christum priusquam iter arriperet, per quadraginta dies immoratum fuisse inter discipulos suos, gloriam corporis sui illis ostentantem. Sicut enim cum equites in eodem stadio currunt, qui accipit bravium, obtenta victoria non modo statim ab illo non desilit, quin potius deambulans elato in manibus praemio ad victoriae suae ostentationem per idem stadium regreditur; ita divinum Verbum postquam e coelo descenderat, et carnem induens in stadio huius vitae insigni illi, atque obsequentissimo pariter et ornatissimo humanitatis suae equo insidens, fidelissime cucurrerat, ut ait David (*Psal* 18.), *Ad currendam viam a summo coelo egressio eius*, in cursus sui termino, atque coronide, hoc est in morte, inclinato capite substitit, iterum per resurrectionis gloriam, quasi elata manu palam praemium gestans, corporis sui claritatem ac maiestatem ostentans regreditur, (*Act.* 1.): *Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei*. Ad quod etiam alludunt illa divi Marci verba (*Marc.* 16.): *Postquam loquutus est eis*, quae veluti summam, et epilogum quendam huius evangelii continent. Perinde enim se habent, ac si diceret, postquam eos mundi debellatores, et sacri Evangelii praecones constituerat: *Euntes in mundum praedicate Evangelium omni creaturae, assumptus est:* postquam omnes docuerat animarum salutem non ex sola fide, sed ex operibus pendere (*Qui crediderit, et baptizatus fuerit, hic salvus erit,*) *assumptus est*.

Postquam credentibus eorum praedicationi virtutem, ac potestatem supra daemones, serpentes, et omnem infirmitatem eis liberaliter daturum pollicetur: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, assumptus est.* Postquam denique omnia, quae ad bonum Ecclesiae catholicae regimen spectabant, summa sapientia stabilierat, *assumptus est in coelum*.

Mysterio sane non vacat, ut observat sanctus Augustinus (*serm. tertio de Ascens.*), quod in sacris litteris Christi Domini Ascensio quandoque active, quandoque passive explicatur: Christus active eam significavit (*Ioan.* 20), *Ascendo ad Patrem meum*. Apostoli etiam, et Patres Concilii Nicaeni in symbolo unanimi consensu dixerunt: *Ascendit in coelum*. E contra divus Marcus Evangelista passive eam declaravit, *assumptus est in coelum*; et D. Lucas, *ferebatur in coelum*.

Id in hoc mysterii latere putat sanctus Augustinus, quod Christus Deus et homo cum esset, ratione Deitatis propria ac innata sibi virtute ascendebat, et seipsum elevabat; ratione vero humanitatis elevabatur ac ferebatur. Itaque ait Augustinus: *In eo qui elevat, divinam potentiam; in eo quod elevabatur, humanam agnosce substantiam.*

Verum verbo illi *assumptus est* nonnihil inhaereamus, et vim in eo facere mihi liceat. Non parum ex illo innotescit ardens, ac tenerrimus Christi amor erga discipulos suos: adeo enim anima illius conglutinata erat animae eorum, ut ad recessum ab illis opus fuerit aeternum Patrem ab illorum aspectu eum subducere, ac sibi illum assumere. Ad id ergo significandum ait Evangelista *assumptus est*.

Quin etiam et huius assumptionis tempore Severus Sulpitius, et Aymon sacratissimas pedum suorum plantas saxo illi cui insistebat, impressas reliquisse affirmant. Unde videtur, eum quasi pedibus saxo illi vehementer haesisse, significans, quod si aliter Pater non decrevisset, diutius adhuc hominum consortio, et consuetudine uteretur.

Atque hinc est, quod quamvis mirabili omnipotentiae suae virtute in ictu oculi terra ad coelum conscendere potuisset; voluit tamen, dum ab illis discedebat, paulatim atque pedetentim scandere in conspectu illorum: *Videntibus illis elevatus est*, non solum ut manifestior, sed ut productior esset ascensio.

Singulari profecto consideratione dignum esse reor ad Christi erga nos ardentem amorem comprobandum, eius in hunc mundum adventum celerem adeo fuisse, ut Sponsa diceret (*Cant.* 2.): *Venit saliens in montibus, transiliens colles*; hodie vero e contra in coelum propriam eius patriam tendens, non celeri cursu, sed lento revertatur gressu.

Quid est, quaeso, Domine Iesu, quod in mundum tot ac tam acerba passurus velocissimo cursu descendis, *sicut gigas ad currendam viam a summo coelo egressio eius*; in coelum vero in aeternum regnaturus, et ad Patris dexteram sessurus, tam lento regrederis passu? Equidem Domine Iesu, te mihi respondere audio; Amor, qui calcaria mihi addidit, ut tanta cum celeritate vestro usurus consortio descenderem, *quia deliciae meae esse cum filiis hominum*, ille idem habenas non laxavit, sed strinxit, ut morose satis a vobis discederem.

Sed continere me non possum, dulcissime Domine Iesu, quin te interrogem, quomodo in coelum ascendens sanctissimam Virginem tibi adeo dilectam tecum non sublevasti? Sane et in hoc Christi Domini singularis erga nos mihi detegitur amor: Matris enim super omnes puras creaturas sibi dilectissimae dulcissimo in coelis consortio pro nobis orbari voluit, inaestimabilemque hoc discipulis suis amoris pignus reliquit, ut iam quod eorum pater abesset, mater saltem eis non defuisset.

Ad eum enim modum, quo naturae auctor providit, ut sole occidente, Luna se manifestans viatores illuminet; ita etiam idem, quatenus auctor gratiae, cum primum sol iustitiae Christus se ab sublunari mundi huius hemisphaerio subduxit, et ut ad coeleste transmigraret, a nostris oculis evanuit, continuo discipulorum necessitatibus subveniendis, et eis in multis ab ea illuminandis pulchram Lunam Mariam Matrem suam substituit: Lunam certe non decrescentem, sed plenam, ut Angelus eam compellavit (*Luc.* 1.): *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Referunt divinae litterae in huius figuram libro Iudicum, quod toto tempore, quo filii Israel Iudice ac gubernatore caruerint, insignem feminam, Debboram nomine, gubernatricem habuerint, in qua veluti divino quodam oculo Spiritus sanctus assistebat ad bonum reipublicae illius regimen, et ut egentium necessitatibus praesto occurreret. Non dissimiliter Christus Dominus supremus Rex, ac reipublicae Christianae rector et moderator, cui aeternus Pater omnem delegavit potestatem iudiciariam, *Omne iudicium dedit Filio*, cum gloriosae Ascensionis suae die discessurus esset, prudentissimae Debborae, sacratissimae videlicet Mariae, in qua tanquam in divino quodam oraculo Spiritus sanctus aderat, discipulos tanquam verae eorum regenti commendavit. Hac igitur de causa Christus ascendens in coelum secum non duxit matrem suam, sed discipulis eam in magistram, dominam, et gubernatricem reliquit.

*Assumptus est in coelum.* Praesens triumphantis Ascensionis Christi mysterium egregie declarant illa Prophetae verba: *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius:* quae verba licet partim exposuerim in superioribus, latius tamen hic elucidanda, et illustranda veniunt.

Quidam interpretes hunc locum de ipso sole materiali exponunt; longe tamen a veritatis scopo aberrant, cum apertissime ipse David de Christo sermonem faciat, dum ait: *A summo coelo egressio eius*. Satis autem superque notum, et omnibus exploratum est, solem non in supremo, sed in quarto coelo sedem suam semper habuisse. Ut igitur locum hunc de Christo Domino cum divo Augustino interpretemur, nihil aliud dicere voluit Propheta, quam Christum veluti sponsum animarum dilectione flagrantem e thalamo pectoris aeterni Patris processisse, non modo ad intra, ut aiunt Theologi, per generationem aeternam, sed ad extra per nativitatem temporalem ex visceribus sanctissimae Virginis, ubi se ad peragendum totius vitae suae laboriosum cursum aptavit, ut Apostolus dixit (*Heb.* 10.): *Corpus autem aptasti mihi*. Aptavit certe ad famem, sitim, frigus, et inopiam, et alios plures labores perferendos: et ut tandem nudus in cruce expiraret, ubi divinus hic sol quasi caliginem quandam, ac eclipsim passus, obtenebratus fuit. Ad hoc enim tendebat illa *A summo coelo egressio eius:* ortus enim est ex coelo, ut occasus esset in cruce. Verum cum iam vitae huius stadium percurrisset, ac terram nostram visitasset (*Luc.* 1.) *Visitavit nos oriens ex alto*, in inferni abyssum Sanctorum praeda illum spoliaturus descendit, indeque postea revertens *Videntibus discipulis elevatus est in coelum*, ut inde ardentiores suae charitatis radios emittens, omnes Ecclesiae catholicae arborum fructus eius calore maturescerent (*Psal.* 18.): *Nec est qui se abscondat a calore eius*. Concinne profecto iustitiae solem Christum splendidissimo huic mundi Phoebo comparari autumat Cyrillus Alexandrinus (*libro de vero cultu et adoratione*). Recenset quidem nonnullos ex antiquis illis Graecis Philosophis voluisse solem divinae esse naturae, cuncta videre, audire, ac omnia et singula intelligere.

Alii vero, ut s. Augustinus ait, animam, seu mundi mentem illum compellabant, ac tandem universi Deum sub Iovis nomine vocitabant. Verum ut rudes, indoctasque errantium gentilium nugas missas faciam, de sole ceteris omnibus melius atque aptius sensit sapientissimus ille Salomon (*Eccl.* 1.): *Oritur*, ait, *sol, et occidit, et ad locum suum revertitur; ibique renascens gyrat per Meridiem, et flectitur ad Aquilonem, lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.* Varios hosce solis cursus S. Hieronymus de cuiusque diei curriculo explicat, alii de totius anni cursu per quatuor illa tempora, hyemis, veris, aestatis, et autumni; quidquid tamen sit de hoc circulo seu cursu solis huius, mihi coelestis solis iustitiae cursus velut quandam eorum vivam imaginem adamussim referunt, ipso dicente (*Ioan.* 16.): *Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Ab ortu pectoris aeterni Patris exivit (*Mich.* 5.): *Egressus eius ab initio a diebus aeternis:* et alibi (*Zach.* 16): *Vir oriens nomen eius.* Quia tamen non solum exivit a Patre, sed etiam a Matre, subdit, *et venit in mundum.* Et quia in cruce pendens venit in occasum, ubi auctor cum esset vitae, occubuit, ideo ait *iterum relinquo mundum*, quae manifeste delineatur in praecitatis verbis Ecclesiastici

*oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur;* deinde mundum per aliquod temporis spatium tenebrarum caligine obscuratum relinquens sub terra se occultavit, ad infernum descendens; sed inde resurrectione renascens, et denuo velut rutilans sol, oriens sepulcri claustra penetravit: *ibique renascens girat*: nam iterum terram visitavit, et Apostolos suos novis radiis illustravit, *lustrans universa*. Ac tandem sicut sol revertitur in circulos suos, ita hodierna die in coelum unde descendit, ascendit, *et vado ad Patrem*. Habacuch (*capite tertio*) dixit: *Sol, et luna steterunt in habitaculo suo*: quae verba sanctus Gregorius exponit de Christo sole iustitiae hodierna die in coelestem aulam redeunte, ac de luna, id est Ecclesia, variis diversisque hostibus a primordiis suis oppugnata: *Expugnaverunt me a iuventute mea.*

Verum ipsa ardente illa divini huius solis luce illustrata clarior praefulget; inimici vero illius tanto radiorum fulgore offuscati remanserunt, ut cecinerit Habacuc. c.7.): *Ibunt in splendore fulgurantis hastae tuae*; quasi dicat, radii fulgentissimi a facie tua egredientes, Ecclesiae tuae radii fulgoris, inimicis vero fulguris erunt, veluti tempore Iosue contigisse legimus. Cum enim sol in medio coeli stetit, ut integram ac perfectam ille de inimicis victoriam obtineret, solares radii, qui Iosue militibus gratissimi, hostibus infestissimi existebant. Unde David (*Psal.* 67.): *Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius*: quasi dicat, exurgat in altum sol iustitiae, et a conspectu eius universae tenebrae dissipentur, et inimici eius conturbentur, et expavescant; e contra amici exultent, et laetentur, intuentes admirabilem fructum divini huius solis hodierna die e terra sublevati, ac terrae vapores, et exhalationes, sanctos nimirum Patres in illius centro absconditos, atque reclusos post se attrahentis.

At ut clarius, atque evidentius vobis divini huius solis mirabiles fructus ob oculos ponam, uberrimam illam Moysis benedictionem, qua Iosepho benedixit, explicemus (*Deut.* 33.): *De benedictione Domini terra eius, de pomis fructuum solis ac lunae: benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, et super verticem Nazaraei inter fratres suos.*

Pulcher locus, sed difficilis, in cuius tamen expositione sanctus Gregorius Nyssenus observat ad litteram de ipso Patriarcha Ioseph minime esse intelligendum: siquidem tempore huius benedictionis Mosaycae iam ab annis trecentis obierat in Ægypto; ideoque intelligendum hunc locum de Christo Redemptore nostro, cuius veluti quaedam imago erat ipse Ioseph, tum propter singularem eius formae venustatem, atque insignem sapientiam, tum quia a fratribus suis persecutus ac venditus, tandem de ipsis triumphaverat.

Verum ad illustrandum hunc locum si accuratius huius divini solis fructus percallere desideramus, nullus profecto propheta regio Davide (*Psal.* 103.) nobis melius edisserit: *Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae. Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.* Ita Domine tempora disposuisti, ut sole radios suos in occasu abscondente, ac veluti tenebroso quodam velo instar noctis universam terram cooperiente, homines veluti emendicatis quibusdam solis reliquiis, lucernis accensis adversus tenebrosas noctis umbras se protegant, quae tunc temporis maiores esse solent, ut pastor ille apud Virgilium Meliboeo dixit:

*Et iam summa procul villarum culmina fumant,*
*Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.*

Tunc ergo ait Propheta David, ferocissimae quaeque bestiae ex antris suis egredientes per campestria hinc inde discurrunt, ut praedam sibi quaeritent, *ut rapiant, et quaerant a Deo escam sibi.* Tunc temporis aves formidolosae nidis accubant, homines in suis domicilis conquiescunt, infirmi quasi caliginosae noctis moerore eos infestante deterius se habent, ac tandem horribilia phantasmata, quae procul abigi postulat Ecclesia catholica. *Procul recedant somnia, et noctium phantasmata;* tunc domorum habitatores terrore, ac pavore perçussos conturbant, vexant, et plerumque insomnes cum anxietate noctes ducere compellunt: *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.* Cum oritur sol, et longe recedunt tenebrae, leones, tigres, ursi, aliaque effera animantia ad caliginosas quas incolunt, cavernas regrediuntur, singuli mortales singulis operibus vacare incipiunt, unusquisque ad opus suum praestandum se accingit, agricolter ad vineam, iudex ad tribunal, ecclesiasticus ad chorum, advocatus ad clientis defensionem, scholastici ad lectiones.

Orto etiam sole, solo eius aspectu claritate perfusa, montes et valles, colles et planities videntur prae nimia laetitia ridere. Ac tandem sole irradiante terra uberior et foecundior redditur: quod universalem parit laetitiam, David dicente (*Psal.* 64.): *Benedices coronae anni benignitatis tuae, et exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: etenim hymnum dicent.* Sed iam lunae tanquam sociae ac amicae solis, et inter planetas omnes illi magis similis fructus perscrutemur. Commemorat illos divus Ambrosius (*in suo Hexameron*): *Ipsa noctem illustrat, rorem generat, mare gubernat, aerem purificat, et plerosque alios etiam admirabiles causat effectus in hisce rebus inferioribus.* Isti sunt lunae ac solis fructus, quibus Moyses in praedicta benedictione Iosephum locupletari cupiebat. Neminem vestrum fratres ignorare arbitror, ante ortum huius divini solis iustitiae universum terrarum orbem tetra ignorantiae caligine oppressum, ac daemonis tyrannide vexatum, qui tamquam leo effrenis innumeris infestationibus mortalium genus infestabat.

Cum primum tamen ortus est sol iustitiae, qui erat splendor Patris, ex oriente viscerum Mariae, universum orbem innumeris bonis, doctrina, splendore, vitae exemplo, sacramentis, meritis, sanguine, ac morte sua locupletavit. At in morte sole divino hoc occidente tenebrae redierunt, quibus discipulorum animi



plurimum) contristati turbatique fuere: immo et nonnulli incredulitatis tenebris involuti, divo Marco id attestante (*Marc. cap.* 16.): *Exprobravit incredulitatem eorum.*

Verum tunc temporis opportune renatus est sol iustitiae, et qui antea sub nubibus mortis fuerat, exsurgens ex mortuis continuo ad antra, et cavernas suas leones ferocissimi, nempe daemones, abacti sunt (*Marc.* 16.): *Daemonia eiicient.* Balbi loqui cepere, *linguis loquentur novis.* Venenosi peccatorum serpentes aufugerunt, *serpentes tollent.* Aegri peccatores novo quodam refrigerio refecti, atque ad pristinam fuere restituti sanitatem (*Marc.* 17.): *Super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Ac demum quemadmodum oriente sole agricolae colendis vineis, ceterique operarii suis accinguntur operibus, ita etiam sacri illi Apostoli, quibus ut operariis a Patrefamilias conductis Ecclesiae catholicae agriculturam credidit, confestim egressi fuere, ut hanc Christi vineam excolerent: *Euntes praedicate Evangelium omni creaturae.* Unde ad varias mundi partes se divisere, ut significavit Zacharias, sub obscurissimis tamen verbis: *Et stabunt pedes eius in die illa super montem olivarum, et scindetur mons olivarum ex media parte sui ad Orientem, et ad Occidentem.*

Non me latet quosdam interpretes hunc locum explicare de passione Christi Domini, cum petrae scissae, aperta monumenta, immo, ut alii addunt, Alverniae in Etruria, et sancti Angeli in Sicilia montes discissos fuisse. Ego tamen veritati admodum consentaneum iudico, Prophetam loqui de Christi Domini Ascensione: id enim satis indicat, quod ait, *Stabunt pedes eius in die illa super montem olivarum,* cum constet inde Christum coelum conscendisse. Id etiam, quod subiungit, *Scindetur mons olivarum*, eandem expositionem stabilit, et oppositam expugnat: nam cum mons ille revera in se scissus, aut divisus non fuerit, intelligi debet de Ecclesia per montem olivarum apte satis significata, ut observarunt divus Ambrosius (*in cap.* 1. *Luc.*), Eusebius Caesariensis (*libro sexto de demonst. capite octavo.*)

Tunc enim Apostoli, in quibus praecipue erat Ecclesia, in quatuor orbis partes ad propagandam fidem catholicam divisi fuere, ut testatus est David, dicens (*Psal.* 18.): *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum*, Orientem videlicet, Occidentem, Septentrionem et Meridiem, iuxta praeceptum illud Christi (*Mar.* 16.): *Euntes in mundum praedicate Evangelium omni creaturae.* Verum ut huius divini iustitiae solis benedictionis fructus in dies maius ac maius augmentum susciperent, priusquam ad coeleste emisphaerium migraret, toti Ecclesiae omnibus bonis exuberantem benedictionem impertiri dignatus est (*Luc.* 24.): *Elevatis manibus benedixit eis.* Nonnulli autumant hanc Christi benedictionem in crucis formam factam fuisse, ut illam principium ac originem nostrae salutis, et omnis coelestis benedictionis esse doceret. Unde ex divina institutione, et traditione semper in Ecclesia iste viguit benedicendi mos facto signo in formam crucis, ut observavit sanctus Basilius (*libro de Spiritu sancto cap.* 37.).

Haec tamen Christi in discipulos suos collata benedictio non modo signis, et verbis constitit, sed donis et coelestibus fuit foecundissima. Si cum Deus in principio creationis mundi terram benedixit, fertilem adeo atque foecundam, omniumque rerum abundantia profluentem effecit, ut Arcadiae populi uti Deam illam adorent: et dum Deus Sarae benedixit, continuo sterilitatem abstulit; et cum Deus praedixit benedictionem suam super Abraham futuram, confestim subiunxit se magnam filiorum copiam ei daturum; ac denique si Christi illa in ficum maledictio tantae fuit potentiae ac efficaciae, ut continuo, sicut ait sacer textus, aruerit; quis eius benedictionem efficacitatis et virtutis minoris ad uberrimos fructus producendos existimabit? Quod si etiam illa Patriarchae Isaac benedictio in filium suum Iacob, et illa Iacob manibus in modum crucis complicatis erga suos nepotes Ephraim et Manassen, et illa Aaronis post solemne quoddam sacrificium elevatis manibus in totum collata populum multis bonis supereffluens et exuberans fuit; et si itidem in lege gratiae Summi Pontifices benedictione sua remissionem ac plenariam peccatorum nostrorum indulgentiam, veluti quemdam copiosum gratiarum imbrem mittentes, non semel impertiuntur; et si Ecclesiasticus ait (*Eccles.* 3.): *Benedictio patris firmat domos filiorum*; quid, quaeso, benedictio divini Isaac in cruce pro nobis immolati? Quid benedictio nostri Iacob vigilantissimi pastoris insomnes noctes ducentis super gregem suum? *erat pernoctans in oratione*: quid foecunda benedictio summi Sacerdotis secundum ordinem Melchisedech, et primi Ecclesiae catholicae Episcopi? Ut vocat eum divus Petrus (1. *Petr.* c. 1.) *Episcopum animarum nostrarum*; quid, inquam, boni in fidelium animis non causabit? Bona haec paucis perstringit Zacharias, dicens (*Zachar.* c. 8.): *Vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et coeli dabunt rorem suum: et sicut eratis maledictio, eritis et benedictio.*

Copiosus quidem ros gratiae e coelo defluet, iusti bonis operibus vacabunt, et peccatores ante ob gravia maledicti flagitia fructuum copia, solis, et lunae benedictionibus abundabunt (*Deutero. cap.* 33.): *De pomis fructuum solis et lunae erit benedictio tua.* Demum benedicente Christo discipulis suis, eoque ipsis videntibus in altum per aera ad capiendam pro se ceterisque nobis omnibus coelestis regni possessionem ascendente, duo Angeli ab alto delapsi auditi sunt, dicentes (*Luc.* 24.): *Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum?*

Mysteriosa admodum verba, atque admiratione digna? Sub illis enim aeternae salutis nostrae segnitiem redarguunt. Galilaeus namque idem est quod transmigrans seu viator; unde perinde fuit, ac si dicerent: Viatores estis, et ad peregrinationis terminum appropinquare non elaboratis? advenae, et peregrini estis in terra aliena, et ad patriam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non properatis, sed pedibus et animis fixi hic statis? fierine potest, ut vos qui brevem molestiam hic sustinentes, paenae aeternitatem vitare, gloriae vero aeternitatem comparare valetis, nihilominus statis? Si igitur vere Galilaei estis, omnem operam impendite vestram, ut ad aeternae felicitatis domicilia transvehamini.

Certiores enim vos omnes facio (*Act.* 1.): *Quod is veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.* Ut enim in nube segnaturum ascendere vidistis Angelis undique stipatum, eadem pompa, et maiestate mundum iudicaturum descendere videbitis: et quemadmodum nunc benedicens iustis ascendit (*Luc.* 24.): *Et benedicens ferebatur in coelum;* ita tunc temporis malis maledicens descendet. Porro praedicationis argumentum, et thema, quod in die ascensionis Angeli proponendum assumpserunt, non possum non vehementer mirari. Quis vestrum concionatori non obmurmuraret, qui in die triumphantis Christi Ascensionis de tremendo die iudicii ad populum concionem haberet? et tamen Angeli divinitus edocti eo die de terribili Iudicis adventu verba faciunt. Sane non inepte putaverim id consulto factum esse, tum ut divini verbi praedicatores edoceantur etiam in Christi solemnissimis festivitatibus tremendi Iudicis diem, inferni poenas aeternas, mortis incertum diem, et alia his similia, quae peccatores deterrere solent, opportune, et importune, ut docuit divus Paulus, inculcare licere: tum ut auditores moneantur concionatoribus id exequentibus minime detrahendum, sed cum sinceritate verbum audiendum, et Christi evangelio parendum. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XV.

*Multiplici conceptuum varietate exponuntur sequentia illa eiusdem Evangelii verba: Euntes praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur, In nomine meo Daemonia eiicient, linguis loquentur novis: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt.*

*Euntes in mundum universum praedicate Evangelium.* Mirabile sane est, quod Christus Dominus haec duo dissidentia adeo, atque ex diametro opposita extrema copulaverit, mundum scilicet, et Evangelium coniungens. Quis nostrum non stupebit huius mandati regii, ac Apostolicae legationis discipulis creditae verba, quibus Christus Dominus, ut Evangelium mundo praedicent, divina iussione imperat? Perscrutemur parumper quid mundus sit: profecto luporum gregem ex Christi sententia illum existimaverim, ipso dicente (*Luc.* 10 *et Matth.* 10): *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.*

Mundus quid est? necromanticus, qui mille fallaciis, atque praestigiis mortalium animos deludit.

Mundus quid est? delirantium, et insanientium domus, Isaia id attestante (*Isa.* 24.): *Insaniunt cultores eius.*

Mundus quid est? manifestus Christi hostis, summo odio illum prosequens (*Ioan.* 15.): *Me priorem vobis odio habuit.*

Mundus quid est? aedificium quoddam falso, et infirmo innitens fundamento (1. *Ioan* 5.): *Totus mundus positus est in maligno.*

Mundus denique quid est, nisi peccatorum foedississima sentina, dolis, et fraudibus scatu riens, vitiorum seminarium, dissolutionis, et lasciviae schola, mare turbulentum, quietis impatiens, ac tandem vera inferni effigies, et expressa imago? E contra vero Evangelium est Christi sanctitatis speculum, manna coeleste divinitus missum, sanae ac irrefragabilis doctrinae perennis fons, gladius anceps peccata resecans, ac tandem pudicitiae, ac sanctitatis et virtutum omnium magisterium. Ut quid ergo Christus Dominus haec duo adeo inter se pugnantia extrema coniungit? quae enim coniunctio lucis ad tenebras, sapientiae ad insipientiam, munditiae ad munditiam? Sane quia (ut medicorum habet proloquium) *contraria contrariis curantur;* ideo Christus Dominus tanquam peritissimus medicus mundo, crudelem luporum feritatem imitanti, agnorum mansuetudine, fallaciis, et dolis illius discipulorum sinceritate, dementiae, ac insipientiae eius Evangelicae doctrinae sapientia mederi curavit. Itaque Christus Dominus mittit in mundum Evangelii praecones, qui Evangelicae doctrinae armis illum debellent, humani generis hostem abigant, vitia eradicent, peccata extirpent, virtutes plantent, ac tandem mundum alioquin immundum mundent, et qui antea execrandus infernus erat, in amoenum paradisum convertant. Sed iam singula verba huius Apostolicae legationis perpendamus: *Praedicate Evangelium omni creaturae.* Paucis his verbis perstrinxit Christus Dominus documenta omnia tam positiva, quam negativa Evangelico praedicatori apprime observanda. In primis, praedicate Evangelium Christi, quasi dicat non poetica inventa, nugatrices fabellas, Plauti comoedias, et his similia, quae insipientium aures demulcent, intellectum non illuminant, voluntatem non accendunt. Memini me non semel dixisse, ad populum concionem habens, verbum Evangelici praedicatoris in eo simile esse debere Verbo increato aeterni Patris, quod quemadmodum hoc nunquam non producit Spiritum sanctum in seipso; ita verbum Evangelicae praedicationis non solum auditorum intellectum docere, sed in eorum voluntate Spiritum sanctum producere debet. Sed proh dolor? hac tempestate non absque ingenti fidelium iactura verbi divini praecones novimus non paucos *ad ulterantes verbum Dei*, ut verbis divi Pauli loquar, nam sicut adulterium committens non prolis generationem, sed voluptatem suam quaerit; ita concionator, qui in auditorum animis non Deum, sed suam aestimationem generare contendit, adulter est, iuxta Pauli sententiam; tanto quidem turpior, ac deterior, quanto nobilioris fructus partum impedit. Calamitosis his temporibus eapropter maximam iacturam patitur Ecclesia, quod praedicatores magis oratores, quam Evangelici praecones haberi appetant, unde profano, et comico idiomate, non Evangelica dicendi ratione utuntur. Sed meminisse oporteret divum Paulum dicentem (1. *Cor.* 2.): *Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis.* Unde divus Augustinus (*de verbis Domini*) ait: *Non convertit Deus piscatorem per oratorem, sed oratorem per piscatorem.* Sane concionatores, qui hoc novum adeo concionandi genus introduxere, et qui illud nutriunt, atque fovent, divinam ultionem absque dubio experientur, ut de facto experti fuere, quos commemorat Eusebius Caesariensis (*li. octavo de prae. Evangeli.*). Ait enim eloquentissimi Demetrii tempore, in cuius honorem, atque laudem ab Atheniensibus tercentae statuae intra Athenas erectae fuere, interrogante eum Ptolomaeo Philadelpho quomodo nullus ex praecipuis poetis, nec historiographis de Hebraeorum lege mentionem ullam facerent: respondit ille, se a Theopompo excellentissimo historico accepisse, quod tentans ipse eleganti, comptaque oratione quaedam veteris Testamenti suae inserere historiae, subito in terram decidens insanire coepit, in vindictam profecto, ut ipse testabatur, quod sacra profano stylo pertractare ausus fuisset. Subiungebat etiam, Theodorum tragicum, eo quod idipsum in tragoedia quadam efficere contendisset, continuo gravi caecitatis supplicio mulctatum fuisse.

Oportet tamen concionatorem non solum fucata verborum oratione non uti, sed vim maximam, atque energiam adhibere, ut frigidi auditorum animi incalescant. Qui enim lente concionantur, parum, vel nihil auditores permovent: unde de Christo Domino ait Lucas: *Haec dicens, clamabat.* Scio Isaiam dixisse de illo (*Isai.* 42.): *Non clamabit, nec audietur vox eius.* Ita sane est, sed peccata quaedam plerumque adeo verecundiae limites transcendunt, et morum corruptela eo plerumque excrescit, ut contra illum stylum acuentes, oporteat etiam clamare, et vociferari, et coelum quasi manibus apprehendere velle, prout olim moris erat apud Prophetas, qui contra Idolorum cultum excandescentes, ad res ipsas inanimes se convertebant: *Audite coeli* (dicebat Isaias) *quae loquor, et auribus percipe terra.* Semeias vero ad ipsum altare loquens in haec verba prorupit: *Altare, altare, hoc dicit Dominus.* Tantaque vi atque efficacia verba protulit, ut altare dirumperetur: *Altare quoque scissum est.* Hac dicendi, et persuadendi mirabili virtute insignes fuere prisci illi primitivae Ecclesiae praedicatores, ut vaticinatus fuerat Isaias, dicens, quod ex quinque civitatibus quae converterentur ad Dominum, *civitas solis vocabitur una,* in qua, ut referunt doctissimi quidam expositores, insignis doctorum erat academia, omnium naturalium scientiarum genere florentissima. Quid sane efficacitatis in suadendo, qua divini Verbi praecones tunc mirifice pollebant, manifestum argumentum est, cum portentosa illa gentilitatis monstra, quae in academia erant, expugnare, ac penitus demoliri valerent.

Tandem dicens Christus Dominus discipulis suis, *Praedicate Evangelium*, consequenter eis praecepit, ut digne, atque competenter munus illud obirent. Unde D. Paulus discipulum suum Timotheum edocens dixit (1. *Tim.* 4.): *Attende tibi, et doctrinae.* Primo ait *tibi*, secundo *doctrinae:* quia ut digne, et ut decet, concionator hoc munere fungatur, oportet ipsum immaculatam vitam agere. Sed iterum, proh dolor, sicut lima limando hebetatur; horologium alios regendo continuis rotarum volutationibus deterioratur; lyra dulcem sonorum concentum auditoribus emittente fides eius atteruntur; ita sane multis accidit concionatoribus, ut dum aliorum vitia reprehendunt, ipsi in eadem prolabantur; et dum aliorum mores componere tentant, ipsi ab incompositis suis moribus nunquam desistant, dumque Evangelicae doctrinae fraeno a peccatis alios avocant, sibi ad peccandum habenas laxant, quasi aliam legem, alia praecepta, immo et alium Deum sibi iudicem futurum credant. Huius conditionis praedicatores non solum Ecclesiae catholicae utiles, sed nocivi valde sunt: nam qui vitae integritate, et sanctitatis exemplo non magis quam verbo edocent, Evangelici praedicatores non sunt, sed profanos, et dissolutos, et Dominici gregis non canes, sed infestissimos lupos satius vocitaverim. Itaque primum Pauli documentum, quod praedicatoribus praebet, est, quod attendant sibi ipsi, ut sancte, et composite vivant. Secundum vero, ut attendant doctrinae: nam cum haec sit sal, oportet prudenter ea uti: quippe sicut temperatus salis usus cibos condit, excessivus vero, aut nimius illum corrumpit; simili quoque ratione si praedicantis doctrina nimio, superfluoque reprehensionis sale abundet, non modo auditoribus non proderit, sed eorum animos potius offendet. Unde existimo, inter plurima, quibus valde similis est animarum debellatio regnorum expugnationi, illud unum praecipuum esse, prudentiam nempe cum labore coniunctam. Unde olim magnus ille Graeciae dux Agamemnon non semel dicebat in bello sibi magis prudentiam, quam fortitudinem necessariam videri, et prudentem Hectorem forti Achilli praeferendum esse. Ideo etiam Cato censorius aiebat Respublicas non tam ob strenuorum ducum penuriam, quam ob prudentium Consulum defectum plerumque fuisse devastatas, funditusque destructas. Hinc quoque magnus ille Alexander in sui exercitus duces non iuvenes, sed viros, qui aetate, et prudentia senatores magis quam milites viderentur, eligebat. Et ipse Antigonus Macedonum Rex interrogatus, quem optimum ex-

ercitus sui ducem reputaret, respondit Pyrrhum, si senuisset, quippe qui experientia illum docente prudentior evaderet. Ea tandem omnia Salomonis verba confirmant, dicentis (*Prov. 8*): *Melior est sapientia, quam virtus, et vir prudens, quam fortis.* Et quidem experientia ipsa compertum est, et exploratum satis, in peccatorum obstinatis animis expugnandis maioris momenti semper fuisse concionatorem sanctitate, et mediocri doctrinae scientia conspicuum, quam nimia eloquentia, inanique dicendi facundia praeditum, quae comicam magis, et histrionicam, quam Evangelicam dicendi rationem redolet.

*Omni creaturae.* Bifariam huiusmodi verba interpretari possumus. Primum, cum sancto Gregorio, (*in commen. hus Evang.*) dicente, per omnem creaturam hominem intelligi, *quia omnis creaturae aliquid habet homo*: habet esse cum inanimatis, vivere cum plantis, sentire cum animantibus, intelligere cum Angelis. Sicut enim computator consuevit calculatis variis numeris eos ad breviorem aliud velut eorum compendium, et summam reducere: et sicut eloquens Orator, qui omnium, quae fusius dixerat succincto epilogo, ut orationi coronidem imponat, perstringit: ac denique sicut amoenum viridarium, odoriferisque consitum floribus quis ingrediens cum plantas ipsas secum transportare non possit, fasciculum floribus contextum sibi aptat, qui velut totius viridarii compendium quoddam est: ita Deus in hominis creatione, quae divisim perfectiones reliquis inerant creaturis, mirabili quodam compendio in formatione hominis uno velut in fasciculo copulavit. Dum ergo ait Christus Dominus, *Praedicate Evangelium omni creaturae*, perinde fuit, ac si diceret, praedicate in primis ei, quatenus convenit cum inanimatis (*Hier. 3.*): *Terra, terra, audi verbum Dei, pulvis es, et in pulverem reverteris.* Praedicate illi secundum id, quod cum plantis commune habet: *Fili hominis quid fiet de lignis vitis*? Sinite vos putari, et circumcidi: sin minus, fructum non affertis, et in ignem mittemini. Praedicate parti eius sensitivae, in qua cum animantibus convenit, illud Davidis inculcantes (*Psal.* 31.): *In chamo, et fraeno maxillas eorum constringe.* Lascivientes, sensualitatis motus, ac libidinosos coercete appetitus. Praedicate hominis parti intellectivae (*Psal.* 2): *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.* Rationes efficacissimas, quibus insanientium cultorum huius saeculi duras cervices, lapideaque corda emolliatis, alta mente perpendite. Sic ergo homini praedicantes omni creaturae praedicabitis. Atque hic sit primus horum verborum sensus. Secundus est, ut perinde sit praecipere, ut praedicent omni creaturae, ac si diceret, praedicate indifferenter Evangelium principibus, et servis; nobilibus, et rusticis; magistratibus, et curiae officialibus: saecularibus, et Ecclesiasticis; viris, ac feminis. Hanc enim indifferentiam praeseferunt verba illa, *omni creaturae*, ut Apostolorum Princeps indicavit, cum dixit (1. *Pet.* 2.): *Subiecti estote omni humano creaturae, sive Regi tanquam praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, etc.* Ut ergo Christus Dominus significaret, verbum divinum indifferenter omnibus promulgandum esse, ideo ait, *praedicate Evangelium omni creaturae.* Hanc praedicationis normam secutus Ioannes Baptista, concionem habebat ad Reges, ad mercatores, ad milites, et alia diversa statuum genera, quibus omnibus, et singulis iuxta uniuscuiusque indigentiam salutaria documenta dabat, ut contestantur sanctus Matthaeus, et sanctus Lucas. Hanc tamen doctrinam prius docuisse videtur Propheta Isaias, dum verbum divinum pluviae, seu imbri comparavit (*Isai* 5.): *Quomodo imber descendit de coelo, sic erit verbum meum.* Velut enim pluvia, nebula et grando non moratur in aere, dum principes pertranseunt per viam ne illos offendat, sed indiscriminaliter super illos et abiectissimos quosque homines pari impetu descendit, nec magis purpuram, quam saccum suspicit, sed in utrumque aequaliter decidit; ita sane verbum divinum ab evangelico praedicatore effluens indiscriminatim ad Reges, ad Principes, magistratus, et reliquos diversos hominum status absque tremore, et pavore dirigi debet. Scio Primates terrae concionatorum increpationem aegre ferre, quia cum ipsi sint oculi Reipublicae, non secus, ac oculi acrem confricationem moleste sustinent et minima quaque paleae laesione offenduntur; ita et ipsi exigua quaque increpatione exacerbantur. Sed nihilominus prudenter facta reprehensio praetermittenda non est, ut sic admoneantur, ipsos non minus, quam eorum subditos divinae legi obsequentes esse debere, immo et obsequentiores, ut non obscure indicavit sacerdos Ioiada: cum enim Regi recens electo regalia insignia daret, coronam capiti imposuit, et librum divinam legem continentem. Et (2. *Paralipom.*) legimus quod cum Ioas unctus esset in Regem, statim accessit ad eum sacerdos, una manu coronam capiti imponens, et altera divinae legis librum porrigens. Quibus caeremoniis Spiritus sanctus innuebat, Principes tum legis divinae veneratione, tum observatione, et executione insignes esse debere. Liber enim legis super caput venerationem, in manu vero executionem praesignificabat. Atque hinc est, quod disertissimus ille philosophus Bias interrogatus, quis inter Principes principatu dignior esset, respondit (id referente Platone) illum, qui legi obsequentior esset. Deinde Principum vitia increpare, et quorumcumque aliorum, qui aliis praesunt, dum tamen debito modo fiat, summae utilitatis est: nam pravo eorum exemplo ad similia peccata, quibus ipsi notantur, facile subditi rapiuntur, ut satis nobis manifestat illud Ieroboam, qui cum esset idolorum cultor, eius exemplo edocti subditi Idolis incensum adolere non dubitarunt. Idque observatione dignissimum arbitror, quod cum multi eo tempore ad Idolorum cultum converterentur, de nullo quidem, sed de solo Rege Ieroboam conquestus est Deus. Non alia id factum crediderim ratione,



nisi quia cum princeps esset, et suo exemplo alios ad idololatriam permovisset, ipsi omnia aliorum peccata merito adscribi, et imputari debebant.

*Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Postquam Christus Dominus Evangelii promulgationem discipulis suis commisisset, conditiones veri Evangelicae doctrinae professoris subiunxit, nimirum fidem divinam, et opera in charitate facta: *Qui crediderit*, ecce fidem, *et baptizatus fuerit*, ecce opera: susceptio enim baptismi praeclarissimum opus est: nam praeterquam baptizatus catholicam fidem profitetur, et divinis, et ecclesiasticis se obstringit praeceptis, tunc omnibus quae divinae legi contraria sunt, abrenunciat: unde sacerdos baptizans ait: *Abrenuncias Satanae?* et nomine baptizati respondet patrinus, *abrenuncio*: et cum deinde ait, *abrenuncias Satanae?* itidem respondet, *abrenuncio*. Et cum tandem ait, *abrenuncias pompis eius*, tandem respondet, *abrenuncio.* Divus Paulus loquens de prima fidei conditione, ut summam eius necessitatem nobis edoceret, in hunc modum eam definivit (*Hebr.* 11.): *Fides est sperandarum rerum substantia.* Non est quod impii haeretici divo Paulo tanquam indocto theologo oblatrent, eo quod fidem, quam constat intellectui inhaerens accidens esse, substantiam vocaverit: ea enim metaphora sapientissime usus est Apostolus, ut significaret, quod sicut substantia fundamentum est accidentium, et pereunte illa, necesse est secundum naturas rerum perire accidentia; ita fides divina fundamentum est omnium supernaturalium virtutum, et illa extincta reliqui omnes extinguuntur. Atque huc mirifice facit singularis illa Ioannis Evangelistae visio: ait enim coelestis urbis Hierusalem, quae sibi ostensa fuerat, primum fundamentum esse iaspidem; lapis autem hic fidem divinam ad vivum exprimit: nam sicut iaspis varios reliquorum lapillorum in se colores continet, adamantis candorem, smaragdi viriditatem, chrisolithi ruborem, et similes alios complectitur; ita etiam in fide quaedam virtutum omnium semina delitescunt. In ea enim radicatur spes: nam si aeternae bealitudinis fidem non haberemus, sperari a nobis minime posset. In ea charitas radicatur: nam si per fidem non crederetur Deus summum bonum super omnia bona, neutiquam diligeretur. In ea timor radicatur: si enim fide non haberemus iudicem acerrimum esse venturum, eum quidem paucissimi timerent. Est igitur fides fundamentum omnium virtutum iuxta Pauli sententiam, ex quo satis utique necessitas eius innotescit. Iam ad secundam bonorum operum conditionem conveniamus: haec enim oportet, ut fidem concomitentur, ut in consortio eius veri evangelicae doctrinae professoris testimonium perhibeant. Non solum civili et canonico, sed et divino iure cautum est, integrum testimonium, veram ac firmam fidem faciens ex tribus, vel duobus ut minimum coalescere debere testibus, Christo Domino dicente (*Matt.* 18.): *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.* Unius enim testimonium, etiamsi aliis stabiliatur indiciis, semiplenam tantum, non plenam probationem facit. Ad eundem certe modum, ut verus quis christianae religionis professor, et Christi imitator esse comprobetur, duorum oportet concurrant testimonia, fidei scilicet, et operum, quae tanquam testes, contestes veritatem confirment. Multis ac variis rationibus hanc catholicam doctrinam constabilire possem; sed quia catholicos alloquor, qui ei minime dissentiunt, sufficiat id in medium producere quod fides divina lux est: *Fides*, inquit Eusebius Emissenus, *catholicae religionis lumen est.* Quod si lux est, inde evidenter efficitur, datam esse ad operandum, ut non obscure verba divi Pauli indicant. Qui cum internis, et externis lucis radiis circumdaretur, ut ait divus Lucas (*Act.* 9.): *Circumfulsit eum lux de coelo*, continuo clamavit: *Domine, quid me vis facere?* Posset quidem fidelis philosophus haec Paulina verba audiens obiicere: lucem ad videndum destinavit auctor naturae tanquam proprium potentiae visivae obiectum: deberet ergo Paulus dicere data coelitus sibi luce: *Domine, quid me vis videre*, non *quid me vis facere?* Verum divus Paulus probe agnoscens lucem illam coelitus sibi missam ad operandum: unde David dixit quod postquam ortus est sol (*Psal.* 103.): *Exibit homo ad opus suum et ad operationem suam;* idcirco sapienter respondit: *Domine quid me vis facere*; non autem *quid vis me videre?* Atque hinc est quod pastores, cum tempore natalis Christi Domini insolitam lucem viderunt, Luca dicente: *Claritas Dei circumfulsit illos*, continuo in Bethlehem se contulere, *transeamus usque Bethlehem etc. et venerunt festinantes.*

Licet enim Angelus nihil de profectione in Bethlehem eis diceret, sed nativitatem solum nunciaret: *Ecce evangelizo vobis hodie salvator mundi*; ipsi tamen divinitus illuminati lucem illam intelligentes datam esse ad operandum, confestim infantem recens natum sollicite quaesierunt.

Idipsum tribus Regibus Persianis accidisse video, qui cum primum stellae lucem conspexerunt, confestim dixerunt (*Matt.* 2.): *Hoc signum magni Regis est, eamus, et inquiramus eum.* Universam hanc doctrinam sub ingeniosa quadam metaphora nobis edocuit sapientissimus Salomon, dicens (*Prov.* 3.): *Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium eius*, vel ut alii vertunt, *pretiosior est super topazium.* Verum si a Salomone inquiras, in quonam mulier fortitudinem suam ostendere possit, respondet: *Manus suas misit ad fortia, et digiti eius apprehenderunt fusum.*

Quis non mirabitur, sapientissimum Salomonem audiens dicentem in fusi usu fortitudinem aliquam delitescere? Si dixisset, mulierem illam fortem in eo fortitudinem suam ostentasse, quod velut altera Iudith proprio Holofernis ense caput eius amputavit; vel quod ut altera Iael fortissimi Ducis Sisarae tempora clavo confodisset; vel quod ut olim Pentesilea Amazonum Regina in bello contra Troianos viriliter propria manu pugnasset; vel quod ut celebris ac famosa illa Cleopatra



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Aegypti Imperatrix equo insidens una manu scutum, altera evaginatum ensem tenens, velut fortissimus miles in hostes irruebat; vel tandem si dixisset Salomon, quod velut fortissima illa Machabaeorum mater pro divinis legibus observandis proprios filios morti exposuisset, et ad martyrium fortiter perferendum eos inflammasset, haec sane, quae fortitudinem magnam redolent, si Salomon adduxisset, consentanea quidem ad feminae illius fortitudinem demonstrandam dixisset. Fuso autem fila ducere nec minimum quid fortitudinis arguit, immo et id infirmis et imbecillibus feminis satis superque commune est.

Huius difficultatis solutionem ex eo pendere arbitror, quod linum adest in colo, fila vero ex eo deducta iacent in fuso. Ad id ergo alludens Salomon ait, fortitudinem animae per mulierem fortem significatae sitam esse non in eo solum, quod habeat integrum et intactum fidei linum, sed quod inde fila deducat bonorum operum sui manum admovens: id enim sibi volunt verba illa, *et digiti eius apprehenderunt fusum*. Usus quidem frequens orationis, confessionis, sacrae Eucharistiae, eleemosynarum, ieiunii, et similium virtutis operum animae fortitudinem indicant.

Itaque non solum fides, sed et opera adhibere oportet, ut quisque se verum doctrinae Christianae asseclam comprobet. Memini quod et huic argumento aptari potest, insignem illum ducem Epaminondam (id referente Xenophonte) in publico tribunali falso accusatum, quod patriae infidelis, et proditor extitisset, in conspectu iudicum respondisse, non alia testimonia in innocentiae meae defensionem in medium producam, quam egregia, et memoranda facinora, quae in reipublicae utilitatem patravi; et continuo: Ecce, inquit, Epaminondas Lacedaemones infestissimos hostes profligavit, Epaminondas rixantem Asiam pacificavit, Epaminondas universam Graeciam libertate donavit: haec insignia opera, quis ego extiterim, Reipublicae facile detegunt: quae si cum occubuero, in sepulcro meo indelebilibus characteribus describantur, a falsis adversariorum cavillis, et calumniis me facile vindicabunt.

Ita sane, qui operibus suis qualem se semper exhibuerit, comprobare poterit, ille quidem verus evangelicae doctrinae professor est, et in eorum numerum merito referri potest, de quibus Christus dixit (*Marc.* 15.): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.*

*Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Ecce privilegiorum catalogum, quibus olim Christus Dominus primitivae Ecclesiae credentes donabat. Primum *daemonia eiicienta*. Porro ut triumphus de superbissimo daemone, et ipsi ignominiosior, et fidelibus gloriosior esset, divino consilio in Ecclesiae primordiis statutum fuit, ut exorcistarum munere, quibus ex humanis corporibus daemonia expellere incumbebat, pueri gauderent: sic enim fidelibus innotescebat post Christi in cruce victoriam extenuatas adeo remansisse daemonis vires, ut et pueri alias imbecilles facile eos profligare et expugnare possent: quod non solum in exorcistis cernere est, sed in virginibus iuvenculis, quae saepe 15. annum non attigerant, et tamen invictissimo animo pro catholica veritate sanguinem effundentes Principum potentiam superarunt, et daemoni nova vincula iniecerunt, iuxta illud Iob: *Ligabis eum ancillis tuis*. Id sane praecognovisse videtur regius Propheta, cum dixit (*Psal.* 103.): *Draco iste quem formasti ad illudendum ei:* quasi diceret, adeo virtute Christi huius infestissimi hostis insolentia coercita est, ut tenellae virgines, et pueri illum irrideant, illudant, et ignominiosissime exprobrent, prout accidit Iusta, et Pastori, qui decimum annum nondum attingentes, ita acriter pro Christi nomine pugnarunt, ut cum summa confusione Principum harum tenebrarum mortem oppetere non dubitarint. Sed iam aliter eadem verba cum divo Chrysostomo interpretemur, sic enim ait: *Magnus daemon peccatum est: quod si a te abieceris; maius, mihi crede, fecisti opus, quam si daemonia eiiceres.* Merito vocat hoc opus excellentius, et maius, quia deterius est homini uno solo peccato infici quam integram daemoniorum legionem continere.

Secundum privilegium erat: *Linguis loquentur novis.* Quod licet revera intelligatur de dono linguarum, ut diverso idiomate secundum diversitatem auditorum facile uti possent, aliud etiam excellentius eis communicabat, pristinam profanam eorum conversationem in religiosam, et piam convertens: est enim non leve argumentum interioris renovationis externae conversationis innovatio: nam ut docuit Aristoteles (*l.* 2. *de interp.*), verba sunt earum, quae sunt in anima passionum notae: quasi dicat, verba sunt latentium cogitationum disertissimi interpretes: sunt velut manus horologii, quae regulationem, vel irregularitatem motus eius plane indicant: sunt velut pulsus, qui motu suo valetudinis, vel infirmitatis, certissimi indices existunt: sunt tandem iuxta Democriti sententiam, id referente Diogene Laertio, cordis umbra, quia quemadmodum umbra refert figuram corporis, ita et verba affectus cordis: si enim verba pauca, et matura sunt, loquentis prudentiam indicant; si multa, et incompta, insipientiam eius detegunt. Experientia compertum est, quod flumina ubi profundiores sinus habent, ibi maiori silentio profluunt; ubi autem magno fragore quasi se praecipitantes, aquae defluunt, minor ibi adest aquarum copia, et profunditas. Non dissimiliter, qui paucis verbis utens silentium colit, et matura verba profert, se profunda cogitatione, quae dicenda sunt, perpendere aperte manifestat; e contra vero loquacitatis amator incomposita verborum serie considerationis profunditate se carere palam ostendit. Unde Sponsus ad significandam prudentiam, ac maturitatem verborum Sponsae dixit (*Cant.* 4.): *Labia tua sicut vitta coccinea.*



Comparat eius verba vittae coccineae, quia sicut femina, ne capilli incompositi cernantur, et huc illacque vento ferantur, illos omnes vitta constringens aptat, et componit; ita et Sponsa incredibili prudentia, singularique maturitate verba contexens, egregie adeo illa aptabat, ut neque unam solam rationis regulam transiliret. Dixit autem vittam illam esse coccinei coloris, ut significaret, verba Sponsae non solum a prudentia, sed et a charitate, ut aiunt Theologi, imperari.

Tertium privilegium erat: *Serpentes tollent:* quae verba divus Gregorius exponens (et haec sit prima expositio) ait: *Qui bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt.* Sed proh dolor, plures invenies, qui serpentes potius apponant, quam qui tollant, quia boni consiliarii pauci, mali vero innumeri. Illos Iob Satanae collum vocavit, dum de Diabolo loquens, ait (*Iob* 41.): *In collo eius demorabitur fortitudo.* Apta sane metaphora: nam sicut per collum infecti capitis influentiae corruptae ad membra derivantur; ita ex Diabolo malorum capite, per malos consiliarios, velut per collum, pravae influentiae (scelerata consilia intelligo) ad membra eius defluunt. Ideo autem ait Iob in collo fortitudinem suam maxime ostentare (*in collo eius demorabitur fortitudo*) quia quod Satan propria industria perficere non potest, mediantibus pravis consiliariis extorquet a nobis: ut non obscure indicat id, quod contigit Amnon, cui sororis amore accenso cum non valeret Diabolus incestum persuadere, adhibuit Ionadab iniquum consiliarium, qui hoc incestuosum consilium adhibuit, ut se morbo laborantem fingeret, et ita ad illum visendi gratia sorore sine dubio adveniente, facile desiderium suum satiare posset. Semen huius mali consilii Amnon in corde suo fovens incestum perpetravit. Secunda explicatio sit, ut intelligamus per *serpentes* pravas cogitationes, quae peccati venenum in voluntate ipsa consentiente producunt. Novi ego non paucos adeo circa cogitationes deceptos, ut dum in externam operationem non prodirent, quantumcumque voluntas consensisset, nullum peccatum se fecisse putarent. Cum tamen, (praeterquam Ieremias ait (*Ierem.* 4.): *Quousque morabuntur in te cogitationes noxiae?* quibus aperte ostendit non solum in pravis cogitationibus consensum, sed voluntariam in illis moram peccatum esse) manifestum est secundum bonam Theologiam, totam malitiam operationis externae, prout habet rationem peccati, ab interno consensu emanare. Horum depravatorum hominum cor ad vivum exprimit templum illud Ezechielis abominationibus plenum, quod Deus manifestavit Ezechieli, dicens (*Ezech.* 8.): *Fili hominis, fode parietem, et vide abominationes, quas isti faciunt hic.* Prima erat, quod in introitu Idolum zeli aderat. Secunda, quod plura alia Idola in pariete erant depicta. Tertia, mulieres sedentes, quae plangebant Adonidem. Quarta, senes quidam, qui dorsa vertebant contra Altare Domini. Idolum in introitu templi cogitationes pravas designat, quae peccati ianuae sunt. Idola in pariete multis coloribus depicta, easdem executioni mandatas, variis, ac deformibus circumstantiis affectas significant. Feminae, quae sedentes plangebant Adonidem Veneris amasium, in libidinis peccatis obstinatos, qui in cathedra pestilentiae sedent, apte exprimunt. Ac tandem senes dorsa contra altare vertentes eos designant, de quibus ait Apostolus (*Rom.* 1.) *Traditos esse in reprobum sensum.* Haec omnia mala non aliunde certe ortum, et originem habuerunt, quam ex prava illa cogitatione. Iob pravas has cogitationes latrunculos vocavit, quia paulatim, saepe tamen, furantes, ingentem rei familiaris iacturam faciunt (*Iob* 29.): *Venerunt latrunculi, et fecerunt viam per me.* Videntur hi latrunculi figurari per illos, de quibus dicitur (4. *Reg. c.* 5.): *Porro de Syria egressi sunt latrunculi, et captivam duxerunt de terra Israel puellam parvulam.* Daemones enim pravis cogitationibus, quas suggerunt, velut vinculis animam alligant, et in servitutem suam redigunt. Et quidem quamvis cogitationes videantur subtiles funes, nodus tamen earum non facile solvitur. Sicut enim si in subtili filo serico nodus fiat, difficillime solvi potest; ita saepe cogitationes discernere difficillimum est: unde divus Gregorius ait (4. *Moral.*): *Facile est perversa opera vitare, sed nimis difficile est ab illicita cogitatione mentem corrigere.* Quemadmodum autem serpente manum pungente confestim praesentissimo theriacae antidoto utimur, ne alias venenum cor inficiens mortem inferat, ita etiam cum serpens pravae cogitationis mentem pungit, continuo orationis antidoto occurrendum est, ne si voluntatem veneno suo inficiat, spiritualem animae mortem inferat.

Quartum privilegium erat: *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Expertus id fuit Ioannes Evangelista, de quo refert Nicolaus de Lira (*in commenta. huius loci*) propinatum illi fuisse poculum veneficum, nihil tamen ei nocumenti attulisse. Teophylactus (*in hunc locum*) etiam ait: *Saepe in historiis legimus multos venena bibilia Christi munitos signaculo laedere non potuisse.* Porro sanctus Gregorius Magnus mystice praefata verba explicans, *dum pestiferas*, inquit (*suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed eis non nocebit*) Id satis superque innotuit in insigni illo Eleazaro Machabaeo, qui, cum pravi amici suaderent, ut quamvis prohibita in lege esca non vesceretur, vesci tamen illis se simularet, ut sic mortem effugeret, ipse vero ut animo erat constantissimus, respondit dicens: *Non enim aetati nostrae dignum est fingere, ut multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitae tempus decipiantur.* Quo exemplo reliqui omnes septem fratres novas assumentes vires pro patriis legibus gloriose occubuerunt: et eodem facto impletum est quod ait sacer Evangelista, quintum commemorans privilegium: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt:* nam iuxta divi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Gregorii sententiam manus impositio boni exempli exhibitionem significat: *Qui exemplo*, ait, *suae operationis aliorum vitam roborant, quid aliud faciunt nisi super aegros manus imponere, ut bene habeant?* Ut tamen Christi discipuli monerentur, ne cum Daemonia eiicerent, infirmos curarent, et similibus portentosis operibus vacarent, propriae virtuti, et sanctitati superbientes tribuerent, cum tamen non sua, sed Christi virtute patranda forent, continuo subiunxit Christus Dominus ea omnia operaturos fore in eius nomine: *In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent etc.*

Cum enim ipse docuerat stulti hominis esse aedificium altum erigere sine praeiacto fundamento: *Similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt super illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.* Praecavens hoc malum contendebat Christus Dominus animos discipulorum in humilitate radicare. Memini apud Ezechielem legisse, quod vidit electrum in medio cuiusdam tempestatis, per quod sanctus Gregorius intelligit Christum Dominum: nam sicut illud est mixtum quoddam ex auro, et argento, ita Christum Dominum ex divinitatis auro, et purissimae humanitatis argento in persona Verbum compactum cernimus.

Verum per electrum non incongrue putaverim hominem adamussim significari, qui mixtum quoddam est ex immortali spiritu, et corpore mortali conflatum. Unde cum electri natura haec sit, ut splendor lateat, et non appareat, ita oportet iustos quod splendoris habent, non ostentare, sed supernaturalia dona soli Deo adscribentes humilitate contegere. Cum enim illa sint velut pretiosissimus thesaurus, et infiniti propemodum depraedatores illum circumeant, oportet ut sub terra humilitatis profundissime lateat.

Observavi non semel, quod in illis in quibus electrum simile Christo Domino invenitur, persimile etiam humilitati esse perhibetur. Nihil electro magis contrarium quam serpentis venenum: nihil magis cum Christo, et humilitate quam superbia pugnat. Haec enim est venenum quod antiquus serpens in auribus primorum parentum sputavit, dicens (*Genes. cap.* 3.): *Eritis sicut dii.* Electrum vehementer odoriferum est Christus Dominus, et humilitas tanta odoris suavitate flagrans, ut de illo dicat Sponsa (*Cant* 1.): *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* De humilitate vero: *Nardus mea dedit odorem suavitatis.*

Per nardum autem divus Bernardus humilitatem intelligit, quia humilis et parva planta est, et pectoris inflammationes solvendi virtutem habet: quae omnia humilitati congruere nemo est qui non videat, cum haec hominem parvulum in oculis suis faciat, sicut ad David dictum est (*1. Reg.* 15.): *Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es:* et insuper elati, et superbi cordis tumores detumefaciat. Electrum leves paleas e terrae pavimento elevat. Christus Dominus iuxta Davidis sententiam (*Psal.* 112): *Suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem.* Idem sane praestat humilitas, iuxta illud (*Luc.* 3.): *Qui se humiliat, exaltabitur.* Electrum ad recipiendum lucem et splendorem aptissimum est. Christus Dominus *Splendor Patris* vocatur a Paulo, et ipse de se ait: *Ego sum lux mundi.* Humilitatis autem individuum comitem sapientiae lumen esse aperte indicant verba Salomonis (*Proverb.* 11.): *Ubi humilitas, ibi sapientia.* Hoc discrimen animadverti inter oculos aquilae, et nicticoracis, quod illius cum parvuli sint, virtute magna ad videndum vigent; e contra vero huius oculi cum magni sint, exigui visus acumine pollent. Simile quidpiam in hominum oculis observare licet: qui enim profundiores illos habent, perspicaciores sunt ad videndum; qui vero eminentes et quasi tumidos minus expedita potentia visiva gaudent. Non dissimiliter humiles breves et lippos oculos habent ad ea conspicienda quae in se ipsis excellentiam et celsitudinem redolent; superbi vero oblongos et eminentes adeo ad aliorum defectus et peccata cernenda.

Desiderans ergo Christus Dominus discipulos suos in humilitate fundari et radicari, consulto, ne alta atque sublimia saperent, admonuit, ne propriis viribus, et merito portentosa opera quae facerent, sed nomini sancto suo adscriberent: *In nomine meo daemonia eiicient.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

# DE
# PORTENTOSA MISSIONE
## SPIRITUS SANCTI
## ET EIUS ARCANIS.

# LIBER DECIMUS SEXTUS

### HOMILIA PRIMA

*Processio Spiritus sancti, et illius in animis iustorum habitatio multiplici sacrarum litterarum, et sanctorum Patrum eruditione declaratur.*

Apostolus Paulus cum haberet compertum, se nequaquam posse convenienter eadem apud omnes uti doctrina, quippe non semper cum eisdem agebat, dixit ad Romanos scribens: *Sapientibus, et insipientibus debitor factus sum.* Cuius verbis ac vestigiis ego insistens praesentem homiliam viris doctioribus impendam, interim minus doctos hortatus, ut silentio faveant, et dum sublimiora traduntur, labellum digito compescant, quae assequi in tanto mysterio non possunt, pio stupore venerantes: quoniam *sapientiam loquimur inter perfectos.* Primum mihi liceat per Isaiam cum Athanasio, et Gregorio Nazianzeno, verbum unum mutare ex his quae ipse de generatione Filii aeterni loquens scripsit, dum admiratione plenus sic interrogat: *Generationem eius quis enarrabit:* liceat, inquam, mihi dicere, processionem eius quis enarrabit? Nam si difficile est de Verbi divini generatione disserere, difficile et arduum magis est de Spiritus sancti productione et processione loqui: certum enim et apertum est philosophos non paucos, ut Eugubinus refert de perenni philosophia, nonnihil subolfecisse et praesensisse de prima et secunda persona divina, Patrem principium, et Verbum Filium appellantes; de tertia tamen persona, quae Spiritus sanctus est, nullam omnino habuere notitiam. Hinc si Plato, et Trismegistus de tertia persona in divinis aliquid dixerunt, inde est quod ab Aegyptiis acceperunt, ut noster Galatinus docet; atque ideo reliqui philosophi dicere vere poterant: *Nec si sit Spiritus sanctus, scimus.* Propterea S. Augustinus (*super Exodum*) acute dixit, Pharaonis Magos duo illa signa quae Moyses ediderat, facere potuisse, ranarum videlicet, et conversionis aquae in sanguinem, defecisse tamen in tertio signo, nempe in culicum productione; atque ideo dixisse *Digitus Dei est hic.* Per digitum Dei intelligitur Spiritus sanctus, ut Chrysostomus (*super Math.*) animadvertit: quoniam quemadmodum brachium in sacris litteris significat secundam personam, quae est Filius, ita manus vel digitus tertiam, quae Spiritus sanctus est, innuit. Inquit ergo Augustinus, quod etiam dixisse invenio Clementem Alexandrinum, defecisse Magos in tertio signo, qui duo prima fuerant operati, manifeste indicare, celebres illos gentium philosophos adeptos fuisse aliquantulum cognitionis et luminis, licet exigui et obscuri, quo divinarum personarum Patris, et Filii aliquam involutamque notitiam habuerunt, non tamen potuisse ad Spiritus sancti cognitionem penetrare, quae omnibus semper fuerat occulta, et investigabilis. Nec mirum profecto si illi defecerint, cum ipsi quoque sacri Doctores, qui sunt christianae Religionis micantes stellae, ardentes faces, et clara lumina, adeo se parum idoneos agnoscant ad loquendum de Spiritus sancti processione, ut Augustinus gravissimus et eruditissimus Ecclesiae Doctor dixerit contra Maximinum (*lib.* 3. *c.* 14.): *Quaeris a me, si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est Spiritus sanctus, cur unus Filius, alius non. Ecce respondeo, sive capias, sive non capias, de Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus; sed ille genitus, iste procedens.* Hoc ipsum est quod te Augustine percontamur, et tu pro responsione reddis nostram interrogationem: *Petis principium,* dicent tibi Theologi idipsum est quod interrogamus, videlicet cur ille genitus, hic procedens: quod certe non ignorabat Augustinus; ideoque statim subiunxit: *Quid autem inter nasci, et procedere intersit (de illa excellentissima natura loquens) explicare quis potest?* et tandem se imparem tantae difficul-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Gregorii sententiam manus impositio boni exempli exhibitionem significat: *Qui exemplo*, ait, *suae operationis aliorum vitam roborant, quid aliud faciunt nisi super aegros manus imponere, ut bene habeant?* Ut tamen Christi discipuli monerentur, ne cum Daemonia eiicerent, infirmos curarent, et similibus portentosis operibus vacarent, propriae virtuti, et sanctitati superbientes tribuerent, cum tamen non sua, sed Christi virtute patranda forent, continuo subiunxit Christus Dominus ea omnia operaturos fore in eius nomine: *In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent etc.*

Cum enim ipse docuerat stulti hominis esse aedificium altum erigere sine praciacto fundamento: *Similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt super illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna*. Praecavens hoc malum contendebat Christus Dominus animos discipulorum in humilitate radicare. Memini apud Ezechielem legisse, quod vidit electrum in medio cuiusdam tempestatis, per quod sanctus Gregorius intelligit Christum Dominum: nam sicut illud est mixtum quoddam ex auro, et argento, ita Christum Dominum ex divinitatis auro, et purissimae humanitatis argento in persona Verbum compactum cernimus.

Verum per electrum non incongrue putaverim hominem adamussim significari, qui mixtum quoddam est ex immortali spiritu, et corpore mortali conflatum. Unde cum electri natura haec sit, ut splendor lateat, et non appareat, ita oportet iustos quod splendoris habent, non ostentare, sed supernaturalia dona soli Deo adscribentes humilitate contegere. Cum enim illa sint velut pretiosissimus thesaurus, et infiniti propemodum depraedatores illum circumeant, oportet ut sub terra humilitatis profundissime lateat.

Observavi non semel, quod in illis in quibus electrum simile Christo Domino invenitur, persimile etiam humilitati esse perhibetur. Nihil electro magis contrarium quam serpentis venenum: nihil magis cum Christo, et humilitate quam superbia pugnat. Haec enim est venenum quod antiquus serpens in auribus primorum parentum sputavit, dicens (*Genes. cap.* 3.): *Eritis sicut dii*. Electrum vehementer odoriferum est Christus Dominus, et humilitas tanta odoris suavitate flagrans, ut de illo dicat Sponsa (*Cant* 1.): *Curremus in odorem unguentorum tuorum*. De humilitate vero: *Nardus mea dedit odorem suavitatis*.

Per nardum autem divus Bernardus humilitatem intelligit, quia humilis et parva planta est, et pectoris inflammationes solvendi virtutem habet: quae omnia humilitati congruere nemo est qui non videat, cum haec hominem parvulum in oculis suis faciat, sicut ad David dictum est (*1.Reg.*15.): *Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es*: et insuper elati, et superbi cordis tumores detumefaciat. Electrum leves paleas e terrae pavimento elevat. Christus Dominus iuxta Davidis sententiam (*Psal.* 112): *Suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem*. Idem sane praestat humilitas, iuxta illud (*Luc.* 3.): *Qui se humiliat, exaltabitur*. Electrum ad recipiendum lucem et splendorem aptissimum est. Christus Dominus *Splendor Patris* vocatur a Paulo, et ipse de se ait: *Ego sum lux mundi*. Humilitatis autem individuum comitem sapientiae lumen esse aperte indicant verba Salomonis (*Proverb.* 11.): *Ubi humilitas, ibi sapientia*. Hoc discrimen animadverti inter oculos aquilae, et nicticoracis, quod illius cum parvuli sint, virtute magna ad videndum vigent; e contra vero huius oculi cum magni sint, exigui visus acumine pollent. Simile quidpiam in hominum oculis observare licet: qui enim profundiores illos habent, perspicaciores sunt ad videndum; qui vero eminentes et quasi tumidos minus expedita potentia visiva gaudent. Non dissimiliter humiles breves et lippos oculos habent ad ea conspicienda quae in se ipsis excellentiam et celsitudinem redolent; superbi vero oblongos et eminentes adeo ad aliorum defectus et peccata cernenda.

Desiderans ergo Christus Dominus discipulos suos in humilitate fundari et radicari, consulto, ne alta atque sublimia saperent, admonuit, ne propriis viribus, et merito portentosa opera quae facerent, sed nomini sancto suo adscriberent: *In nomine meo daemonia eiicient*. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

# DE
# PORTENTOSA MISSIONE
## SPIRITUS SANCTI
## ET EIUS ARCANIS.

# LIBER DECIMUS SEXTUS

### HOMILIA PRIMA

*Processio Spiritus sancti, et illius in animis iustorum habitatio multiplici sacrarum litterarum, et sanctorum Patrum eruditione declaratur.*

Apostolus Paulus cum haberet compertum, se nequaquam posse convenienter eadem apud omnes uti doctrina, quippe non semper cum eisdem agebat, dixit ad Romanos scribens: *Sapientibus, et insipientibus debitor factus sum*. Cuius verbis ac vestigiis ego insistens praesentem homiliam viris doctioribus impendam, interim minus doctos hortatus, ut silentio faveant, et dum sublimiora traduntur, labellum digito compescant, quae assequi in tanto mysterio non possunt, pio stupore venerantes: quoniam *sapientiam loquimur inter perfectos*. Primum mihi liceat per Isaiam cum Athanasio, et Gregorio Nazianzeno, verbum unum mutare ex his quae ipse de generatione Filii aeterni loquens scripsit, dum admiratione plenus sic interrogat: *Generationem eius quis enarrabit*: liceat, inquam, mihi dicere, processionem eius quis enarrabit? Nam si difficile est de Verbi divini generatione disserere, difficile et arduum magis est de Spiritus sancti productione et processione loqui: certum enim et apertum est philosophos non paucos, ut Eugubinus refert de perenni philosophia, nonnihil subolfecisse et praesensisse de prima et secunda persona divina, Patrem principium, et Verbum Filium appellantes; de tertia tamen persona, quae Spiritus sanctus est, nullam omnino habuere notitiam. Hinc si Plato, et Trismegistus de tertia persona in divinis aliquid dixerunt, inde est quod ab Aegyptiis acceperunt, ut noster Galatinus docet; atque ideo reliqui philosophi dicere vere poterant: *Nec si sit Spiritus sanctus, scimus*. Propterea S. Augustinus (*super Exodum*) acute dixit, Pharaonis Magos duo illa signa quae Moyses ediderat, facere potuisse, ranarum videlicet, et conversionis aquae in sanguinem, defecisse tamen in tertio signo, nempe in culicum productione; atque ideo dixisse *Digitus Dei est hic*. Per digitum Dei intelligitur Spiritus sanctus, ut Chrysostomus (*super Math.*) animadvertit: quoniam quemadmodum brachium in sacris litteris significat secundam personam, quae est Filius, ita manus vel digitus tertiam, quae Spiritus sanctus est, innuit. Inquit ergo Augustinus, quod etiam dixisse invenio Clementem Alexandrinum, defecisse Magos in tertio signo, qui duo prima fuerant operati, manifeste indicare, celebres illos gentium philosophos adeptos fuisse aliquantulum cognitionis et luminis, licet exigui et obscuri, quo divinarum personarum Patris, et Filii aliquam involutamque notitiam habuerunt, non tamen potuisse ad Spiritus sancti cognitionem penetrare, quae omnibus semper fuerat occulta, et investigabilis. Nec mirum profecto si illi defecerint, cum ipsi quoque sacri Doctores, qui sunt christianae Religionis micantes stellae, ardentes faces, et clara lumina, adeo se parum idoneos agnoscant ad loquendum de Spiritus sancti processione, ut Augustinus gravissimus et eruditissimus Ecclesiae Doctor dixerit contra Maximinum (*lib.* 3. *c.* 14.): *Quaeris a me, si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est Spiritus sanctus, cur unus Filius, alius non. Ecce respondeo, sive capias, sive non capias, de Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus; sed ille genitus, iste procedens*. Hoc ipsum est quod te Augustine percontamur, et tu pro responsione reddis nostram interrogationem: *Petis principium*, dicent tibi Theologi idipsum est quod interrogamus, videlicet cur ille genitus, hic procedens: quod certe non ignorabat Augustinus; ideoque statim subiunxit: *Quid autem inter nasci, et procedere intersit (de illa excellentissima natura loquens) explicare quis potest?* et tandem se imparem tantae difficul-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

latis ponderi cognoscens, suam confessus infantiam, caput submittit, inquiens: *Distinguere inter hanc generationem, et illam processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Ecce quam eloquentibus verbis se profitetur nequaquam sufficientem explicationi tanti mysterii: viri enim sancti in se demittendis et deiiciendis eloquentes, at in virtutum suarum praedicatione parum diserti, immo et elingues se exhibuere. Eandem expertus in hoc arcano difficultatem Gregorius Nazianzenus dixit: *Quae est processio, inquit, dic tu, quae Patris ingenitura sit, et ego Spiritus sancti processionem aggrediar, ut ambo mentis vesania praecipites agamur in Dei mysteria oculos inicientes.* Non minus sanctus Ioannes Damascenus huic oneri succumbit, his verbis (*lib. 1. fid. Ort.*): *Generationem, et processionem inter se differre compertum habemus: caeterum quis huius differentiae modus sit, prorsus nos fugit.* Tandem catholici pariter, et haeretici magnam semper in hoc mysterio experti sunt difficultatem; sed longe diverso modo: nam catholici mentem fidei mysterio subiiciunt in captivitatem redigentes intellectum in obsequium Christi, haeretici autem tanquam bestiae ferae rebelles et contumaces veritatis iugo collum subdere recusant. Unde sanctus Athanasius (*libro de Spiritu sancto*) narrat quosdam fuisse haereticos negantes Spiritus sancti personam, hac ineptissima ratiocinatione: *Si Spiritus sanctus esset, vel procederet a Patre: et sic esset frater Verbi: vel procederet a Filio; et sic esset filius Verbi, et nepos Patris: vel procederet a Patre, et Filio; et sic Verbum se haberet ut mater.* In haec stultissima deliria, et mentis alienationem praecipites feruntur haeretici, quod humanis rationibus et coniecturis scrutari divina praesumunt. Macedonius haeresiarca acutius et subtilius, ut sibi videbatur, dixit ex divinis litteris constare tertiam non esse personam: quoniam Christus ore Matthaei dixerat: *Nemo novit Filium nisi Pater, et Patrem quis novit nisi Filius?* unde sic argumentabatur: Si nemo novit Filium nisi Pater, et Patrem nemo nisi Filius, videlicet cognitione perfecta, et comprehensiva, ergo Spiritus sanctus non est Deus: nam si esset, comprehenderet, et cognosceret Patrem: unde si nemo perfecta cognitione illum comprehendit praeter Filium, nullus utique excepto Patre Deus est nisi solus Filius. Huic Macedonii argumentationi gravissimi Theologi cum Nicolao de Lira (*super Matthaeum*) respondent, dicentes exclusivam dictionem, quando usurpatur ad significandum aliquid essentiale in personis divinis, non excludere reliquas personas eiusdem naturae, et essentiae participes, sed tantummodo creaturas, quae dissimillimae naturae sunt. Quamobrem dicente Christo (*Matt.* 11.), *Nemo novit Filium nisi Pater*, non excludit Spiritum sanctum, cum eiusdem naturae, et intellectus cum Filio sit. Haec quidem acute, et sapienter dicta; ego tamen aliam magis expeditam, et claram, quam facilius capiat populus, apponam expositionem verborum, *Nemo novit Filium nisi Pater.* Haec vox, *nemo*, ut notant Latinae linguae periti, idem est, quod nullus hominum: nam ut illi volunt, a nullus, et homo deducitur; unde, dicente Christo. *Nemo novit Patrem nisi Filius*, explicandum est, nemo hominum, vel nullus homo, nisi Filius Patrem comprehendit: quo sensu Spiritus sancti persona (siquidem ille homo non est) a Patris perfecta cognitione non excluditur. Spiritum vero sanctum esse Deum, praeter sacrorum Conciliorum, et Pontificum definitiones, quas recensere longum esset, clarissime constat ex Petri verbis, dicentis Ananiae (*Act. c.* 5.): *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo.* itaque si mentiri Spiritui sancto idem est, ut docet Petrus, quod mentiri Deo, Spiritum sanctum esse Deum minime dubium est.

Cognito igitur, quod in divinis personis est Spiritus sanctus, et quod est verus Deus, docet praeterea veritas, et fides orthodoxa, ipsum a Patre, et Filio habere processionem, catholica Ecclesia ex symbolo Nicaeno canente: *Qui a Patre, Filioque procedit:* non quidem tanquam a duobus principiis, sed tanquam ab uno principio productos. Sed obiicies: si duae personae sunt, a quibus ille producitur, quomodo non erunt et duo principia? Ratio est, quoniam virtus spirans, sive producens Spiritum sanctum, videlicet divina voluntas, prout est in Patre, et in Filio, eadem una et indivisa est; ideoque Pater, et Filius non tanquam duo principia, sed tanquam unum in Spiritus sancti productione conveniunt. Qua fundatus ratione Augustinus (*li.* 5. *de Trini.*) inquit: *Tres sunt unum principium creaturarum propter identitatem naturae;* quo etiam modo cum virtus in Patre, et in Filio Spiritus sancti productiva sit una, et eadem, nempe una, et eadem voluntas: inde est, quod Pater et Filius unum sunt, et non duo principia Spiritus sancti. Licet enim et Pater, et Filius dici possint duo spirantes adiective propter pluralitatem suppositorum, non possunt tamen dici duo spiratores substantive propter unam spirationem, et unam virtutem spirativam, significantem quodammodo naturam cum proprietate, ut docuit sanctus Thomas (*I. p.q.* 36. *art.* 4.), sed unum tantum principium spirativum, et productivum Spiritus sancti. Quod si opponas spirantem, et producentem virtutem totam integram in Filio, et totam esse pariter in Patre ad producendum Spiritum sanctum, propterea posse Patrem per se solum, et Filium sine Patre producere Spiritum sanctum (nam si hoc Filium non posse dicamus, non una, et aequalis esset utriusque potentia, liceretque dicere minus potentiae unum habere, quam ambos) praelucet tibi sic argumentanti catholica fides, quae profitetur, Deum tuum esse intellectui nostro inaccessibilem, plenum mysteriis, et altissima sacramentorum caligine circumfusum. Non igitur defectus iste impotentiae est: nam aeque perfecta, et integra virtus productiva Spiritus sancti in Patre, et in Filio, neque magis in uno est, quam in alio, sed est conditio necessaria in hac productione, quae a duobus debet manare suppositis, quae sunt



unius, eiusdemque naturae. Haec autem necessitas fundatur in eo, quod Spiritus sanctus est complexus, et nexus amoris, quo Pater, et Filius mutuo se diligunt, et complectuntur: unde S. Thomas ait: *Spiritus sanctus est vinculum, et nexus Patris, et Filii.* Percipietur autem melius huius rationis vis, si consideremus, Spiritum sanctum, qui personaliter est amor, procedere a voluntate divina, non quomodocumque considerata, sed a voluntate concordi, et unanimi: quae voluntatis concordia, ubi non sunt distincta supposita, inveniri non potest; ideoque necessario Spiritus sanctus a Patre, et Filio, tanquam ab uno principio, idest, una, et concordi voluntate, producitur. Praeterea, si Spiritus sanctus a Patre, et non a Filio, et vel a Filio, et non a Patre procederet, non utique a persona, ex qua non produceretur, distingui posset: nam processio unius personae ab altera origo est distinctionis, ut angelicus Doctor, et omnis eius schola profitetur. Hanc catholicam veritatem Christus nos docuit in Evangelio, dicens (*Ioan.*3.): *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret:* nam si unigenitus est, solus ipse erit Filius, cum idem sit unigenitus, quod unus et solus genitus. Sed insurgunt haeretici respondentes, alium esse sensum horum verborum: aiunt enim unigenitum idem esse, quod unice dilectum, ob idque Salomonem de se dixisse (*Prov.*4.): *Filius fui patris mei unigenitus:* nam Davidi Salomonis patri alii filii fuerunt. Unde dum se vocat Salomon unigenitum, eo nomine non ipsum solum esse Davidis filium, et absque aliis fratribus, sed primum Davidi charum, et dilectum significari contendunt. Haec responsio catholicam veritatem minime expugnat: nam si Spiritus sanctus esset Filius, non opus erat ut Pater plus Verbum, quam illum amaret: quandoquidem uterque in bonitate sibi aequali futurus erat, ut nunc est, atque ita non foret Verbum unice dilectum. Ergo sacra Scriptura vocans divinum Verbum Patris unigenitum, alterum eius naturalem filium excludit.

Sed quaereret Theologus, si Spiritui sancto eadem natura divina, quae Filio communicatur, cur non et ipse, sicut Verbum, Filius erit? Nam si bene philosophamur, quid aliud est generatio, nisi productio viventis a vivente coniuncto in similitudinem naturae? Spiritus autem sanctus vivens est, immo et ipsa vita, proceditque a principio coniuncto, non minus quam Filius, estque ipsi eadem natura, et eiusdem prorsus naturae est cum Filio: unde nihil videtur Spiritui sancto deesse, ut Filius esse dicatur. Gregorius Nazianzenus huic argumento respondet, esse posse, ut quis ab alio procedat, et ei sit in natura similis, non tamen eius filius existat, sicut cernimus in Eva, quae ex costa Adami producta ei fuit quoad naturam humanam similis, non tamen eius filia fuit. Hoc autem Gregorii exemplum non omnino convincit: nam viventis generatio est opus vitae; Adamus vero in Evae generatione non cooperatus est aliqua vitae actione, occupatus sopore et quasi mortuus, ac propterea Evam illius non dici filiam mirari non debemus. At cum Pater, et Filius producunt Spiritum sanctum, id faciunt voluntatis actu vitali, naturam ei communicantes divinam: ideoque non eadem, sed dispar est ratio exempli, quod S. Gregorius proposuit. Quamobrem S. Anselmus (*in suo monologio c.* 11.) inquit, Verbum divinum produci tanquam imaginem Patris, iuxta illud *imago bonitatis illius*; sed Spiritus sanctus non ut imago procedit; ideoque Verbum est Filius, non autem Spiritus sanctus. Quam rationem ingeniose prosequutus est Episcopus Canariensis vir nostrae aetatis insignis, asserens magnum esse discrimen in re quae imago est, vel quae illius tantum est similitudo: nam licet verum sit imaginem semper esse similem rei, quam repraesentat, sicut imago Caesaris assimilatur Caesari, nihilominus non omne quod est simile, idem quoque imago est: nam et ovum unum alteri ovo simile est, non tamen eius imago, quoniam super id quod est simile, habet et hoc ratio imaginis, ut natura, vel ars per ipsam aliquid aliud significare procurent. Nemo vero dubitat, quamvis natura ovum unum alteri simile producat, non ab ea intendi ut illud ovum alterius ovi imago sit: unde concludit Spiritum sanctum, licet procedat similis Patri, eiusdemque naturae particeps, non procedere tanquam illius imaginem, quoniam in eius productione non intenditur sicut in generatione Verbi, ut Patrem ipse repraesentet tanquam imago, quod proprium est Filii, qui existens paternae mentis Verbum, debet esse figura, et imago rei mente conceptae. Veruntamen nec ratio haec satisfacit, quoniam Filius non aliam ob causam est Patris imago, nisi quia ex vi suae productionis eadem natura illi a Patre communicatur: unde si semel admittitur ex vi processionis Spiritus sancti eandem naturam divinam sibi communicari, dubium esse non potest Spiritum sanctum non minus quam Verbum esse Patris imaginem: nam ut Theologiae scholasticae princeps sanctus Thomas docet, ea de causa Spiritus sanctus non est Filius, quia non procedit per modum similis principio suo: quoniam etsi verum est Spiritui sancto naturam divinam a Patre, et Filio communicari, id fit, quia quidquid intra Deum est, non est aliud nisi Deus: non vero quia intrinseca ratio productionis Spiritus sancti id postulet, prout a Filii productione distinguitur: nam secundum hanc rationem solum intendunt, Patrem, et Filium producere amorem, et pondus dilectionis in id quod amatur: qua in re differt modus operandi per intellectum ab eo qui fit per voluntatem, quoniam intellectus intendit rei intellectae formare ideam vel imaginem, voluntas autem non gignit, vel producit eius, quod amat, similitudinem, sed tantum elicit proclivitatem, qua in rem amatam inclinatur. Hinc ergo est quod cum Verbum divinum procedat a Patre per viam intellectus, prodit simile Patri ex vi suae productionis, ideoque verus, et solus eius filius est; sed Spiritus sanctus (si consideremus suae propriam, ac peculiarem processionis rationem, per quam eius productio a productione Filii differt) non procedit Patri, aut Filio similis, sed ut utriusque amor, et mutuus amplexus ab utro-

que distinctus. Sed quamvis proposita ratio a vera, et perspicua philosophiae veritate petita sit, multis tamen non satifacit, ideoque aliam adiiciam responsionem, et solutionem, non quidem ab Angelici Doctoris doctrina recedens, sed ut id, de quo agitur, facilius exponam, quae ratio ita se habet. Cui convenire non potest nasci, nec filium esse conveniat; sed Spiritum sanctum nasci non posse nemo dubitat (quoniam quidquid nascitur, necesse est, ut partus illius potentiae sit, quae concipere valeat; voluntas vero non concipit, sed intellectus, et Spiritus sanctus non intellectu, sed voluntate procedit). Ergo nec ille nasci, et consequenter nec esse filius potest. Huc respexisse procul dubio mihi videtur Augustinus, a paucis intellectus, cum rationem reddens, ob quam Spiritus sanctus non esset Filius, dixit: *Quia non procedit ut natus, sed ut datus.*

Reliquum est, ut haereticorum obiectioni respondeam, qui aiunt Spiritum sanctum minus quam Patrem, et Filium esse potentem, cum Pater Filium, et Filius cum Patre Spiritum sanctum, ipse autem neminem producat. Quibus respondeo, hanc in Spiritu sancto non esse imperfectionem, vel impotentiam, sicut nec in Filio, qui non potest alium producere filium. Ratio utriusque est, quoniam divinae personae, ut diximus, intellectu, et voluntate procedunt; at divinus intellectus infinita cum perfectione operans totam suam virtutem productioni Verbi Pater impendit: ideoque eodem intellectu divino non poterat Filius alterum gignere filium, quoniam tota divinae mentis potentia intellectiva adaequate et plenissime Verbi productioni fuerat impensa, et, ut ita dicam, exhausta, atque ideo nihil reliquum erat, quod a Verbo similiter produceretur. Sic etiam cum divina voluntas ad intra, ut loquuntur Theologi, se totam explenisset, et omnem amorem suum ac bonitatem diffudisset in Spiritus sancti personam, quoniam operata est secundum ultimum potentiae suae, non potest Spiritus sanctus aliam divinam producere personam. Sed licet Spiritus sanctus se non communicet alteri personae ad intra, communicat tamen se plurimis, et infinitis ad extra, diffundens in eas suae charitatis et amoris varia charismata, iuxta Pauli verba (*ad Ro.* 5.): *Diffusa est gratia in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Quibus verbis Apostolus aliud nobis detegit nostrae fidei mysterium praesenti diei valde conveniens, videlicet, dum anima iustificatur, non solum ei gratiam, et charitatem cum reliquis infusis virtutibus, quae sunt tamquam gemmae et ornamenta, quibus anima nostra decoratur, ut sacra docuit Tridentina synodus, verum etiam ipsemmet Spiritum sanctum cum Patre, et Filio donari: unde dictum est: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Quae veritas orthodoxa peculiarem habet difficultatem, cum Deus triplici modo, videlicet per essentiam, praesentiam, et potentiam rebus a se creatis assistat. Per essentiam quidem, quoniam substantia ipsiusmet Dei assistit intime, et adest creaturae: et hoc modo est in aere, quo spiramus; in cibo, quem comedimus: in vestimento, quod induimus: in igne, quo calefacimus: in terra, quam calcamus, et omnibus, ac singulis rebus quae sunt. Per praesentiam intelligimus Deum inesse creaturis cognitione qua illas cognoscit penitus, et comprehendit. Per potentiam vero adest rebus, dum virtutem suam exercens illas conservat, et esse quod impertivit, continuat. Si ergo hoc triplici modo Deus creaturis, et aliis quibuscumque rebus inest secundum suam substantiam, quomodo quaeso in animam hominis venit, cum beneficium iustificationis impertitur? nam revera quoad substantiam et naturam Dei iam illic ante iustificationem praehabitabat. Ingentem Theologorum multitudinem video unanimi consensu affirmare Deum in anima iusti noviter habitare, quatenus in ea denuo est tanquam cognitum in cognoscente, et tanquam amatum in amante; apud me tamen minime sufficiens haec responsio est: nam praesentia per cognitionem et amorem, est praesentia tantum, (ut Theologi loquuntur) obiectiva et intentionalis, non realis, et substantialis, qualis est illa quam hic quaerimus: siquidem praeter donum cognitionis, et amoris, quem Deus animae iusti communicat, seipsum quoque in propria substantia largitur, sicut S. Augustinus (*l. 5. c.* 26. *de Trin.*) latissime declarat. Dicamus ergo, quod Deus noviter animam iustificans, illam incolit tamquam templum suum, cum prius in ea tanquam in Satanae caverna esset; infusione tamen gratiae suae depulsis tenebris, et detersa foeditate peccati, quo divinis oculis anima hominis erat infesta, illam novo splendore lustrans templum sibi reddit acceptum, et suo divino esse proportione accommodatum. Unde vere dicitur animam iusti noviter a Deo habitari, non quidem Dei, sed ipsius creaturae facta mutatione, ut explicat Augustinus. Cui expositioni aliam ipse adiungam, quae licet non ita sit ingeniosa, erit tamen populari captui magis accommodata. Dici volgo solet, cum quis in alterius gratiam rediit, ille se in amicitiam denuo dedit: quibus verbis non significamus illum semetipsum, sed animum suum praebuisse cui conciliatur, et in eodem loco, ubi prius erat, esse promptum et paratum omnibus amici sui periculis praesto esse, illumque, quoties opus fuerit, tueri. Ad quem modum cum dicimus Deum ad nos venisse, vel se animae iusti noviter dedisse, significamus, Deum a momento iustificationis paratum esse ad acceptanda omnia illius opera, ut vitam aeternam mereantur, et ad faciendam eius voluntatem in his quae rationi consona flagitaverit, quemadmodum cecinit David (*Psal.* 144.): *Voluntatem timentium se faciet.* Quamobrem verissimum est, non tantummodo Spiritum sanctum dona sua, sed etiam seipsum in animam iusti transfundere, quatenus eiusdem divini Spiritus voluntas expedita, et exposita est ad omnia iustorum vota, pia, et sancta desideria complenda; quod etiam de Patris, et Filii persona vere dici potest. Ratio vero, ob quam magis dicitur dari iustis Spiritus sanctus, est, quoniam iustificatio proprium est opus amoris, et amor potissimum, sicut Filio sapientia, et Patri po-



tentia, Spiritui sancto attribuitur. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA SECUNDA.

*Spiritum sanctum esse cor Ecclesiae, et quibus de causis ita nominetur.*

Sanctitatis, et eruditionis illud insigne prodigium S. Athanasius, quem mirifice Graecorum celebravit Ecclesia, loquens de rectis fidei dogmatibus, scripsit haec verba: *A corpore quasi exemplari proprietate accepta divinorum connexionem ostendimus per membrorum proportionem, ac similitudinem.* Quibus ego nixus verbis non immerito dicam, quod sicut Deus, quatenus naturae auctor, humano corpori varias potentias, diversa organa, et membra tamquam instrumenta humanarum actionum indulsit; ita quoque, quatenus gratiae largitor, et auctor, praebuit catholicae Ecclesiae corpori mystico diversa admodum membra spiritualia ad actiones supernaturales exhibendas, et exercendas. Mystici huius corporis caput est Christus, ut scripsit Paulus (*Ephes.* 2.): *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Collum est Virgo sanctissima: quoniam sicut a collo exit caput, sic ab ipsa natus est Christus, caput nostrum: scriptum enim legimus (*Matt.* 1.): *De qua natus est Jesus.* Oculi sunt sacri Antistites, qui tamquam vigiles speculatores sublimi loco positi hostium insidias, et dolos explorant, et non secus quam seduli pastores conscendentes in montis verticem inde gregem suum per pascua vagantem prospiciunt; et si quando in aliena, aut vetita intravit, sibilis, et pastorali baculo immisso coercent. Eiusdem corporis linguae sunt Doctores, qui Ecclesiam instituunt, et ei verbum Dei interpretantur, quales fuere Chrysostomus, Augustinus, et Ambrosius cum reliquis plusquam Delficis et Apollineis mysticae et scholasticae Theologiae oraculis. Dentium vice funguntur evangelici verbi promulgatores: nam ut dentibus frangitur, et manditur cibus quo alimur, et reliqua corporis membra reficiuntur; ita concionatorum sermonibus alimenta spiritualia, divina scilicet verba, multipliciter et minutatim explicantur ad animarum nostrarum utilitatem, et virtutum incrementum. Aurium munus sustinent, ut mihi videtur, Sacramenti poenitentiae ministri, qui peccatorum confessiones auribus excipiunt. Pedum, et manuum munere utuntur misericordes in egenos, et qui eleemosynas largiuntur: hi enim sicut olim Iob, manus et pedes sunt claudorum, et oculi caecorum. Sed quid quaeso omnia haec membra facerent, si corde carerent, dubium certe non est fore, quin repente obstupescerent, et paulatim arescerent; at non absque corde et inanimata sunt, sed eximio potius divini cordis calore foventur, ut tradunt Gregorius Nyssenus, et sanctus Thomas, affirmantes, mystici huius corporis cor esse Spiritum sanctum, quod ipse significaturus voluit sub figura linguarum in Apostolos descendere, iuxta illud (*Act.* 2.): *Apparuerunt eis dispertitae linguae.* Nam si rem attente contemplemur, nulla expressior figura cordis esse poterat quam lingua, quae cordi tam forma, quam colore, et aliis qualitatibus assimilatur: quippe lingua rubra est, et cor rubrum; lingua sanguinea, et cor sanguineum; lingua triangularis, et cor simili forma praeditum est; lingua ad loquendum indiget aere, et cor ad respirandum; unde manifeste liquet, mille modis linguam cordis quoddam esse simulacrum. Cor autem Ecclesiae multis de causis Spiritus sanctus dicitur. Primum, quoniam sicut cor vitae fons, et omnium spiritualium actionum scaturigo, et vena foecundissima est: unde per arterias, et venas in singulas corporis partes vigor derivatur; ita Spiritus sanctus principium est gratiae, et vitae supernaturalis origo, cuius beneficio et liberalitate opera nostra aeternae gloriae digna censentur. Aliquantulum hoc ipsum videntur mihi odorati gentiles, qui referente Cyrillo (*in sermone de Spiritu sancto*) Deum vocitabant *mundi animam:* quoniam sicut haec vitam dat corpori, sic animas nostras ille vivificat. Prae ceteris vero multo melius et expressius id a concilio Niceno declaratum fuit in symbolo, dum Spiritum sanctum appellat vivificantem: *Credo in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit.* Animadvertendum tamen hoc loco, quod Spiritus sanctus ad se monstrandum naturae, et gratiae auctorem, sicut revera est, voluit mundi spiritualis formam, et vitam mundo corporeo quadam proportione similem esse, ut tam huius quam illius opera, et effectus ab eadem origine, divino scilicet intellectu, manasse cognoscerentur. Primum enim huic rerum universae naturae, cui mundi nomen inditum fuit, vitam pariter, et summam pulchritudinem imperti vit per ignem, ut explicat S. Gregorius (*super Genesim*), dicente Deo, *fiat lux*, cuius claritate cuncta lustrarentur, et novum decus acciperent. Secundo mundum vivificavit per aerem: quoniam praeterquam quod Spiritus sanctus aeris induens naturam aquas abyssi fovebat, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, nunc planum est et perspicuum, quod homini, qui erat infimi huius mundi potissima pars, vitam aere praebuit, siquidem solo ipsius flatu animam accepit viventem, ut ibidem dicit Scriptura: *Inspiravit in eum spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Nam sicut vitriarius suo flatu vas conflat, ita Deus hominem, quem, ut dicit Scriptura, *Fecerat de limo terrae*, divino Spiritu formavit, vitam, animamque largitus. Ad hunc ergo modum auctor gratiae divina sua opera rerum aliarum naturae conformans, hunc Ecclesiae spiritalem mundum vivificat, componit, et exornat per ignem, et aerem, ideoque dictum (*Act.* 2.): *Apparuerunt dispertitae linguae tamquam ignis*, ecce igneum elementum: *et factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis*, ecce aerem.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Certe cum Spiritus sanctus sit Ecclesiae cor, congruum erat, absque aere non venire, ut se hac in re accommodaret ordini naturae, qui cor generans, illico ei, ut aere foveatur, apponit pulmonem, quo tanquam flabello ad exercenda vitae opera reficiatur, et recreetur. Vocatur praeterea propriissime Spiritus sanctus cor Ecclesiae: quoniam sicut cor est sedes amoris, unde tanquam ex officina prodeunt amantium affectus; sic Spiritus sanctus, quatenus tertia ab aliis distincta persona, amor Patris, et Filii, et quasi illorum cor est. Unde precor fratres, colligatis, quanta divini amoris excellentia, et quanta in homines charitas eius existat: nam sicut perfecte alterum amans, pro amoris signo solet ei aliquod pignus largiri; ita Deus noster, cum non posset aliter amori suo erga nos facere satis, etiam si ea de causa coelum, terram, elementa, planetas, immo et Angelos ipsos cum reliqua creaturarum infinita multitudine condidisset, nec his contentus proprium etiam Filium aeternum hominibus dedisset, hodierna die cor suum, idest Spiritum sanctum, sui flagrantissimi amoris et charitatis pignus eidem magnificentissime donat; quasi dicens: Accipite, quod unum habebam reliquum vobis ultimo donandum, cor nempe meum. Non enim scio quo alio modo ardenti in vos charitati meae, et vehentissimo satisfaciam amori, gemitibus inenarrabilibus apud me pro vobis postulanti, nisi meum ipsius cor, quod est Spiritus sanctus, pro eiusdem charitatis certissimo pignore condonem. Quod sane insinuasse videtur Apostolus, ut Dei erga homines amorem exaggeraret, inquiens: *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ad hanc sententiam pertinere videntur Tertulliani verba, quibus scripsit, coelum, terramque hisce diebus mutuo sibi praebuisse pignora, quibus utrimque acceptis amor inter Deum, et homines altiora iaceret fundamenta, et radices ageret profundiores. Omnium optimum pignus in terris erat Christi caro, et in coelis erat praestantissimum donum Spiritus sanctus, ac propterea in die Ascensionis Christi cum terra misisset in coelum Christi humanitatem, coelum tanto muneri gratum legavit Spiritum sanctum, de quo dixit Apostolus citata verba: *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Haec a Tert. accepta doctrina in mentem mihi venire fecit, quod modo subiiciam. Animadverti non semel, quod terra nostra sterilis antea, et infoecunda, postquam pretioso Christi sanguine irrigata fuit, quoties coelo donum aliquod ex fructibus spiritualibus, quales Martyres fuerunt, obtulit, huiusmodi pretiosa munera tam grata Deo fuisse, ut semper divina liberalitas multo magnificentius ea pensaverit. Ex quo cernimus nascentis Ecclesiae temporibus, quando frequens Martyrum turba pro Christo morientium coelum conscendebat, palmas, et coronas coelitus delabi visas, ut contigit custodi quatuor coronatorum. Cognitum etiam id, quando martyr Stephanus fuit de vita sublatus, pro quo nobis datum vas aureum divinitus elaboratum, gentium Apostolus, de quo Christus: *Vas electionis est mihi iste;* cuius conversionem sanctissimi Stephani ardentes preces promeruisse dicuntur. Dum autem terra nostra coelo munus omnium amplissimum Christi humanitatem mittit, coelum quoque divitiarum suarum omnes thesauros profudit, retribuens Spiritum sanctum, Christo in bonitate, quatenus Deo, parem, et eodem, quatenus homine, meliorem. Sed praeter iam dicta, cor Ecclesiae multa cum ratione dicitur Spiritus sanctus: quoniam, ut docet magnus pater Isidorus (*lib.* 1. *Etymolo.* 4.) cor Latine dicitur a cura: nam inter humanae vitae instrumenta, et corporis membra sollicitudine praestat, omnibus et singulis nostri corporis partibus consulens: quod Spiritui sancto convenire nemo est qui ambigat. Mystici enim huius corporis, quod est Ecclesia, nullum est quantumvis minimum membrum, cuius ille curam non gerat, et proprio calore non foveat (*Psal.* 9.): *Nec est qui se abscondat a calore eius,* praebens auxilium tam his, qui in gratia, quam qui in peccato mortali sunt; illis conservans charitatem, hos, ut eam quaerant, excitans, et ad peccata relinquenda, et detestanda impellens. Id vero, ut melius percipiatis, placet referre, quod historici de Socrate philosopho tradiderunt, quem testamento mandasse aiunt, ut singulis annis Æsculapio gallus offerretur pro gratiarum actione, quod sibi prosperam valetudinem, et vitam conservasset. Hoc Socratis legatum non ita faciliter intelligere potuissem, nisi mihi verba Iob praeluxissent, dum sermonem instituens de quibusdam interrogationibus a Deo factis, inquit: *Quis dedit gallo intelligentiam?* in quorum verborum expositione notant linguae sanctae periti, voce Hebraea, qua gallus significatur, cor etiam significari, unde alii eadem verba Iob transferunt: *Quis dedit cordi intelligentiam?* Ratio vero, ob quam eadem vox significet utrumque, inde est, quod galli, et cordis officium idem est: experimento enim constat, gallinis dormientibus gallum vigilare, et ad illarum praesentiam agere nocturnas excubias, qui, ne somnus obrepat incauto, se ipsum propriis alis quatit, auroraque appropinquante excitat clamore dormientes. Quo etiam munere cor nostrum fungitur: nam omnibus animae sensibus, et facultatibus a labore cessantibus, et inter dormiendum quodam veluti stupore correptis (tunc enim nec oculus videt, nec auris audit, nec mens intelligit, nec memoria recordatur, nec appetit, aut abhorret voluntas) cor semper vigilat corporis servandi sollicitudine anxium, nunquam abstinens a motu; quem si intermitteret, continuo universa corporis humani convenientia, et compactio rueret, et dissiparetur. Sed nunc ad rem nostram, Spiritus sanctus tanquam Ecclesiae cor idem subit officium sollicitudinis et vigilantiae, non solum erga iustos, sed etiam erga peccatores: nam quando illorum mens nec remedia excogitat, quibus facilius, et commodius salutem paret aeternam, nec bonorum coelestium meminit, nec voluntas Dei amore aestuat, immo lethali veterno correptae facultates quae rationi



deserviunt, occupari videntur, tunc divinus hic Spiritus salutis nostrae amantissimus inspirat amorem, et desiderium, quo animus exardescens pravam vitae consuetudinem exosus, ad ea quae Dei sunt, quaerenda festinet, et in via salutis quotidie magis progrediatur. Hoc enim est quod Sponsa, optime Sponsi sui cognoscens ingenium, et mores, ita dicebat (*Cant.* 5.): *Ego dormio, et cor meum vigilat:* hoc est, sponsus qui cor meum est, pro me sollicitus, me dormiente non dormit, et quae sunt mea procurat. Aristoteles philosophiae naturalis princeps, et omnes Anatomistae, qui sequuntur eiusdem opinionem, de corde tractantes, aiunt, intra illud esse quaedam ossicula, quibus fulcitur, et roboratur: hoc robur Spiritui sancto non deesse dubitat nemo, quandoquidem tanta illius, quanta Patris, et Filii fortitudo, et potestas est: nam cum fortitudo in divinis sit essentiale attributum, et absoluta perfectio communis est (non enim una plus, quam altera eius particeps existit); et ideo divinus hic Spiritus bonorum suorum summe communicativus, constantiam, et fortitudinem mentibus impertitur, qua possit a nobis omnis bene agendi difficultas repelli, et superari. Hinc ego conicio, ad hoc ipsum significandum ignis, et aeris figuram accipere voluisse Spiritum sanctum, quod horum duorum elementorum vehemens, et efficax virtus sit. Quemadmodum triremis, aut navis felici ventorum eget flatu, ut portui appellat, quippe quae si inter medios fluctus adversis ventis corripiatur, a cursu impeditur, et non raro procellis agitata fluctibus tandem obruitur; sic mens nostra dum variis rapitur affectuum undis, ac turbine vitiorum circumagitur, implorandum nobis est Spiritus sancti auxilium, ut salutiferam mittat suae gratiae, et favoris auram, qua felicem tenere cursum navigationis, et syrtibus peccatorum erepti portum virtutis, et salutis intrare valeamus. Quod ut innueret Spiritus sanctus, figuram ignis in Discipulos veniens elegit. Sed percontatur Epiphanius (*in Anchorato*) quare, cum ignis proprium sit ascendere sursum, Spiritus sanctus ignis accipiens imaginem, voluit labi deorsum, quod ignis naturae valde repugnat? Respondet idem vir sanctissimus pariter, ac doctissimus, id factum, ut intelligamus, animam, quam divinus Spiritus incolit, vim, ac violentiam sibi inferre debere, propriam infringendo voluntatem, et ne vitia irrepant, et dominentur, pravis actionibus, et omnibus, ac singulis peccatorum illecebris, et irritamentis fortiter obluctando: unde Christus dixit (*Mat.* 11.): *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud;* ideo Spiritus sanctus in igne violenter moto descendit. Praeterea fuit in forma ignis deorsum venientis missus, ad ostendendam hanc eius voluntatem, ut omnes divini amoris igne incalescant: nihil enim magis amat, aut curat, quam, ut menti humanae illapsus, eam inflammet amore virtutum, ut hoc igne concepto, animae nostrae auctori suo conformentur, qui ignis consumens est. Nullus est, qui nesciat ignem, dum intra sphaeram suam est, nec lucere nobis, nec inferre calorem; idque ut faciat, necesse omnino esse, ut ligneae, vel alteri materiae aptae ad combustionem appropinquet. Sic ergo ardentissimus ignis Spiritus sancti intra divini pectoris sphaeram conclusus mutuas inter Patrem, et Filium, a quibus tanquam ab uno adaequato principio spiratur, flammas amoris emittebat, ut tamen nos igne suo accenderet, conveniens fuit illum inde profectum sub ignis forma in nostram descendere regionem, ut praesenti eius virtute, et ardore mens nostra corporis ergastulo inclusa lucem videret novam, et amore sui artificis accenderetur. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA TERTIA.

*Spiritus sanctus cum aere comparatur, et rationes comparationis operiuntur.*

Quemadmodum divinae sapientiae attributum praesertim in Filio, tamquam intellectus aeterni partu resplendet, sic bonitatis attributum maxime lucet in Spiritu sancto, per voluntatem procedente, quae velut proprium obiectum, et scopum, quod bonum est, intuetur. Et sicut idem aeternus Filius ad universi mundi commodum, et salutem sapientiam suam hominibus impartitur, mirabili doctrinae suae splendore mentes illustrans, et divina, ac profundissima mysteria per Sanctos revelans; ita eundem respiciens finem Spiritus sanctus, suae bonitatis opes ostentat, se mundo communicans sub forma aeris, qui omnium est communissima res, cuius nemo unquam, dum vivit, expers est. Cernimus enim reliqua elementa non ita omnibus in promptu esse, sed labore, ac pretio parari: nam et terra, aqua, et ignis saepe venduntur, unde licuit dicere, haec mea aqua, vel hic meus est ignis, quod nemo iure de aere dicit: nec enim quempiam quis unquam audivit dicentem, hic est aer meus, ille quippe non venditur, nemini appropriatur, sed omnibus communis gratis habetur, et ita unius est, ut alterius esse non desinat. Hinc est, si bene rem consideramus, quod nulla re magis ex omnibus a Deo creatis, quibus mundi fabrica compacta est, ita frequenter, atque aere utamur: nam coelum Angelorum, et coelestium spirituum thronus est: sphaera ignis prae nimio calore nemini est habitabilis: mare piscium solum est receptaculum: terrestris paradisus, si modo adhuc est, iacet in occulto, et Eliam tantum, et Enoch continere perhibetur: terrarum speluncae ferarum domicilia sunt, in quibus ursus, tigris, et leo tamquam cubilibus propriis quiescunt: purgatorium, et limbus animas, non corpora excipiunt: inferorum habitatio ergastulum est, et custodia damnatorum: aer autem quasi mundi platea est, et emporium,

quod immune, ac liberum omnes adeunt creaturae, ut illo gratis alantur, et sustententur. Illic habitant volucres, respirant animalia, arbores, et plantae ramos, et fructus producunt, pisces gurgitibus immersi ab undis saliunt interdum, ut brevi saltem spatio aere frui queant, licet interim proprio careant elemento. Quid autem mirum, si animata delectentur, ac vivant aere, cum ea quae inanimata sunt, eodem pariter reficiantur, et restaurentur? ut videre est in vestimentis, quae ne tinea rodantur, aeri solent exponi. Et quoniam in bene ordinata civitate solet forum in medio eius fieri, ut ab omnibus facilius, et commodius adiri possit; sic naturae conditor Deus aerem inter coelum, et terram collocavit, ad quem, tamquam ad emporium omnibus commune, cetera confluere valerent. Coelum, et ignis inaccessa sunt, abyssus impenetrabilis, mare volucribus, et animalibus ineptum; aer vero adeo mirabiliter temperatus, ut omnia in illo degere, et illo frui cupiant. Sed ut quae dixi, magis innotescant, commodorum, quae ab aere in nos redundant, seriem texamus. Magnum profecto beneficium est communicatio lucis, quae nullo modo terris, nisi per aerem affulgere poterat. Hoc in nobis potissimum efficit Spiritus sanctus: nam per illum Christus suae lucis radios ad nos transmittit, et ideo vocat *Spiritum veritatis:* quae tamquam lux ignorantiae nostrae tenebras profligat. Qui domum aedificat, vel aliam fabricam extruit, id in primis curat, ut luce non egeat, sed illustris undique et lucida sit: nam praeterquam obscuritas animos habitantium moerore afficeret, aulea pretiosa, et splendida peristromata, quibus domus ornari solet, si lux abesset, non satis commode ab his qui domum adeunt, cernerentur. Hanc ob causam Scriptura sacra in creatione mundi terram esse minus pulchram, et decoram defectu lucis memorat: *Terra autem erat inanis, et vacua.* Subiicitque statim rationem: *Tenebrae erant super faciem abyssi.* Cum ergo Christus sapientissimus, et prudentissimus artifex mystici huius aedificii, quod est Ecclesia militans, nollet in ea ullas adesse tenebras, existens ipse sol iustitiae fulgentissimus, quam condidit militantem Ecclesiam, per annos triginta tres, quibus vixit, mirabili doctrinae suae splendore illustravit, et exornavit. Et quoniam sol hic eclipsim pati debuit, in cruce mortem subiens, quamvis post a mortuis resurgens, summa claritate conspicuus, nec ullius praeteritae obscuritatis, vel eclipsis particeps rediturus erat; quoniam tamen in die suae Ascensionis nostri horizontis terminos egressus, erat prorsus abiturus ad Patrem, ne haec ipsa Ecclesia luce sua careret, missione Spiritus sancti sub forma aeris divinum ei iubar impartitur instar aetherei solis, qui aere medio diffundens suae lucis radios, omnia condecorat. Et sicut lucis officium est distinguere colores, qui manentes in tenebris erant ignoti, et confusi; ita lux, quam hic divinus Spiritus infundit, cum Spiritus sit veritatis, idem efficit, mentibus inferens claritatem, qua quisque cognoscat, quid iustum vel iniustum sit, et bonum a malo distinguat: quoniam, quod tua avaritia commercium licitum putabat, hoc Spiritus sancti lux indicat usurarium; et quod grande munus amicitiae, et urbanitatis praetextu pro re sacra obtulisti, perniciosam ostendit esse simoniam. Ab hac luce aversi multi caecutiunt, et laqueis peccatorum irretiti tenentur, nolentes tenebras suas illustrari ab iis, qui Spiritus coelestis afflatu, et doctrinae luce illos ad saniorem mentem redigere, et illuminare veritatis admonitione possunt. Quod indicium manifestum est, huiusmodi homines infestos esse veritati: qui enim illam amant, lucem non fugiunt, sed exquirunt: unde vere scriptum (*Ioan.* 3.): *Qui facit veritatem, venit ad lucem.* Communicatur etiam nobis ignis per aerem: nam sicut carbonibus si prunam licet parvam admoveas, follibusque paulatim excites, facile ignem concipiunt; ita Christus, qui dixit (*Luc.* 12.), *Ignem veni mittere in terra, et quid volo nisi ut accendatur?*) in eius rei testimonium, non solum sub ignis, sed etiam aeris imagine mittit Spiritum sanctum, qui instar follis salutifero flatu in mentibus nostris excitet ignem, quo in amorem sui conditoris accendatur. Advertendum tamen est, quod sicut ad ignem excitandum necesse est carbones non esse separatos, sed unitos, et congestos; sic etiam inter uxorem, et maritum, herum, et famulos, dominum, et subditos, vel inter eos, qui eiusdem familiae, vel contubernii sunt, si divisio sit animorum, et discordia voluntatum, non posse inter ipsos Spiritus sancti ignem accendi, nec in illorum gelidis pectoribus flatu Spiritus sancti excitari flammam charitatis. Contra vero si materia non dissipata, sed congesta sit, licet parva adsit scintilla, ignis flatu, aut vento adiuta, paleas primum, ac deinde superposita ligna solet ignis apprehendere, et erumpens inde flamma si furere permittatur, tignos, et trabes corripit, totamque domum comburit; sic ignis Spiritus sancti veniens in Apostolos, dum illi (ut refert Lucas,) (*Act.* 2.), *Erant pariter in eodem loco*, eos tanquam stipulam vento raptam, mundique paleas inflammat, de quibus dictum est (1. *Cor.* 4.): *Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema.* Sed ab eis postea ille ardor maiores in alios vires arripiens, ad gentes, Principes, Reges et Monarchas penetravit, ac tandem eo pervasit, ut ex toto orbe terrarum coagmentata Ecclesia catholica instar sphaerae sit, ubi divini amoris ignis ardentissimus asservatur.

Datur etiam nobis per aerem non solum lux, et ignis, verum etiam aqua (*Psalm.* 147): *Flabit Spiritus eius, et fluent aquae.* Nam quemadmodum aqua deficiente arescere terra solet; si vero Notus, seu Vulturnus flare incipiat, protinus a terra surgunt nubes, quarum imbribus irrigati agri foecunditatem accipiunt; ita quando anima nostra sterilis est, et infructifera (*Psal.* 142.): *Anima*



*mea sicut terra sine aqua tibi*, divinus hic Spiritus illam perflans elevat nubem contemplationis, et orationis: mittensque subinde copiosum suarum gratiarum imbrem, mentis nostrae sterilitatem coelesti foecunditate locupletat. Eliae prophetae tempore, quod aliquot annorum intervallo nulla pluvia fuisset, adeo terra aruisse narratur, ut per tot ora, quot erant terrae hiatus, flagitare pluviam videretur. Summa erat undecumque ariditas, et sterilitas agrorum, unde prata herbis, arbores frondibus carebant, et pecora languida, homines fame tabescentes, ac fere confecti cernebantur. Ecce tunc a terra surgere visa Prophetae est instar humani vestigii nubes parvula, quae paulatim ita se protendit, ut totum coelum contexerit, moxque abundantissimam pluviam in terram demiserit. Insignis Ecclesiae Pater Cyrillus hanc nubeculam dicit esse Christi humanitatem, quae gloriae suae maiestate in die Ascensionis totum coelum implevit: *Et operuit coelos gloria eius*, mittensque imbrem suarum gratiarum *Dedit dona hominibus*, quibus sterilem humanaram mentium terram reddidit foecundissimam. Si tamen Spiritus sancti ventus defuisset, qui nubem illam, idest Christi carnem, coopertus est, nec terra pluviae illius beneficio potiri potuisset, nec ullam pro veteri inopia accepisset ubertatem. Sed animadversione dignum, non solum lucem, ignem, et pluviam, sed ipsam quoque terram ministrari nobis per aerem, ut Seneca philosophus docuit (*in quaestionibus naturalibus*) inquiens: *Natura dedit nobis ventos, ut omnia in terris fierent communia.* Nam si venti deficerent, humanum quoque commercium, et rerum permutatio tolleretur, qua in uno loco affluentes, ad eum, ubi earum egestas est, navigatione transvehuntur. Hinc est, quod sicut classis iam instructa, et mercibus onusta solet in portu morari, donec ventus adsit opportunus, quo spirante, omnium ingenti alacritate, et gaudio clangor tubarum auditur, singulari omnium alacritate anchorae tolluntur, vela ventis explicantur, et laetis vocibus, faustisque clamoribus navigationi datur initium; ita Christi discipuli, quibus ille praeceperat, a Hierosolymis ne discederent, donec induerentur virtute ex alto, in sacra urbe, tanquam portu futurae navigationis manentes, iam parati et instructi instar navium ad cursum incipiendum, et peragendum, dum promissum Spiritum expectant: *Factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum.* Quo afflati, ingenti laetitia, et alacritate correpti tuba incipiunt canere Apostolica: *Loquentes variis linguis*; et a coenaculo, tamquam a portu, egressi, urbem Hierusalem intrepidi pervagantur, et postea divisi, et singulas orbis provincias inter se partiti ad opus Evangelicae praedicationis prodierunt, illo ipso ducente Spiritu, de quo dictum est (*Psal.* 142.): *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Solet pro diversitate ventorum modo ad hunc, modo ad illum portum navis appellere: unde facile hoc mundi mare navigantibus praedicere auderem, quem tandem portum peracta praesentis vitae navigatione occupaturus unusquisque sit. Nam si flante superbiae vento, et iracundiae Aquilone saeviente navigare quis perseveret, non dubium est, quin ad inferorum infelicissimum portum praecipiti cursu feratur. Si vero pergat Spiritus sancti flatu, et ductu, quo anima fit humilis, pacifica, et castitatis amans, intrabit procul dubio portum aeternae felicitatis. Et quoniam navigantibus fallax interdum esse aura solet, ne quovis vento rapiamur, nos monet Apostolus, inquiens (1. *Ioan.* 4.): *Nolite omni spiritui credere, sed probate si ex Deo sit.* Oportet enim considerare, et attente inspicere, quo spiritu ducamur, examinantes diligenter nostrarum actionum intentionem: sic enim facile praevidere poterimus, qualis futurus sit nostrae navigationis exitus. Hinc oritur differentia, quam Paulus insinuat inter mundi, et Dei filios: hos enim Spiritu Dei agi, et gubernari, sic testatur (*Rom.* 8.): *Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Cognoscitur etiam hoc discrimen veloci gressu, et ferventi studio, quo ad obsequium Dei, et divinae legis observantiam festinant. Spiritus enim divinus velocissimus est: unde dictum (*Eccl.* 9.): *Omnium mobilium mobilior est sapientia.* Horum naturam optime depinxit Ezechiel per figuram quatuor animalium, de quibus dicit: *Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur*: et statim addit: *Et similitudo animalium, quasi carbonum ignis ardentium.* Quibus verbis indicat Propheta, Dei filios magna ferri celeritate, et instar prunarum esse Dei charitate accensos. Vel dicamus cum Athanasio, per haec verba Prophetae significari, quod quando cor nostrum prunarum instar ardet amore divino, ubi primum intellectus nostri, et voluntatis vela Spiritus sancti aura complevit, nulla morae interpositione protinus navigare incipit, curritque velociter divinae obtemperans voluntati: nam ut dixit Ambrosius: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Ex adverso, qui hoc vento non aguntur, in aestu vivunt perpetuo, ignavi, et desides, tenacissimis vitiorum suorum anchoris illigati; dum hic irae, ille ambitionis, et voluptatis, alius vindictae, et avaritiae laqueo impeditus consenescunt. Hinc volo, fratres, eliciatis utile admodum documentum, cui si parueritis, feliciter inter hos mundi scopulos, et syrtes navigabitis. Curandum est diligentissime, ut quocumque tempore divinus hic Spiritus animos vestros perflaverit, licet nesciatis unde, vel quomodo veniat (*nam Spiritus ubi vult, spirat, et vocem eius audit, sed nescis unde veniat*) nullam moram interponentes a litore vitiorum solvatis, virtutum inchoantes navigationem. Nemo enim scit, iterum ne tam felix aura spiret, ideoque nequaquam praetermittenda, sed avide arripienda vestrae salutis occasio est. Quamobrem si tibi divinus hic Spiritus inspirat, ut mundum contemnas, et portum religionis ingrediaris, ne differas, antequam fluctibus vitiorum obrua-

ris: si monet largiaris eleemosynam, et bona tua pauperibus distribuas, aperi manum tuam, et pecuniarum loculos distribue indigentibus: si tibi mentem iniicit, ut piis officiis, et precibus intendas, et sacramenta suscipias, curro velociter obediens: fieri namque fortasse poterit, ut iam salutifero vento postea non afflante in perpetuo aestuantium tuorum vitiorum otio maneas, quod est omnium perniciosissimum malum, et ad animae naufragium periculosa admodum tempestas. Admoneo etiam vos, qui perversos mundi mores sectamini, ut sicut navim maria percurrentem solent hi, quibus obviam fit, vocibus laetis, et bonum cursum precantibus salutare; ita quando aliquem videbitis prospere, ac pie in huius vitae stadio currentem, et mundi fluctus superantem, dum eleemosynas largitur, sacramenta frequentat, verbo Dei, librorum lectioni, et precibus vacat, nolite quaeso illius impedire cursum, sed potius hortamini, animumque accendite, bonis verbis perseverantiam operis, et felicem exitum apprecantes. Quod si profundius in hanc purissimi auri venam figere ligonem velimus, non solum reperiemus aere nobis dari lucem, ignem, pluviam, et aliarum regionum fructus, ac diversa commoda, verum et ipsas hominum cogitationes nobis aperiri, et communicari: verba enim, quae loquimur, aerem habent pro subiecto: nec absque hoc vehiculo voces nostrae in audientium aures transfunderentur. Quemadmodum igitur aer ordini rerum naturalium valde necessarius est (nam, ut dixi, lingua nec loqui, nec auris audire sine illius adminiculo potest) sic divinus hic Spiritus rebus supernaturalibus est omnino necessarius, cum absque illo quae Dei sunt, non fiant operationes. Hinc quando Sancti loquebantur, hoc Spiritu suggerente loquebantur: *Spiritu Dei locuti sunt Sancti*; et per hunc ipsum audiebant (1. *Petr.* 2.): *Audiebant autem verbum Dei quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.* Ad quod significandum idem Spiritus assumpsit figuram linguarum (*Act.* 23.): *Apparuerunt dispertitae linguae, et factus est sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis.* Sed percontabitur aliquis, quare divinus Spiritus, quando se communicavit Eliae, venerit, *In sibilo aurae tenuis*; nunc autem in Spiritu vehementi, et vento horrisono?

Primum respondeo, non defuisse, qui senserint, *Spiritus vehementis*, idem esse, quod Spiritus vehentis mentem; verumtamen iuxta propriae significationis veritatem Spiritus vehemens idem est quod ventus validus, et aura vehementior, et fortior.

Secundo aio, per illa verba, *Spiritus vehementis*, insinuari discrimen, quod inter legem gratiae, et scriptam versatur: tempore namque scriptae legis, quoniam Deus rarius hominibus se communicabat, venit ad Eliam, *In sibilo aurae tenuis*: sed in lege gratiae, quia Deus frequentius, et plenius se praebet, ac liberalius multo bonorum suorum thesauros aperit, non in aura tenui, sed in vento vehementi hominibus illabitur, et inspiratur.

Tertio respondeo, quod ideo Spiritus sanctus venit ad nos in forma aeris vehementis, ut nostram reprehenderet ignaviam, et tarditatem: ideo namque Spiritus Dei loquebatur cum Elia, *In sibilo aurae tenuis*, idest submissa voce, et sine clamore, quoniam prompte, atque optime verba Dei Elias audiebat; nobis autem quasi surdis, et quae Dei sunt vix intelligentibus (*Animalis homo non percipit ea quae Dei sunt*) loquitur voce sonora, et clamans vehementi aeris sonitu, ut illum tandem audiamus.

Quarto dicere possumus, Eliam fuisse virum sanctum, et eius culpas levissimas instar leviculi pulveris, qui pulchrae imagini forsan adspersus parvo ventuli afflatu removetur, ideoque non in vento valido, sed in aura levi Spiritus Dei venit ad Eliam; mundus autem, quem purgaturus venerat Spiritus sanctus, cum esset foedissimis peccatorum sordibus inquinatus, necesse habebat vento vehemente purgari, et ventilari; ac propterea: *Factus est repente de caelo sonus tanquam Spiritus vehementis.* Tandem sicut nullum est elementum humano cordi propinquum magis quam aer: ignis enim ad illud non accedit, ne calore consumat; terram nemo sanae mentis traiicit; quin et aqua in stomachum illapsa immediate non refrigerat; aer autem propriam formam retinens ad cor penetrat, et ipsum continuo refrigerat: quod ut commodius fiat, natura proximum cordi apposuit pulmonem, ut eo, tanquam flabello refrigesceat, quo praesidio amoto protinus deficeret. Non aliter Spiritus sancti flatus cor nostrum, ac mentem refrigerat, ne concupiscentiae ardore inflammetur; qui si abesset, protinus anima nostra vitae spiraculum amitteret, et Dei gratia, qua vivit, privaretur. Cernimus denique longa aegritudine languentibus, qui iam tamquam incurabiles habentur, unicum superesse remedium ad recuperandam desperatam valetudinem, quemadmodum Hippocrates, et Galenus, ac reliqui artis medicae periti docent, videlicet, ut locum, in quo morbum contraxerunt, relinquentes, ad illum, unde vitam acceperunt, et in quo nati sunt, remigrent, ut patrio aere recreati, et quasi vescentes roborentur. Quo etiam modo peccatores sceleribus obfirmati, et malis inveterati moribus, tanquam incurabiles, nullo alio remedio sanari possunt, nisi ad patriae coelestis aerem adspirent, et eius afflati aura resipiscant. Hic enim salutifer Spiritus si afflet, facile virtute sua praestabit sanitatem, et malae vitae correctionem, quam nec morbi adversitas, nec honoris, aut bonorum amissio, nec concionatoris adhortatio, nec confessariorum consilium, nec Antistitis obiurgatio afferre potuerunt. Quid plura? Hic unus est Spiritus coelitus nobis missus, qui pestilentem aerem expurgat, ab animo tenebras profligat, segetes bonarum cogitationum maturat, paleas, et lolium malae voluntatis segregat, grana sanctorum operum ventilat, concupiscentiae ardorem refrigerat, affectuum impetum reprimit, et iniecto religionis, et iustitiae



freno coercet. Hic est divinus aer, per quem ad nos lux clara transfunditur, quo lux nobis praebetur, mens illuminatur, voluntas accenditur, imber lacrymarum congeritur, quo flante, humanae mentis navigium feliciter decurrit, et quo inspirante, Sancti loquuntur. Hic tandem est, quo surdi peccatores vocem Dei audiunt, et humanum cor, tanquam vitae spiraculo, vivit, viget, et valet in obsequio sui creatoris. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA QUARTA

*Quam convenienter Christus Spiritum sanctum nobis sub figura ignis miserit, et quare sub igne descendente, cum natura eius proprium sit ascendere.*

Inter multa, et varia figurarum genera, quibus in sacris litteris innuitur hoc sublime mysterium, mihi certe ad vivum exprimitur visione Ezechielis, dicentis a se visum hominem linteis indutum, cui coelitus dicebatur (*Ezech.* 10.): *Ingredere in medio rotarum, quae sunt subtus Cherubin, et imple manum tuam prunis ignis, et effunde super civitatem.* Vir hic, quem sibi visum Propheta ait, Christus est, per antonomasiam vir appellatus: nam ab eius instanti conceptionis fuit scientia, et sanctitate perfectus, ideoque adhuc intra suae Matris viscera conclusus viri nomen accepit, Hieremia sic de illo loquente (*Hiere.* 31.): *Femina circumdabit virum.* Indumentum lineum, quo erat amictus, sacra eius est humanitas, quae plura subiit tormenta, quam linum a seminatione, quoad texitur, et tela candidior facta humanis usibus accommodatur. Pro his ergo Christi doloribus, et laboribus ei dicit Pater aeternus: *Ingredere in medio rotarum*; ascende a terra in coelum, et sedem tuam pone in medio orbium coelestium: et quoniam optime scio velle te ignem mittere in regionem unde remigrasti: *Imple manum tuam prunis, et effunde illas super civitatem Hierusalem.* Quod hodierna die Christus re ipsa est executus; quippe mittens manum suam in pectus aeterni Patris, inde tot, ac tantas divini ardoris prunas coniecit in Apostolos, quot linguae igneae in capita eorum, *Qui pariter erant in eodem loco*, delapsae sunt. Narrant veteres Poetae, gentium olim Theologi, quod animadvertens Prometheus, non esse in terris ignem, quo posset homo perfici, quem condere ille caeperat, in coelum raptus, de flammigero solis curru facem accendit, qua subinde in terras rediens, ultimam manum formationi, et perfectioni hominis per ignem imposuit. Haec fabula versa est in veram historiam nostris temporibus: nam divinus Prometheus Christus Iesus, considerans nullius rei magis, quam divini ignis esse in terris inopiam, quo gelida hominum corda calefierent, dura mollescerent, inchoata perficerentur, ascendit in coelum, et ignem non a lumine aetherei solis, ut Prometheus, *sed a Patre luminum* accipit, et in discipulos, et per ipsos in Ecclesiam effundit Spiritus sancti ignem, quo perfectum, et absolutum fuit opus, quod ipse inchoaverat. Videor mihi audire Apostolos, et Ecclesiam Hieremiae verba dicentes: *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me:* erudivit, inquam, meum intellectum, et voluntatem. Ex hoc Spiritus sancti adventu, et illius circumstantiis patet discrimen inter legem, quam in monte Sinai Israelitico populo Moyses, et quam Christus in monte Sion Ecclesiae suae promulgavit: nam lex illa adeo gravis erat, et multiplex, ut teste Abulensi, quot annus dies, tot praecepta haberet; immo et Galatinus in libro de fide, et legibus praecepta Mosaycae legis sexcenta tredecim esse tradidit: unde inquit de illa Petrus (*Ac.* 13.): *Quam nec nos, nec patres nostri portare potuimus.* Lex autem Evangelica ita facilis, et brevis est, ut his duobus tantum praeceptis tota comprehendatur: *Diliges Dominum Deum, et proximum tuum sicut te ipsum.* Immo et Paulus (*Rom.* 13.) in hoc ultimo totam legem contineri testatur: *Qui diligit proximum, legem implevit.* Secundo, lex illa ad certum tempus stabilita fuit, donec Christus suam publicaret, quae ab illo lata non fuit ad tempus, ut indicatur per materiam in qua utraque descripta fuit: nam antiqua lex fuit insculpta lapidibus, qui licet durissimi, tempore tandem atteruntur; gratiae vero legem Deus digito suo scripsit in anima, quae est aeterna, et immortalis: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam.* Praeterea circumstantiae, quibus lex illa promulgata fuit, longe differunt ab his, quibus lex gratiae fuit publicata: nam quamvis in utriusque sanctione, et promulgatione Deus miserit ignem, id tamen diverso modo: ignis enim montis Sinai rapidus erat, obscurus, et fumo plenus: *Totus mons Sinai fumabat*; sed montis Sion ignis lucidus, lentus, et quietus. Illic tonitrua, et fulgura, quibus mons concussus tremuit, hic nullus ingratus fragor, nulla molesta turbatio, vel impressio aeris: unde dictum: *Mons Sion non commovebitur in aeternum.* Illic montis tremor, et terrae concussio tanta fuit, ut teste Iosepho, adstans populus moerore fuerit affectus, existimans Moysen montis hiatu suppressum. Sonitus autem, et strepitus auditus in monte Sion tanti fuit gaudii, et exultationis, ut non ad tremorem, sedad saltus, et choros divinitus agendos adstantes invitare videretur. Quod certe reipsa postea vidimus impletum; nam debiles, et pusillanimi induerunt firmitatem, et fortitudinem, et ex idiotis doctores, ex piscatoribus verbi Dei praecones, ex hominibus ardentes charitate Seraphim facti fuerunt. Illic, ut loquitur sacra pagina: *Clangor buccinae vehementis perstrepebat*; hic autem strepitus, quem in promulgatione legis gratiae edidit Spiritus ve-

hemens, non incussit timorem, sed animum fecit, et robur addidit, ut solent pulsata tympana, et militares tibiae, ad arma provocantes, et classicum canentes: quo sonitu accensi Apostoli, et invicti Christi milites bellum adversus mundum, et infernum fortiter, et constanter inierunt. Hoc ipsum confirmat ignis figura: consuetudo enim fuit, multis usurpata nationibus, bellum hostibus per ignem indicere, ut constat de Chaldaeis, qui pro Deo ignem colebant, et in praeliis ante exercitum gestabant. Horum usum imitati sunt Persae, qui manus cum hostibus conserturi, ardentem faculam, vel hastam in aciem adversariorum torquebant. Itaque fragor montis Sinai Israelitarum animos perterruit; sed strepitus montis Sion Apostolorum pectora firmavit, et munivit, ut totum terrarum orbem e manibus communis adversarii ereptum auctori suo restituerent. Praeter haec, sicut aquila pullos nido egredi non sinit, donec omnibus plumis tecti, sint apti ad volandum, et unguibus muniti ad praedam; ubi vero utraque re valere illos agnoscit, non patitur amplius intra nidum otiari; ita Christus Apostolos in coenaculo continuit, donec plumas ad volandum, et vires ad expugnandum receperunt per Spiritum sanctum, qui suis eos radiis sub forma linguarum exire caenaculo, et non solum per Iudaeam, sed per omnes terrarum regiones volitare compulit, ut daemonem humanis mentibus indebite, et superbe dominantem vostro praedicationis, et unguibus operum mirabilium invaderent, discerperent, et abigerent. Cuius victoriae praesagium fuit ignis ipse, subter quem venit Spiritus sanctus, victoriam significaturus. Quod ut suadeam facilius, afferam a Valerio Maximo, et Tito Livio mutuatum exemplum. Aiunt hi auctores, post Scipiones a Carthaginensibus in Hispania devictos, dum Lucius Martius vir nobilis Romanus militibus, qui bello superfuerant, concionaretur, et ad praelium denuo ineundum inflammaret, visas ab eius illaeso capite flammas ignis erumpere, quas intuentes milites, faustum inde capientes augurium, tanto animorum impetu, et alacritate in adversarios irruerunt, ut praeter captivorum numerum maximum triginta septem hominum millia trucidaverint. Alexandrum Magnum refert Plutarchus, dum adversus hostes praeliabatur, repente fuisse flammis circumfusum, quarum aspectu perterriti, ab offensione Alexandri protinus abstinuerunt. Narrat etiam eloquentiae parens Cicero, magnam ignis flammam Servio Tullio dormienti adhuc infantulo de capite prodiisse, unde augures magnam eius futuram felicitatem coniecerunt; quam rei eventus firmavit, quando Romanorum regnum ille adeptus fuit. Divinus ergo ignis super Apostolorum capita veniens quid aliud indicabat, nisi certissimam victoriam, quam in expugnatione mundi obtinere debebant; et summam illam felicitatem, quae manebat eos, quando pro tam insigni victoria triumphantes intrarent coelestem Hierusalem, innumeris animarum myriadibus Christo acquisitis pariter comitantibus, et triumphum tantum condecorantibus? Hanc animi constantiam, quam Dei Spiritus inducit, indicavit S. Ioannes Chrysostomus his verbis: *Ignis vehementiam gratiae, quae vinci possit, demonstrat.* Hinc ego non semel animadverti, inter animam, quae divino igne ardet, et illam, quae eo caret, plurimum esse discriminis: nam quemadmodum bellicum tormentum, etsi nitrato pulvere, et plumbeis glandibus armatum, dum igne non tangitur, potest adiri, et attrectari a pueris, sed ubi admotum ignem concepit, non solum hostium agmina dissipat, verum etiam propugnacula, et acies prosternit: ita quando mens nostra non est igni charitatis accensa, licet sulphureum habeat pulverem fidei, spei, et aliquarum moralium virtutum, quas acquisitas vocant Theologi, potest facile tentari, et a daemone invadi, et attrectari: verum si pulvis ille per igniarium charitatis semel flammam admisit, ut pectoribus contigit Apostolicis, omnia superabit obstacula, et victrix de subactis hostibus triumphabit.

Sed relictis rerum humanarum exemplis, ad eloquia divina recurrens, aliud in hac re invenio mysterium, quod Spiritus sanctus sub specie ignis in Apostolos descendens insinuat. Nam olim, quando sacrificia Deo immolabantur, si grata sibi erant, ignem coelitus mittere super victimas fuit solitus, ut constat ex illo Scripturae loco (*Gen.* 4.): *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera eius*; quae verba Theodoretus vertit in hunc modum: *Inflammavit Dominus super Abel.* Quod in sacrificio Abrahae, et quod obtulit Aaron, et in aliis multis visum etiam fuisse sacrae litterae plurimis in locis commemorant. Ita sacerdos aeternus Christus aeterno Patri duplex sacrificium, unum incruentum, cum discipulis coenans, alterum cruentum, in cruce moriens, obtulerat; nunc vero tertium sacrificium dum facit, offerens Patri dilectissimo sui gregis victimam, agnos videlicet suos intra ovile coenaculi congregatos, Apostolos, pro illius sacrificii approbatione ignis de coelo in Apostolorum capita descendit: *Et sedit super singulos eorum.* Quibus verbis significatur, non ad tempus, sed perpetuo in illis duraturum ardorem Spiritus sancti, qui animis Apostolicis infusus, et insidens eorum mentem regeret, et moderaretur actiones. Sed antequam ad alia me convertam, facere non possum, quin quaedam, quae se mibi offerunt, dubia proponam, et breviter discutiam. Primum dubium est, quomodo Spiritus sanctus pacis, et concordiae amantissimus se nobis praebeat in aere, et igne, quae res inter se admodum contrariae sunt: aer enim humidus, ignis siccus; ille refrigerat, hic calefacit; vitam ille largitur, hic eripit, et quidquid sibi proximum est absumit, et exurit: aer dividit, et separat, (eo enim spirante agricola in area messes ventilat, et a paleis grana segregat) ignis contra unit separata, et divisa coniungit; unde Aristoteles (*in libro secundo de generatione*): *Ignis unit partes, et res similes*; quod et docet



experentia in quovis metallo, quod in partes fractum, si coniiciatur in ignem, potest iterum facile uniri, et coagmentari.

His dubitationibus satisfacio auctoritate Dionysii (*de coelest. Hierar.*) dicentis, facultates, quae rebus insunt inferioribus, excellentius in causis superioribus inveniri. Quocirca cum Spiritus sanctus, penes quem tamquam supremam causam summa est nostrae sanctificationis auctoritas, hominum gelidas mentes igne charitatis inflammet, et eorumdem animos igne concupiscentiae ardentes refrigeret, divinae gratiae suae imbre illis duritiem cordis humectans, et mollificans dono lacrymarum, calore sui amoris exsiccans illis quidem virorem cupiditatis, et pia desideria fovens; ab his autem vitiosos motus, et pravas passiones repellens: in illis frumentum boni operis a lolio malae intentionis separans, in his uniens animos desides, et factiosos, voluit idem Spiritus ad haec omnia significanda ignis, et aeris subire figuram, ut quemadmodum duo haec elementa rebus, et corporibus humanis imprimunt diversos effectus, ita per illum varios ad unum tamen finem tendentes animis nostris induci affectus cognosceremus. Secunda dubitatio est, quomodo, si Spiritus sanctus est ignis, apud Ioannem a Christo vocetur fluvius: *Qui credit in me, flumina aquae vivae fluent de ventre eius*; additque: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum.* Non inficior, Spiritum sanctum esse, ac dici fluvium; longe tamen alium ab his, qui terras praeterlabuntur; unde vocatur a Daniele Propheta non solum fluvius, sed fluvius igneus, et rapidus, ab ore antiqui senis prodiens (*Dan.* 7.): *Antiquus dierum sedit, et fluvius igneus, et rapidus egrediebatur a facie eius.* Quae verba S. Augustinus (*in libris de Trinitate*), et Rupertus (*super eundem Prophetam*) de Spiritu sancto interpretantur: aiunt enim per *antiquum dierum*, seu venerabilem annisque plenum senem intelligi debere personam Patris aeterni, quem vocat *antiquum dierum*, non quia ceteris antiquior personis, sed quoniam duarum aliarum personarum principium, et origo sit. Sedentem a se visum senem Propheta dicit, quia cum non procedat ab alia persona, mitti non potest, ut Filius, et Spiritus sanctus ab ipso producti mittuntur. Fluvium a facie illius prodire ait: nam Filius ab ipso genitus imago est (*Heb.* 1.): *Et figura substantiae eius*; et quod addit, igneum esse rapidumque flumen, manifeste indicat Spiritus sancti personam, cuius proprium est instar amplissimi fluminis defluere copiosissimo torrente gratiarum. Idque confirmaturus Christus, hodie fluxum eius, et alveum, ita diffundi facit, ut omnes mundi regiones per ipsum voluerit ignita sui amoris alluvione mundari, iuxta quod prius dixerat (*Luc.* 12.): *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Appellat denique fluvium rapidum, propter vehementiam cursus, et celeritatem undarum: nam pari fortitudine, ac brevitate terrena desideria eluit, et abradit, et quae Dei sunt, infundens, et mentem roborans, ad coelestia convertit. Cuius ea natura est, ut quemadmodum aqua decurrens, si retardetur, tantum resiliens ascendit, quantum descenderat; ita fluvius hic igneus e Patre luminum, et eius Filio habens originem, in terras lapsus, ad eosdem recurrit, animas, quas exundatione pervaserat, secum rapiens: quoniam ut Christus dixerat (*Ioan.* 4.): *Qui biberit ex aqua, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Hic ergo igneus fluvius hodie Apostolica pectora copiosius inundat, cuius arrepti fluctibus, et undis tumentibus elati Apostoli terrena sapere desierunt, divinis aeternae sapientiae immersi gurgitibus: unde Paulus (*ad Phi.* 3.): *Conversatio nostra in coelis est.* Videtur mihi Christus in hac suorum Apostolorum informatione fecisse, quod strenui, providique duces in bello consuescunt: nam sicut hi arces, propugnacula, et muros urbis, quam obsident, prosternere volentes, agere solent cuniculos, subtus quos nitrati pulveris lagenas includentes, opportuno tempore in eas ignem per funiculos immittunt, et tam aedificia, quam eorum custodes subvertunt, eosque in aera sublimes, et semianimes contorquent; ita humani generis Redemptor, dux invictus, et sapientissimus, ut Apostolorum mentes ad coelestem regionem, unde ille venerat, tolleret, securius in potestatem redigeret, cuniculos virtutum animis eorum subiecit, moxque dispositis instar sulphurei pulveris illorum pectoribus, ignem Spiritus sancti misit, ut illo tacti, et correpti in coelestia convolarent, ac mundo iam mortui, Deo viventes, cum Paulo dicerent (*Gal.* 2.): *Vivo ego, iam non ego, sed vivit in me Christus.*

Tertium dubium non contemnendum minime praeteribo, quod sit, quod cum ignis natura sua sursum tendat, et propterea cum descendere cogitur, violentiam patiatur, nunc super Apostolos deorsum feratur, non sursum ascendat. Bifariam huic difficultati satisfieri posse arbitror. Primo, quod triplici via ex philosophia docemur, igne deorsum aliquando ferri. Prima est ex potentia alicuius virtutis attractivae, ad inferiorem partem illum moventis; quomodo etiam in plantis, et animalibus nutrimentum, quod de se grave est, ex radice ad verticem, et ex stomacho ad caput ascendit propter innatam virtutem attractivam in vertice et capite existentem. Hac ergo ratione licet ignis natura sua sursum feratur, quia tamen in Apostolis inerat virtus attractiva, divinitus infusa, illa quidem, de qua David, *Os meum aperui, et attraxi spiritum*, ideo, inquam, descendit in eos.

Secunda via, qua solet ignis deorsum moveri, est, quando adest ultima dispositio ad introductionem formae ipsius ignis, ut in lucerna extincta, et fumigante experientia compertum est: nam si ex parte superiori ignis applicetur fumosae exhalationi sursum ascendenti, statim illa flammam concipit, quae usque ad lucernam continuo pervenit, cam-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que denuo accendit : nam cum virgula fumi in ultima tunc dispositione sit ad formam ignis suscipiendam, oportet ignem ad eius introductionem descendere. Non dissimiliter cum Apostoli ardentes Ecclesiae catholicae lucernae moerore extinctae quodammodo essent propter absentiam Christi, qui eorum vita erat, ut ait Apostolus ( *ad Col.* 3. ): *Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc apparebitis cum ipso in gloria*, et pariter fumigassent suavi illo orationis fumo, de quo Ioannes in Apocalypsi ( *Ap.* 8.): *Ascendit fumus aromatum in conspectu Dei de manu Angeli;* cumque hic orationis fumus ascenderet ad Deum, continuo Spiritus sancti ignis coelitus descendens ardentissimis amoris flammis Apostolos omnes accendit, novam charitatis formam in eis introducens, vel antiquam tenacius eorum animis inhaerere, ac radicari faciens.

Tertia via, qua non solum ignis, sed et alia multa contra innatam, et cognitam propensionem moveri solita sunt, ea omnium notissima est, cum ad impediendum, ne detur vacuum, movetur, quod natura summopere abhorret, tamquam omnino superfluum, et unionis inimicum, ut Aristoteles testatur ( 4. *physicorum* ). Hinc est, quod etiam aqua, cum natura sua propter gravitatem, quam habet, naturaliter deorsum feratur, ne detur vacuum, in multis fontibus velocissimo impetu ascendit. Hinc etiam est, quod strepitus, ac fragor ille, quem audimus, quando bellica tormenta ferreum globum, aut quamlibet aliam materiam emittunt, ex eo sane causatur, quod ne detur vacuum, continuo summa celeritate aer tormentum illud bellicum ingreditur. Ac tandem unanimis est philosophorum sententia, dicentium, quod si aer, qui contiguus est sphaerae ignis, ita condensaretur, ut minorem locum occuparet, ignis ipse descenderet, saltem per rarefactionem, ad implendum illud vacuum. Sane Christus Dominus ascendens in coelum, vacuam regia sua praesentia deseruerat terram; ad implendum tamen hoc vacuum oportebat personam aliam aeque perfectam, ac infinitam ad eam descendere; unde id praevidens Christus Dominus dixit Apostolis ( *Ioan.* 14. ): *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*; quasi diceret, ut vacuum, quod recessus meus in coelum, tam in Ecclesia, quam in cordibus vestris causabit, repleatur, mittam vobis Spiritum sanctum, Patri, et mihi consubstantialem, qui illud undequaque explebit. Aliter etiam possumus eidem dubio facere satis ex doctrina magni Patris Epiphanii ( *in suo Anchorato* ) dicentis, Spiritum sanctum propterea in igne violento, hoc est contra naturam suam deorsum descendenti advenisse, ut doceret in eis specialiter inhabitare, qui inordinato appetitui violentiam inferunt; quia ut docuit Christus Dominus ( *Matt.* 11. ): *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Ut ergo violentiam nobis exercendam divinus Spiritus edoceret, in igne contra naturam suam violento motu descendenti advenit. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA QUINTA

### *De causis, ob quas Spiritus sanctus in forma linguarum, et ignis ad Apostolos descenderit.*

Etsi varia, et multa in litteris sacris leguntur, quibus Christi singularis dignitas, summa excellentia, immensae opes, et infinita perfectio declarantur; Pauli tamen verbis id manifestius ostenditur, dum ait Hebraeis scribens: *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis.* Quae verba Nicolaus Lyrensis intelligit de perfectione gloriae, quam Christus adeptus resurrexit : nam eius resurrectio causa fuit humanae salutis, ac iustificationis, ut dixit Apostolus ( *ad Ro.* 4. ): *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Communis tamen Patrum in hoc loco sententia est hoc participio, *Consummatus*, significari, Christum esse scientia, sanctitate, pulchritudine, ingenii, et morum praestantia, ac reliquis animi dotibus perfectissimum. Dubium non est, nihil in rebus humanis esse, ut Poeta Lyricus dixit, *Ex omni parte beatum :* nec ulla est sanctitas, sapientia, vel pulchritudo omnibus absoluta numeris, sed inchoata potius, et quae novum semper queat recipere augmentum; Christi autem perfectio, et sanctitas cum sit divina, ac omnibus accumulata dignitatibus, nullo modo augeri, aut ullatenus perfici potest. Quae tanta dignitas inde est, quod sicut teste Hilario ( *in lib.* 2. *de Trinitate* ) mortale corpus animae gloriosae coniunctum gloriae illius sit particeps, redditurque gloriosum, et ignitum ferrum non secus atque ignis splendere solet; ita humanitas Christi, quoniam ei Deus totum univit, facta est quoque gloriosa, et plena Deo, tanta cum perfectione, ut homo Deus, et Deus homo vere sit. Praeterea, quemadmodum iuxta Ioannis Damasceni sententiam, pulchrae, et validae Iudith, quae olim Holofernem interfecit, omnes eiusdem opes, pretiosaque suppellex aperta fuit, et exposita; sic etiam Christi humanitas singulari sua pulchritudine Deum in sui amorem trahens, illumque sibi devinciens, merito omnes eiusdem perfectiones, et divinorum attributorum multiplicem excellentiam consequi, ac possideri ab instanti suae conceptionis coepit. Vir igitur tot, ac tantis ornatus perfectionibus, et dotibus locupletatus, iure optimo vocatur ab Apostolo *Consummatus*, cum ait : *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis.* Et quamvis Sapiens vere dixerit, omnia, quae sunt a Deo creata, in mensura, numero, et pondere fuisse disposita, et constituta ( *Sap.* 11. ) : *Omnia in mensura, numero, et pondere disposuisti ;* perfectio ta-



men Christi mensuram non subit; immo ipsa existens immensa, omnium rerum creatarum verus modulus, et mensura est. unde illam quatenus talem alia mensura metiri non potest. Praeter haec, quamvis Christus, qua est homo, aliorum hominum numerum ingrediatur; qua tamen est Deus homo, cum sit unicus, et solus, nequaquam potest numero claudi : siquidem ut unus est Deus, ita unus et solus est Christus, qui si aliquo numero, solo ternario divinarum personarum continebitur, cum ipse sit secunda persona Trinitatis; immo si cum rigore loquamur, ille numerus non est : nequit enim numerus esse, ubi ratio quantitatis praedicamentalis abest, quam in Deo non esse nemo est qui dubitet. Multiplicem hanc Christi excellentiam, et perfectionum varietatem David brevibus illis pariter, ac obscuris verbis exposuit, in persona Christi sic loquens ( *Psal.* 138. ) : *Ecce tu Domine cognovisti omnia novissima, et antiqua, tu formasti me;* quae verba sanctus Basilius, et Cassiodorus interpretantes, Davidem per, *antiqua*, significare affirmant divinitatem, quae prior, et antiquior in Christo est; et per, *novissima*, vel ultima intelligi eius humanitatem; tum quia Deus hominem creans, universitati rerum, et mundi fabricae ultimum quasi colophonem imposuit : tum quoniam in ultima mundi aetate Deus factus fuit homo, ut constat ex Paulo ( *Hebr.* 1. ) : *Novissimis diebus loquutus est nobis in Filio.* Sed ut ad verba Davidis revertar, nomine Christi dicentis, *Ecce tu Domine cognovisti, etc.* illis aeternus Filius Patrem suum alloquitur, ac fatetur se ab illo quatenus Deum, et quatenus hominem perfecte cognosci; ex quo patet, quod existentibus Christi perfectionibus tantae virtutis, et excellentiae, ut solo divino intellectu valeant comprehendi, non immerito ab Apostolo Paulo vir consummatus appellari potuit.

Hac tanta perfectione Sponsa Christi capta in pastoritio Canticorum epithalamio ab eo petiit, ut sibi velit dare sui oris dulce suavium; unde ait ( *Cant.* 1. ): *Osculetur me osculo oris sui.* Ubi notandum est, Sponsam non solum petiisse, ut se Sponsus oscularetur, sed etiam addidisse, *Osculo oris suis* : quoniam non putabat satis esse sibi alterius, quam Sponsi sui osculum : quasi diceret Sponsa, non curo, nec amo hominum oscula, non Angelorum, vel Archangelorum, non Cherubim, vel Seraphim, sed illius osculum desidero, qui mea pax, et deliciae, mea gloria, et praesidium est. Alii eadem verba Sponsae legunt, *Osculetur me ille :* at quis ille? ille inquam vir, omni accumulatus perfectione; ille, qui homo existens pariter est Deus: *Ille qui tanto melior est Angelis, quanto differentius prae illis nomen haereditavit.* Ille denique tanto excellentior ceteris omnibus, quantum servo praestantior filius, et dominus est. Sed plurimum huic proposito convenit S. Pagnini interpretatio, qui haec verba, *Osculetur me osculo oris sui*, vertit in hunc modum : *Osculetur me osculis oris sui.* Ubi Sponsa non solum unum, sed plura ab Sponso suo dari sibi oscula flagitat. Haec autem oscula, quae petiit, et quae accepit Sponsa, tria fuerunt. Primum, quando divinum Verbum naturam sibi coniunxit humanam. Secundum, quando in sacramento Eucharistiae se cibum nobis praebuit, quo facto contractum antea cum Sponsa matrimonium quasi consummavit : *Et duo in carne una* fuerunt. Tertium tandem osculum fuit datum Sponsae hoc felicissimo tempore, dum ad illam per Spiritus sancti missionem remigrat. Non ignorabat Sponsa, Christum divini sui oris halitu communicare Spiritum sanctum, ut revera discipulis suis largitus est: nam ut Scriptura loquitur ( *Ioan.* 20. ): *Insufflavit, et dixit : Accipite Spiritum sanctum.* Quamobrem suavitate illius halitus illecta Sponsa, inquit : *Osculetur me osculo oris sui :* ita enim eius divino Spiritu, tanquam efficaci vitae spiraculo relici posse sperabat. Hodiernus igitur dies est, in quo Sponsus tam sanctum desiderium complet Sponsae suae, idque ita cumulate, ut pro certo amoris erga ipsam pignore figat osculum non solum ore, sed lingua Spiritus sancti : eius enim magisterio Christus alloquitur, et docet Ecclesiam, quemadmodum discipulis dixit ( *Ioan.* 14. ): *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.* Quem doctrinae effectum ut significaret, in figura linguarum discipulis illabi Spiritum sanctum, et super eorum capita descendere voluit. Est et alia ratio, ob quam Spiritus sanctus linguarum formam induit, scilicet, ut suos discipulos aliud loquendi genus doceret, quo humanos, ac terrestres obliti sermones, coelestes, ac divinos addiscerent, et colloquerentur. Eorum enim nonnulli paulo ante tam inculto, agresti, et indigno loquendi modo usi fuerant, ut quidam Christum negaverit ( *Matt.* 29. ): *Non novi hominem*; alius in fide dubitaverit : *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, non credam;* et alii duo spe claudicarint, peregrino respondentes ( *Luc.* 24 ): *Nos autem sperabamus, etc.* Horum igitur tam rude, ac imperitum eloquium, et tam dissonos oris accentus correcturus, et coelesti reformaturus Dei Filius, ut figura conveniret figurato, scirentque meliora verba, et perfectiora opera sibi discenda, et exercenda, Spiritum sanctum sub forma ignis, et linguarum ad eos legavit. Est et alia huius rei causa : nam ut quis peregre profecturus, et alterius loquelae, seu labii aditurus regiones, solet secum afferre aliquem peregrini idiomatis peritum, quo tanquam lingua, et interprete utatur, ad suas, et aliorum cogitationes exprimendas, et intelligendas; sic Apostolis, in omnes terrarum regiones, et nationes pro Evangelio praedicando discessuris, quippe ut David inquit ( *Psal.* 18. ): *In omnem terram exivit sonus eorum*; sicut ubi olim Ioseph audituri erant linguam, quam non noverant, voluit summa Christi sapientia interpretem adesse Spiritum sanctum, cuius praesentia, et auxilio cum omnibus gentibus, et nationibus proprio sermone, et idiomate

que denuo accendit : nam cum virgula fumi in ultima tunc dispositione sit ad formam ignis suscipiendam, oportet ignem ad eius introductionem descendere. Non dissimiliter cum Apostoli ardentes Ecclesiae catholicae lucernae moerore extinctae quodammodo essent propter absentiam Christi, qui eorum vita erat, ut ait Apostolus ( *ad Col.* 3. ): *Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc apparebitis cum ipso in gloria*, et pariter fumigassent suavi illo orationis fumo, de quo Ioannes in Apocalypsi ( *Ap.* 8.): *Ascendit fumus aromatum in conspectu Dei de manu Angeli;* cumque hic orationis fumus ascenderet ad Deum, continuo Spiritus sancti ignis coelitus descendens ardentissimis amoris flammis Apostolos omnes accendit, novam charitatis formam in eis introducens, vel antiquam tenacius eorum animis inhaerere, ac radicari faciens.

Tertia via, qua non solum ignis, sed et alia multa contra innatam, et cognitam propensionem moveri solita sunt, ea omnium notissima est, cum ad impediendum, ne detur vacuum, movetur, quod natura summopere abhorret, tamquam omnino superfluum, et unionis inimicum, ut Aristoteles testatur ( 4. *physicorum* ). Hinc est, quod etiam aqua, cum natura sua propter gravitatem, quam habet, naturaliter deorsum feratur, ne detur vacuum, in multis fontibus velocissimo impetu ascendit. Hinc etiam est, quod strepitus, ac fragor ille, quem audimus, quando bellica tormenta ferreum globum, aut quamlibet aliam materiam emittunt, ex eo sane causatur, quod ne detur vacuum, continuo summa celeritate aer tormentum illud bellicum ingreditur. Ac tandem unanimis est philosophorum sententia, dicentium, quod si aer, qui contiguus est sphaerae ignis, ita condensaretur, ut minorem locum occuparet, ignis ipse descenderet, saltem per rarefactionem, ad implendum illud vacuum. Sane Christus Dominus ascendens in coelum, vacuam regia sua praesentia deseruerat terram; ad implendum tamen hoc vacuum oportebat personam aliam aeque perfectam, ac infinitam ad eam descendere; unde id praevidens Christus Dominus dixit Apostolis ( *Ioan.* 14. ): *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*; quasi diceret, ut vacuum, quod recessus meus in coelum, tam in Ecclesia, quam in cordibus vestris causabit, repleatur, mittam vobis Spiritum sanctum, Patri, et mihi consubstantialem, qui illud undequaque explebit. Aliter etiam possumus eidem dubio facere satis ex doctrina magni Patris Epiphanii ( *in suo Anchorato* ) dicentis, Spiritum sanctum propterea in igne violento, hoc est contra naturam suam deorsum descendenti advenisse, ut doceret in eis specialiter inhabitare, qui inordinato appetitui violentiam inferunt; quia ut docuit Christus Dominus ( *Matt.* 11. ): *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*. Ut ergo violentiam nobis exercendam divinus Spiritus edoceret, in igne contra naturam suam violento motu descendenti advenit. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA QUINTA

### *De causis, ob quas Spiritus sanctus in forma linguarum, et ignis ad Apostolos descenderit.*

Etsi varia, et multa in litteris sacris leguntur, quibus Christi singularis dignitas, summa excellentia, immensae opes, et infinita perfectio declarantur; Pauli tamen verbis id manifestius ostenditur, dum ait Hebraeis scribens: *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis.* Quae verba Nicolaus Lyrensis intelligit de perfectione gloriae, quam Christus adeptus resurrexit : nam eius resurrectio causa fuit humanae salutis, ac iustificationis, ut dixit Apostolus ( *ad Ro.* 4. ): *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Communis tamen Patrum in hoc loco sententia est hoc participio, *Consummatus*, significari, Christum esse scientia, sanctitate, pulchritudine, ingenii, et morum praestantia, ac reliquis animi dotibus perfectissimum. Dubium non est, nihil in rebus humanis esse, ut Poeta Lyricus dixit, *Ex omni parte beatum :* nec ulla est sanctitas, sapientia, vel pulchritudo omnibus absoluta numeris, sed inchoata potius, et quae novum semper queat recipere augmentum; Christi autem perfectio, et sanctitas cum sit divina, ac omnibus accumulata dignitatibus, nullo modo augeri, aut ullatenus perfici potest. Quae tanta dignitas inde est, quod sicut teste Hilario ( *in lib.* 2. *de Trinitate* ) mortale corpus animae gloriosae coniunctum gloriae illius sit particeps, redditurque gloriosum, et ignitum ferrum non secus atque ignis splendere solet; ita humanitas Christi, quoniam ei Deus totum univit, facta est quoque gloriosa, et plena Deo, tanta cum perfectione, ut homo Deus, et Deus homo vere sit. Praeterea, quemadmodum iuxta Ioannis Damasceni sententiam, pulchrae, et validae Iudith, quae olim Holofernem interfecit, omnes eiusdem opes, pretiosaque suppellex aperta fuit, et exposita; sic etiam Christi humanitas singulari sua pulchritudine Deum in sui amorem trahens, illumque sibi devinciens, merito omnes eiusdem perfectiones, et divinorum attributorum multiplicem excellentiam consequi, ac possideri ab instanti suae conceptionis coepit. Vir igitur tot, ac tantis ornatus perfectionibus, et dotibus locupletatus, iure optimo vocatur ab Apostolo *Consummatus*, cum ait : *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis.* Et quamvis Sapiens vere dixerit, omnia, quae sunt a Deo creata, in mensura, numero, et pondere fuisse disposita, et constituta ( *Sap.* 11. ): *Omnia in mensura, numero, et pondere disposuisti ;* perfectio ta-



men Christi mensuram non subit; immo ipsa existens immensa, omnium rerum creatarum verus modulus, et mensura est. unde illam quatenus talem alia mensura metiri non potest. Praeter haec, quamvis Christus, qua est homo, aliorum hominum numerum ingrediatur; qua tamen est Deus homo, cum sit unicus, et solus, nequaquam potest numero claudi : siquidem ut unus est Deus, ita unus et solus est Christus, qui si aliquo numero, solo ternario divinarum personarum continebitur, cum ipse sit secunda persona Trinitatis; immo si cum rigore loquamur, ille numerus non est : nequit enim numerus esse, ubi ratio quantitatis praedicamentalis abest, quam in Deo non esse nemo est qui dubitet. Multiplicem hanc Christi excellentiam, et perfectionum varietatem David brevibus illis pariter, ac obscuris verbis exposuit, in persona Christi sic loquens ( *Psal.* 138. ): *Ecce tu Domine cognovisti omnia novissima, et antiqua, tu formasti me;* quae verba sanctus Basilius, et Cassiodorus interpretantes, Davidem per, *antiqua*, significare affirmant divinitatem, quae prior, et antiquior in Christo est; et per, *novissima*, vel ultima intelligi eius humanitatem; tum quia Deus hominem creans, universitati rerum, et mundi fabricae ultimum quasi colophonem imposuit : tum quoniam in ultima mundi aetate Deus factus fuit homo, ut constat ex Paulo ( *Hebr.* 1. ): *Novissimis diebus loquutus est nobis in Filio.* Sed ut ad verba Davidis revertar, nomine Christi dicentis, *Ecce tu Domine cognovisti, etc.* illis aeternus Filius Patrem suum alloquitur, ac fatetur se ab illo quatenus Deum, et quatenus hominem perfecte cognosci; ex quo patet, quod existentibus Christi perfectionibus tantae virtutis, et excellentiae, ut solo divino intellectu valeant comprehendi, non immerito ab Apostolo Paulo vir consummatus appellari potuit.

Hac tanta perfectione Sponsa Christi capta in pastoritio Canticorum epithalamio ab eo petiit, ut sibi velit dare sui oris dulce suavium; unde ait ( *Cant.* 1. ): *Osculetur me osculo oris sui.* Ubi notandum est, Sponsam non solum petiisse, ut se Sponsus oscularetur, sed etiam addidisse, *Osculo oris sui* : quoniam non putabat satis esse sibi alterius, quam Sponsi sui osculum : quasi diceret Sponsa, non curo, nec amo hominum oscula, non Angelorum, vel Archangelorum, non Cherubim, vel Seraphim, sed illius osculum desidero, qui mea pax, et deliciae, mea gloria, et praesidium est. Alii eadem verba Sponsae legunt, *Osculetur me ille :* at quis ille? ille inquam vir, omni accumulatus perfectione; ille, qui homo existens pariter est Deus: *Ille qui tanto melior est Angelis, quanto differentius prae illis nomen haereditavit.* Ille denique tanto excellentior ceteris omnibus, quantum servo praestantior filius, et dominus est. Sed plurimum huic proposito convenit S. Pagnini interpretatio, qui haec verba, *Osculetur me osculo oris sui*, vertit in hunc modum : *Osculetur me osculis oris sui.* Ubi Sponsa non solum unum, sed plura ab Sponso suo dari sibi oscula flagitat. Haec autem oscula, quae petiit, et quae accepit Sponsa, tria fuerunt. Primum, quando divinum Verbum naturam sibi coniunxit humanam. Secundum, quando in sacramento Eucharistiae se cibum nobis praebuit, quo facto contractum antea cum Sponsa matrimonium quasi consummavit : *Et duo in carne una* fuerunt. Tertium tandem osculum fuit datum Sponsae hoc felicissimo tempore, dum ad illam per Spiritus sancti missionem remigrat. Non ignorabat Sponsa, Christum divini sui oris halitu communicare Spiritum sanctum, ut revera discipulis suis largitus est: nam ut Scriptura loquitur ( *Ioan.* 20. ): *Insufflavit, et dixit : Accipite Spiritum sanctum.* Quamobrem suavitate illius halitus illecta Sponsa, inquit : *Osculetur me osculo oris sui :* ita enim eius divino Spiritu, tanquam efficaci vitae spiraculo refici posse sperabat. Hodiernus igitur dies est, in quo Sponsus tam sanctum desiderium complet Sponsae suae, idque ita cumulate, ut pro certo amoris erga ipsam pignore figat osculum non solum ore, sed lingua Spiritus sancti : eius enim magisterio Christus alloquitur, et docet Ecclesiam, quemadmodum discipulis dixit ( *Ioan.* 14. ): *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.* Quem doctrinae effectum ut significaret, in figura linguarum discipulis illabi Spiritum sanctum, et super eorum capita descendere voluit. Est et alia ratio, ob quam Spiritus sanctus linguarum formam induit, scilicet, ut suos discipulos aliud loquendi genus doceret, quo humanos, ac terrestres obliti sermones, coelestes, ac divinos addiscerent, et colloquerentur. Eorum enim nonnulli paulo ante tam inculto, agresti, et indigno loquendi modo usi fuerant, ut quidam Christum negaverit ( *Matt.* 29. ): *Non novi hominem ;* alius in fide dubitaverit : *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, non credam ;* et alii duo spe claudicarint, peregrino respondentes ( *Luc.* 24 ): *Nos autem sperabamus, etc.* Horum igitur tam rude, ac imperitum eloquium, et tam dissonos oris accentus correcturus, et coelesti reformaturus Dei Filius, ut figura conveniret figurato, scirentque meliora verba, et perfectiora opera sibi discenda, et exercenda, Spiritum sanctum sub forma ignis, et linguarum ad eos legavit. Est et alia huius rei causa : nam ut quis peregre profecturus, et alterius loquelae, seu labii aditurus regiones, solet secum afferre aliquem peregrini idiomatis peritum, quo tanquam lingua, et interprete utatur, ad suas, et aliorum cogitationes exprimendas, et intelligendas; sic Apostolis, in omnes terrarum regiones, et nationes pro Evangelio praedicando discessuris, quippe ut David inquit ( *Psal.* 18. ): *In omnem terram exivit sonus eorum ;* sicut ubi olim Ioseph audituri erant linguam, quam non noverant, voluit summa Christi sapientia interpretem adesse Spiritum sanctum, cuius praesentia, et auxilio cum omnibus gentibus, et nationibus proprio sermone, et idiomate

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

loquerentur: id enim sibi volunt verba illa *Coeperunt loqui variis linguis.* Non ut alii somniant, quod uno sermone loquentes, ab omnibus intelligerentur; id enim non esset, ut ait Lucas, variis linguis loqui, sed a nationibus linguarum diversarum intelligi. Voluit quoque ignis linguas mittere in Apostolos, ad indicandum diversum effectum linguarum, quae in aedificatione turris Babel confusae fuerunt. Pro cuius rei faciliore notitia revocandum in memoriam est (sicut S. Ioannes Chrysostomus (*in homilia super Genesim*), et Sanctus Augustinus (*de mirabilibus sacrae Scripturae*), nec non Eucherius (*in Genesim*) notaverunt, ante Babylonicae turris aedificationem non fuisse in terrarum orbe aliam linguam praeter Hebraeam, ut constat ex Genesi: *Erat autem terra labii unius, et sermonum eorundem.* Nam licet Pellistrato Episcopo Bricensi, ut refert Sixtus in Bibliotheca, videatur superiorum Patrum sententia veritati parum consona, ex eo quod Moyses, antequam de Babylonicae turris devastatione sermonem instituisset, agens de filiis Iaphet, dicat: *Ab his divisae sunt insulae gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam:* fallitur tamen, quoniam, ut D. Augustinus (*lib.* 16. *de Civitate Dei*) scribens docet, Moyses in c. 10 loquitur per anticipationem, quod frequenter accidit, quando aliquid narratur per transennam, et ante tempus illud, in quo magis opportune, et cum debitis loci, et temporis circumstantiis declararetur; idque pariter adnotat Sixtus Senensis loco iam citato, cui et Iconius assentitur, ab ipso ibidem relatus. Deus igitur tam superbae, et insolenti humanae mentis elationi offensus, quod temere tentasset moliri turrim, cuius vertice sublimi coelum ipsum tangeretur, divisit in varias linguas eius artifices, hincque oborta repente linguarum confusione, coepti operis facta fuit tanta turbatio (cum nemo alterum intelligeret, et desuper petentibus saxa deorsum calix ministraretur, ac lateres postulantibus ligna praeberentur) ut votis exclusa, et desiderio elusa humana temeritas, inchoatam molem relinquere, ac Dei, et naturae ordini parere coacta fuerit. At postquam gratiae tempus illuxit, in quo non Babylonica, sed Davidica, non lapidea, sed aetherea turris construitur, quae catholica Ecclesia est, vult eius auctor, et conditor Deus feliciter exaedificari, et in dies magis augeri, donec in coelum usque penetret, sicut scala Iacob; unde non confundit Ecclesiasticam turrim aedificantium sermonem, sed novo linguarum dono auget, expolit, ac dirigit, suggerens eius artificibus Apostolis cum linguarum cognitione omnem tanto operi opportunam necessariamque materiam, fidem videlicet firmam, spem certam, charitatem inflammatam, laborum tolerantiam: quibus praesidiis Ecclesiae structura in dies accipiebat augmentum, ut ait Lucas (*Act.* 6.): *Verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum.* Nec solum numerus, sed pariter etiam charitas, benignitas, et liberalitas in proximos augebatur: unde est illud (*Act.* 4.): *Vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum.* Apparuerunt quoque dispertitae linguae, tanquam ignis, ut ostenderet, non eis arma, ut dixit Paulus, carnalia, sed spiritualia quaerenda, et induenda ad optatam mundi expugnationem: ideo namque, quamvis Christus Spiritum sanctum mittere in figura manuum potuerit, noluit tamen, quia bellum non evaginato ense, non bellicis tormentis, non effusione cruoris, sed linguae adminiculo, et efficacibus evangelicae praedicationis clamoribus geri debebat. In cuius rei typum scimus bellum, quo Syriam Deus obsidione Samariae persequutus est, fuisse gestum, et peractum strepitu curruum, et equorum, quo audito fuga se corripuerunt. Neminem latet muros Hierico non explosione tormentorum, sed vocibus, et clamoribus corruisse (*Ios.* 6.): *Conclamavit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruerunt.* Non secus veritatis, et vitae magister Apostolos suos, et discipulos primos mundi expugnatores adversus communem humani generis hostem, non armorum strepitu, vel bellicis machinis, gladiis, aut telis, sed vocibus, et sermonibus bellum gerere iubet, quippe non corpora subiicienda, nec arces, aut urbes expugnandae ab Apostolis erant, sed hominum illustrandae mentes, quae voce docentur, cum fides ex auditu sit, ut ait Apostolus. Huic proposito valde convenit, quod in libris Regum narratur de Ioab, qui buccinae sonitu perterruit hostilem exercitum, ne Dei populum urgeret (2. *Reg.* 2.): *Intonuit Ioab buccina, et stetit omnis populus, nec persequuti sunt ultra Israel.* Apostolorum evangelicae tubae daemonem terruerunt, et a strage revocarunt, quam contra Dei Ecclesiam edebat. Notandum etiam hoc loco est, quod, etsi Christi discipuli tamdiu fuerint cum eo versati, et coelesti doctrina instructi, non vult tamen officium praedicationis, et daemonis expugnationem ab ipsis inchoari, antequam armis opportunis induantur, et proprio signo notentur, quo ab aliis mundi militibus distinguantur. Quamobrem cum huius belli dux Christus sit divinum Verbum, linguas quoque suis militibus pro insigni, et praesidio dat: linguae enim adminiculo, voce scilicet, verbum pronunciatur. Quae vox in Apostolis efficaci Spiritus sancti virtute adeo potens fuit, ut ea tantum non solum Iudaeam, sed Hispaniam, Italiam, Galliam, et ceteras mundi regiones brevi subiugaverint, ut antea dixerat Isaias (*Isai.* 66.): *Ponam in eis signum, et mittam ex eis ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam, in Italiam et Graeciam, ad insulas longe, et ad eos, qui non audierunt de me, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus.* Qua in re Christus duplicem respexit finem, victoriam scilicet, et victores. Erat enim admodum difficilis, immo et impossibilis victoria, a piscatoribus Principes, Reges, et Imperatores sine divino auxilio superari; nec minus timendum



erat, ne tantae victoriae gloriam propriae fortitudini, et industriae Apostoli attribuerent, cum potius linguis ab Spiritu sancto acceptis, et simul cum eis misso coelitus auxilio deberetur. Sunt in sacris litteris eiusdem rei aliquot figurae: nam primum Isaiae Prophetae antequam loqueretur, labia, et linguam Deus expurgavit, ne sanctos, rectosque sermones, quos postea dicturus erat, sapientiae suae, aut eloquentiae, sed divino beneficio, et magisterio adscriberet. Hac etiam de causa cum praeclarissimum architectum Beseleel pro tabernaculi fabrica Deus elegisset, noluit ipsum manum aedificationi admovere, antequam eius veterem sapientiam novo cumulo eruditionis augeret (*Exod.* 31.): *Implevit eum spiritu Dei, sapientia, et intelligentia.* Tandem cum invicta Iudith vultum suum composuisset, et pretiosioribus se indumentis ornasset, ut Holofernem pulchritudine sua ad amorem connubii pelliceret, novo illam Deus splendore faciei, et decore venustatis cumulavit, ne post obtruncatum Holofernem victoriam illam sibi soli arrogaret: ait enim sacra Scriptura: *Cui Dominus contulit splendorem:* et ibidem; *Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliavit.* Similiter Christus, ne propriis viribus, et humanae sapientiae Apostoli referrent acceptam tantarum rerum victoriam, antequam praelium ingrediantur, iussit a Hierosolyma ne discedant, donec coelesti virtute muniantur, ut essent opere, et verbo potentes: *Donec induantur virtute ex alto.*

Sed praeter omnia, quae diximus, voluit Christus sub figura linguarum donare Spiritum sanctum discipulis suis, quoniam Christiani gregis custodes, et quasi canes, et latrantes molossi abigere lupos debebant, eosque prius viderat non audentes loqui *propter metum Iudaeorum,* et similes esse canibus illis, de quibus Isaias, *Canes muti non valentes latrare.* Considerandum hoc loco est, quod sicut canum linguae salutiferae sunt vulneribus, quae non raro sanari solent, si linguis canum allambantur; sic Apostolorum linguis parabatur salus a peccato vulneratis, per doctrinae, et sacramentorum administrationem. Sed quamvis certum sit, quod frequenti caninae linguae tactu ulcera foveantur, non tamen illa, quae pertingere non valent, qualia sunt, quae caput infestant; sic etiam non raro contingit, ut voces, et linguae concionatorum, in quibus Deus animarum medelam sitam esse voluit, lambentes manuum, pedumque vulnera, id est plebis peccata corrigant, capita vero reipublicae, nempe magistratum urbis, vel Gubernatorem, Episcopum, vel Praesidem publice peccantem tangere minime audeant. Quod certe nequaquam faciendum est: ideo namque linguae, quae hodie de coelo lapsae sunt, Apostolorum capitibus insederunt, ut intelligant concionatores nulli publico delicto parcendum, a nullius reprehensione abstinendum, sed ipsa capita reipublicae, urbis, vel regnorum, si opus fuerit, acriter verbo Dei obiurganda. Ad id ergo indicandum igneas linguas super capita sedisse legimus. Est alia non vulgaris causa, propter quam Spiritus sanctus sub imagine linguarum Apostolorum capitibus fuit illapsus, ut tanquam hieroglyphico significaret, verbum Dei praedicadibus opus esse prudentia, et sapientia in loquendo: lingua enim super caput, ubi mens hominis praesidet, egregie significat linguam prudenter gubernandam, quae non mentem, sed illam mens, et ratio praecurrere debet. Quod adeo verum est, ut ipsa humani oris compago id voluisse docere videatur: nam sicut Anatomistae testantur, a cerebro in linguam nervi influunt, quo admonemur, quanta esse debeat linguae cum ratione connexio. Praeterea, quemadmodum in academiis, qui ad doctoris gradum promoventur, solent serico flocculo super caput posito decorari; sic hodierna die Apostolorum capita linguarum insigni notantur, dum totius orbis creantur magistri, et doctores, non quidem ex sua, sed ex Dei sufficientia: nam, ut dixit Apostolus (2. *Cor.* 3.): *Sufficientia nostra ex Deo est.* Et sicut Doctorum insignia solent indicare, quam quisque profiteatur facultatem, nam color candidus signum est Theologiae, viridis Legum, pallidus Medicinae, ita color rubeus, et ardens, qui apparet hodie in linguis mysticis, quas Spiritus sanctus Apostolorum capitibus imponit, ostendit praecipuam facultatem, qua illi pollent, et quam mundum docere ab Spiritu sancto mittebantur, charitatem esse, cuius symbolum ignis est.

Videamus tamen pro huius homiliae fine, cur Deus has linguas in forma ignis potius, quam sub alia materia miserit: nam ignis natura contraria est linguae qualitatibus: quippe lingua est humida, et abundat fere semper aqueo liquore, qui naturae ignis adversatur. Quis igitur non mirabitur vivere in igne linguam, et aqua ignem foveri? Hinc elicere poterimus primum rationem, ob quam Spiritus sanctus ignis, et linguarum formam acceperit: nam praeterquam lingua symbolum est sapientiae, aqua in divinis litteris illam quoque significat, ut testatur Ecclesiasticus (*Eccl.* 55): *Aqua sapientiae salutaris potasti illum:* et ignis figura est amoris, ut docet Dionysius, et ex Christi verbis (*Luc.*12) constat: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* Coniunctio ergo linguarum, et ignis denotat in verbi divini praeconibus sapientiam cum Dei amore esse, ita ut scientia, et charitate simul valeant, sintque pariter Seraphim, et Cherubim: aliter enim illorum doctrina inutilis, et parum efficax erit, audientiumque animos excitare non poterit. Quomodo enim si concionatores algent, populum accendent? quomodo si carnem, et sanguinem illorum verba sonant, Dei spiritum auditoribus infundent? Vere namque dixit eloquentiae parens (*in lib. de oratore*): Ardeat orator si iudicemur incendere: et S. Bernardus inquit, Spiritum sanctum in forma ignis venisse: *Ut legem igneam igneae linguae praedicarent;* iuxta quod canit Ecclesia: *Ut linguis essent proflui, et charitate fervidi.* Sed ut altius exurgam, considero in his linguis igneis divini Verbi, et Spiritus sancti, ut loquuntur Theologi,

consubstantialitatem: lingua enim figura est Verbi Dei, quia Filius est lingua, et verbum Patris; ignis repraesentat Spiritum sanctum, qui essentialiter, et personaliter ardentissimus amor, et inflammata charitas est. Quamobrem cum in una, et eadem substantia linguae, et ignis venerit Spiritus sanctus, quae potest ab humano ingenio excogitari expressior imago, quam quae a divino nobis proposita hodie est per ignem, et linguas ad unam, et eandem Spiritus sancti, et Filii aeterni naturam, et consubstantialitatem insinuandam? Huc si accedat, linguam doctrinam promentem loquentis alicuius debere esse linguam, continuo mysterium sanctissimae Trinitatis nobis elucebit: nam qui loquitur, est Pater aeternus, lingua qua loquitur, est Filius, ignis denique, qui linguam inflammat, Spiritus sanctus est. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA SEXTA.

*Inter alias causas ob quas Spiritus sanctus in linguis igneis advenit, eam non infimum locum tenere, erudite ostenditur, ut maledicorum, ac murmurantium linguas igni, quasi cauterio compesceret, corrigeret, ac reformaret.*

Postquam sapientissimus Rex Salomon sumptuosum illud, et omnium celebratissimum templum exaedificaverat, ut in sacris litteris legimus, singulari cum beneficio Deus prosequi volens, ad indicandum mysticam eius aedificii fabricam sibi placere, misit super sacrificium ab ipso Salomone oblatum de coelo ignem, qui splendore, et gloria Dei intus ignem latentis totum templum implevit. Christus generis humani salus instar alterius pacifici Salomonis pulcherrimum templum, Ecclesiam nempe militantem, condidit (*Psal.* 87): *Ipse fundavit eam Altissimus*: quam cum absolvisset, opus illud sibi probari Pater aeternus indicaturus, cuius fabricae, et aedificii ratio non erat Mosayco, et antiquo ritu, sed novo, et Romano, mittit hodie de coelo ignem ardentissimum, in quo tota Dei gloria, et maiestas integre reconditur. Et quemadmodum olim apud Romanos consuetudo fuit, ut peracto triumpho, his qui interfuerant, dona largirentur triumphatores; ita Christus, confecto suae Ascensionis triumpho, Apostolis, ac discipulis suis ingentia dona distribuit, ut Paulus dixit (*Ephes* 4.): *Dedit dona hominibus.* In quibus donis communicandis consideratione dignissimus est modus ipse, quo illa praebuit, mittens Spiritum sanctum subter linguarum specie, docturus hoc ipso signo, linguarum esse censorem ac reformatorem: nam de illo vere scriptum est (*Ioan.* 16.): *Ille arguet mundum de peccato.*

Animadvertant igitur, qui linguae sunt maledicae, et mordaci sermone proximos infestant, famam eorum multo turpius interdum, quam famosis libellis dedecorantes, gravissimum ab ipsis committi flagitium, atque ideo caute, et prudenter linguam oportere gubernari; de qua loquens Iacobus Apostolus, inquit: *Lingua ignis est*; et quasi parum dixisset (nam ignis vis, etsi multa, vehemens est, aquae infusione extinguitur) subiungit, explicans linguae naturam: *Omnis natura bestiarum, et volucrum, et serpentium domantur, linguam autem nullus hominum domare potest.* Hac de causa descendit Spiritus sanctus sub figuris linguarum, ut quod nullus hominum domare potest, Deus subiiciat, domet, et prosternat. Apostolus superiori suae canonicae loco in pauca verba contulit omnia damna, quae secum lingua effraenis afferre solet: ait enim de illa: *Universitas iniquitatis est.*

Quae autem haec sit malorum universitas, et immensus cumulus, explicat S. Ioannes Clymachus, damna recensens, quae a loquacitate oriuntur: *Loquacitas*, inquit, *est ignorantiae certum argumentum, compunctionis desolatio, detractionis ianua.* Quae verba aliquantulum latius enodemus, mirabili enim doctrina plena sunt: *Loquacitas est ignorantiae certum argumentum.* Experimento omnibus constat, in tempore tacere non minus esse sapientis, quam cum oportet loqui: quod apparet in arte musica, ubi signa sunt, sive puncta, quibus insinuatur canendum, et aliae notae sunt, quibus quies, et silentium, quod a cantoribus pausa dicitur, imperatur: unde cantores omnes, praecipue qui canendi arte peritiores sunt, notam silentii non minus quam cantus observant, scientes non minorem errorem committi posse in uno quam in altero. Idem quoque vir prudens facere debet, memor illius, quod Spiritus sanctus admonuit (*Ecc.* 3.): *Tempus tacendi, et tempus loquendi.* De Solone prudentissimo philosopho referunt historici, quod in convivio cum diu tacuisset, quendam ex convivantibus dixisse: *Hic vel stultus, vel mutus est.* Cui Philosophus acute respondit: *Non utique mutus cum loquar, nec stultus cum tacuerim: silentii enim observantia opinionem mihi paravit sapientis.* Quod videtur a Iob audivisse, cum dixit: *Utinam taceretis, ut putaremini sapientes.* Addit Clymachus: *Compunctionis desolatio:* nam interni doloris, et lacrymarum pernicies est loquacitas, per quam animae vis quasi exhalatur, ac devotio, et pietas exhauritur: quod regius Propheta in hunc modum insinuavit (*Psal.* 77.): *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Sed quomodo si tacebat Propheta, clamabat: vel quomodo si clamabat, tacebat? Haec sane, et alia multo magis contraria effraenis linguae sunt officia; tacet enim quae dicenda, et loquitur quae tacenda sunt; ideoque pariter silet, et vociferatur, silens proximi laudes, et virtutes, vitia, atque defectus promulgans. Cuius rei causa est, quoniam, ut David inquit: *Inveteraverunt ossa mea*, id est animae virtus languere coepit; sunt enim virtutes instar ossium, quibus nostrae carnis imbecillitas, et infirmitas fulcitur, et sustinetur; his vero attritis, et corruptis, anima in operibus bonis infirmatur, et languescit. Tertio inquit, *Est detractionis ianua*, quia loquacitate vigente, ostium patet ad stultitiam, et temerariam alienorum morum censuram: unde ab Spiritu sancto dictum legimus (*Prov.* 10.): *In multiloquio non deerit peccatum.* Nam maledicentiae, et noxiae confabulationis vectigal est peccatum, quod daemoni a loquacibus penditur. Tanta vero est corruptae naturae nostrae miseria, et ad malum proclivitas, ut vix loqui de proximo sciamus, maxime si malevole aliquantum, et infesto animo in eum simus, quin ei succenseamus, et eius errata, licet multis aliis floreat virtutibus, carpamus, et reprehendamus. Adest in sacris litteris mirabilis huius rei typus: illic enim narratur Achab armis undequaque munitum, cum ministri negligentia parva quaedam lateris pars inermis mansisset, et praelium ille ingrederetur, percussum ab hostibus sagitta, quae non in alia, sed in ea tantum quae patebat, corporis parte vulnus inflixit. Quis est, qui non videat, quid haec sibi figura velit? Proximus tuus multis, et claris virtutibus ornatus incedit, tam si mores eius, quam si naturam respicias; at quamvis tam variis sepiatur praesidiis, lingua tamen non tangit virtutes, nec laudat animi, vel corporis dotes, sed protinus in aliquod, etsi leve naturae, vel morum vitium invehitur; imitans hac in re lapidem illum, qui non aurum, argentum, seu aes statuae Nabuchodonosor, sed luteos eius pedes tetigit, et contrivit. Non tangunt susurrones argentum, et aurum virtutum, quibus proximus honestatur, sed vitiorum lutum amant, illud movent, et continuo versant, ut proximus caeno detractionis illius turpior, ac foedior appareat. Imitantur id genus homines gallinas, quae dum in stabulo volutantur, aut terram unguibus, vel rostro fodiunt, si forte unionem, vel quid pretiosum inveniunt, negligunt; si vero vermiculum, aut lumbricum, tum gaudio glocientes alias convocant, et praedam inventam ostentant; ita qui adversus proximos est maledicus, licet noverit eum variis, maximisque virtutum ornamentis esse laudabilem, praeterit, et contemnit omnia, leviculamque maculam (quam vel natura, vel negligentia inseruit) carpit, reprehendit, et instar glocientis gallinae, quem in proximo invenit, parvulum errorem evulgat, et exaggerat. Audiant, qui hoc morbo laborant, Spiritus sancti consilium (*Exod.* 38): *Audisti verbum malum adversus proximum tuum, commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet.* Valde facit ad explicationem verbi illius, *commoriatur*, quod olim Deus tempore scriptae legis statuerat, videlicet, ut in templo essent parvi lebetes, in quos candelarum emunctiones coniicerentur, ut in aqua mersae protinus extinguerentur, ne fumo templum faedarent, vel odore praesentes offenderent. Hoc etiam modo ait Spiritus sanctus: *Audisti verbum malum adversus proximum tuum,*



*commoriatur in te*, sit pectus tuum in templo Dei fonticulus charitatis, et lebes aquae plenus, quo excepta detractionis garrulitas, et amarum verbum obruatur, ne fumus, et foetor detractionis alios caligine aspergat, vel inquinet. Sed in promptu est communis excusatio susurrantium, et praesertim religiosorum, quod ea, de quibus ipsi submurmurant, parva sint errata, et leves defectus, atque ideo de huiusmodi sermonibus, et susurris non valde curandum, nec mirandum. Quibus ego respondeo, errores eiusmodi, qui in laicis essent leves, in religiosis, et ecclesiasticis hominibus esse gravissimos. Nunquid Samson fortis non erat? nemo quidem dubitat: tanta enim erat eius fortitudo, ut solus leonem dilaceraverit, et in frustra discerpserit, Gazae portas manibus avulserit, et templi columnas deiecerit. Sed ubi tanta eius fortitudo sita erat? Non quidem in humeris, non in brachiis, non in cruribus posita, sed a capillis pendebat. Accessit autem Dalila, capillos secari fecit Samsonis, confestim Samson enervatus, omni fuit robore destitutus, et clausus in carcere molere coactus fuit. Ad hunc igitur modum intelligere debemus, religiosorum fortitudinem, vel potius nomen bonum, et opinionem laudabilem in parvo esse positam, et pendere quasi a capillo, qui facile frangitur, vel scinditur, praesertim si tu semel et iterum forficulam, vel potius novaculam tuae maledicentiae immittas, et crebro pilum vellere attentes: fiet enim procul dubio debilis, et glaber, veteri laudati, et boni viri nomine per te privatus.

Hactenus de maledicentiae morbo, nunc de medicina illius, et remedio aliquid proponamus. Duplex est huius morbi pharmacum; unum, ut cognoscas, sicut in principio huius homiliae dixi, quod linguae moderatio Dei est donum (*Prov.* 10.): *Domini enim est gubernare linguam*, ne ab illa tanquam ab equo effraeni, et contumaci in praecipitium deducaris. Hoc si cognoveris, protinus ad Deum noctes, diesque pro tanti mali remedio cum David clamabis (*Psal.* 104.): *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis.* Nam quemadmodum in domibus religiosorum ostiarius adest, qui neminem egredi patitur absque nutu superioris; ita verbum nullum ab ore prodire debet sine imperio rationis, penes quam est auctoritas, et facultas imperandi cogitationibus, et actionibus humanis. Cur autem dixit David, *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis?* Nonne melius erat, si petiisset, caemento suum os occludi, vel muro circumdari? ita enim et custodia tutior esset, et manifestius declarasset modum, quo claudi, et custodiri volebat. Respondeo, quoniam os non semper clausum esse debet, ideo dixisse Davidem: *Impone Domine custodiam ori meo:* quippe sicut ianua non semper patet, nec semper clausa est, ita pariter et os, quod suo tempore aperire loquentes, et claudere sapienter silentes debemus. Unde cer-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

nimus Davidem, qui petierat a Deo ori suo custodiam, ab eodem postea petiisse, ut sibi illud ad annunciandas eius laudes reseraret, cum dixit (*Psal.* 50.): *Domine labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam.* Noverat enim ille donum esse Dei tempora nosse, quibus tacere, aut loqui debeamus. Secundum remedium, quo maledicentium, et pravae susurrantium lingua coerceri poterit, obtinebimus, si attente considerabimus, quod quotidie experimur, videlicet, omnem culpam secum afferre comitem poenam, quae non semper in hoc saeculo, sed in altero solet infligi; culpa vero detractionis semper in hac vita, si non integre, saltem in parte punitur, ut Salomon dixit (*Prov.c.*13.): *Qui detrahit proximo suo, ipse se obligat in futurum*, scilicet tempore vitae suae. Nam qui alium verbo mordet, ipse postea mordebitur, et qui notat, notabitur, et a quo minus sperat, parabitur ei opprobrium, quippe proximum carpens, labe praesertim infectus, ipse merito carpetur, ut testatus est Abacuch: *Consurgent qui mordeant te, et suscitabuntur, qui lacerent te, et quia expoliasti, expoliaberis.* Æquissimum enim est Dei iudicium, ut qui sui fratris maculat honorem, propriae quoque subeat opinionis detrimentum. Haec omnia David praeclara metaphorae inductione nobis ante oculos posuit: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis.* Videtur mihi regius Propheta in his verbis imitari medicorum consuetudinem, qui cernentes aegrotum vehementi febri conflictatum, et aestuantem, solent iubere, ut ostendat linguam; quam si vident febris calore nimis aridam, praecipiunt frigidam oris ablutionem, qua linguae ariditas humectetur, ac refrigeretur. Sic ergo David a maledicentiae veneno natum morbum in detractore, et maledico animadvertens, inquit: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* nullam sane praesentius, vel efficacius invenit remedium, quam si mordax, et dolosa lingua ferro, et igni castigetur; unde subdit: *Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis.* Inusitata profecto, et inaudita medendi ratio, quam nec Galenus, nec Avicenna, immo nec ipse Æsculapius, nec artis medicae inventor Apollo excogitavit. Est tamen huic morbo aptissima: maledicentis enim, et mordacis lingua nullo facilius modo fraenatur, quam cum aliorum linguas obtusas instar sagittarum acui, et detractoriis verbis velut carbonibus famam eius denigrantibus impeti perpendit. Dubium enim non est, quin, si detractor proximi sui gloriam verbis obscurat, ipsius quoque opinioni, et famae et ab aliis detrahatur, et, quod perniciosius multo, ac magis timendum est, sagittis potentis Dei confossus aeternis ignibus addicatur. Si ergo levis contra proximum susurrus tantam maledicentis animae affert calamitatem, rationi erit consonum linguam diligenter et caute moderari, ne David contra nos dixisse videatur (*Psal.* 15.): *Tota die cogitavit iniustitias lingua tua.* Ubi notandum est, verbum illud, *cogitavit*: dicere namque quis poterit, Davidem non proprie locutum, cum linguae attribuat mentis officium, inquiens: *Tota die cogitavit iniustitias lingua tua;* respondemus tamen, eo genere loquendi prudenter, et acute Davidem usum fuisse: voluit enim ita loquens insinuare celeritatem, et facilitatem, qua lingua maledica garrire solet: nam qua velocitate verba intellectus concipit, ipsa profert, mores alienos reprehendens, cum fieri contra debeat, et maturitate mentis, ac sermonis tarditate potius utendum sit. Unde non absurde quidam Philosophus amico dicenti, quod male sibi oleret os, nil mirum, inquit, nam multa verba mihi in eo tabescere, et putrescere solent: indicans non se locutum quidquid in os (ut aiunt) venisset. Hoc igitur cum sit prudentiae donum, utinam illud nobis omnibus benignus Deus largiatur. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA SEPTIMA

*Quam mira sit proportio inter corporei huius mundi opificium, et catholicae Ecclesiae fabricam: et quid in utriusque constitutione Spiritus sanctus effecerit, egregie describitur.*

Magnus doctrinae, et sanctitatis laude Gregorius Nyssenus Ecclesiae catholicae fabricam appellat mundi novi creationem, iuxta illud Isaiae: *Ecce ego creo coelos novos, et terram novam;* quod quam vere, ac proprie dixerit, facile apparebit, si utriusque structurae ornamenta, et naturam conferamus: nam si in orbe coelesti sol lucet, qui omnia perlustrat, in Ecclesia Dei sol iustitiae, qui Christus est, effulget, cuius eximia luce multo pulchrius, et excellentius haec mystica ecclesiastici corporis fabrica decoratur: illic varia, et mutabilis luna nocturno tempore apparet; hic constantior, et pulchrior luna Maria sanctissima tam nocte, quam die coruscat: illic coelestes orbes volvuntur; hic Apostolici cardines universum terrarum orbem tanquam divini Atlantes sustinent: illic emicant stellae; hic fulgent doctores: illic septem planetae; hic totidem sacramenta: illic astra influunt; hic Spiritus sancti dona perfluunt: illic interdum malevolus, et noxius siderum aspectus; hic salutaris semper, et amicus: illic tres hierarchici ordines, hic tres theologicae virtutes: illic denique elementa quatuor: hic totidem inveniuntur: quoniam pro terra est humilitas, in qua virtus omnis suas agit radices, super quam tanquam fundamentum securum anima nostra tollit verticem quo coelum ipsum attingit: pro aqua lacrymae sunt: pro aere Spiritus



sancti afflatus, quod mens humana spirat: pro igne autem charitas est, qua in dilectionem sui conditoris humana mens accenditur. Aves, quae hunc aerem pervolitant, animae sunt divina contemplantium: pisces, qui huius aquae gurgitibus, et undis innatant, fideles homines, quos abluit aqua baptismatis: plantae, et arbores producentes in tempore suo fructum, singuli iusti, ut dixit David (*Ps.* 1.): *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Una est in terris summa, et singularis amoenitas, quam sacrae litterae vocant Paradisum in Oriente situm; at in Ecclesia tot sunt per omnes christiani orbis regiones amoenissima viridaria virtutum, quot sancta contubernia sacrarum religionum. Quatuor in Paradiso flumina sunt, Phison, Gehon, Tygris, Euphrates, a quibus caeterae omnes morales tanquam a fontibus derivantur: et quatuor sunt Evangelistae, quorum affluente doctrina, et sanctitate Ecclesia Dei fertilis, decora, et fructifera reddita est. Quod si arbor vitae illic praestabat immortalitatem, hic lex evangelica vitae arbor vera floret, cuius fructus mature sumptus comedentem facit immortalem: et sicut illic arbor erat vetita, cuius fructus gustatio mortem inferebat; hic eiusdem naturae arbor adhuc manet, lex nempe Mosayca, cuius tamen observantia, quoad caeremonialia mortifera est, quoniam Christi lege prohibita iam fuit. Tandem, quemadmodum tres divinae personae hominem crearunt, ut patet his verbis (*Genes.* 1.): *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram;* sic eaedem personae ad collapsi hominis instaurationem, et divinae gratiae regenerationem concurrunt, et conveniunt (*Ioan.* 14.): *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus:* et sicut Deus halitu suo vitam primo omnium parenti dedit: nam ut ait Scriptura, *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus homo in animam viventem;* sic nunc vitam largitur supernaturalem, eidem impartiens sui oris halitum ardentissimum, Spiritum scilicet sanctum, qui ab ipso pariter, et a Patre procedit. Et quamvis tota Trinitas aeque convenerit, communicans rebus creatis vitam, et pulchritudinem, Moyses tamen creati mundi historiam contexens, rerum creatarum vitam, et perfectionem a Spiritu fuisse acceptam testatur, inquiens (*Genes.* 1.): *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* quod tam de coelesti, quam de terrestri orbe intelligendum est. Nam licet omnia fuerint creata per Verbum, dicente Davide (*Psal.* 32.): *Verbo Domini coeli firmati sunt;* ultima tamen eorum perfectio Spiritui sancto attribuitur, ut ex eodem Propheta constat. *Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum;* seu ut Hieronymus vertit; *Omnis ornatus eorum.* Cuius rei causam esse puto, quod nec Patris potentia, nec sapientia Filii manum unquam admovissent operi tanto, quale fuit creationis, nisi divinus hic Spiritus amore suo excitasset utrumque ad aliquid extra se de plenitudine bonorum, quae in oceano divinitatis immenso reconduntur, producendum, quod nisi fecisset, omnia, quae modo sunt in eo quod prius erant, nihil permansissent. Hanc ob causam Moyses mundi creationem personae Spiritus sancti refert acceptam: quod et docet Ambrosius (*lib.* 1. *cap.* 8. *in suo Hexameron*) dicens, rerum creatarum perfectionem a Spiritu sancto esse, quamvis eas Pater, et Filius cum ipso condiderint: quod Moysis verba praeseferunt, si attente legantur: nam etsi in exordio suae historiae dicat, *In principio creavit Deus coelum, et terram,* id est in Filio, vel in Verbo creavit Pater coelum, et terram (ita enim Doctores communiter interpretantur): ad innuendum tamen id opus non esse omnino perfectum, ac decorum, subiunxit: *Terra autem erat inanis, et vacua,* vel ut alii legunt, *Erat inutilis, et composita:* quod etiam intelligendum est de coelis, quibus lucis erat splendor, et ornamentum; nam ut ibidem scriptum est: *Et tenebrae erant super faciem abyssi*, id ut significaret, addidit postea, *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* quibus verbis ostendit, eorum, quae memoravit, perfectionem, ac decus a Spiritu divino communicatum. Ideo namque eadem verba sic alii vertunt: Spiritus Domini superferebatur, quod sanctus Thomas breviter, et acute perstrinxit in hunc modum: *Quomodo factum est, ut prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur, non loco, sed omnia superante, ac praecellente potentia;* quasi dicat, cum Moyses inquit, *In principio creavit Deus coelum, et terram*, significat opus creationis inceptum: subdens autem, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, indicat huius divini Spiritus virtute, quidquid in coelo, et in terra est, suam accepisse perfectionem; unde Moyses praedictis adiecit: *Igitur perfecti sunt coeli, et terra, et omnis virtus eorum.* Patet, ut vides hinc, quod et testatus est Augustinus, a Christo quidem Ecclesiae catholicae iacta fuisse prima fundamenta, et ceptam mysticam sui corporis aedificationem; illam tamen a Spiritu sancto absolutam et perfectam: ideo namque Augustinus missum sit Spiritum sanctum, ut beneficia, quae Salvator Dominus inchoavit, Spiritus sancti virtute consummet; et quod ille redemit, iste sanctificet; et quod ille acquisivit, iste custodiat. Itaque fundationis Ecclesiae, redemptionis, et humanae iustificationis consummationem Augustinus Spiritui sancto assignat adeo, ut sicut, teste Cyrillo, Spiritus sanctus sanctae Trinitatis complementum est; ita etiam idem sit, per quem omnia quae fuerunt inchoata, et quasi adumbrata, expleantur, et Ecclesiae fabrica ad summum exaedificationis fastigium perducatur. Verissimum est a Christo fundatam Ecclesiam, *ipse fundavit eam Altissimus,* sed ante huius divini Spiritus adventum erat illa sicut olim terra in mundi principio, *inanis, et vacua,* sive ut antea dixi, *invisibilis, et incomposita;* ideo-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que, quemadmodum tunc, dum *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, pulchritudinem et complementum terra suscepit; sic divinus idem Spiritus, cum ferri coepit super aquas, et crystallo lucidiores fontes, qui sunt Apostoli, dicente Ambrosio: *Fontes sunt, qui totius terrae faciem doctrinae suae flumine rigaverunt*, omnia, quae in Ecclesia Christus fuerat exorsus, eiusdem Spiritus sancti vivifica virtus absolvit. Reliquerat Christus has mysticas aquas caenaculo inclusas, sicut in mundi origine, quas creaverat Deus aquas, in locum unum congregari iusserat, *Congregentur aquae in locum unum*, super quas Domini Spiritus intonans venit, ut dixit Propheta David (*Psal.* 28.): *Vox Domini super aquas, vox Domini maiestatis intonuit; vox Domini super aquas multas: vox Domini in virtute*: cui consonat Lucas, inquiens (*Act.* 2.): *Factus est repente de coelo sonus, tamquam Spiritus vehementis.* Unde factum, ut illae aquae, tanquam stagnantes, et ad tempus intra caenaculum compressae, maiore cum impetu, et rapido cursu prorumpentes, universum terrarum orbem rigaverint, expleta Zachariae prophetia (*Zach.* 14.): *In illa die exibunt aquae vivae de Hierusalem*, idest Apostoli a Hierosolymis prodeuntes, instar fluminum a Paradiso manantium, omnes mundi regiones doctrinae suae copiosa fluxione perfundent, et aridam prius, et infoecundam terram felici, ac multa rerum divinarum ubertate complebunt. Ad extremum, quemadmodum omnium rerum summus artifex, postquam cuncta condiderat, *benedixit eis*, ut ait Moyses; ita Christus Ecclesiae architectus, et legislator, benedictionem eidem impartivit, ut antea David testatus fuerat (*Ps.* 83.): *Etenim benedictionem dabit legislator*; quam benedictionem (*Psalmo* 74.) copiosius, et manifestius descripsit, inquiens: *Benedices coronae anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur: induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento.* Operae pretium erit haec Davidica verba interpretari: ex illis namque ingentes opes, quas Christus donavit Ecclesiae, facile cognoscemus. *Benedices coronae anni benignitatis tuae*: annus huius benignitatis, seu liberalitatis, qua Christus in Ecclesiam usus est, tota eius vita censetur: sic enim id praemonstraverat Isaias (*Is. c.* 6.): *Ut praedicarem annum placabilem Domino:* quo supposito, duobus modis possumus verba Davidis explicare: uno, accipientes coronam pro diademate, seu ornamento triumphantium, quod non unum erat, sed multiplex, ac diversum: nam corona triumphalis dabatur Imperatoribus, in patriam post victoriam redeuntibus; obsidionalis, amoventibus obsidionem; civica servantibus civem; muralis, subeuntibus hostium muros, ut iam alibi latius recensuimus: quae omnia Christus cum pro nobis liberandis egregie, ac fortiter praestiterit, confecto iam suae vitae curriculo, in patriam coelestem remigrans, tam praeclaris, et gloriosis operibus, et comparatis per ea coronis benedicit, dum in coelum triumphans conscendit. At si coronam accipiamus, ut alii volunt, pro coronide, qua rei finis notatur, unde Martialis:

*Sed nimius videor, seraque coronide longus*
*Esse liber: legito pauca, libellus ero:*

Dicemus Christum mystici huius anni coronidi, vel termino benedixisse, dum in coelum ferebatur, quemadmodum etiam Deus septimo diei benedixerat: ait enim Scriptura (*Genes.* 2.): *Benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessavit ab omni opere suo*: quippe ascendens iam in coelum Christus, ab opere externo nostrae redemptionis cessabat. Secunda Davidici versus interpretatio est, si per coronam, ut Latini intelligere solent, coetum, vel circumstantem hominum conventum intelligamus: fideles enim instar coronae circumdant Christum, ut de militibus memorat sacra pagina, Davidem in modum coronae cingentibus. Unde Cyprianus (*libr.* 2. *c.* 26. *de institutionibus divinis*) inquit: *Corona dicitur circumstans in orbem populus.* Ergo cum ait David, *Benedices coronae, etc.* intelligendum est de illa benedictione, quam Spiritus sancti missione suis discipulis, et apostolicae Ecclesiae concessit, iuxta quod Cyrillus dixit: *Participatione Spiritus sancti benedicimur in Christo.* Quae benedictio adeo foecunda, et omnibus accumulata bonorum muneribus fuit, ut de illa regius Propheta dixerit (*Psal.* 64.): *Et campi tui replebuntur ubertate.* Quibus verbis indicat, non solum Iudaeam, sed omnes terrarum provincias Apostolicae doctrinae imbribus rigandas, ut Lucas postea testatus fuit (*Act.* 2.): *Parthi, et Medi, et Aelamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam, etc. audivimus eos loquentes nostris linguis.* Subdit: *Pinguescent speciosa deserti*: per desertum interpretatur Gregorius gentiles omnes, apud quos nullus Propheta, nullus Patriarcha, nec arbor ulla dignum proferens Deo fructum: quod gentium desertum vertendum ait in *agrum plenum, cui benedixit Dominus*, et in quo gariophylla Martyrum, lilia Virginum, Confessorum violae pullulabunt, quibus Ecclesia Dei redditur omni paradiso florentior. (*Psal.* 64.): *Et exultatione colles accingentur.* Nomine collium innuantur Apostoli, qui tam propter altitudinem dignitatis, quam propter sanctitatis excellentiam, nec iniuriis ullis, nec tormentis gravissimis a recto deflecti, et a sublimitate deiici potuerunt: hinc Lucas (*Act.* 5.): *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Tandem inquit David (*Psal.* 64.): *Induti sunt arietes ovium.* Sanctus Augustinus (*in huius Psalmi commentario*), et (*in epistola ad Hilarium*) et (*super Psal.* 26.) per arietes ovium intelligit Apostolos: hi enim sunt ovium, et agnorum parentes, et custodes, de quibus David: *Afferte Domino filios arietum.* David autem etsi tantummodo dicat, *induti sunt arietes*, nec addat quo fuerint amicti, id tamen explicuit Christus, praecipiens, ut Hierosolymis manerent, *donec induerentur virtute ex alto.* Quibus verbis constat, indumentum illorum arietum fuisse Spiritus sancti amictum, et afflatum. Ex quo factum est, ut qui prius imbecilles, et infirmi Magistrum suum deseruerunt, *Relicto eo fugerunt omnes*, nunc coelesti virtute muniantur, et infracta fortitudine armentur, ut praedictum fuerat: *Infirmi accincti sunt robore.* Quae exponens sanctus Gregorius inquit: *Appellatione roboris virtus Spiritus sancti ostenditur, quam ut electi accipiunt, contra omnia adversa huius saeculi fortes fiunt.* Concludit David inquiens (*Ps.* 164.): *Valles abundabunt frumento*, valles scilicet Ecclesiae catholicae candido, et plusquam siliginco frumento doctrinae evangelicae replebuntur, quo Ecclesiae coloni ditabuntur, et abundantor, ac divinitus alentur: de cuius seminatoribus, et cultoribus dictum est (*Act.* 2.): *Omni die non cessabant, in templo, et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Iesum.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.



## HOMILIA OCTAVA

*Multiplici eruditione exponuntur Moysis verba: Spiritus Dei ferebatur super aquas, pariterque ostenditur divini huius Spiritus proprium esse conferre animae nostrae foecunditatem, qua bonorum operum foetus generantur.*

Proposita Geneseos verba, et eorum singula tot scaturiunt mysteriis, ut illa diligenter, et singulatim declarare compellar. Incipiens igitur a nomine Spiritus, variae eius in sacris litteris significationes reperiuntur. Primum enim accipitur pro brutorum anima, ut ex Ecclesiastico patet, dicente, *Quis novit si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Secundo pro anima rationis compote, ut apud Davidem (*Psal.* 105.): *Exibit spiritus eius, et revertetur in terram suam*, vertit Cassiodorus, *Exibit anima.* Tertio pro aere, quo spiramus (*Psal.* 118.): *Os meum aperui, et attraxi spiritum*, vel, ut etiam traducit Hieronymus: *Os meum aperui, et respiravi.* Quarto pro vento (*Psal.* 148.): *Spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius;* quae verba Nicolaus Lyrensis ita interpretatur: *Spiritus procellarum sunt venti facientes procellas in mari.* Quinto pro Angelis (*Psal.* 103.): *Qui facis Angelos tuos spiritus*, id est spiritus Angelicos mittis nuncios. Sexto pro ipsomet Deo, quatenus est commune nomen tribus divinis personis; et hac significatione nomen Spiritus accepit Christus apud Ioannem (*Ioan.* 114.): *Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare.* Verumtamen quando in sacris Bibliis invenitur nomen Spiritus, et Domini coniunctum, ut supra coniunxit Moyses, dicens, *Spiritus Domini, etc.* significat esse tertiam Trinitatis personam, ut tradit Basilius (*in suo Hexameron*). Nec obstat, quod Caietanus dixerit hunc spiritum, de quo Moyses loquebatur, esse Angelum, cui Deus motum coeli commiserat; et Chrysostomus (*super Genesim*), Theodoretusque (ut refert Sixtus Senensis) censuerint esse aerem, qui aquis allabebatur: tum quia vox Hebraea, Ruach, cui respondet nomen spiritus, significat aerem, seu ventum; tum quoniam non est verisimile, Moysen, dum mundi texebat narrationem, praeteriturum silentio elementum aeris, de quo nulla ibi alia mentio fit: unde S. Augustinus, Rupertus, et Iunilius Africanus aiunt, illis verbis Moysis insinuari Spiritum sanctum, tertiam Trinitatis personam: quibus addit Basilius, ita Patres communiter censuisse, quod et Ephraemis Syri eruditissimi auctoritate confirmat. Id vero de ratione historiae, quam Moyses narrat, esse videbatur: non enim qui de Patre, et Filio mentionem fecerat in mundi creatione, de Spiritu sancto tacere debebat: ille namque non minus, quam Pater, et Filius rebus creandis praefuit. Sunt tamen nonnulli, qui utramque opinionem conciliare volentes, aiunt, quod Spiritum sanctum super aquas in specie aeris ferri, et volitare, nullam habet huius, vel illius repugnantiam, cum vox spiritus utrumque praeseferat. Verumtamen si Patrum, quos paulo ante memoravi, sententiam amplectamur, qui dicunt nomine Spiritus intelligi debere tertiam in divinis personam, quibus pariter Chaldaicum Thargum suffragatur, ita vertens: *Spiritus misericordiarum ferebatur super aquas*: quae appellatio a misericordia desumpta aeri applicari non potest, cum sit maxime propria Deo, qui gloriatur in misericordia: notandum est, ad id exprimendum nomini Spiritus adiunctum genitivum singularem *Domini*, in Hebraeo autem textu genitivum esse pluralem sic scriptum, *Spiritus Helohim*, id est, Iudicum, ut inde cognosceremus, hunc divinum Spiritum non ab uno, sed a duabus personis procedere, et spirari. Quae veritas catholica, quamvis a Theologis multis rationibus, ex ea tamen, quam ego e Ioanne Damasceno adduco, planius, et facilius suadebitur: ait enim ille: *Omnia quaecumque habet Pater, tradidit Filio, praeterquam esse Patrem.* Si ergo Pater aeternus est principium producens Spiritum sanctum, et ipse Filio suo quid habebat communicat, praeterquam esse Patrem: dubium utique non est ipsum quoque Filio communicasse virtutem, qua Spiritum sanctum produceret, et consequenter Spiritum sanctum non solum a Patre, verum etiam a Filio procedere, sicut ipse non obscure declaravit, cum eundem Spiritum Discipulis suis per insufflationem impertitur: *Insufflavit, et dixit, accipite Spiritum sanctum.* Quae verba S. Augustinus ad Orosium scribens, explicat de processione Spiritus sancti a Filio: *Quid enim, inquit, aliud per illam insufflationem declaratur, nisi quod ex eo Spiritus sanctus pro-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*cedebat?* Sed obiiciet aliquis, si Spiritus, qui super aquas vagabatur, erat Spiritus sancti persona, quomodo de illo dicit Moyses, quod *ferebatur?* eum enim, qui post se trahit animas, et corda rapit, quis ferre, vel trahere poterit? quis? amor eiusdem in creaturas: hic enim est, quo agitur, et movetur: nam quod Augustinus de humano amore dixit: *Amoris meus pondus meum, illo feror quocumque feror*, non minus in amore divino verum est. Qua etiam in re fundatur differentia illa satis cognita, quae inter cognitionem, et amorem versatur, nam illa intellectui suggerit res, et ipsas repraesentat; amor iam cognitas appetit, et in eis conquiescit: quo amore Spiritus Domini super aquas ferebatur. Septuaginta Interpretes vertunt, *superferebatur*, quasi Spiritus ille ad aquae et fluxum, et refluxum superlaberetur, illas suaviter disponens, nullam vim inferens, sed earum naturae debitum locum eis praebens. Quod etiam insinuat vox Hebrea *Elohim*, id est iudices, quorum proprium officium est, suum unicuique tribuere. Cui expositioni valde consonat Augustini doctrina, qui per aquas intelligit, quam vocant Philosophi, materiam primam, ex qua Deus omnes res materia constantes deduxit, et efformavit, illisque iuxta cuiusque naturam proprias, et distinctas formas inseruit. Quod autem materiam primam vocaverit Moyses aquam, causa fuit, ut significaret, nullam esse in ea materia repugnantiam, vel contrarietatem ad formae receptionem, sed obsequium promptum, et obedientiam quam maximam, ut arbitrio suo divinus ille artifex Spiritus sanctus ex materia illa quidquid placeret, fingeret, et formaret: sicut solet quis in aqua, quam vufiguram exprimere, quadratam, vel rotundam, iuxta vasis, cui aqua infunditur, imaginem. Sed Nicolaus de Lyra per aquam intelligit elementa, antequam situm, qualitatem, et pulchritudinem induerent, iuxta quod etiam S. Gregorius nomine aquarum, inquit, saepe intelligi omnes creaturas: cuius expositionis rationem adiungit Nicolaus, quod illam rudem, et indigestam elementorum molem Moyses vocaverit abyssum, *Et tenebrae erant super faciem abyssi.* Nicolai ratio pendet a nominis abyssi notatione, vel ethymologia, quam acute sic explicat: *Abyssus dicitur ab, a, et byssus, quod est genus lini candidissimum, unde abyssus dicitur quasi sine candore: et ideo congeries elementorum vocatur abyssus*, ut quae omni candore, et pulchritudine destituta esset. Superferebatur igitur Spiritus sanctus super elementa, instar artificis, qui operi assistit, illud absolvens, expoliens, atque perficiens: licet verum sit, huic operi pariter aeternum Patrem, et Filium fuisse intentos; quia tamen amor Deum movit ad se creaturis communicandum, et cum Spiritus sanctus amor sit, quo se Pater, et Filius diligunt; ideo Moyses Spiritui eorum praesertim id opus attribuit, inquiens: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Notatu digna res est interpetratio huius verbi, *ferebatur*, multiplex, et varia; quidam enim legunt: *Spiritus Domini sese librabat*, id est, perficiebat omnia, iuxta pondus, et mensuram singulorum naturae convenientem: Hebraeorum aliqui doctores legunt: *Spiritus Domini volutabat, vel volitabat super aquas*, quoniam volatus ille favoris erat, et praesidii, sicut in libris de differentiis novi, et veteris Testamenti animadvertit Lyranus, adducens illud Deuteronomii, ubi dum ageretur de protectione Dei, ita scriptum est: *Et super eos volitans expandit alas suas.* Insignis Ecclesiae Doctor Hieronymus ita Latine reddit: *Spiritus Domini incubabat super aquas*, accipiens metaphoram ab avibus, quae ovis incubantes, et illa vivificantes pullos excludunt: ita enim Spiritus sanctus super aquas incubabat, vivificans illas, et ab illarum informi, et communi materia deducens omnium rerum varietatem: quia, ut dixit Ambrosius: *Vivificat omnia Spiritus Dei, cum et ipse vita sit.* Alii respicientes ad nomen Hebraeum, *Racaph*, quod significat fovere, transferunt: *Spiritus Domini fovebat aquas:* ad quod videtur allusisse Basilius (*in Hexameron*) dicens: *Per illum Patris, et Filii ardorem, qui est Spiritus sanctus, calefieri, et foveri aquas ad concipiendam vitam, et foecunditatem.* Praedictis versionibus, et interpretationibus valde consonat pro nostro argumento Chaldaica Paraphrasis: *Spiritus Domini insufflabat super faciem aquarum*, qua insufflatione igneus anhelitus rebus infundebatur, quo dabatur virtus ad ubertatem, et foecunditatem: sicut Augustinus dixit de Cappadociae equabus, quas a vento concipere narrat. Si ergo nunc horum verborum litteralem sensum ad spiritualem, et mysticum revocemus; foecundari aquas per Spiritum sanctum indicat, per hunc eundem Spiritum animabus nostris afferri virtutem ad copiosam bonorum operum generationem. Quamobrem omnium manifestissimum indicium est, animam tunc esse Spiritus sancti sponsam, quando frequens est in bonorum operum exercitationibus, affluens foecunditate pietatis, et reliquarum virtutum. In huius rei figuram videmus dictum a famulo Abrahae, quando filio domini sui quaesiturus uxorem abivit, signum futurae sponsae illud esse, si puella bonis operibus esset abundans, nec sibi tantum, sed etiam suis camelis potum ministraret: verba illius fuerunt (*Gen.* 24.): *Puella, cui dixero, inclina hydriam tuam, ut bibam, et illa responderit, bibe, quin et camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam praeparasti servo tuo Isaac.* Quoniam igitur anima ex suapte natura sterilis est, et imbecillis in productione operum supernaturalium, quemadmodum dixit Gregorius: *Infirma est omnis anima, nisi sancti Spiritus virtute fuerit firmata*; ideo per amorem, et charitatem unienda est huic divino Spiritui, cuius adhaesione, et praesentia virtutem accipiet ad bonorum affluentiam, et fructum benedictionis germinandum. Apostolus Paulus indicare nobis volens, quod homini iam iustificato solet contingere, illum comparat oleastro, qui ut bonum fructum afferat, olivae inseritur: *Cum oleaster*, inquit, *insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivae factus*



*es*; non aliter anima nostra, quae suapte ingenio arida, et infructuosa est, quae tamen divino Spiritui quando inseritur, et una cum eo res per amorem fit, (1. *Cor.* 6.), *Quoniam qui adhaeret Domino, unus spiritus est*, efficitur divinae foecunditatis particeps, et ferax adeo, ut nunquam non bona desideria concipiat, et sanctorum operum uberes foetus parturiat, secundum Pauli verba (*ad Col. c. l.*): *Fructificantes in omni opere bono.*

Memorat Geminianus, ficus Ægyptiacae tam mirabilem esse ubertatem, ut non solum quotannis fructum praebeat, sed ubi ficum unum carpseris, breviter alium substituat. Non secus divinus hic Spiritus animam sibi dilectam sponsam cupit esse foecundam, atque adeo, ut vix parere bonum aliquod opus desierit, cum novum aliud concipiat, ut dixit Paulus: *In omni opere bono fructificantes.* Non enim in via virtutis cessandum, nec aliqua mora est interponenda, sed omnia quaecumque facimus, ad Dei obsequium referre debemus (1. *Cor.* 10.): *Sive ergo manducatis*, inquit Paulus, *sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Possunt in aliis rebus gerendis fieri sine periculo cunctationes, et intervalla, sed ad bene agendum omnis mora periculosa, et noxia est. Optimum huius doctrinae habemus exemplum, tam in creatore, quam in creaturis, nec enim ille, aut hae ullo temporis momento cessant, vel otiantur. Pater aeternus Filium semper generat, atque uterque spirat Spiritum sanctum, immo et ipsa Trinitas ab ipsa mundi origine non cessat, nec abstinet a rerum, quas condidit, conservatione, ac gubernatione, sicut Christus dixit (*Ioan.* 5. 6.): *Pater meus operatur usque modo, et ego operor.* Angeli quoque opera sua nunquam intermittunt, Dei, qui prima omnium causa est, cognitioni, et contemplationi semper intenti, mutuo seipsos illuminantes, purgantes, et perficientes iuxta tres operationes a Dionysio Areopagita de coelesti hierarchia commemoratas; ac tandem omnes coelestes spiritus, ut ait Isaias, numquam a celebratione divinae maiestatis quiescunt; non habent requiem dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Nemo autem ignorat, coeli orbes perpetuo, et certo motu revolvi; planetas rebus inferioribus influere; ignem intra propriam sphaeram proximam sibi aeris partem calefacere; animantibus ad respirandum adesse aerem; fluxu, et refluxu aquam agitari piscium receptaculum; terram praeter argenti, et auri fodinas, arborum, et plantarum esse altricem, sicut Deus ei praecepit, *Germinet terra herbam virentem.* Si ergo Deus, Angeli, coeli, plantae, et elementa nunquam vacant ab opere, nec feriantur unquam, minime debet homo otiari, siquidem ab ipsius origine voluit Deus non otio languere, sed bonis intentum esse operibus; de quo scriptum est (*Gen.* 2.): *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum.* Et quamvis verum sit operarios illos, de quibus in parabola apud Matthaeum, excusationem suae cessationis praetendisse, quod nemo ipsos conduxerat, nemo tamen nunc potest excusari, nam ecclesiasticus tenetur Ecclesiae, et choro assistere, coniugatus familiae, iudex, vel praetor Reipublicae; et unusquisque muneri, ac personae, quam sustinet, ita ut numquam in officio, et bonorum operum partu languescat. Sed quoniam parere mens nostra non potest, nisi prius concipiat, id facere proprium est Spiritus sancti, cuius beneficio redditur foecunda hominis anima, concipiens pia desideria, et actionum germinans fructus, ut Isaias asserit (*Is. c.* 16.): *A facie tua Domine concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis.* Hinc mihi manifesta facilitas, qua Spiritus sanctus animabus nostris dat fertilitatem, innotescit: nam quantumvis illae sint steriles, uno solo eius intuitu recipiunt ubertatem, et quasi praegnantes opportuno subinde tempore foetus edunt felicissimos. David tantam esse divinae vocis virtutem dixit, ut eius auditione cervae pariant, sitque illis tonitruum instar obstetricis (*Psal.* 28.): *Vox Domini praeparantis cervos*, vel, *cervas*, ut in Hebraeo, seu, ut interpretatur Hieronymus, *vox obstetricans cervis.* Nam partus cervarum est difficillimus ex eo, quod foetus earum tenacibus membranis involutus nisi prius rumpantur, foras prodire non potest; in quarum telarum ruptione gravissimum sentiunt dolorem: unde ait de illis Iob: *Incurvantur ad foetum, et pariunt, et mugitus emittunt*; audito tamen tonitruo tam expavescunt, tantumque concipiunt horroris, ut disruptis involucris, protinus foetum enitantur: ideoque vere dixit David: *Vox Domini praeparantis cervas.* Sed quamvis hoc valde ostendat facilitatem, qua Deus animabus felices largitur partus, siquidem sola verbi sui voce tremere facit, ac parere; multo clarius inde apparet, quod solo eius intuitu mirabilem hunc ipsum praestet effectum: quod indicant praedicta verba: *A facie tua concepimus, et peperimus spiritum salutis*; quasi dicat, ea vis atque virtus tuorum coelorum est, ut ab illis, nos grato respicientibus, feliciter mens nostra concipiat, habeat et partus diversos, unum patientiae, alterum restitutionis, alium eleemosynae, et orationis, et similium operum. Huiusmodi partus adeo sunt Diabolo infesti, et odiosi, ut ad eorum faciendum abortum semper vigilet, et instar immanissimi draconis inhiet, secundum quod Ioannes in Apocalypsi dixit, a se visum ore aperto expectantem mulieris partum, ut illum devoraret; qui licet tunc, quod optabat, non obtinuerit, nam filius, et mater fauces illius evaserunt, quotidie tamen id efficit per malos consiliarios, qui sinistris, et diabolicis persuasionibus infelicem bonorum propositorum animabus nostris inducunt abortum. Intelligant ergo hi satanici homines divinae sententiae supplicio se fore puniendos (*Exo. c.* 12.): *Si quis percusserit praegnantem, et abortum fecerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri iudicaverint.* Glossa interlinearis per hanc praegnantem, mulierem intelligit animam bonis desideriis, et propositis gravidam, atque ita eorum ver-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

borum erit sensus, qui eam abortiri fecerit, laturum poenam, quam animae sponsus, qui est Spiritus sanctus, optaverit, vel quam arbitri, hoc est poenitentiae sacramenti ministri, qui sunt iudices, censuerint. Quod genus delicti, ut indicaret Deus etiam in hac vita plectendum, ita dixit per Prophetam (*Amos* 1.): *Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non converiam eum, eo quod dissecuerit praegnantes.* Quod ut facilius intelligatur, supponendum est, Ammonitas fuisse maxime cupidos, et avaros, ideoque cum Galaaditas vicissent, gladio trucidarunt feminas eorum praegnantes, ne filios parerent; qui postea acceptae iniuriae ultores, bona, quae ab eorum parentibus abstulerant, recuperarent, et armis repeterent. Ait ergo Deus hoc Ammonitarum scelus tam sibi displicuisse, ut eius vindictam, et poenam nolit in posterum reservari. *Et super quatuor non converiam.* Magnus Ecclesiae Pater Gregorius (*super hunc locum*) inquit, humanam voluntatem esse animae ventrem, quoniam ipsa est spiritualium conceptionum receptaculum, et quae bonis desideriis impletur, atque ideo mystico sensu a Propheta ait significatum, cum dixit (*Exod.* 21.): *Si quis percusserit praegnantem, etc.* eum, qui nostram voluntatem bonis intentionibus uberem, et plenam facere abortum compulerit, non solum futuro, sed praesenti supplicio, dum vivit, affiiciendum (*Amos.* 1.): *Et super quatuor non converiam eum, eo quod dissecuerit praegnantes.* Id multo cum ipsorum damno filii Heli sunt experti, quos Deus severissime castigavit, quoniam pios impediebant, ne Deo offerrent sacrificium; quod peccati genus magnum esse, Deus ipse ibidem testatus est (1. *Reg.* 1.): *Erat enim peccatum puerorum grande, eo quod retrahebant homines a sacrificio Domini.* Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA NONA.

*Perpulchre enucleantur verba Sapientis: Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.*

Platonicorum communis fuit opinio, quam a Platone magistro suo acceperunt, Spiritum divinum esse mundi animam, et mentem, sed assistentem; quod pariter alios existimasse philosophos, refert S. Cyrillus (*in quodam sermone de Spiritu sancto*) de quo Trismegistus (in Asceptio) ita scripsit: *Pro uniuscuiusque dignitate, et meritis omnia vivificat, et alit.* In hac philosophorum opinione, atque doctrina reperio multa, quae inter se mirabiliter consonant, si mutuo conferantur: ut enim me docuit D. Augustinus, multiplex est Spiritus sancti, et animae nostrae convenientia, cognatio, et quasi concentus: ait namque: *Quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia.* Primum utriusque nomen idem est, ut dixit Paulus (*Rom.* 8.): *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro:* ubi animae tribuit nomen Spiritus; Spiritus sanctus etiam animae nomen accipit apud Hieremiam, sic loquente Deo (*Hier. c.* 6.): *Erudire Hierusalem, ne forte recedat anima mea a te.* Hoc fundatur in eo quod qui eiusdem sanguinis, seu generis sunt, idem quoque habent cognomentum. Quare cum anima sit ex Deo, hoc enim eius est genus, et haec eius origo, ut Paulus docuit (*Act.* 27.) referens Poetae Arati versum: *Ipsius enim et genus sumus;* ideo etiam vocatur Spiritus, sicut ipse Deus, unde originem ducit. Et sicut creatio animae in rebus externis, quas Deus condidit, ultima fuit, qua cum summus artifex omnium rerum perfecit unitatem; ita etiam Spiritus sancti productio fuit sigillatum, finis, et perfectio actionum Deo internarum, seu (ut communiter Theologi loquuntur) ad intra. Et sicut post creationem, ut ait sacer textus, *Requievit Deus die septimo ab universo opere quod patrarat*, sic, postquam productus fuit Spiritus sanctus, substinuit communicatio in divinis ad intra, nec ulterius ad aliam personam processit. Nam cum omnis in Deo productio ab intellectu eius, vel voluntate fluat, et Pater generans Filium, totam divinae suae mentis virtutem exercuisset, et insumpsisset, ac eodem modo Pater, et Filius voluntatis communis facultatem, et virtutem effudissent in Spiritus sancti productione: fieri non poterat, quin in productione divinarum personarum quies, ac terminus assignaretur. Quemadmodum etiam Spiritus sanctus est Dei spiratio increata, quam Christus insufflatione suis discipulis impartivit: (*Ioan.* 20.): *Insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum*; ita quoque anima est vitalis inspiratio a Deo creata, ut Moyses dixit (*Genes.* 2.): *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.* Dum Moyses etiam de aliis loquitur creaturis, ait ab ipso factas; cum autem de anima instituit sermonem, dicit Deum respirasse, ut ostenderet celerarum creaturum multitudinem ab ipso productam sola voce, cum diceret, *Fiat lux, et facta est lux.* Sed anima vitae particeps, et ipsi Deo similis, ab eius intimo pectore, quasi eius respiratio, educta fuit. Et velut Spiritus sanctus eminenter in se continet triplex vitae genus, vegetantis, sentientis, et intelligentis; ita mens nostra rationis particeps complectitur easdem tres differentias, ac propterea ubi nostra Vulgata legit, *spiraculum vitae*, interpretantur ex Hebraeo Oleaster, et Caietanus, *spiraculum vitarum*, quoniam triplicis vitae, ut dixi, compendium est. Et, ut teste Trismegisto (in suo Asclepio), *anima est horizon aeternitatis et temporis*: quoniam quatenus immortalis particeps est aeternitatis, et quatenus a Deo in tempore fuit infusa, est particeps temporis; sic etiam Spiritus sanctus, quoniam Patri, et Filio est



consubstantialis, parem cum ipsis obtinet aeternitatem; at quia fuit ab utroque in terrarum orbem in tempore legatus, participat tempus, non quidem in seipso, sed in missione, ac infusione, per quam Deus illam humanae menti communicavit. Et sicut anima causa est corporeae pulchritudinis, et boni in vultu, totoque corpore coloris, ac roboris (nam ipsa absente omnes nostrae actiones languent, et vitae munera intermoriuntur) ita Spiritus Domini tamquam mundi anima, non certe informans, sed assistens, orbes coelestes astrorum venustate, fulgore, ac varietate, terramque ipsam plantarum, florum, atque arborum diversitate, ac multitudine condecorat, ut dixit David (*Psal.* 32.): *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hoc autem verba ipsa Moysis (*Genes.* 1.), *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, magis declarant: quoniam, sicut dixit Ovidius, mundo nascente, omnia commixta, et in se confusa erant.

*Unus erat toto naturae vultus in orbe,*
*Quem dixere chaos, rudis, indigestaque moles.*

Super hunc igitur creatarum rerum indigestum vultum, et molem Spiritus Domini volitabat, et singulis, atque universis pariter aderat, tribuens unicuique formam suae naturae convenientem. Nam, ut artifex, et ingeniosus pictor adumbratam imaginem, et lineamenta perficit, et conformat; sic ille tamquam supremus mundi opifex idem praestat iusti animae, illam expoliens imaginem, quam ad suam similitudinem insculpsit, charitatis pigmentis, et coloribus exornans, per dona sua reddens illam magis spectabilem, ita ut multo pulchrior, ac Deo similior appareat, quam cum ab eo condita, et creata fuit. Quemadmodum quoque anima absque ullo sui augmento reficit, et auget singulas corporis partes; ita Spiritus Dei absque ullo suae perfectionis accessu, vel cumulo, facit crescere animae dotes, fidem, spem, et charitatem, cum reliqua turba virtutum, quae hominum mores, et vitam moderantur. Et proinde, ut anima instar causae universalis, per oculos videt, per aures audit, per os gustat, et per omnia membra tangit, nec aliqua est operatio, cui illa non accurrat; ita Spiritus Domini ad omne opus naturae, sive supra naturam, praesto est, secundum quod dictum est (*Isai.* 26.): *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es in nobis.* Ille enim causa est, ut oculus in videndo custodiat modestiam, lingua in loquendo temperantiam, tactus ab illicitis se abstineat, et reliqui sensus fraenum rationis admittant: ac tandem, ut dicunt philosophi, anima est tota in toto, et tota in qualibet parte, in carne, ossibus, nervis, arteriis, sanguine, venis; imo et in unguibus, et capillis, ut Aristoteles, et sanctus Thomas censuerunt: ridiculum enim iudico dicere, ungues, et crines esse excrementa naturae, ut putant hi qui contrariam sectantur opinionem: nam cum Deus hominem cum unguibus, et crinibus primo condiderit, et eisdem ornatus sit ab eo suscitandus, liquidum est, ungues, et capillos excrementa non esse, cum in hominis creatione illa non fuerint, nec in corporum resurrectione futura sint: alias daretur ibi aliquod superfluum, quod in eo cumulo felicitatis, et gloriae statu non est admittendum. Ex quo fit, ut antiqui philosophi, de quibus Theodoretus (*in libro de natura hominis*) animadvertentes, animam esse in omnibus, ac singulis corporis partibus, illam cum polypi brachiis contulerint, *per quam similis* (inquit) *polypi brachiis:* nam sicut polypus lapidem apprehendit, et arcte complectitur, ita anima corpus circumsepit, et occupat per se, ac per facultates, quas corpori ad actiones exhibendas impartit. Quod etiam fieri a Spiritu sancto cernimus, qui utriusque, ut dixi, mundi, videlicet maioris, et minoris, velut anima, et mens est, quippe nullum sinum vacuum relinquit, sed omnia illa continet, movet, et circumscribit. Primum igitur de magno mundo, ac deinde de parvo, seu homine loquamur. De magno loquens Salomon ait (*Sap. c.* 1.): *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Quod etiam Poetarum optimus Virgilius ita cecinit:

*Spiritus intus alit, totaque infusa per artus*
*Mens agitat molem, et magno se corpore miscet,*

Non tamen, quod dicimus a Spiritu Domini mundum impleri, ita est intelligendum, ut instar rerum, quae corpore constant, locum occupet, sed instar causae quae conservat tam varia creaturarum genera, quibus mundus componitur, et ornatur. Hic enim Spiritus est, qui dat elementis esse, plantis vitam, sensum animalibus, rationem hominibus, cognitionem Angelis, et intime rebus omnibus praesens, et assistens per propriam substantiam, quidquid in mundo est, altissimo providentiae suae consilio gubernat, tuetur, ac dirigit. Quoniam autem ab hoc eodem Spiritu mundus vitam accipiens fungitur vice linguarum, quae magnitudinem, sapientiam, et potentiam sui artificis contestantur, et communi voce promulgant, ideo subiungit: *Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis*, videlicet, coelum, cuius amplexu omnia continentur, *scientiam habet vocis*, id est, librum habet apertum ad legendum, scribendum, et narrandum mirabilia Dei, ut scripsit David (*Ps.* 18.): *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annunciat firmamentum.* Eximius ille duorum mundi oculorum, solis nempe, atque lunae splendor, stellarum aureus fulgor, certus, et immutabilis orbium coelestium motus, mirabilis astrorum virtus, constans, et perennis in haec inferiora planetarum illapsus, et tactus, *scientiam habet vocis.* Aer tanta volucrum diversitate, tanquam in propria, et a Deo data

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ipsis cavea, tot avium species recipiens, et earundem suavibus diversarum vocum accentibus undequaque resonans, *scientiam habet vocis.* Aqua crystallinis fontibus, copiosis, variisque fluminibus, et mare amplum, et spatiosum infinita piscium multitudine perfluum, *scientiam habet vocis.* Terra fodinis argenti, atque auri locuples, floribus pulchra, et ornata plantis, ex quibus aliae gustui, aliae morbis curandis aptae sunt, *scientiam habet vocis.* Tanta bestiarum differentia, et varietas animalium, quorum nonnulla ferocitate admirabilia, alia tractabilia, et mansueta, quaedam solitudinem, alia societatem appetentia, haec fortia, et intrepida, illa timida, et nullius animi, *scientiam habet vocis.* Unde vero tam infinitus, ac varius rerum creaturarum numerus habere potuit scientiam, vel loquendi peritiam, per quas vel a natura datas, vel infusas ideas factum est, ut rerum universitas tam suavem unius vocem, auctorem suum unanimiter laudantis harmoniam, dulcissimumque concentum efficiat? Aliunde certe id acceptum non est quam a Spiritu sancto, qui quasi chori huius, et cosmicae harmoniae dux et magister, creaturarum vocibus modulantium praeest, easque moderatur, ac dirigit in laudem conditoris.

Secundus sensus est, articulum (*hoc*) non significare mundum, sed referre spiritum, ut explicat glossa, et Lyra, ita ut haec verba. *Hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis,* indicent a Spiritu Domini non solum creaturarum voces, sed earum principium, unde illae ortum habent, et quidquid etiam in tenui murmure susurraveris, percipi omnino, et intelligi: nam ut glossa exponit: *Scientiam habet cuiuslibet dicti publici vel occulti.*

Sed ut ad propositum revocem orationem, etsi multum divinus hic Spiritus suam ostendat magnitudinem, eo quod contineat, circumscribat, et impleat omnem mundi molem; multo magis excellit, minorem mundum, id est hominem, complens: nam licet mole sit minor, dignitate tamen maior, spatiosior, et amplior est.

Id, ut alia nunc omittam, egregie indicavit Magnus ille Alexander, qui audiens ex quodam Philosopho plures esse mundos, ut Plutarchus refert, etsi de maxima mundi parte, quam possidebat, gloriari poterat, ingemuit, quod non etiam eos, quos ille dicebat Philosophus, imperio suo adiecisset. Quod manifestum est argumentum, Alexandri animum mundo ipso esse capaciorem, cum integra fere eius possessione, ac dominio potitus, adhuc sibi vacuus esse videretur. Praeterea quanta mentis humanae sit capacitas, probare facile possumus, etiam si a rerum, quas quotidie experimur, communi usu non recedamus: nam ad tria capita rediguntur, quaecumque in pretio habentur, et ab hominibus expetuntur, haec, vel eorum singula animae nostrae captum implere haud possunt. Primum enim, si de ipsis in genere loquamur, doctrina S. Thomae est, quae recensuimus tria, non esse vera bona; idque probat ex Davide, ita de iustorum felicitate loquente (*Ps.* 33.): *Non minuentur omni bono.* Cum autem iustis honores, divitiae, et voluptates non adsint, immo etiam ab ipsis data opera vitentur, perspicuum est, tam esse vilia, et contemnenda, ut in bonorum numerum referri non debeant. Quod si aliquando sub meriti rationem cadant, non secundum se praecise sumpta, sed eatenus, quatenus animae nostrae saluti expedire videbuntur. Quamobrem si vera non sunt bona, humanae mentis capacitatem explere non poterunt. Secundo ut sigillatim de his tribus bonorum generibus aliquid disseram, quis est, qui nesciat, honoris, et fortunarum comites esse metum, et sollicitudinem conservandi, quae possidemus? Id vero semper animam angit, et torquet. Quare ubi dolor, et conturbatio est, integra delectatio, et iucunditas esse non potest. Confirmatur etiam id ex Romanorum usu, qui, ut scribit Sambucus, in quodam emblemate, triumphum agentes, tintinnabula, et verbera ante pompam triumphi portabant, insinuare volentes, eam felicitatem non esse doloris, et gemitus expertem. Quod etiam testatus est Palladius his verbis: *Aurum doloris est, et curae filius.* Sed prae ceteris melius divinus id nos docuit Apostolus loquens de divitibus: *Inseruerunt se,* ait (*Tim.* 6.) *ad doloribus multis.* Pagninus vertit, *transfixerunt se.* Vatablus, *immiscuerunt se*: sed melius nostra Vulgata: *inseruerunt se*; quae a Paulo usitata metaphora optime et ingeniose rei, de qua loquimur, naturam exprimente ponitur. Notum enim est quodvis insitum, ex alimento, et succo, quem ex arbore trahit, vigere, et crescere. Ita locupletes arbori doloris, et perpetuae sollicitudinis insiti, dolore conservantur, et dolore crescentibus divitiis pariter ipsi cumulantur. Praeterea sicut fructus insitivus retinet aliquem saporem arboris, cui fuit insitus ac inseminatus; ita divitiae, quoniam insitae sunt dolori, habent innatam amaritudinem, et animi cruciatum. Quid vero de voluptate dicam, quae a molestia, et dolore videtur esse remotior, et adeo aliena? Huius tam gravis est dolor, ut teste Isidoro (*in Theologom.*) veteres ad eius vehementiam significandam finxerint Prometheum, quod ignem coelo surripuisset, montis Caucasi rupi esse alligatum, cuius iecur aquila vorax perpetuo depasceret. Non enim aliter homo voluptatibus deditus excruciatur, et quia ignem Veneris, et Cupidinis admisit, pro libertate vincula, pro delectatione dolorem experitur, et duris inhonesti amoris compedibus illigatus conscientiae verme animum rodente angitur. Optime hoc noverat eximius Graecorum orator Demosthenes, qui (ut refert Aulus Gellius) veniens Corinthum, cuiusdam inclytae meretricis domum cum adiisset, et illa pecuniae magnam vim flagitasset, respondisse dicitur: *Ego poenitere tanti non emo.* Quare si honores, fortunae, et voluptates doloribus undequaque affluunt, fieri quidem non potest, ut mens nostra illis



satietur, expleatur, aut quiescat. Veniat ergo divinus Spiritus ad implendam totam animae nostrae vacuitatem, quod ab ipso solo fieri posse, ut indicaret Lucas, dixit de Spiritu sancto, in forma aeris validi, et vehementis in coenaculum super Apostolus descendente: *Replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Nullum enim recessum, nullum angulum reliquit, qui eius non fuerit maiestate completus. Quod pariter etiam nostris mentibus immissus ita copiose praestat, ut fide intellectum, charitate voluntatem, oculos pudore, linguam temperantia, manus liberalitate, pedes festinatione afficiat, solusque omnem humanae mentis repleat capacitatem; quod rerum omnium creatarum universitas, ut diximus, efficere minime valet. Ut autem Dei Spiritus id animae praestet, necesse est illam ab omnibus terrae desideriis esse vacuam, et liberam, ut per figuram idem nos docuit Spiritus, qui daturus mysticum illud oleum viduae, iussit, ut inania vasa praepararet: *Pete,* inquit (4. *Reg.* 4.), *vasa vacua, non pauca*; et quae vacua, et inania erant, implevit, quae autem alio liquore plena erant, reliquit: ita quoque ut Spiritus sanctus animam oleo suorum donorum repleat, opus est prius eandem exinaniri his, quae Spiritus sancti gratiae adversantur. Scimus hac etiam de causa iussum a Deo in Exodo, ut altare sibi fieret non solidum, sed inane, et cavum intrinsecus ad recipienda ligna, et ignem: quo docuit, cor hominis, quod est altare sacrificii, et immolationis Deo faciendae, vacuum esse oportere terrestribus affectibus, aliter enim divini amoris capax esse non poterit, nec sancti Spiritus recipere afflatus, seu inspirationes, quae sunt quasi fasciculi, ac ligna, quibus divinus hic ignis alitur in nobis, et augetur. Demum sicut anima vitam corpori dat, et illud conservat (nam hoc eius praecipuum est officium) ita quoque Spiritus Domini infusione suae gratiae, et praesentiae suae dignitate animam unificat, et exornat, eius substantiae magis intrinsecus, quam ipsa corpori est; id tamen modo diverso: nam anima corpus informat, Deus autem tanquam causa efficiens animae vitam largitur. Unde quemadmodum animae separatio a corpore eiusdem est calamitas, dissipatio, et mors; ita divinus hic Spiritus si ab anima recedat, protinus gravissimam omnium miseriam, ac mortem ipsam anima incurrit, ut ipsemet his verbis significavit (*Osee ca.* 9.): *Vae eis cum recessero ab eis.* Utrumque optime declaravit Augustinus (*in sermone de verbis Apostol.*): *Sicut anima,* inquit, *est vita corporis, sic animae est Deus: et sicut expirat corpus cum animam emittit; ita expirat anima cum Deum amittit: anima emissa mors corporis; Deum amissus mors animae: mors corporis necessaria; mors animae voluntaria.* Hinc ergo, sicut anima a corpore discedente omnes eius cessant operationes, motusque vitales; sic absente divino Spiritu omnia animae nostrae opera intermittuntur, nihilque ab ea fieri potest, quod vitam aeternam mereatur. Itaque accidit animae, quod coelo: siquidem quemadmodum in orbe coelesti duplex est motus, unus proprius, et alter raptus, quo a primo mobili circumvolvitur; sic animae motus est proprius, nempe ipsius appetitus inordinatus, et effraenis, quo legi resistit divinae. Quando vero rapitur ad eius observantiam, reprimendum appetitum, parcendum iniuriis, macerandum carnis lasciviam, motus ille a Spiritu sancto est, qui tamquam praecipuus motor, primumque mobile facultates animae regit, movet, et rapit ad se, ut in divinorum praeceptorum custodia non quiescat, sed perpetuo potius gressu etiam divina consilia observare se stinet. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA DECIMA.

*Proprium esse Spiritus sancti animis nostris afferre concordiam: et quantum illa in quovis hominum ordine, ac vitae genere valeat, praesertimque in Religionibus.*

Quamvis universa haec, ex quibus mundi machina componuntur, unum tantum mundum constituant, veteres tamen prudenter illum in plures mundos diviserunt: quorum primum, et supremum dixerunt angelicum, quod Angelorum coetum constituit. Secundum vocavere coelestem, quoniam coelorum orbibus constat. Tertium elementalem, qui quatuor elementa complectitur. In quibus omnibus, si rem diligenter consideramus, ignem esse reperiemus: nam in angelico coelestes sunt spiritus, vocati Seraphim, quod nimio sui auctoris ardore inflammentur: in coelesti adest sol, qui fulgurantibus radiis terram calefacit, ac tandem elementorum sphaeram ignis occupat. Cum igitur Deus novum hunc mundum spiritualem, videlicet Ecclesiam suam, instar mundi corporei condidisset, voluit in ea non deesse ignem; ideoque hodie Spiritum suum sub ignis lingis ad ipsam legavit. Quamvis autem propter varios, et mirabiles ignis effectus explicare possimus, quos divinus hic Spiritus in animabus eius igni flagrantibus producere solet; nunc tamen solum praemittam, quanta ignis virtus ad inferendam rebus unitatem, ut inde, quid nobis divinus Spiritus praestet, eluceat. Ignis ergo vis ad uniendа diversa tanta est, ut nulla vasorum ex ferro, aere, vel alio quolibet metallo conflatorum ruptio, aut divisio tanta esse possit, quae igni integrari, et uniri non queat. Idem quoque in spiritualibus experimur: fieri enim non potest, ut peccati ruina, et damnum magnum adeo sit, ut per ignem charitatis resarciri non possit. Haec autem charitas cum propria sit Spiritus sancti, et ab eo procedat, ipsi quoque simillima est: ideoque quemadmodum Spiritus sanctus est nexus Patris, et Filii, sic ignis amoris, et charitatis, quam ille animabus infundit, particeps eiusdem ardoris, et virtutis existens,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipsis cavea, tot avium species recipiens, et earundem suavibus diversarum vocum accentibus undequaque resonans, *scientiam habet vocis.* Aqua crystallinis fontibus, copiosis, variisque fluminibus, et mare amplum, et spatiosum infinita piscium multitudine perfluum, *scientiam habet vocis.* Terra fodinis argenti, atque auri locuples, floribus pulchra, et ornata plantis, ex quibus aliae gustui, aliae morbis curandis aptae sunt, *scientiam habet vocis.* Tanta bestiarum differentia, et varietas animalium, quorum nonnulla ferocitate admirabilia, alia tractabilia, et mansueta, quaedam solitudinem, alia societatem appetentia, haec fortia, et intrepida, illa timida, et nullius animi, *scientiam habet vocis.* Unde vero tam infinitus, ac varius rerum creaturarum numerus habere potuit scientiam, vel loquendi peritiam, per quas vel a natura datas, vel infusas ideas factum est, ut rerum universitas tam suavem unius vocem, auctorem suum unanimiter laudantis harmoniam, dulcissimumque concentum efficiat? Aliunde certe id acceptum non est quam a Spiritu sancto, qui quasi chori huius, et cosmicae harmoniae dux et magister, creaturarum vocibus modulantium praeest, easque moderatur, ac dirigit in laudem conditoris.

Secundus sensus est, articulum (*hoc*) non significare mundum, sed referre spiritum, ut explicat glossa, et Lyra, ita ut haec verba *Hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*, indicent a Spiritu Domini non solum creaturarum voces, sed earum principium, unde illae ortum habent, et quidquid etiam in tenui murmure susurraveris, percipi omnino, et intelligi: nam ut glossa exponit: *Scientiam habet cuiuslibet dicti publici vel secreti.*

Sed ut ad propositum revocem orationem, etsi multum divinus hic Spiritus suam ostendat magnitudinem, eo quod contineat, circumscribat, et impleat omnem mundi molem; multo magis excellit, minorem mundum, id est hominem, complens: nam licet mole sit minor, dignitate tamen maior, spatiosior, et amplior est.

Id, ut alia nunc omittam, egregie indicavit Magnus ille Alexander, qui audiens ex quodam Philosopho plures esse mundos, ut Plutarchus refert, etsi de maxima mundi parte, quam possidebat, gloriari poterat, ingemuit, quod non etiam eos, quos ille dicebat Philosophus, imperio suo adiecisset. Quod manifestum est argumentum, Alexandri animum mundo ipso esse capaciorem, cum integra fere eius possessione, ac dominio potitus, adhuc sibi vacuus esse videretur. Praeterea quanta mentis humanae sit capacitas, probare facile possumus, etiam si a rerum, quas quotidie experimur, communi usu non recedamus: nam ad tria capita rediguntur, quaecumque in pretio habentur, et ab hominibus expetuntur, haec, vel eorum singula animae nostrae captum implere haud possunt. Primum enim, si de ipsis in genere loquamur, doctrina S. Thomae est, quae recensuimus tria, non esse vera bona; idque probat ex Davide, ita de iustorum felicitate loquente (*Ps.* 33.): *Non minuentur omni bono.* Cum autem iustis honores, divitiae, et voluptates non adsint, immo etiam ab ipsis data opera vitentur, perspicuum est, tam esse vilia, et contemnenda, ut in bonorum numerum referri non debeant. Quod si aliquando sub meriti rationem cadant, non secundum se praecise sumpta, sed eatenus, quatenus animae nostrae saluti expedire videbantur. Quamobrem si vera non sunt bona, humanae mentis capacitatem explere non poterunt. Secundo ut sigillatim de his tribus bonorum generibus aliquid disseram, quis est, qui nesciat, honoris, et fortunarum comites esse metum, et sollicitudinem conservandi, quae possidemus? Id vero semper animam angit, et torquet. Quare ubi dolor, et conturbatio est, integra delectatio, et iucunditas esse non potest. Confirmatur etiam id ex Romanorum usu, qui, ut scribit Sambucus, in quodam emblemate, triumphum agentes, tintinnabula, et verbera ante pompam triumphi portabant, insinuare volentes, eam felicitatem non esse doloris, et gemitus expertem. Quod etiam testatus est Palladius his verbis: *Aurum doloris est, et curae filius.* Sed prae caeteris melius divinus id nos docuit Apostolus loquens de divitibus: *Inseruerunt se,* ait (*Tim.* 6.) *ad doloribus multis.* Pagninus vertit, *transfixerunt se.* Vatablus, *immiscuerunt se*: sed melius nostra Vulgata, *inseruerunt se*; quae a Paulo usitata metaphora optime et ingeniose rei, de qua loquimur, naturam exprimente ponitur. Notum enim est quodvis insitum, ex alimento, et succo, quem ex arbore trahit, vigere, et crescere. Ita locupletes arbori doloris, et perpetuae sollicitudinis insiti, dolore conservantur, et dolore crescentibus divitiis pariter ipsi cumulantur. Praeterea sicut fructus insitivus retinet aliquem saporem arboris, cui fuit insitus ac inseminatus; ita divitiae, quoniam insitae sunt dolori, habent innatam amaritudinem, et animi cruciatum. Quid vero de voluptate dicam, quae a molestia, et dolore videtur esse remotior, et adeo aliena? Huius tam gravis est dolor, ut teste Isidoro (*in Theologom.*) veteres ad eius vehementiam significandam finxerint Prometheum, quod ignem coelo surripuisset, montis Caucasi rupi esse alligatum, cuius iecur aquila vorax perpetuo depasceret. Non enim aliter homo voluptatibus deditus excruciatur, et quia ignem Veneris, et Cupidinis admisit, pro libertate vincula, pro delectatione dolorem experitur, et duris inhonesti amoris compedibus illigatus conscientiae verme animum rodente angitur. Optime hoc noverat eximius Graecorum orator Demosthenes, qui (ut refert Aulus Gellius) veniens Corinthum, cuiusdam inclytae meretricis domum cum adiisset, et illa pecuniae magnam vim flagitasset, respondisse dicitur: *Ego poenitere tanti non emo.* Quare si honores, fortunae, et voluptates doloribus undequaque affluunt, fieri quidem non potest, ut mens nostra illis



satietur, expleatur, aut quiescat. Veniat ergo divinus Spiritus ad implendam totam animae nostrae vacuitatem, quod ab ipso solo fieri posse, ut indicaret Lucas, dixit de Spiritu sancto, in forma aeris validi, et vehementis in coenaculum super Apostolus descendente: *Replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Nullum enim recessum, nullum angulum reliquit, qui eius non fuerit maiestate completus. Quod pariter etiam nostris mentibus immissus ita copiose praestat, ut fide intellectum, charitate voluntatem, oculos pudore, linguam temperantia, manus liberalitate, pedes festinatione afficiat, solusque omnem humanae mentis repleat capacitatem; quod rerum omnium creatarum universitas, ut diximus, efficere minime valet. Ut autem Dei Spiritus id animae praestet, necesse est illam ab omnibus terrae desideriis esse vacuam, et liberam, ut per figuram idem nos docuit Spiritus, qui daturus mysticum illud oleum viduae, iussit, ut inania vasa praepararet: *Pete,* inquit (4.*Reg.*4.), *vasa vacua, non pauca*; et quae vacua, et inania erant, implevit, quae autem alio liquore plena erant, reliquit: ita quoque ut Spiritus sanctus animam oleo suorum donorum repleat, opus est prius eandem exinaniri his, quae Spiritus sancti gratiae adversantur. Scimus hac etiam de causa iussum a Deo in Exodo, ut altare sibi fieret non solidum, sed inane, et cavum intrinsecus ad recipienda ligna, et ignem: quo docuit, cor hominis, quod est altare sacrificii, et immolationis Deo faciendae, vacuum esse oportere terrestribus affectibus, aliter enim divini amoris capax esse non poterit, nec sancti Spiritus recipere afflatus, seu inspirationes, quae sunt quasi fasciculi, ac ligna, quibus divinus hic ignis alitur in nobis, et augetur. Demum sicut anima vitam corpori dat, et illud conservat (nam hoc eius praecipuum est officium) ita quoque Spiritus Domini infusione suae gratiae, et praesentiae suae dignitate animam unificat, et exornat, eius substantiae magis intrinsecus, quam ipsa corpori est; id tamen modo diverso: nam anima corpus informat, Deus autem tanquam causa efficiens animae vitam largitur. Unde quemadmodum animae separatio a corpore eiusdem est calamitas, dissipatio, et mors; ita divinus hic Spiritus si ab anima recedat, protinus gravissimam omnium miseriam, ac mortem ipsam anima incurrit, ut ipsemet his verbis significavit (*Osee ca.* 9.): *Vae eis cum recessero ab eis.* Utrumque optime declaravit Augustinus (*in sermone de verbis Apostol.*): *Sicut anima,* inquit, *est vita corporis, sic animae est Deus: et sicut expirat corpus cum animam emittit; ita expirat anima cum Deum amittit: anima emissa mors corporis; Deum amissus mors animae: mors corporis necessaria; mors animae voluntaria.* Hinc ergo, sicut anima a corpore discedente omnes eius cessant operationes, motusque vitales; sic absente divino Spiritu omnia animae nostrae opera intermittuntur, nihilque ab ea fieri potest, quod vitam aeternam mereatur. Itaque accidit animae, quod coelo: siquidem quemadmodum in orbe coelesti duplex est motus, unus proprius, et alter raptus, quo a primo mobili circumvolvitur; sic animae motus est proprius, nempe ipsius appetitus inordinatus, et effraenis, quo legi resistit divinae. Quando vero rapitur ad eius observantiam, reprimendum appetitum, parcendum iniuriis, macerandum carnis lasciviam, motus ille a Spiritu sancto est, qui tamquam praecipuus motor, primumque mobile facultates animae regit, movet, et rapit ad se, ut in divinorum praeceptorum custodia non quiescat, sed perpetuo potius gressu etiam divina consilia observarefe stinet. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA DECIMA.

*Proprium esse Spiritus sancti animis nostris afferre concordiam: et quantum illa in quovis hominum ordine, ac vitae genere valeat, praesertimque in Religionibus.*

Quamvis universa haec, ex quibus mundi machina componuntur, unum tantum mundum constituant, veteres tamen prudenter illum in plures mundos diviserunt: quorum primum, et supremum dixerunt angelicum, quod Angelorum coetum constituit. Secundum vocavere coelestem, quoniam coelorum orbibus constat. Tertium elementalem, qui quatuor elementa complectitur. In quibus omnibus, si rem diligenter consideramus, ignem esse reperiemus: nam in angelico coelestes sunt spiritus, vocati Seraphim, quod nimio sui auctoris ardore inflammentur: in coelesti adest sol, qui fulgurantibus radiis terram calefacit, ac tandem elementorum sphaeram ignis occupat. Cum igitur Deus novum hunc mundum spiritualem, videlicet Ecclesiam suam, instar mundi corporei condidisset, voluit in ea non deesse ignem; ideoque hodie Spiritum suum sub ignis linguis ad ipsam legavit. Quamvis autem propter varios, et mirabiles ignis effectus explicare possimus, quos divinus hic Spiritus in animabus eius igni flagrantibus producere solet; nunc tamen solum praemittam, quanta ignis virtus ad inferendam rebus unitatem, ut inde, quid nobis divinus Spiritus praestet, eluceat. Ignis ergo vis ad uniendа diversa tanta est, ut nulla vasorum ex ferro, aere, vel alio quolibet metallo conflatorum ruptio, aut divisio tanta esse possit, quae igni integrari, et uniri non queat. Idem quoque in spiritualibus experimur: fieri enim non potest, ut peccati ruina, et damnum magnum adeo sit, ut per ignem charitatis resarciri non possit. Haec autem charitas cum propria sit Spiritus sancti, et ab eo procedat, ipsi quoque simillima est: ideoque quemadmodum Spiritus sanctus est nexus Patris, et Filii, sic ignis amoris, et charitatis, quam ille animabus infundit, particeps eiusdem ardoris, et virtutis existens,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

divisam a Deo animam, ad unitatem cum ipso, et proximo reducit. Hanc declaraturus Apostolus, cum unitate, quae est inter corpus, et membra, eandem comparavit: ait enim: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra.* Digna certe Pauli ingenio comparatio: in primis enim amicitia, concordia, et foedus, quod est inter membra, et corpus, tam est conforme, et consentiens, ut nec inferius membrum invideat superiori, nec superius contemnat infimum, immo ut dixit idem Apostolus (2. *ad Cor. c.* 12.): *Non potest autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo*: nam corporis membra quod facere possunt, mutuo se adiuvant; oculus praelucet pedi, et pes oculum portat; nullum est inter ipsa odium, vel dissensio: nec unquam aliquis, quia linguam momordit dens, eum ab ore proiecit, nullumque membrorum plus accipit nutrimenti, quam indiget, sed proximo, quod superest, reliquit; immo si quando plus iusto recipiat, corrumpi, et suppurare solet; quae omnia ex Pauli verbis deducta nobis ante oculos ponunt quanti momenti animorum conformatio, et consensio sit. Veruntamen, ut doctrina haec animis Christianorum melius insideat, verba Davidis (*Psal.* 232.), quae huic proposito maxime conveniunt, exponamus, *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.* Singula verba perpendamus, et explicemus, sunt enim plena mysteriis: *Ecce quam bonum, etc.* Tanti momenti, et utilitatis est inter fratres unanimitas, ut quemadmodum humani corporis sanitas, et salus a coniunctione animae cum corpore dependet, sic etiam dignitas, et pulchritudo, et vita mystici corporis, quod Christiana est religio, in concordia, et communi animorum consensu nititur. Contra vero, sicut omnis corporis humani infelicitas, et calamitas oritur ab animae separatione, et nexus utriusque solutione, qua superveniente corpus continuo corrumpitur, et putridis vermibus depascitur; ita etiam gravissimum omnium infortunium ac malum est, quando hoc mysticum corpus nostrae Religionis, vel cuiusvis alterius contubernii societas dividitur, et distrahitur factiosa animorum dissensione, qua dominante, non potest esse religioni, ac virtuti locus, ideoque semper arrodente discordiae vermiculo decrescat necesse est. Hoc nobis prae oculis ponit statua Nabuchodonosor, quae auro, argento, aere, ferro, et luto constabat, quam ideo potuit a vertice montis decidens lapillus prosternere, et in frustra dividere, quoniam lutum metallo non cohaeret, quae cum inter se divisa essent, parvus ille ictus irruentis lapidis ingentem molem, et mirabilem statuam solo coaequavit. Non aliter in sacra Religione, aliisque hominum sodalitiis, si non conveniant singuli, et animis conformentur, quaevis adversitas, etsi parvi momenti videatur, satis erit ut paulatim cessante concordia religio, et virtus dilabatur. Merito ergo a regio Propheta dictum est: *Ecce quam bonum, et quam iucundum, etc.* Nec enim solum utilis est concordia, sed etiam grata et iucunda, qua vigente procul abest omnis tristitia et moeror; procul odium et invidia; procul tandem rixa et contentio. Ægyptii Rempublicam bene ordinatam, et pacificam significare volentes, pingebant barbiton cum epitoniis, sive verticulis omni chordarum diversitate, in cuius medio haec erat inscriptio: *Temperata delectat.* Fidium varia erant genera, nypale, parhypate, lichanos, paramese, paranete, ac nete, quae varium quoque reddentia sonitum, significant diversos esse mores hominum, et dissimilia ingenia eorum, qui in communitate vivunt. Verticuli autem, quibus fides seu chordae tenduntur, et firmantur, innuunt regulas, et constitutiones, quibus temperatur illa varietas, et in officio communitas continetur. Barbiti umbilicus, seu laqueus elaboratus, significat laqueum seu vinculum amoris, quo mutuo idem profitentes institutum irretiri debent: et sicut ille in medio barbiti, sic etiam amor hic et charitas in centro humani corporis, idest in corde, sedem suam collocavit. Inscriptio, ut dixi, erat: *Temperata delectat*: quoniam sicut barbiti chordae quamvis dissimiles, si temperentur, et ad debitam soni proportionem redigantur, harmoniam efficiunt auribus gratissimam; ita etiam animorum diversitas si ad concordiam revocetur, magnam affert in communitate degentibus laetitiam, et iucunditatem, ut David testatus est: *Quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum, quod descendit in barbam, barbam Aaron: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Prius breviter totam seriem huius Psalmi explicemus, deinde propositi argumenti tractationem prosequamur. Refert Incognitus (*in comm. huius Psalmi*), quod postquam David accepit possessionem regni Israel, quando venerunt omnes tribus ad illum in Hebron dicentes: *Ecce nos os tuum, et caro tua sumus*, et unxerunt ipsum in Regem super totum Israel, tunc David videns omnes unanimes, et inter se unitos sub eodem cultu unius Dei, ac sub uno principatu, et sub uno Rege, coepit exclamare (*Psal.* 102.): *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.*

Observandum primo, duplicem posse esse unitatem inter fratres. Prima est Deo detestabilis, cum tanquam corpus compactum se invicem ad malum iuvant. De hac unitate loquens D. Bernardus (*super hunc locum*) ait: *Alia est unitas Sanctorum, quae plerisque locis Scripturarum commendatur; alia facinorosorum, quae ex eisdem Scripturis improbatur*: de hac enim scriptum est (*Psal.* 2.): *Astiterunt Reges terrae, et principes convenerunt in unum.* Huius unitatis, quam verius dixerim factionis, damna contemplatus D. Gregorius (13. *moral. c.* 33.) ait: *Qui divisi corrigi poterant, in iniquitatum suarum pertinacia uniti perdurant.* Et tanto magis quotidie a cognitione iustitiae separabiliores sunt, quanto a se invicem nulla increpatione separantur: nam sicut esse noxium solet, si unitas desit bonis, ita perniciosum est, si non desit malis: perversos quippe unitas corroborat, dum concordant; et tanto magis incorrigibiles, quanto unanimes facit. De hac unitate reproborum per Salomonem dicitur (*Ecc.* 21.): *Stuppa collecta synagoga peccantium.* Alia est unitas sancta, et Deo grata, fratrum scilicet concordia in bono, et ad bonum: et de hac intonat David: *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.* Cum autem ait: *Sicut unguentum, in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*, nomine unguenti Spiritum sanctum intelligit: nam, ut ait Gregorius (10. *moral. lib. cap.* 3.), *olei, vel unguenti nomine, ipsa Spiritus sancti unctio designatur; de qua per Prophetam dicitur: Computrescet iugum a facie olei.* Per Aaron Christus significatur summus sacerdos, prout his verbis egregie disserit D. Isidorus (*de obit. ss. Patr.*): *Aaron frater Moysi, et insignis miraculorum socius, ac in lege Domini summus sacerdos, cuius virga, sorte electa, frondens germine floruit: qui thuribulum in dextera gestans, furenti se flammae opposuit, atque stans inter vivos, et mortuos, nostrum mediatorem figurans, obiectu sui corporis ignem transire ad agmen viventium non permisit. Ipse ergo Aaron Christus caput est Ecclesiae, et unguenti plenitudo in eo est.* De plenitudine autem eius unctio huius olei descendit in Apostolos, quos per barbam apte intelligit David, quia cum per hanc viri a feminis secernantur, virilitatem denotat, quae in ipsis valde emicuit, cum pro fide catholica usque ad effusionem sanguinis viriliter propugnarint. Et hinc est, quod Diogenes interrogatus, ut refert Incognitus (*in Psalm.* 132.), quare magnam barbam haberet, respondit, ut eam tangendo, me subito virum esse meminerim. Quod subdit, *Quod descendit in oram vestimenti eius*, per oram, quae est extrema pars vestis, reliqui iusti intelliguntur, in quos a capite Christi per Apostolorum praedicationem Spiritus sancti unctio derivata est. Porro quod addit, *Ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, id eiusdem unctionis communicationem aliis verbis exprimit. Et quidem cum mons Hermon trans Iordanem parvus mons existat; mons autem Sion sit altior circa idem flumen, putat Incognitus, rorem Hermon descendere non potuisse in montem Sion: unde oportet ad mysticum sensum confugere. Ros ergo Spiritus sancti gratiam praesignificat, qua quidem fratres habitant in unum: non quidem ex propriis viribus, sed ex dono Dei, sicut ros de coelo, quem non mittit Deus terrae, tanquam debitum, sed tanquam donum. Hermon vero Christum designat: nam sicut Hermon lumen exaltatum interpretatur, ita Christus lumen de lumine, ut loquuti sunt Patres Symboli Niceni, et verus sol iustitiae in die Ascensionis ad dexteram Patris exaltatus fuit. Per montem autem Sion fidelium congregatio venit intelligenda: nam sicut Sion *specula* interpretatur, ita fideles nunc per fidem Deum speculantur. Descendere ergo rorem a monte Hermon in montem Sion, erit quidem Spiritus sancti gratiam a capite Christi in Ecclesiam ordinate descendere. Non contentus autem regius Vates unitatis pulchritudinem descripsisse, utilitatem non reticens, tandem concludit: *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in saeculum.* Hoc enim est praemium, ut tradit Augustinus (*in comm. huius loci*), quo iusti charitatis concordiam observantes, Deum laudent, et benedicant, et vitam promereantur aeternam. Ad rem ergo nostram redeuntes, divus Augustinus (*in comm. huius Psalmi*) versans praecitata verba: *Quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum*, ait: *Ista verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia monasteria peperit*: et subinde addit: *Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupiverunt: iste versus fuit tuba ipsorum*: iste inquam versus, *Quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.* Et quamvis haec animorum unitas omnibus vitae generibus, et conditionibus necessaria sit, et fructuosa, ordini tamen religiosorum fructuosior, et necessarior est, et ad quos maxime haec pacis, et concordiae observantia pertinet, ut ex Prophetae verbis apparet: nam ubi vulgatus interpres dicit: *Qui inhabitare facit unius moris in domo*, Symmachus traducit: *Qui combinare facit combinationes fratrum inter se.* In hanc etiam sententiam Exechiel dixit a se visum currum, quem trahebant quatuor animalia diversae naturae, et conditionis, homo nempe, leo, aquila, et bos; quae etsi contraria, quoniam tamen eodem iugo premebantur, sistebant, vel currebant concorditer, neque unum animal alteri repugnabat, ut verba Ezechielis docent: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Optimum est hoc exemplum, et egregia similitudo fraternae charitatis, quae inter viros esse debet religiosos: nam licet multi sint in religione moribus, et ingenio dissimiles; hic piger, et lentus, alter festinus, et iracundus, unus laetus, alter tristis; quidam affabilis, alius durus, et severus; quia tamen sub eodem charitatis, et instituti iugo tenentur, vivere debent pacifici, et sine alterius offensione concordes. Sed animadvertendum hoc loco duxi, quod sicut ad huius unitatis, et confraternitatis conservationem, et augmentum oportet, *ut alter alterius onera portemus*; ita etiam necessarium est, et salutare, ut quicumque duri, et morosi ingenii se esse novit, corrigat illud, et caute agat, ne ceteris occasionem impatientiae, et offensionis praebeat. Habacuc praeclara usus metaphora dixit, quod inter homines religiosos quotidiano experimento cernimus: *Facies homines sicut pisces maris.* Quae verba declarans Ambrosius, inquit, inter omnia animalia nullum esse pisce intractabilius, nam ursus alveariis, et praedis natus, arte, et usu hominum ferociam exuit, tripudia discit, ac ludum; leo, qui natura ferox, et immanis est, solet etiam mansuescere, et non solum homini, sed etiam mulieri (ut nostra vidimus aetate) subiicitur, ac morem gerit, quem illam tamquam catellum regebat. Narrat Svetonius in vita Tiberii, eum solitum delectari serpente tantae



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mansuetudinis, ut de manu Imperatoris cibum sumeret: et quod mirabilius est, Hircaniae tigres ferocissimae assidua hominum tractatione non semel mitescere visae sunt: unde sanctus Iacobus in Canonica vere dixit: *Omnis natura bestiarum, et volucrum, et serpentium domantur*; pisces vero nullus hominum vidit mansuescere, vel saltem tactum manus patienter ferre solitos, immo refugos et indomitos, ac nullo tandem artificio tractabiles. Huius ergo naturae non pauci sunt in monasteriis, de quibus vere dici potest: *Facies homines sicut pisces maris*: nam quantumvis cum ipsis benigne, quantumvis comiter, et affabiliter agas, semper agrestes, et inhumani, torvo vultu, et severo supercilio sunt erga proximum, adeo ut qui cum ipsis habitant, vel confabulantur, singulari egeant tolerantia, et prudentia, ne fraterna charitas, et animorum consensio turbetur. Sunt huiusmodi homines herinaceis similes, qui te, quacumque illos parte tetigeris, propter spinarum densam multitudinem necessario pungent, et laedent. Qui ergo tali morbo laborant, tenentur cautius vivere, naturae suae, aut pravae consuetudinis vitium castigantes, ne aliis sint scandalum, et lapis offensionis, sed potius communis quies, ac fratrum consensus retineatur, et floreat. Hoc nomen, *unio*, ut notum est, non solum significat coniunctionem, sed etiam gemmam, seu margaritam: quod etsi possemus dicere factum non absque mysterio, ut intelligeremus, animorum unionem sive concordiam esse instar pretiosissimi lapidis, et pluris quam gemmam, seu margaritam quamcumque aestimari debere; ratio tamen vera huius significationis est, quam reddit Plinius his verbis: *Dos omnis unionum est in candore, magnitudine, orbe, laevore, et pondere haud promptis rebus, in tantum, ut nulli duo reperiantur indiscreti: unde nomen, unionem, Romanae scilicet imposuere deliciae: nam apud Graecos non est, nec apud barbaros inventores eius aliud quam margaritae.* Hoc autem, quod de duplici significatione unionis dictum est, ideo animadvertendum duxi, ut cognoscamus, quemadmodum sunt uniones, lapides pretiosi adulterini, qui, quod non sunt, apparent; sic etiam charitatem fraternam esse interdum fictam, et falsam, quae palam videatur benevola, clam vero infesta proximo, et fratri sit, eius famam, et honorem, quoties occasio se offert, graviter offendens, et vanis, ac falsis detractionibus obscurans. Quorum simulatam amicitiam acute depinxit Æsopus in suis apologis: fingit enim, et inducit leonem a pastore interrogantem, vidisset ne cervum, qui fugiens evaserat, ne ab ipso caperetur: cui pastor alta voce respondens, a se non visum, interim manu indicabat locum, ubi cervus latitabat. Idem faciunt, qui simulanter amant, verbis quidem suaves, sed operibus acerbi, et inimici: de quibus recte dici potest, quod olim dicebat Isaac (*Gen.* 27.): *Vox Iacob est, sed manus sunt Esau*, quod nequaquam fieri debet, Ioanne in sua Canonica sic nos admonente (1. *Ioa.* c. 3.): *Fratres non diligamus verbo, et lingua, sed opere, et veritate*: nam ut dixit Gregorius: *Probatio amoris exhibitio est operis.* Quod pariter Augustinus (*in tractatu super Ioannem*) his verbis, illius acumine, et spiritu dignis, nostroque proposito convenientibus attestatus est: *Habeamus fratres pacem proximis, habeamus pacem columbinam; osculantur; enim si columbae osculantur, et corvi: in columbis vera pax, in corvis falsa pax, quia osculantur, et laniant.* Quamobrem unanimitas, et fraterna concordia, in qua laetitiam, et tranquillitatem spiritus sitam esse Deus vult, et quam David laudat, et admiratur, non debet esse ficta, et tecta, sed vera, et sincera: sic enim fiet, ut de illa vere dicere possumus: *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.*

Verumtamen excutiamus diligentius, et ponderemus vocem illam, *In unum*, sic enim sciemus, quam magna esse debet unitas voluntatum, et quam arcta haec animorum coniunctio. Primum Christus nobis id declaravit, inquiens (*Ioan.* 17.): *Rogo Pater, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Nonne satis esset Domine, ut haec unitas similis sit ei, quae est in cohorte militum eidem duci sub uno eodemque vexillo parentium, et militantium? minime, sed *sint unum, sicut et nos unum sumus.* Non satis esset saltem, ut talis haec sit unitas, qualis erat inter fideles nascentis Ecclesiae temporibus, de quibus dixit Lucas (*Act.* 4.): *Erat cor unum, et anima una?* minime; sed *sint unum, sicut et nos unus sumus.* Tandem o Domine Iesu, non sufficiet hanc conferre animorum conformationem cum illa unione, quae est inter divinum Verbum, et Christi humanitatem, quae adeo fuit arcta, ut nec morte fuerit utrinsque vinculum solutum? minime, sed sint unum sicut et nos unum sumus. Manifestum quidem, et indubitatum est, animorum et voluntatum unitatem esse non posse tantam, quanta est inter Patrem, et Filium; veruntamen cum inquit Christus, *Ut sint unum sicut et nos unum sumus*, docet nos apertissime, quam magna et ampla esse debeat animorum coniunctio, quam Christus comparavit cum unitate omnium maxima, et arctissima, qualis ea est, quae inter Patrem, et Filium eiusdem naturae participes reperitur. Sed quamvis fraterna unio, et unanimitas longissime absit ab hac in divinis personis unione, vel potius unitate, ad quam nostra non potest, quantumvis adnitatur, accedere; utile tamen erit explicare, quomodo fraterna unitas valeat imitari divinam. Qua de re tres invenio Patrum fuisse sententias. Prima est Cyrilli (*super dicta verba: Rogo te Pater, ut sint unum, etc*) ita dicentis, *Rogo Pater, ut sint unius voluntatis, sicut et nos sumus.* Nam quemadmodum inter Patrem, et Filium unus est intellectus, et voluntas una, et consequenter idem intelligere, et idem velle, vel nolle; sic etiam vult inter nos nullam esse opinionum diversitatem, et repugnantiam sententiarum, sed ut iuxta Apostoli Pauli verba



*idem sapiamus*, quippe discordia sententiarum, et mentium facile parit dissensionem voluntatum, cum gravi dispendio, et detrimento charitatis, ut significavit Habacuc, dicens: *Facta est contradictio potentior: propter hoc lacerata est lex.* Non negaverim opus esse aliquando, immo et necessarium aliis contradicere, et refragari; cavendum tamen nobis est, ne id molestis, aut asperis verbis, sed humanis, et placabilibus faciamus, Iob imitantes, qui, amicis nonnulla verba imprudenter adversus eum dicentibus, quibus eius animus non immerito irritari poterat: *In his omnibus non peccavit labiis suis*; quod alii sic interpretantur: *Nullum verbum locutus est Iob, quod non esset sale conditum.* Si vero aliquando contingat inter fratres aliqua verba dici minus ordinate, quibus nascatur animorum offensio, divisio sententiarum, et diversitas opinionum, non debent, qui haec vident, statim subverti, et scandalum pati, existimantes propterea iam actum de religione, et fraternam charitatem extinctam vel dissipatam: nam sorores erant Martha, et Magdalena, et quidem sanctae sorores, opinionum tamen varietate discordes Christum hospitio excipientes, Magdalena namque censuit utilius, et convenientius esse, Christi pedibus advolutam illum contemplari; sed contra Martha melius, et opportunius indicavit occupari circa Christi convivium, et curare diligenter, quae ad ipsum reficiendum erant necessaria; unde apud Christum de negligentia suae sororis ita conqueritur (*Luc.* 10.): *Non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo, ut me adiuvet.* Ecce manifestum inter utramque discrimen opinionum. Sed ne id adeo mireris, audi quid de Petro, et Paulo scriptum sit (*Gal.* 2.): *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Immo et inter Angelos ipsos, coelique beatos spiritus narrat Daniel dissidium fuisse mentium: nam populi Dei custos Angelus dixit, Angelum custodem Persarum sibi restitisse: *Princeps Persarum restitit mihi viginti, et uno diebus*, quod faciebat, ut Persae, commorantibus cum illis Israelitis, aliquid boni ex illorum contubernio acciperent; contra vero Israelitarum Angelus urgebat Dei populum, ut a Persis discederet, ne malo illorum exemplo a vero Dei cultu degenerans, Idola cum ipsis veneraretur. Mirabilius autem est, inter sacratissimam Virginem, et eius unicum Filium, ut quidam exponunt, fuisse varietatem sententiarum: nam illa in nuptiis Canae Galilaeae censebat, antequam vinum deficeret, ne inopia cognosceretur, providendum, et multiplicandum; Christus vero aliter vini defectum prius videri, et notum omnibus esse oportere, ac postea vinum supplendum indicavit, ut magis eius potestas in edendo miraculo splendesceret. Sed ut omnem deponant stuporem, qui de fratrum dissidio religiosorum mirantur, animadvertant quaeso, quod omni admiratione dignissimum est, in ipso Christo sententiarum fuisse varietatem: siquidem pars animae inferior aiebat (*Matt.* 26.): *Si possibile est, transeat a me calix iste*, pars autem superior dicebat: *Verumtamen non mea, sed tua fiat voluntas.* Si ergo inter sanctos terrae homines, et coeli incolas Angelicos spiritus, nec non inter Filium, et Virginem, immo et inter Christi superiorem, et inferiorem portionem nonnulla visa est diversitas appetituum, non utique mirum esse debet, quod inter eiusdem religionis professores et domus eiusdem habitatores voluntatum, et iudiciorum discordia et dissensus reperiatur. Procurandum tamen, et cavendum graviter, si quando aliqua verborum, vel rerum offensiuncula inter ipsos oriatur, ut statim mutuo concilientur, et componantur, et iuxta Christi praeceptum sol ante illorum reconciliationem non pergat ad occasum: *Non occidat*, inquit, *sol super iracundiam vestram.*

Secunda interpretatio super verba: *Rogo Pater ut sint unum etc.* est Athanasii, sic explicantis: *Rogo Pater, ut sint perseverantes in unione charitatis, sicut et nos perseverantes sumus.* Vult enim Christus inter suos amorem esse perfectum, charitatem firmam, et permanentem dilectionem, quae non sit ad tempus, neque mutabilis, et varia, ut solet esse puerorum dilectio, quae facile defluit, tanquam aqua ex cribro, et quae levi occasione minuitur, ac tepescit. Deus quondam significaturus firmitatem, et constantiam, quam in amore, et charitate cupiebat, iussit (ut legimus in Paralipomenis) ad templi portas erigi columnas duas fortissimas, altitudinis decem et octo cubitorum, in quarum vertice insculperentur mala granata, per quae significatur amor, et charitas, quippe non solum granis abundant, sed illa omnibus videntur offerre, et operatione spontanea quasi invitare ad fructum carpendum, et vescendum; quod proprium est charitatis, et veri amoris nihil proprium habere scientis. Et quemadmodum malum granatum inter omnes fructus corona insignitur, sic inter omnes virtutes charitas gerit coronam, quasi omnium regina virtutum, et per illam reliquae coronam merentur aeternam. Cum ergo Deus iubet super validas templi columnas mala punica, seu granata locari, indicat, in amore nostro esse oportere firmitatem, et constantiam; ita ut nec verbum asperum, nec torvus vultus, vel alia similis offensio satis esse queat ad minuendam veterem nostram erga illum charitatem, vel par pari referendum. Tertia et ultima explicatio est doctissimi Cardinalis Toleti (*in huius loci comment.*), cuius verba sunt: *Quemadmodum unitas Trinitatis non confundit ordinem: sed unus est Pater, alius est Filius, alius Spiritus sanctus: Filius a Patre, Spiritus sanctus ab utroque, Pater a neutro procedit; ita haec unio charitatis non confundit ordinem fratrum.* In omni enim bene constituta Republica, tam Ecclesiasticorum, quam laicorum, discrimen est personarum, et officiorum, et alia aetati, alia litteris deseruntur, et hic propter officium, ille propter senectam, alius propter eruditionem, pluris faciendus est;

aliter enim confusio, et turbatio rerum pulchritudinem ordinis obscuraret. Haec autem personarum reverentia, et fraterna urbanitas, quo magis in aliquot religionibus arbitrio cuiusque permittetur, eo cumulatius urbani, et reverentes esse debent omnes aliis, ut dixit Paulus ( *Ro.* 10. ): *Invicem honore praevenientes.* Convenit huic rei, de qua loquimur, quod narrat Innocentius III. in lib. 2 ) de miseria conditionis humanae, inquiens, Regem quendam in throno coronam capite, et sceptrum manu tenentem fuisse a quodam Philosopho adoratum tanquam Deum, ac subinde Philosophum ad Regis solium conscendentem eidem Regi assedisse: quem ille cum propter inurbanitatem, et insolentiam obiurgasset, respondisse dicitur Philosophus: Vel tu Deus, vel homo es, o Rex: si Deus, iam te adoravi genuflexus: si homo, non facio iniuriam tibi assidens: nec enim terra erubescit, quod alia terra prope ipsam sit, et pulvis pulveri adhaereat. Cui Rex sapientius subiecit, argumentum Philosophi contra ipsum ita retorquens; Vel ego sum homo, vel Deus: si homo, peccasti me adorans; si Deus, assidere non debebas, cum nulla sit inter Deum, et hominem aequalitas. Quo sapienti responso Philosophus elusus erubuit: aequum enim iudicium Dei est, cum aliquis in hoc genere nimium protervus, et ambitiosus est, ut qua ratione putat altius extolli, humilius deprimatur, et honorem, quem ambiebat, amittat: nam, ut scripsit Paulus ( *ad Ro.* 13. ): *Quae sunt a Deo, ordinata sunt,* etiam quatenus naturae conditor est: cernimus enim iuxta cuiusque elementi qualitatem fuisse locum singulis assignatum: terrae quia gravi, infimum; igni supremum: aeri, et aquae minus, quam terra gravibus, nec ut ignis levibus, medium: quem ordinem in orbibus coelestibus pariter servatum animadvertimus ab ultimo usque ad primum mobile, et in Angelis usque ad Seraphim, quibus reliqui spiritus subordinantur. Itaque nec inter elementa, coelos, vel Angelos, et multo minus inter ipsas divinae naturae personas ulla confusio est, immo tum creator, quam creaturae locum, et ordinem conservant, nec alterius limites transgrediuntur. Quae rerum constitutio, et ordo adeo illarum auctori, dum illas creabat, placuit, ut de singulorum bonitate sibi complaceret, sicut constat ex illis verbis ( *Gen.* 1. ): *Et vidit Deus lucem, quod esset bona;* et paulo post: *Congregationes aquarum vocavit maria, et vidit, quod esset bonum;* at cum omnium creationem perfecisset, ait de illo sacer textus: *Vidit cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* Itaque singula erant bona, omnia tamen simul erant optima: non quidem propter singularitatem, sed propter unionem, connexionem, et bonum ordinem, quem inter se omnia connexa retinebant. Quem ordinem, etsi ethnicus, miratur Cicero his verbis: *Cum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque inter se omnia connexa considero, in amorem artificis totus accendor.* Sed ut clarius videatis, quam gratus Deo sit rerum ordo, et harmonia, et quam daemoni perturbationis, et confusionis amantissimo displiceat, meminisse oportet, quod Scriptura narrat de Propheta Eliseo, qui cupiens Spiritum Dei ad se venire, et eius copioso imbre irrigari, iussit sibi afferri citharoedum, cuius audito suavi concentu, ut ait Scriptura: *Facta est super eum manus Domini.* Huic historiae si addamus illam Saulis, quando spiritu malo vexabatur, et petentibus eius famulis David citharam pulsabat, ad cuius harmoniam Saul spiritu liberabatur immundo, *Et recedebat ab eo spiritus malus,* intelligemus manifeste, magnam esse concordiae vim, ac multo etiam, quam cuiusvis musicae harmoniae sono dulciorem, et vehementiorem. Sunt qui putant hoc miraculum fuisse factum non cantu, vel sonitu, sed oratione, et prece Davidis. Iosephus autem, et Burgensis ( *super eundem locum* ) aiunt, ordinem, ac proportionem vocum, ac soni tantam habere vim, ut absque aliquo peculiari miraculo valeat profligare daemonem. In cuius confirmationem narrat glossa ordinaria, citans Boetium rei auctorem, quod suavitate cantus quidam Philosophus ab humano corpore immundos spiritus eiiciebat. Si vero percunteris causam, ob quam Deus attrahatur musicis, eisdem malus spiritus abigatur, ut ex his, quae retulimus, constat, nulla certe alia reddi potest, nisi musici concentus, ordinis, et convenientiae sonitus, ac vocum, ex quibus dulcis fit harmonia, quae Deum ordinis amantem attrahit, et daemonem ordinis inimicum et osorem exterminat. Sed quoniam iam vidimus, quibus in rebus unio fraterna possit imitari eam, quae inter divinas personas est, operae pretium erit nosse fructus, qui ab hac animorum conformatione nascuntur, ut sic illam avidius, et diligentius exquiramus, et conservemus. Tres mihi se offerunt, et quidem singulares fructus, qui ab hac voluntatum unione proveniunt, quos amoris imago, prout veteres pingebant, expressit. Pingebatur enim oculis captus, digito labium compescens, crumenam habens non clausam, auro plenam, et a zona pendentem. Primum caecus figurabatur, quoniam oculos non habet ad videndos proximi defectus: os digito premens, quoniam nescit loqui adversum fratrem suum: marsupium apertum erat, quoniam amor munificus, et profusus est erga dilectos. Hi sunt fructus, et effectus fraternae concordiae, et charitatis, nunc de singulis nonnulla dicamus. Notissimum est quod ait Paulus ( 1. *Cor.* 13. ): *Charitas non cogitat malum*: non enim temere de fratre iudicat, sed illum potius, quibuscumque potest rationibus, excusat. Depravatae autem naturae nostrae vulnus, et lues antiqua est, ut semper fratrum nostrorum facta, vel dicta in sinistram partem accipiamus, quod praeter alia probat Rachelis, et Samsonis exemplum: nam cum illa patri suo Laban idola furata fuisset, Laban a genero suo Iacob sublata fuisse suspicabatur; et quando Samson uxore ducta



abfuit a domo soceri, hic putavit abiisse Samsonem sponsae suae taedio ductum, ideoque ab ipso desertam; quod adeo sibi verum esse persuasit, ut filiam suam ac Samsonis sponsam alteri locaverit. Convenit per quam optime huic proposito, quod Hieronymus scribit de quodam monacho nomine Isac, qui cum de alio monacho temere super quodam gravi peccato iudicasset, et paulo post ille, de quo iudicium tulerat, obiisset, animam eius ab Angelo custode ductam ad se venisse, et his verbis ab Angelo fuisse compellatum, ecce a Deo ego venio Isac, ut sententiam feras, coelum ne, an infernum mereatur haec anima, de qua tu prius temere iudicasti. Respondit Isac, dolore compunctus, Davidicum versiculum: *Peccavi Domine, miserere mei;* quem ita dolentem, et poenitentem Angelus admonuit cavere ne in iudicandis proximis esset praeceps in posterum, sed linguam pariter, et mentem fraeno rationis, et iustitiae moderaretur. Nullum igitur remedium est ad fugiendum hoc damnum, nisi communis fratrum concordia; nam charitas non cogitat malum, et existens valde perspicax, ad aliorum delicta temere reprehendenda, et notanda lippire quodammodo et oculis carere videtur. Digitus ori admotus denotabat in amoris imagine, qui vere eum diligit, nunquam loqui ad proximi offensionem, quo fructu Sponsa in canticis fruebatur, cum dixit ei Sponsus ( *Cant.* 4. ): *Labia tua sicut vitta coccinea.* Quae similitudo labiorum, et vittae coccineae apta minus et conveniens alicui fortasse videbitur, quoniam vitta ligandis capillis magis, quam labiis apta esse videatur; convenientissima tamen est metaphora, ad indicandam verborum Sponsae naturam, ordinem, et mirabilem convenientiam: nam sicut vitta ligamentum est, quo antiqui circum caput, vel crines, vel serta, vel flores, aut aliquid aliud religabant; sic nexu, ac vinculo charitatis, quae insinuatur per vittam coccineam, sive purpuream, non modo Sponsae sermones, sed opera quoque ita coercentur, ut nullum ab eius ore verbum contra proximum, et fratrem imprudenter, vel inconsiderate egrediatur, comprimente labia retinaculo charitatis, quam, ut dixi, color vittae coccineus, et igneus ostendit. Quamobrem cum nil dicatur, quod prius non cogitetur, et charitas, teste Paulo, non cogitet malum: qui veram charitatem habet, non aperiet os suum adversus proximum suum, quod etiam amoris hieroglyphica figura silentium indicens, digiti ad os appositione monstrabat. Marsupium denique a latere pendens pecunia refertum, et patens, indicabat tertium effectum amoris, et fraternae charitatis, quae nescit renuere petentibus, sed iuxta Pauli verba: *Per omnia omni placere studet:* qua in re divinus Apostolus, sicut in ceteris, excelluit. Notabis vocem illam Pauli, *per omnia;* quasi dicat, nemo venit ad me, qui petitionis repulsam patiatur, dummodo petat, quod sine Dei offensione facere queam: sic enim petentibus semper annuo, et praesto sum. Nec tantum dixit Paulus *per omnia,* sed addidit, *omnibus placeo:* ac si dicat, non privatam huius, vel illius secto amicitiam, non respicio personas, sed legem amplector charitatis, cuius viscera erga omnes sine discrimine ardescunt, et patent; neque id hoc, vel illo modo, vel in hac, aut illa re, sed in omnibus ad salutem animarum convenientibus, accurrit, et auxiliatur. Quod certe Apostolus ita faciebat, quoniam noverat nullam graviorem esse iacturam, vel damnum perniciosius in vita spirituali, quam quod provenit ab amoris, et charitatis defectu, ideoque Paulus illam diligenter conservare, et semper augere erga proximos procurabat. Legimus in libro secundo Machabaeorum, sacerdotes populi Dei, quando a Persis captivi ducti fuerunt, cum templum fuisset ab hostibus occupatum, et omnis supellex arrepta, sacratum Deo ignem ab altari accepisse, quem absconderunt in valle, ubi erat puteus altus, et siccus. Quo sacerdotum facto S. Ambrosius ( *in lib. de officiis* ) dicit, mirabiliter nos doceri charitatem, et eius conservationem, quae per ignem denotatur, idque a nobis ante omnia curandum. Quamobrem pereat voluptas, pereat lucrum, et omnis commoditas, ac tandem quicquid mundus appetit, dum valeat, et ardeat ignis amoris, et fraternae charitatis. Ab hac enim una, et sola servatrice religionis pendet augmentum, et salus eorum qui vitam profitentur religiosam. In cuius rei confirmationem memini eius, quod Plato refert de Daedali statuis; quas ait perstitisse incolumes vi cuiusdam nexus, quo invicem haerebant; eo autem soluto, vel remisso titubabant, et concidebant. Nemo est quem lateat, amorem esse vinculum, quo amantium animae iunguntur, ideoque nitendum nobis est, ne hic nexus laxetur, sed in dies magis astringatur: nam si remitti coeperit, laxabitur pariter, et remissior fiet disciplina religiosorum, et quod peius est, non amplius in eis tanquam in suis templis Spiritus sanctus habitare dignabitur: quoniam quemadmodum anima, ut vitam praebeat corporis membris, necesse est illi esse unita, nam si manus, vel pes a corpore dividantur, vitae quoque beneficio privantur; sic Dei Spiritus, ut membra mystici corporis, et religiosae cuiusvis communitatis vivificet, necessarium est, non esse disiuncta, sed mutuo voluntatum nexu cohaerentia. Quod expressum legimus apud Ezechielem in ossibus mortuorum, quae prius ad corpora sua volarunt, ut vitae spiritu occuparentur, et reviviscerent: Ezechielis verba sunt: *Ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam, et ingressus est in ea spiritus, et revixerunt, steteruntque super pedes suos.* Non ignoro sanctum Augustinum (*in libro super Gen. ad lite.*), et sanctum Ambrosium (*in libro de fide resurr.*) nec non Gregorium Nazianzenum (*in orat. de resurr. Dom.* 13.), hunc locum explicare de vita, quam corporis humani ossa recipient in communi omnium corporum resurrectione per hunc divinum Spiritum, de quo Paulus inquit: *Qui suscitavit Iesum a mortuis, vivificabit vos propter inha-*

*bitantem Spiritum eius in vobis.* Sensus tamen allegoricus convenienter, et optime accommodatur Spiritus sancti adventui in die Pentecostes: primum, quoniam tempore, quo vitae spiritus ossa intravit, *factus est*, ut dixit Ezechiel, *sonitus*: et similiter Spiritu sancto super Apostolos veniente legitur: *Factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis.* Et quemadmodum tunc ossa divisa, et per varias partes dissipata ad iuncturam, et articulos suos redierunt; sic Apostoli, qui timore mortis Christum reliquerant, ad propria diffugientes, ut praedictum fuerat a Christo, *Venit hora cum dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis*: sic omnes Apostoli ad eundem locum convenerunt ad divini Spiritus receptionem: *Erant enim*, ut ait Lucas, *omnes pariter in eodem loco.* Quod autem per ossa intelligemus Apostolos, rationi consonum est: nam sicut ossa sunt quasi columnae corporis, quibus innititur; sic Apostoli Ecclesiae sustentacula, et firmissimae columnae sunt. Verumtamen quoniam ossa haec erant arida, id est Apostoli, Deus illis impertivit virorem, quo germinarunt, ut praenunciaverat Isaias: *Ossa vestra, quasi herba germinabunt.* Et quia eadem ossa nuda erant carne, ac nervis carentia, inducit idem Spiritus nervos, et pellem, id est fortitudinem et constantiam: sicut Deus olim promiserat, inquiens (*Ezec.* 37.): *Dabo super vos, et succrescere faciam super vos carnes, et extendam in vobis cutem*, qua tecti, et muniti, verbum Dei apud omnes intrepide promulgarunt, ut testatur Lucas (*Act.* 4.): *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.* Ac tandem velut ossa illa, ut ait Scriptura, *unumquodque ad iuncturam suam accesserunt*, et illico ingressus est in ea spiritus, et revixerunt; sic intra coenaculum commorantibus Apostolis, et pariter tam corpore, quam animo coniunctis magna gratiae plenitudine divinus hic Spiritus infusus fuit.

Porro antequam proposito argumento coronidem imponam, silentio non praeteribo, inter alia quae unitatem animorum, et mutuam charitatem fratrum in religione acriter perturbare solent, praecipuam ambitionem esse, ut his verbis testatur D. Bernardus (*de consid. ad Eugen.*): *O ambitio ambientium crux, quomodo omnibus places, omnes torques, nihil acrius cruciat, nihil molestius inquietat?* Novi ego non paucos in religione instar ventorum inquietae naturae qui semper sursum ferri desiderant. Unde etiam experientia videmus, quod ventus intra terrae viscera delitescens adeo quietis impatiens est, ut terram concutiens eam aperiat, et accendat. Ita quidam in religione inquieti adeo, et ambitionis vento agitati reperiuntur, ut licet in cavernis terrae, hoc est, sub religionis clausura demorentur, promoveri, et exaltari cupientes illam abrumpant, divisiones, et scissuras, quas Apostolus detestabatur, in eadem religione faciant, ut ipsi aliis praeferantur. Hanc pugnam inter hos eiusdem religionis adamussim video tanquam in vera imagine expressam esse in lucta illa Iacob, et Esau, in eodem matris utero adhuc existentium, qui adeo inter se rixabantur, contendens unusquisque prior egredi, ut prae dolore quasi iamiam videretur deficere mater, sed tandem in pugna victor evasit pilosus Esau. Non dissimiliter contingit, quod filii eiusdem religionis inter se de praecedentia, et de praelatione ita acriter contendant, ut matrem ipsam (religionem intelligo, aut communitatem) graviter contristent, et conturbent, ut non immerito illis dici possit illud Baruch (*Baruch* 4.): *Exacerbastis eam, quae nutrivit vos, et conturbastis Hierusalem nutricem vestram.* Et quod valde lugendum erat, tandem Esau reprobatus a Deo, ille scilicet, qui nullis meritis, sed multis demeritis onustus est, perperam viris doctrina, et integritate morum conspicuis praefertur. Quod non semel accidere solet, propterea quod velut Esau qui rubrum, et pilosum significat, quod virtute, et doctrina obtinere non poterant, corporis venustate, et decore, aut munerum copia comparare potuerunt. Tandem, ut paucis multa, quae in genere argumenti dici poterant, comprehendam, cum nihil cum fraterna charitate, et animorum unitate acrius pugnet, quam crudelitas, quia *charitas benigna est*, ut ait divus Paulus (1. *Cor.* 13.), et nihil crudelius ambitione excogitari possit, manifeste efficitur, unitatis animorum, et fraternae charitatis infestissimum hostem esse ambitionem. Porro hanc immanissimam, et crudelissimam semper extitisse, si tam ad sacra, quam profana litterarum monumenta mentis aciem parumper convertamus, haud difficile erit deprehendere. Antonius Severi Imperatoris filius fratrem suum infantem matris ubera sugentem pugione confodit, ut solus imperio frueretur; et Agrippina Neronis Imperatoris mater, cum ab insigni quodam Astrologo futurum esse, ut si filius eius Imperii coronam obtinuisset, ab ipso fore occidendam audiret, respondit, *occidat, et imperet.* Et ut refert Nicolaus de Lyra (*in cap.* 14. *Isaiae*), filius, qui successit Nabuchodonosor regi, timens, ne pater eius iterum suscitaretur, sicut sibi videbatur, suscitatum fuisse, cum in campestribus velut effera bestia errans, postea ad imperii gloriam rediit; id inquam timens, ne ipse imperio spoliaretur, cor patris in minutissimas concidens partes vulturibus devorandum obtulit. Quid plura? Sacrae litterae testantur, Abimelech regnandi appetitu sic in fratres suos ira exarsisse, ut septuaginta interficeret, ut securius regno poliretur. Et Athalia, prout habetur (4. *Reg.*) ut absoluta esset et sine consortio regni domina, universam regiam prolem penitus extinxit. Absalon deinde quis ignorat patrem expugnasse, et infestissimum ei hostem extitisse, ut regnum ab eo extorqueret? Herodem etiam novimus infantium sanguinem immaniter effudisse, ne per quempiam eorum postea a regno deturbaretur. Sed omnia supra enarrata mirum in modum superat primum ex historiis profanis mutuatum: nam ut refert Fulgosius, adeo Caligulae ambitio



excrevit, ut non solum in homines, sed in Deos suos acriter adeo excandesceret, ut omnium illorum simulacra decapitaret, et singulis singula capita vultum ipsius Caligulae referentia insereret. Secundum ex Evangelica historia facile erit adducere, cum Pilatus ambitionis morbo laborans auctorem vitae occidit: audiens enim (*Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*) ne terreni Imperatoris gratiam amitteret, gratiae datorem perdidit. Cum igitur ambitio adeo immanis sit, et crudelis, nemo ambigere potest, charitatis fraternae, quae, ut ait divus Paulus, *Benigna est*, ut supra dicebam, acerrimam adversariam, atque adeo a religione longe esse relegandam, ut sic religiosi, a relegando dicti, inter se, et cum Christo in dies magis relegentur. Cui sit honor, et gloria, etc.

## HOMILIA UNDECIMA.

*Apostolos in die Pentecostes fuisse in gratia confirmatos, et magnam esse huius confirmationis Apostolicae convenientiam cum ea quae fit per sacramentum confirmationis.*

Theologorum communis sententia docet, Apostolos per adventum Spiritus sancti fuisse gratia communitos, et in ea confirmatos; cuius sententiae fundamentum a Christi verbis accipitur, quando illis promittens Spiritum sanctum, dixit (*Ioan.* 14.): *Ut maneat vobiscum in aeternum.* Immo et doctissimus Cardinalis Bellarminus in controversia sacramenti confirmationis ait, Apostolos sacramentum confirmationis non accepisse, sed a Spiritu sancto sine aliquo charismate materiali absoluta sua potestate confirmatos, et sacri chrismatis vel confirmationis effectibus cumulatos multo excellentius quam fideles, qui confirmationis sacramento muniuntur. Nihilominus tamen idem voluit Spiritus mirabilem illam, et internam eius unctionem, sive confirmationem assimilari ei, quam per sacramentum impertitur Ecclesia, in qua similitudine et convenientia demonstranda praesens homilia versabitur. Sacri doctores communiter aiunt, discrimen quod inter infantulum vel iam adultum, seu virum est, idem quoque inter baptizatum, et postea confirmatum reperiri: ille namque in aetate infantili imbecillis, hic iam in virili robustus, et validus est. Unde ante Spiritus sancti adventum considero, et contemplor Apostolos, quasi pueros, et infantes: ita enim eos Deus vocavit per Zachariam (*Zach.* 13.): *Convertam manum meam ad parvulos*; at postquam confirmati, et uncti fuerunt, video illos non amplius parvulos, sed ablactatos, et instar adultorum duro pane vescentes. Ideoque hodierna dies magnam nobis debet, ingentemque afferre laetitiam: siquidem ut quondam, *Fecit Abraham grande convivium in die ablactationis Isaac filii sui*, Ecclesia catholica, quae in Christi discipulis erat eo tempore parvula, et recens nata per lavacrum regenerationis, inungitur chrismate, confirmatur, et ablactatur, fitque repente adulta, et virago fortis; nam *et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Verumtamen, ut facilius persuadeamus quod proposuimus, de convenientia confirmationis Apostolicae, et sacramentalis, prosequi iam incipiamus, a loci circumstantia rem auspicantes: invenio namque sacros Apostolos in eodem loco fuisse confirmatos, in quo Christus confirmationis sacramentum instituerat, videlicet in coenaculo, quemadmodum S. Cyprianus (*in sermone de unct. chrisma.*), et S. Thomas (3 parte) scribunt, quibus accedit Papa Fabianus, inquiens: *Iesus postquam coenavit cum discipulis, et lavit eorum pedes, chrisma conficere docuit.* Conveniens autem fuit eo tempore a Christo institui hoc sacramentum: nam cum finis eius sit in fide roborare, ac per excellentiam Eucharistiam dicatur *mysterium fidei*, sicut ipse docuit, ideo tunc stabiliri confirmationis sacramentum maxime conveniebat. Sed ingredientes iam intima, et quae sunt de natura confirmationis sacramentalis, et caeremonias, ac effectus eius discutientes, inveniemus mirificam inter illam Apostolicam, et nostram sacramentalem esse concordiam mysteriorum. Materia sacramenti confirmationis est unctio, seu chrisma, quod ex balsamo, et oleo fit, ut constat ex concilio Florentino in unione Armenorum, ubi sic legitur: *Cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae.* Haec unctio non defuit Apostolis; siquidem in hac die Spiritus sanctus unxit eos chrismate suorum donorum septem, videlicet, gratia septiformi, quae tam mirabilis virtutis est, ut quemadmodum balsamum humanum corpus a corruptione, et oleum a rubigine praeservat ferrum, sic illa unctio interna, et spiritualis septemplici dono gratiarum illos ab omni peccati mortiferi corruptione servavit, et gratia constabilivit in omnem aeternitatem. Quamobrem tali affectos munere Apostolos dum intueor, videntur mihi una ex parte mortui mundo, ut dixit Paulus (*Coloss.* 3.): *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo*: et ex altera instar corporum balsamo delibutorum immunes, et liberi ab omni lue et labe: immo suavissimum odorem exhalantes, sicut idem Paulus (2. *Cor.* 2.): dixit: *Quia Christi bonus odor sumus.* Et quemadmodum necesse est unctionem sacramenti confirmationis in fronte fieri, ut ait Papa Innocentius III. loquens de sacra unctione, cuius ritus ratio assignatur a Concilio Florentino in decreto Eugenii, per haec verba: *Ideo in fronte ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue crucem eius, quae Iudaeis scandalum, gentibus autem stultitia fuit.* Frontem vero esse pudoris sedem constat ex verbis Dei, qui adversus quandam impudicam feminam



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ita loquutus est? *Frons mulieris meretricis facta est tibi.* Quoniam ergo Apostoli quondam fugerant, et timuerant Christi nomen confiteri, nunc adventu Spiritus sancti audaces, adeo nomen eius, et partes tuentur, ut nomen Christi non solum in corde, sed in ore etiam, et in fronte gerant, et ostentent, iuxta illud Ioannis (*Apoc.* 27.): *Et in fronte eius nomen scriptum.* Hinc intelligetur, quid significet colaphus, seu alapa, quam Episcopus confirmatis impingit: nam quamvis vulgo putetur, id fieri, ut confirmatus memoria tenens se recepisse confirmationem, illam iterum non accipiat, quoniam sacramentum hoc iterari non potest; veritas tamen est, ut ait Concilium Coloniense in Enchiridio, alapam ab Episcopo dari, ut confirmatus intelligat se paratum esse debere ad iniurias pro Christi nomine hilariter, et animo sustinendas quemadmodum Apostoli toleraverunt: de quibus ait Lucas (*Act.* 3.): *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* Quod autem dicit Episcopus alapa percutiens, *Pax vobis*, significat, in patientia iniuriarum positam esse nostrae conscientiae quietem, et tranquillitatem, sicut Christus dixit (*Luc.* 21.): *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Praeterea sicut Episcopus administrans sacramentum confirmationis frontem confirmati ungit digito, quem Latini vocant pollicem, quia pollet fortitudine; ita Deus illam Apostolorum admirandam confirmationem operatus est digito suo, qui est Spiritus sanctus: ita enim eum vocavit Christus, inquiens: *In digito eiicio daemonia.* Idque sic interpretatur Augustinus (*l.* 8.) *de consensu Evangel. et in lib.* 2. *de quaestionibus eorundem*) in hunc modum: *Spiritus sanctus digitus Dei est ob partitionem donorum; in nullis enim membris magis apparet partitio, quam in digitis.* Tandem sicut confirmati frontem lintea fasciola cingit, ut insideat, et firmetur chrisma, et fortius fronti adhaereat, nec non ut noscat inunctus diligenter sibi servandam gratiam chrismate communicatam; pari quoque ritu Spiritus sanctus confirmans Apostolos in gratia sua, sic eius divinae unctionis effectum affixit, ut numquam ab illorum animo recesserit, vel recedere potuerit. Iubebat olim Deus suis sacerdotibus, ut tempore, quo sacerdotali munere fungerentur, lineis vittis capita velarent (*Ez.* 44.): *Vittae erunt in capitibus eorum;* nunc autem pro lineis vittis Apostoli accipiunt Spiritus sancti dona, quibus ne divinae gratiae unctio elabatur, vel decidat, muniuntur, et conservantur. Quod si ad sacramenti confirmationis formam accedamus, cognoscemus etiam non minus, quam in materia pro nostro argumento esse convenientiam. Legitima forma chrismatis, et quam Concilium Florentinum praescripsit, haec est: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Causa vero et ratio huius formae instituendae fuit, quoniam Christus per sacramentum confirmationis intendebat, ut qui sacramentum illud acciperet, suorum militum numero adscriberetur, et sub eius vexillo militaret: ac propterea illum armat signo crucis, ut hostibus invictus, et inexpugnabilis reddatur. Haec certe hodie ad oculum fieri video, dum Christus tanquam universalis Ecclesiae dux vexilla diversarum copiarum discipulis suis, et adversus mundum copias suas educit, quibus regnum suum muniat, et circumdet, ut praedixerat per Zachariam (*Zach.* 9.): *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi:* ubi exemplar hebraeum habet: *Castra ponam domui meae ex his, qui militant mihi.* Non tamen suos milites, ac duces Apostolos Christus aeneo thorace, non lorica, vel galea ex chalybe conflatis, sed internis armis invictae fortitudinis, et intrepidi pectoris armatura communit. Quod ut manifestius insinuet, Spiritum sanctum ad eos mittit in forma ignis, qui elementorum est vehementissimus, et cuius in agendo victoria brevior, et certior est. Praeterea sicut vitriarius educens de typo vas vitreum, postquam illud formavit, in ignem mittit, ut durescat (aliter enim facile frangeretur) ita Christus, animadvertens discipulos suos vitro debiliores, et fractu faciliores (nam vitrum voce non rumpitur, vox autem puellae unius dicentis Petro, *Et tu ex illis es*, satis fuit ad amicitiam, et fidem Petri erga Christum frangendam) ideo ut vasa haec fragilia durescant, et robur accipiant, in divini amoris fornacem a Christo mittuntur, et quod humana industria non consequitur (nec enim novit hactenus ita vitrum temperare, ut nullis ictibus frangatur, aut laedatur) Christus hodie divinitus exhibet, quandoquidem ita mirabiliter haec prius imbecilla vasa, Apostolorum nempe pectora, temperavit, ut nullis tyrannorum tormentis cesserint, quoniam divini amoris ignis instar adamantis, et silicis illorum animos induraverat, sicut per Ezechielem promiserat (*Ezec.* 3.): *Ut adamantem, et silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos.* Sed parum dico, cum fuerint Apostoli duriores adamante, qui lapidariorum illum expolientium instrumentis non difficulter cedit; invicti autem Apostoli numquam Principum vel Regum comminationibus, et tormentorum doloribus succubuerunt. Mirabiliter hoc Apostolici pectoris robur Sponsa declaravit: *Crura illius columnae marmoreae, fundatae super bases aureas.* Ambrosius (*super Psalm.* 119.) per columnas aureis basibus innitentes, intelligit Apostolos charitate inflammatos, quoniam ipsi sunt, quibus tota aedificii Ecclesiastici structura nititur: unde gentium Apostolus de Petro, Ioanne, et Iacobo inquit: *Petrus, Iacobus, et Ioannes videbantur columnae esse.* Quamobrem hodie dictum impletur Davidicum (*Ps.* 64.): *Ego confirmavi columnas eius.* Tremebant prius hae columnae, et non satis firmae nutabant, sed per gratiae confirmationem, qua Spiritus Domini illarum stabilivit, et roboravit infirmitatem, facti sunt Apostoli Samsone fortiores: nam sicut in sacris Bibliis narratur, quod *Irruit Spiritus Domini in Samson*, et dilaceravit leonem, quasi hoedum in frusta



discerperet, et ligatus vinculis ea dissipavit, et quod mirabilius est, eodem Spiritu afflatus columnas templi, et templum ipsum prostravit, sic Apostoli simili donati fortitudine rugientem leonem humani generis hostem diabolum debilitarunt, et enervarunt, vincula pariter rumpentes, quibus irretiebantur, ne ad Christi nomen publicandum egredi auderent: ac denique columnas, quibus lex Mosayca fundata erat, nempe ritus, et caeremonias Iudaeorum eruerunt, ac dissipaverunt, et alias sicut olim Hercules, cum inscriptione *Non plus ultra*, erexerunt. Quemadmodum etiam per sacramentum confirmationis signum imprimitur in anima diversum ab eo charactere, vel signo quod in baptismo recipitur, quoniam haec nota fideles Christi distinguit ab infidelibus: et insigne illud confirmationis est nota militum valentiorum; sic etiam Spiritus Domini mirabilem Apostolicae gratiae characterem, sive notam sanctis dedit Apostolis, tamquam Christianae militiae strenuis militibus, vel potius ductoribus primis, et invictis, sicut docuit Paulus, breviter, quae diximus, omnia in hunc modum comprehendens (2. *Cor.*): *Qui confirmavit nos, et qui unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Nicolaus Lyrensis mirifice verba haec sic exponit: *Qui confirmat, Spiritus sanctus est, qui coniungit membra Ecclesiae ad invicem et capiti: unxit nos scilicet gratia sua, et qui signavit nos signo crucis in confirmatione.* Et nostro proposito convenienter explicare possumus signum characteris, qui per confirmationem imprimitur, et per quem Christiani exercitus milites, tamquam proprium insigne discernuntur. Concluditque Nicolaus super haec verba: *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, notans acute duas esse pignoris proprias conditiones: unam ut tanti pretii sit, et valoris, quanti res ipsa, cuius est pignus; alteram, ut pignoris pretium, et dignitas gignat spem assequendi id, pro quo pignus datum fuit. Ait ergo Paulus, *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris:* quod certe pignus tantae dignitatis, et excellentiae est, quantae ipsamet Dei Trinitas, quae obiectum est nostrae beatitudinis, pro qua Spiritus sanctus nobis est oppignoratus: pariterque eiusdem pignoris pretium, et valor certissimam nobis spem largitur ad summae felicitatis, et aeternitatis gloriam perveniendi. Poterit tamen fortasse quispiam mihi obiicere, quod pignoris etiam sit propria conditio, ut quando res, pro qua pignus datum fuit, obtinetur, illico pignus restituatur; quod faciendum si foret, tam excellenti dono Spiritus sancti privandi videremur. Cui ego respondeo, non ideo carere dato pignore nos debere, quoniam Spiritus sanctus dupliciter iustis infunditur, et donatur: uno modo, dum vivimus, quatenus pignus est aeternae felicitatis: altero, quatenus praemium, postquam de hac vita ad aliam remigraverimus. Quamobrem, etsi iustus Spiritum sanctum, prout est pignus promissionis restituat, ingreditur tamen eius possessionem, prout est praemium per omnem aeternitatem. Quae omnia Paulus sapienter, et breviter inclusit in illis verbis: *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ad haec velut in sacramento confirmationis datur patrinus confirmato, ut constat ex capit. in catechis. de consecratione dist. 4. ad quem pertinet instituere confirmatum, tamquam proprium sibi filium spiritualem, et militem in Christianae militiae praeliis tyronem, ob idque Doctores eum, qui hoc fungitur munere in confirmatione, vocant patrem spiritualem; sic etiam in confirmatione Apostolorum Christus dedit Apostolis suis pro compatre, et susceptore Spiritum sanctum, ut illorum esset magister, et doctor, iuxta eiusdem Christi promissionem (*Ioan.* 16.): *Ille docebit vos omnem veritatem*: vel secundum Graecum textum: *Deducet vos in omnem veritatem.* Ab illo enim non solum instituti, sed etiam armati fuerunt Apostoli, et vere cum regio Propheta dicere poterant (*Ps.* 143.): *Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum.* Demum sicut ex officio compatris, vel susceptoris nascitur affinitas, vel cognatio spiritualis inter confirmatum, et susceptorem, ut constat ex Concilio Tridentino, sic Apostoli cum ipso Spiritu sancto videntur contraxisse cognationem; unde non immerito dicere poterant, quod ex Poeta Arato Paulus adducit; *Ipsius enim et genus sumus*, facti Dei affines, et agnati per dona coelestia, et divina munera, quae illis Spiritus Domini communicavit. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

# INDEX HOMILIARUM.

## LIBER DECIMUS.

### DE ACERBA CHRISTI DOMINI SALVATORIS NOSTRI PASSIONE

### HOMILIA PRIMA.

De utili meditatione passionis Christi Domini, ac de iis, quae circa illam in memoriam revocanda sunt, ut utilior sit. 5

Homilia Secunda.

De proditione Iudae, ac de vili, et sacrilego pretio, quo Christum Dominum vendidit, in illa verba: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos: Matth. 26. quae varia, ac multiplici SS. Patrum eruditione locupletantur. . . . . . . . . . 10

Homilia Tertia.

De egressu Christi Domini in torrentem Cedron, ac de ferventi eius oratione in horto, in illa verba Ioannis cap. 18. Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron. Et in illa: Pater si possibile est, transeat a me calix iste: Matth. 26 . . . . . . . 15

Homilia Quarta.

De tristitia Christi Domini in horto, ac de confortatione ab Angelo ei facta, in illa verba: Tristis est anima mea: Matth. 26. et in illa: Apparuit illi Angelus de coelo, confortans eum: Lucae 22 . . . . . . . . . . 21

Homilia Quinta.

De sanguineo sudore Christi Domini orantis in horto, in illa verba: Factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor eius, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram . . . . . . 27

Homilia Sexta.

De captura Christi Domini, et illis, quae in ea intercesserunt, in illa verba: Venit Iudas Iscariotes, unus de duodecim, et cum eo turba multa cum gladiis, et lignis missi a Principibus sacerdotum. Et in illa alia: Cohors autem, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum. . . 31

Homilia Septima.

De praesentatione Christi Domini ante Annam et Caipham, ac de iniusta alapa ei impacta, quae multis sacrae Scripturae, et SS. Patrum monumentis illustratur in illa verba: Unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu: Ioan. 18. . . . 40

Homilia Octava.

De trina Petri negatione, in ea, quae de illa tradunt D. Matthaeus 26. Marcus 14. Lucas 22. et Ioannes 18. Ubi permulta scitu dignissima, tam erudite, quam utiliter pertractantur, praecipue tamen de causis illius. . . . . . 44

Homilia Nona.

De lacrymis D. Petri a respectione Christi Domini causatis, in ea verba: Et conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, quia priusquam gallus cantet, ter me negabis, et egressus foras flevit amare . . . . . . . . 49

Homilia Decima.

De praesentatione Christi Domini in concilio seniorum, ac de missione ad Pilatum, et de remissione eiusdem ad Herodem, qui illum per ludibrium veste alba induit, in illa verba: Mane autem facto consilium inierunt principes Sacerdotum adversus Iesum ut eum morti traderent, et vinctum adduxerunt ad Pilatum, et in illa alia: Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba . . . . 56

Homilia Undecima.

De collatione Iesu cum Barabba, et antepositione eius ante Christum Dominum, in illa verba: Clamaverunt rursum omnes, dicentes: non hunc, sed Barabbam . . . . . . . . . 59

Homilia Duodecima.

De acerba Christi Domini flagellatione, multiplici sacrae Scripturae, et Patrum eruditione copiose illustrata, in illa verba: Tunc apprehendit illum Pilatus, et flagellavit: Ioan. 19. Matth. 27. Mar. 15 . . . . . . . . . . 61

Homilia Decimatertia.

De regali purpura, qua per irrisionem Christus Dominus indutus fuit, in illa verba: Et induit eum purpura: Mar. 15 . . . . . . . . . . . 67

Homilia Decimaquarta.

De corona spinea, veneranto Christi Domini capiti imposita, quae permultis tam humanarum, quam divinarum litterarum monumentis pulchre illustratur. . . . . . . . . . . . . 69

Homilia Decimaquinta.

Verba illa Ioannis: Milites plectentes co-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ronam de spinis imposuerunt capiti eius, iterum elucidantur, ac varia multiplicique, tam sacrae Scripturae, quam Sanctorum Patrum eruditione locupletantur. . . . . . . . . . . . 76

Homilia Decimasexta

De arundine loco sceptri in dextera manu Christi per ludibrium posita, in illa verba: Posuerunt arundinem in manu eius . . . . . . . . . . . 79

Homilia Decimaseptima

De variis illusionibus, quas Christus Dominus pertulit, regalibus insignibus indutus, in illa verba, Mar. 15. Coeperunt conspuere, et velare faciem, et colaphis caedere, et dicere: Prophetiza, quis est, qui te percussit: et illa alia: Ecce Homo. 19. . . . . . . . 81

Homilia Decimaoctava

De falsis accusationibus adversus Christum Dominum productis: ac de iniquissima mortis sententia ad instantiam perfidae gentis Iudaicae contra auctorem vitae a Pilato latam, ac de tenero illius, necnon de lotione manuum, per quam ille se a tanto scelere liberum falso sibi blandiebatur, in illa verba: Innocens ego sum a sanguine iusti huius, et illa: Tunc tradidit eis illum, ut crucifigeretur. . . . . . . . 85

Homilia Decimanona.

De gravi, ac molesta crucis baiulatione super humerum, qua onustus Christus Dominus perrexit ad montem Calvarium: ubi etiam de materia, ac magnitudine Dominicae Crucis multiplici eruditione disseritur . . . . . . . 91

Homilia Vigesima.

De potioribus circumstantiis, baiulationem Crucis concomitantibus, in illa verba: Susceperunt autem Iesum, et eduxerunt, Ioan. 19. et induerunt eum vestimentis suis, Mar. 15. et angariaverunt Simonem Cirenaeum, ut tolleret Crucem eius, ibidem, et illa alia: Nolite flere super me, etc. Luc. 23. . 97

Homilia Vigesimaprima.

De immani crucifixione Christi Domini, ac de variis circumstantiis, in illa verba: Et crucifixerunt eum: Luc. 23. . 102

Homilia Vigesimasecunda.

Prosequimur circumstantias crucifixionis Christi Domini, alias plures scitu dignissimas tradentes, et elucidantes. . 109

Homilia Vigesimatertia.

De causis, ob quas Christus Dominus ignominiosam Crucis mortem elegit 114

Homilia Vigesimaquarta.

De variis figuris iuxta Patrum doctrinam, quibus in rebus naturalibus, ut mundo, coelo, stellis, aere, avibus, animalibus, tam aqueis, quam terrestribus, necnon in plantis, et arboribus, variisque Gentilium symbolis, quam in rebus artificiose affabrefactis, Deus Christi Domini Crucem mirabiliter praesignavit. . . . . . . . . . . . 119

Homilia Vigesimaquinta.

Adducuntur figurae omnes, quae sacra eloquia de Cruce Dominica prodiderunt, variaque Sanctorum Patrum eruditione illustrantur, ac locupletantur . . 122

Homilia Vigesimasexta.

Prosequimur Dominicae Crucis figuras alias non paucas recensentes, tam ex vetusto, quam ex novo testamento, miraque Crucis virtus aperitur, quam et egregia Patrum epitheta nos edocent . . . . . . . . . . . . 132

Homilia Vigesimaseptima.

Referuntur praecipua Crucis vaticinia ex sacra Scriptura, multiplicique Sanctorum Patrum doctrina elucidantur . . 139

Homilia Vigesimaoctava.

De titulo Cruci Christi Domini apposito, in illa verba: Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super Crucem: erat autem scriptum, IESUS. NAZARENVS. REX. IVDÆORVM . . . 145

Homilia Vigesimanona.

De triumpho Dominicae Crucis, ubi de pristina eius ignominia in summum iam gloriae splendorem conversa, tam ex profanis, quam ex sacris litteris, et sanctis Patribus copiose disseritur. . . 151

Homilia Trigesima.

De Crucis, et clavorum inventione per Helenam Constantini Imperatoris matrem . . . . . . . . . . . . 156

LIBER DECIMOPRIMUS.

DE SEPTEM VERBIS CHRISTI DOMINI, DE TESTAMENTO, AC LACRYMANDA EIUS MORTE: NECNON DE VARIIS ARCANIS IN HIS OMNIBUS RECONDITIS.

Homilia Prima.

Verba Christi Domini: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, multiplici sacrae Scripturae, et sanctorum Patrum eruditione illustrantur: ac de efficacia verbi divini, et inimicorum dilectione pleraque tam fructuose, quam curiose disseruntur. . . . . . . 159

Homilia Secunda.

Boni latronis conversio quam mirabilis, ac portentosa fuerit, in illa verba: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Quae multiplici sacrae Scripturae, et sanctorum Patrum doctrina palam fit . . . . . . . . 166

Homilia Tertia.

Prosequimur conversionem boni latronis, heroica eius virtutum opera commemorantes, quibus se ad primam gratiam disposuit, et vitam aeternam promeruit . . . . . . . . . . . 171



Homilia Quarta.

De eximia Christi liberalitate erga bonum latronem, ac de felicissima eius sorte, in illa verba: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso; quae multiplici sacrae Scripturae eruditione illustrantur . . . . . . . . . . . 174

Homilia Quinta.

De causis, ob quas Christus e Cruce pendens beatissimam Virginem vocaverit mulierem, et non matrem, et de mutua relatione matris, et filii inter ipsam, et D. Ioannem Evangelistam, in illa verba: Mulier ecce filius tuus: deinde dicit discipulo, Ecce mater tua, et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. . . . . . . . . . . 179

Homilia Sexta.

Explicantur varia priscorum Patrum eruditione verba illa: Clamavit Iesus voce magna dicens; Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? . . 184

Homilia Septima.

De multiplici siti, quam Christus Dominus in Cruce pertulit, cum dixit, Sitio: cuius verbi varii sensus, secundum varias sanctorum Patrum expositiones, subiiciuntur . . . . . . . . . 187

Homilia Octava.

Multiplici Patrum intelligentia pulchre exornantur verba illa Christi Domini e Cruce pendentis: Consummatum est. 190

Homilia Nona.

De testamento, quod Christus Dominus, praecipue tamen in ultima Coena recumbens, et in lecto Crucis iacens condidit, in illa verba: Clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: quae Patrum multiplici doctrina locupletantur. . . . . . . . . . . . 193

Homilia Decima.

De variis figuris mortem Christi Domini adumbrantibus, nec non de quibusdam eius circumstantiis, in illa verba: Et haec dicens expiravit . . . 197

Homilia Decimaprima.

Reserantur varia sacramenta scitu dignissima, quae in verbis illis latent: Inclinato capite tradidit spiritum: quae permultis, tam antiquis, quam novis expositionibus mirifice illustrantur. . 202

Homilia Decimasecunda.

Christi Domini mortem mirum in modum gloriosam fuisse ex tribus praecipue colligitur: nimirum quod non coacta, sed voluntaria plusquam omnium Martyrum fuerit: quod gloriosam victoriam de hostibus suis tulerit: quod tandem mirificos fructus pepererit. 205

Homilia Decimatertia.

De prodigiis omnibus ab Evangelistis commemoratis, quae partim ante, partim post mortem Christi in die obitus eius acciderunt, in illa verba: Tenebrae factae sunt in universa terra, et illa: Ecce velum templi scissum est, terra mota est, petrae scissae sunt, et multa corpora sanctorum, quae dormierant, surrexerunt. . . . . . . . 211

Homilia Decimaquarta.

Referuntur varia alia prodigia ab Evangelistis non enarrata, quae tamen a gravissimis Doctoribus commemorantur in die obitus Christi Domini contigisse . 215

Homilia Decimaquinta.

De matrimonio, quod divinus Sponsus Christus Dominus in lecto Crucis cum Ecclesia catholica eius Sponsa consummavit, in illa verba Davidica: Eructavit cor meum verbum bonum, cum reliquis illius Psalmi, quae de Christi morte iuxta gravissimorum Patrum sententiam pulchre explicantur. . . 217

LIBER DUODECIMUS

DE ARCANIS IN VULNERE LATERIS CHRISTI LATENTIBUS.

Homilia Prima.

Expenduntur variae figurae vulnus lateris Christi Domini, post mortem ei inflictam adumbrantes in illa verba: Unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua . . 243

Homilia Secunda.

Apertionis lateris Christi Domini egregiae redduntur causae in illa eadem verba: Unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua, Ioann. 19. . . . . . . . 247

LIBER DECIMUSTERTIUS

DE HONORIFICA CHRISTI DOMINI SEPULTURA ET ARCANIS IN EA RECONDITIS.

Homilia Unica, et insignis valde.

De eximio splendore, ac singulari gloria sepulcri Christi Domini, et sacri funeris illius, quae ex multiplici capite deprehenditur in illa verba Isaiae: Et erit sepulcrum eius gloriosum, et illa alia Davidis: Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem . . . . . . 254

LIBER DECIMUS QUARTUS

DE TRIUMPHANTE CHRISTI DOMINI RESURRECTIONE, ET ARCANIS IN EA RECONDITIS

Homilia Prima

De Christi Domini in sinum Abrahae descensione, iuxta Apostolici Symboli verba: Descendit ad inferos. . . . . . 262

Homilia Secunda.

De variis figuris, quae olim triumphalem Christi Domini Resurrectionem praesignaverant, ac de multis naturae symbolis, quibus facilior redditur huius reconditi mysterii fides. . . . . . 264

Homilia Tertia.

Christum Dominum sua virtute ad vitam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

resurrexisse immortalem, multa ac selecta Scripturae loca, varia, accurataque eruditione elucidata comprobant 269

Homilia Quarta.

Multis sacrarum litterarum testimoniis pulchre explicatis, resurrectio Christi Domini illustratur . . . . . . . 274

Homilia Quinta.

Nervosae rationes adducuntur, urgentissimaque argumenta multiplici eruditione illustrata, ad comprobandam, et suadendam Christi Domini resurrectionem, in illa verba: Praebuit seipsum vivum in multis argumentis . . . 278

Homilia Sexta.

De victoria, quam Christus Dominus in triumphante eius resurrectione tulit de triplici hoste, Daemone, Morte, et Inferno . . . . . . . . . . 281

Homilia Septima.

Sub congrua satis solis, et stellarum metaphora, de Christi Domini resurrectione, et eorum, qui cum illo surrexerunt, concinne disseritur. . . . . 283

Homilia Octava

Quod beatissima Virgo prima fuerit, cui Christus Dominus post resurrectionem gloriosus apparuerit, ac de singulari laetitia, quam tunc percepit. . . . 285

Homilia Nona.

Quam mirifice Christi Domini resurrectio nostrorum corporum resurrectionis spem erigat, ac fiduciam praebeat, multis sacrorum voluminum monumentis egregie illustratis stabilitur. . 288

Homilia Decima.

Christi Domini resurrectionem in carne exemplar esse, ad cuius normam spiritualis nostra resurrectio fieri debet, multiplici eruditione disseritur. . . 291

Homilia Undecima.

De universali omnium laetitia, quam mundus ex Christi resurrectione percepit . . . . . . . . . . . . , 294

Homilia Duodecima.

De variis circumstantiis comitantibus resurrectionem Christi Domini, ut quod in Dominica resurrexerit, in aurora, in diem tertium illam distulerit, Angelus apparuerit iuxta sepulcrum, terraemotus magnus fuerit, prae timore custodes ceciderint, in specie hortulani, et peregrini Christus comparuerit, ac tandem qui fuerint illi, qui cum eo resurrexerint . . . . . . . . . . 297

Homilia Decimatertia.

Cur Cristus post resurrectionem clavorum, et lanceae signa in suo corpore asservaverit, multiplici eruditione disseritur . . . . . . . . . . . . 302

Homilia Decimaquarta

Varia, ac multiplici Sanctorum Patrum, et aliorum doctorum interpretatione explicantur verba illa Christi Domini in die resurrectionis suae ad divam Magdalenam dicentis: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem, Io. 20. . . . . . . . . . . . . 305

## LIBER DECIMUS QUINTUS.

### DE ADMIRABILI CHRISTI DOMINI ASCENSIONE, ET EIUS ARCANIS.

Homilia Prima.

Gloriosa Christi Salvatoris nostri Ascensio plurimis figuris, ac singularibus sacrae Scripturae locis pulchre explicatis illustratur . . . . . . . . . . . 307

Homilia Secunda.

Aquilae metaphoram Christo in coelum ascendenti adaptamus, perplura quae in ea latent arcana detegere incipientes 310

Homilia Tertia.

Aquilae metaphoram prosequimur, variis sacrae Scripturae locis pulchre illustratis illam locupletantes . . . . . 313

Homilia Quarta.

Triumphantis Ascensionis Christi Domini singularis maiestas, ac triumphi illius inaudita pompa, et apparatus varia sacrae Scripturae eruditione pulchre describitur . . . . . . . . . . . 317

Homilia Quinta.

Prosequimur Christi in coelum ascendentis triumphum, pariterque ostendimus, quam ei gloriosa, et nobis proficua eius Ascensio extiterit, in illa verba: Et nubes suscepit eum ab oculis eorum 321

Homilia Sexta.

Christi Domini mirabilem Ascensionem longo intervallo antecellere reliquas omnes ascensiones, quas tam humanae, quam divinae recolunt historiae, palam fit . . . . . . . . . . . . 324

Homilia Septima.

Christi Domini Ascensionis splendidissimum triumphum prosequimur, in illa verba: Sedet a dextris Dei, quae multiplici tam sacrarum, quam humanarum literarum eruditione explicantur, simulque aperitur, in qua empyrei coeli parte Christus Dominus thronum suum locarit, et an sedens, vel stans in eo resideat. . . . . . . . . . . . . 326

Homilia Octava.

Prosequimur aliter clarissimum Ascensionis Christi triumphum, palam facientes, quibus honoris indiciis tum a Patre, tum ab Angelis, et aliis creaturis in coelum exceptus fuerit . . . . 329

Homilia Nona.

Multis sacrae Scripturae locis pulchre elucidatis ostenditur viam, per quam Christus Dominus in coelum ascendit, fuisse humilitatem, ac proinde hanc eandem viam nos ingredi oportere, si cum Christo illuc conscendere cupimus. . 334

Homilia Decima.

Sub metaphora ducis omnibus in re militari numeris absoluti de Christi Domini Ascensione agitur, et pleraque alia ad idem mysterium spectantia multiplici sacrae Scripturae eruditione exornata subiiciuntur . . . . . . 338

Homilia Decimaprima.

Ascensionis Christi Domini mirabiles fructus incipiunt recenseri, inter quos primum connumeratur augmentum fidei, spei, et charitatis . . . . . . 341

Homilia Decimasecunda.

Fructus varios Ascensionis Christi prosequimur, pariterque ostendimus, quam illa universi coeli, terraeque incolis alacris, daemoni infesta, et inferno lugubris fuerit . . . . . . . . . 343

Homilia Decimatertia.

Multiplici eruditione, et conceptuum varietate explicantur verba illa: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Iesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis . . 348

Homilia Decimaquarta.

Multis sacrae Scripturae locis Christi Ascensionem pulchre illustrantibus, ingentique conceptuum copia verba illa elucidantur: Dominus quidem Iesus, postquam loquutus est eis, assumptus est in coelum . . . . . . . . 354

Homilia Decimaquinta.

Multiplici conceptuum varietate exponuntur sequentia illa eiusdem Evangelii verba: Euntes praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo Daemonia eiicient, linguis loquentur novis; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt . . . . . . . 358

## LIBER DECIMUS SEXTUS

Homilia Prima.

Processio Spiritus sancti, et illius in animis iustorum habitatio multiplici sanctorum Patrum eruditione declarantur. 365

Homilia Secunda.

Spiritum sanctum esse cor Ecclesiae, et quibus de causis ita nominetur . . 369

Homilia Tertia.

Spiritus sanctus cum aere comparatur, et rationes comparationis aperiuntur. 371

Homilia Quarta.

Quam convenienter Christus Spiritum sanctum nobis sub figura ignis miserit, et quare sub igne descendente, quum naturae eius proprium sit ascendere. 375

Homilia Quinta.

De causis, ob quas Spiritus sanctus in forma linguarum, et ignis ad Apostolos descenderit . . . . . . . 378

Homilia Sexta.

Inter alias causas, ob quas Spiritus sanctus in linguis igneis advenit, eam non infimum locum tenere, erudite ostenditur, ut maledicorum, ac murmurantium linguas igni, quasi cauterio compesceret, corrigeret, ac reformaret . 382

Homilia Septima.

Quam mira sit proportio inter corporei huius mundi opificium, et catholicae Ecclesiae fabricam: et quid in utriusque constitutione Spiritus sanctus effecerit, egregie describitur . . . . 384

Homilia Octava.

Multiplici eruditione exponuntur Moysi verba: Spiritus Dei ferebatur super aquas, pariterque ostenditur divini huius Spiritus proprium esse conferre animae nostrae foecunditatem, qua bonorum operum foetus generantur . 387

Homilia Nona.

Perpulchre enucleantur verba Sapientis: Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. . . . . . . 390

Homilia Decima.

Proprium esse Spiritus sancti animis nostris afferre concordiam: et quantum illa in quovis hominum ordine, ac vitae genere valeat, praesertimque in Religionibus . . . . . . . . . . 393

Homilia Undecima

Apostolos in die Pentecostes fuisse in gratia confirmatos, et magnam esse hujus confirmationis Apostolicae convenientiam cum ea, quae fit per sacramentum confirmationis . . . . . . 301





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## NOTA

*prae oculis necessario habenda in hoc vol. evolvendo.*

---

Usque ad pag. 199 huius vol. numerus progressivus recte procedit : verum a pag. 200 error invaluit, Correctoris incuria , qui, ut emendaretur, opus fuisset denuo omnia folia typis imprimi ; nam pro numero 200 rursus indicatur a pag. 100, et sic usque ad finem prosequitur. Nos in capitum et materiarum indice, quoniam aliter fieri non poterat, citationes recte notavimus, quasi nullus error locum habuerit. Hoc benevolus lector prae oculis habeat.

Alii errores huc illuc invaluerunt in titulis positis in fronte earumdem paginarum. Praedictus foliorum Corrector suam diligentiam tantum in emendandis erroribus corporis scripturae adhibuit, et de titulis, paginisque sollicitus nequaquam fuit.

# INDEX

# RERUM OMNIUM

### COPIOSISSIMUS ET AMPLISSIMUS

---

*Prior numerus paginam, posterior columnam notat.*


Abarca Sancius rex natus matris per apertum foramen vulneris 148.1.
Abeston lapis apud Plinium, cuius naturae 293. 2. conceptus ignis in eo numquam extinguitur. ib. perseverantiae symbolum ib.
Abortiri qui facit animam, poenam expectet à Deo 390.1.
Absalon percussus tribus lanceis figura Christi vulneris a lancea inflicti 147.1. eius stratagema ut patrem e regia sede deturbaret, mansuetudo erga subditos 349.2.
Abyssus quasi a. et byssus, sine candore, et pulchritudine ex Lyra 388.1.
Achab mortuus est stans 199.1. figura Christi in cruce morientis ib.
 Percussus inter pulmonem et stomachum figura Christi vulnerati lancea 247.1.
 R. Accana epistola ad Neumiam filium de Christo 208.1.
Acerbitas dolorum Christi summa fuit ex D. Bonaventura 40.1.
Adam ideo dictus a Deo , quia praevidit illum terrae adhaesurum 331.2.
 In paradiso creatus a Deo stans, non iacens, aut sedens 329.2.
 In Calvariae monte formatus 103.1. in eodem mortuus et sepultus, ib. ex Basilio a Noe cognitus locus ib. d. Hieronymus suffragatur huic sententiae 103.2. Auctoris sententia, ib.
Adorantes et orantes faciem ad Orientem quare convertamus III. 2.
Adventus Christi in mundum celer , regressus in coelum lentus, et quare 354. 2.
Adulter praedicator Evangelicus, quis 358.2.
Aeris duplex regio 22.1.
Aere patrio recreantur infirmi incurabiles, ex Gal. ibi. segregat unita : ignis congregat dispersa ex Arist. 376.2. Contiguus sphaerae ignis, si ita condensaretur ut minorem locum occuparet, ignis ipse descenderet, et quomodo. 378.1.
 Elementum omnium communissimum. 372. 2.
Ædificium Ecclesiae catholicae ex tribus legibus: lex naturae iecit fundamenta, lex scripta parietes , lex gratiae ultimam manum, et aurea lacunaria. 191.2.
Ægyptii armorum sive insignium loco ferocisisimos dracones adhibebant. 211.1.
Æneae statuae victoribus , aut singularibus patriae benefactoribus erectae à Romanis. 174.2.
Æsculapio gallum singulis annis offerri legavit Socrates philosophus. 370.2.
Affectus varios in animos nostros inducit Spiritus sanctus. 377.2.
Agamemnonis praeclarum dictum. 359.2.
Agni paschalis ossa non comminuenda , quid 5.1. neque intersecanda, vel dividenda ex Lactan. Minutatim dividi debebat. ib.
Agonia apud Lucam, quid significet in Christo. 27.2. fuit colluctatio sensus , et naturae Christi delicatissimae. ib.
Agonalia apud Romanos. 28.1.
Agrippa Rex Iudaeorum sputis, et alapis delusus 83.2.
Alba veste Archelaus Rex indutus in templum venit. 59.1. Item Scipio Africanus. ex Gell.
 Rei eam induere prohibebantur. ib.
 Christus indutus divino iudicio: Salomon ea usus. ib.
Albani nullam olim , vel minimam de mortuis curam habebant. 255.2.
Albertus de Austria conditiones optimi ducis exequitur. 339.1.
Alcibiadis Thebani clypeus. 73.2.
 Vox contra Melchiadem. 115.1.
Alexander sagitta percussus cognovit se non esse filium Iovis. 83.2.
 Magnificentia solventis omnia debita militum suorum. 209.1.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Fiducia in suum medicum ex Orof. 172.2.
Liberalitas in Perillum. 175.2.
Numisma facie sua pellem exuviasq. leonis habens supra caput impressit 268.2.
Sepulchri epitaphium. 272.2.
Duces quos elegerit. 359.2.
Flammis circumfundi visus dum praeliaretur. 276.1.
Alleluia canticum in resurrectione Christi cantatur a S. Eccles. 266.2.
Altare ex uno loco ad alium delatum iussu Dei purpura induebatur. 68.2. figura Christi induti purpura. ib.
Altaria duo in templo iussu Dei extructa, et quid ostendant. 351.2.
Altare iussum fieri non solidum, sed inane, et cavum intrinsecus, et quid. 393.1.
Amaranthus herba nusquam marcescit. 522.
Aman in cruce appensus clavis confossus fuit. 112.1. Ab Assuero Rege donatus annulo 318.2.
Amantes simulanter Æsopo caninam rei assimilati 250.1.
Amatores huius saeculi aberrant non imitantes Christum. 336.2.
Ambitio unitatem animorum, et charitatem perturbare solet. 400.1.
Similis vento intra terram occluso, et erumpenti, ibid. multorum malorum causa ib.
Amen respondebatur in lege vet. maledictionibus, non autem benedictionibus, et quare. 175.1.
Amen, idem quod, ita sit. ib.
Ammonitae adeo avari, et cupidi Galaaditarum feminas praegnantes trucidarunt. 390.1.
Amicus verus amici peccata non simulat, sed reprehendit. 353.2.
Amicitia constans, et firma concordia inter membra et corpus totum. 394.1.
Amor differt a cognitione. 388.1.
Amygdalus prima omnium floret. 166.1. Virga Aaronis floruit omnium prima. ib.
Angelus apparuit Christo oranti in horto. 26 Gabrielis verba quibus illum confortatus fuit, incertum. 27.1.
Angelis etiam profuit Christi sanguis, et quomodo. 210.2.
Angeli 4. conditiones 4. Christi dotes praesignant. 200.1.
Ad Tobiam missus figura Christi, et quomodo. 308.2.
Ante Deum stant, sancti vero sedebunt et quare. 310.1.
Ianitor paradisi, et custos igneo in manibus ense per Christum sublatus. 316.1.
Angelicarum hierarchiarum nomina, etymon, officia, et proprietates. 3.2.2.
Angelicus mundus. 393.2.
Anima Christi separata a corpore, Verbum tamen divinum non separatum ab alterutro extremorum 164.1.
Animae familiarium et cognatorum 30. diebus deploratae ab antiquis, quas postea a Cyllenio suscipi putabant. 14.2.
Animae iustae ad manus Dei redeunt. 196.1. A spiritu differt. 197.1.
Animarum debellatio expugnationi regnorum similis. 359.2.
Quam incolit Spiritus sanctus, vim sibi inferre debet, resistendo illecebris peccatorum. 371.1.
Animae, dum iustificatur, gratia et charitas infunditur, et ipsemet Spiritus sanctus cum Patre, et Filio donatur. ex Conc. Trid. 368.2.
Tunc est Spiritus sancti sponsa, quando frequens est in bonorum operum exercitatione. 395.2.
Nostrae animae et Spiritus sancti multiplex convenientia, et cognatio. 394. et seq.
Animalis vita in qua parte corporis rasideat cotroversum inter Philosophos. 248.1.
Animalia quatuor bene et feliciter gradientia. ex Salom. 318.1.
Animi Apostolorum constantiam futuram ostendit Spiritus sanctus sub ignis forma super illos descendens. 376.2.
Annas non erat Pontifex anni illius, quo Christus captus fuit. 40.2.
Anulus a Salomone ferebatur duplici corona, spinea, et aurea inter se contextis, cum inscriptionibus. 74.1.
Anuli antiquorum insculpti aliqua re insigni, ex qua apud posteros innotescerent. 165.1.
Apud antiquos insigne Regum. 318.2.
Annus benignitatis Dei quis. 386.1.
Antheus gigas Neptuni et Terrae filius. 322.1.
Per anticipationem plaries loquitur Scriptura. 380.1.
Antigoni Macedonum Regis dictum. 360.1.
Apostolis Christus insufflans Spiritum sanctum, propria respiratione suavissimum communicavit odorem. 280. 2. ex D. Vincent.
Eo in loco confirmati, in quo Christus confirmationis Sacramentum instituit. ibid.
Veluti pulli aquilae in die Ascensionis Christi. 307.2.
Ipsi, aliique Christum ascendentem altius, atque altius viderunt secundum sanctitatis suae gradum. 308.1.
Episcopi constituti a Christo tamquam praefecti et duces universales. 314.1.
Christo cum eis degente, modicae fidei fuerunt, post Ascensionem vero eius columnae solidae. 341.1.
Laetati ob Christi Ascensionem. 340.1.
Discumbentibus apparuit Christus. 318.2.
Similes agricolis. 357.1.
Veluti naves vento huc atque illuc impulsae a Spiritu sancto. 373.1.
Eorum arma fuerunt linguae dispertitiae a Spiritu sancto illis communicatae. 301.1.
Qua veste induti a Deo. 387.1.
Per adventum Spiritus sancti gratia communiti, et in ea confirmati. ib.
Aquae, super quas ferebatur Spiritus Domini, materia prima alii elementa. 388.1.
Aliarum foecunditas per Spiritum sanctum. 388.2.
Romanorum insigne regale. 311.2.
Similitudo cum Christo non parva, ex D. Max. 312.1.





Aquilae, nycticoracis oculi dissimiles. 364.2.
Aquisgrani servatur et colitur linteum, quo Christus e Cruce suspensus coopertus fuit. 106.1.
Arcam testamenti per viam praecones praecedebant per media castra 99.1.
Arca Noe diluvii aquis oppressa figura Christi morientis in Cruce 200.1.
Argenteis 30. Christus, 20. Ioseph venditus, et quare. 11.2.
Ardor Spiritus sancti in Apostolos perpetuo duraturus igne illo ostenditur. 376.2.
Arma hostium victores in gloriam suam gestabant 75.2.
Armus arietis cibus regius. 96.2
Arundinis natura 79.2.
Assuerus intravit in hortum, ut Aman perderet, et populum Dei salvaret, figura Christi in horto. 18.1.
Attritio in sacramento poenitentiae disponit hominem ad gratiam Dei impetrandam. Conc. Trident. 23.1.
Aves rapaces a sacrificiis reprobatae, quia unguibus iniuriarum acerrimae vindices sunt. 165.1.
Balthasar in coena correptus a Deo. 348.1.
Baptismus a D. Paulo spiritualis sepultura dicitur. 250.2.
Barba prolixa indicium boni viri apud quosdam. 83.1.
Barbam evellere opprobrii signum. ibid et 83.2.
Barba non radenda. ex Levit. ib.
Basilisci natura. 47.1.
Basilica a basilisco. ib.
Palatia Regum, et Imperatorum ita appellantur. 47.2.
Basiliscus in petram virus evomens, illam scindit. ibid. ex Aeliano 47.1.
Galli cantus contra illum praesentissimum est remedium. 47.2.
Basilisci caput accipitris alas habens, hieroglyphicum Aegyptiacum cum inscriptione oculi divini. 52.1.
Basilisci ova avis incerta fovet, quae tamen a pullis nascentibus enecatur. 336.1.
Basilidis error, dicentis, Simonem Cyrenaeum loco Christi crucifixum, et mortuum fuisse. 205.2.
Belial idem significat quod rhamus. 77.2
Bellerophon Glauci Regis Epyrae filius ad coelos volasse fingitur a Poetis. 324.2.
Benadad Rex Syriae in praelio victus ab Achab, industria seu astutia, ut illum sibi placaret. 85.2.
Benedixit Christus terrae mittens Spiritum sanctum. 386.2.
Biae philosophi in communi totius civitatis incendio dictum. 98.2.
Bofra, praecipua Moabitarum civitas. 320.2.
Botrus ex ligno pendens, figura Christi in Cruce. 200.2.
Brachia Christi in Cruce extensa arcus aereus. et ex Psalm. 117.2.
Brachium Dei forte. Iob. 4. Dei filius intelligitur a Greg. 309.1.
Brutus Iunius terram deosculatus, ut Romanorum regnum obtineret. 21.1.
Byssinis vestibus uti solis sacerdotibus apud Aegyptios licebat 319 1.
Cadere retrorsum, verbum conveniens impiis in Scripturis. 34. 1.
Cadaver vocari potest qui in peccati mortem inciderit, ex D. Greg. 312.2.
Caesaris in Senatu vulnerati contra M. Brut. dictum. 46.1.
Ducis optimi conditiones praestitit. 338.2.
Cajus Imperator occisus, quia voluerit coli, ut Deus. ex Phil. et Sveto. 334.1.
Caladrion, vel Caradrio avis mira virtus ex Aeliano. 51.1.
Caligulae ambitio maxima. 400.2.
Calor Christi omnes illuminat, et quomodo. 339.2.
Calvariae mons a calvaria Adami. 103. 1.
Golgotha ab Evangelistis dicitur. ib.
Moria alio nomine, in quo Isaac immolari iussus. ib.
Calvini error, quod Christus in cruce desperaverit, confutatur. 184.185
Calvinus pium funeris opus irridet. 255.2.
Cambysis Cyri filii factum. 53.2.
Camelus reprobatus a sacrificiis, et quare 165.1.
Canum linguae salutiferae sunt vulneribus. 381.1.
Canes Apostoli, ideo linguae dispertitae illis communicatae. 381.1.
Capreae peculiare per aures respirare. 347.1.
Capita Deorum veterum pretiosissimis metallis redimita, Iovis oliva. 73.1.
Capite tantum coronato, coronatur tamen totus homo. 342.2.
Caput Ecclesia Christus. 369.1.
Carceris claves habuit Ioseph. 273.2.
Carex idem quod iuncus, scirpus ex Plin. caricosum dicitur mare rubrum. 70.1.
Caro Christi ex unione ad Verbum impassibilis, et immortalis futura erat, ipse tamen passibilem, et mortalem se fecit, et quomodo. 207.1.
Caro Christi mortua in passione. 176.2.
Caro Christi peccati incapax, quia unita divinitati 321.2.
B. Catharinae de Senis desiderium, quo flagrabat martyrij. 19.2.
Catulus leonis recens natus dormit per tres dies, et totidem noctes, tertia die leaenae matris rugitu tremefactus excitatur. 269.1.
Cedron torrens quo fluit. 16.1.
Centurionis confessio prodigium maius ceteris in die passionis Christi. 215.1.
Eius erat agnoscere, ne vivus quis crucifixus deponeretur de Cruce. 144 2.
Ceremoniae, et ritus quibus Reges olim coronabantur. 77. 2.
Cervicalia sub capite ad capiendas animas quidnam. 358.2.
Cervi duae proprietates. 175.1.
Cervarum partus difficillimus. 389.2.
Charitas Christi in Cruce orantis pro inimicorum absolutione. 162.1.
Chimaera apud Poetas quid. 174.1.
Chlamys coccinea quid. 67.2.
Christus dicitur Arcus ab Habacuc. 164.1.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ut homo renuit bibere calicem passionis, 19.2.
Portio superior, et inferior voluntatis in eo. 20.2.
Osculatur terram plures ob rationes 21.1.
Tristitia in eo summa coniuncta summo gaudio quia beatus ab instanti conceptionis. 21.2.
Non erat passio, sed propassio, neq. impediebat usum rationis neque anteibat illam. 22.1.
Tristatus est, et pavit, et quare. 23.1.
Confortatus ab Angelo Gabriele. 26.1.
Quibus verbis, incertum. ib.
Figura huius Ionathas confortans David. 26.2.
Oravit in horto. ib.
Sanguinem proprium, et verum sudavit. 28.1.
Non naturaliter, sed supernaturaliter. 28.1.
Figurae huius rei. 29.2.
Captura haec figurata pluribus in locis. 37.1.
Iniurias multas passus Christus a militibus. 38.1.
Ligatus fuit manibus, et quare. 39.1.
Ad Annam ductus, et quare. 40.2.
Per portam auream alias probaticam, vel ovium portam templo proximam. 41.1.
In torrentem Cedron praeceps datus. ib.
Alapam accepit a Malcho, cui prius restituerat auriculam abscissam. ib.
Praedicta a Prophetis, et Sibylla Erythraea, et cur percussus alapa. 41.2.
Digitorum eius impressa signa in ore Christi. ibi. cur alapam accepit 42. 2.
Illusus tacet, flagellatus silet, alapa percussus conqueritur, et quare. 43.2.
Flagellatus fuit pluries, licet ab Evangelistis non scribatur. ib.
Missus in lacum quendam inferiorem. 44.1.
Testamentum a Christo conditum diversis suae vitae temporibus. 193.2.
Vetus mutatum a Christo in quibusdam partibus, et clausulis. ib.
Duodecim Apostoli testes legitimi 194.1
Illius facta. 194.2.
Conditiones testamenti in eo adimpletae. ib.
Clamans commendavit animam suam. 195.2.
Spiritum commendavit, non animam. 197.1.
In Cruce immolatus, figuratus a multis. 197. et seq.
Tres circumstantiae illius: praecipuae extra portam passus. 201.2.
Ad Occidentem directe respiciens. 204. 2.
Etiam in sepulchro iacens caput Occidentem versus posuit. ib.
Mors eius gloriosa ex triplici capite contra Ethnicos 106.2.
Voluntaria magis, quam ceterorum hominum. 207.1.
Fideiussor ab Ecclesia dicitur, et ideo poenam rei sustinuit. 209.1.
Pacificavit per sanguinem suum hominem cum Deo. 210.1.
Profuit hominibus, et Angelis, quomodo. 210.2.
Alii fructus. 211.1.
Iudicibus coram adducitur, ut eius innocentia magis elucesceret. 56.1.
Ad collum catena vinctus. 56.2.
Ad Pilatum ducitur, saecularem potestatem, et quare. ib.
Triplicis accusatione delicti falso accusatur. 57.2.
Christus, et Barabbas quasi duo hirci immolandi. 60.1.
Acerbissimis flagellis a Pilato vapulavit. 61.1.
Expoliatus omnibus vestibus, ac nudus. 62.1.
Ad columnam ligatus, manibus post terga revinctus, triplici flagello, virgarum, funium, et ferrearum catenarum. 63.1.
Numerus ictuum varius ex variorum sententia. 64.1.
Adeo crudelis flagellatio, ut costae albae viderentur. 64.2.
Prophetiae de illa. 65.2.
Cur ad columnam voluerit flagellari. ib.
Fructus huius flagellationis. 66.2.
Purpura vili et sordida induitur a militibus. 67.2.
Ad infamiam, et illusionem data. 69.2.
Corona spinea in modum pilei compacta coronatus ib.
Coronationis figurae tres in leg. vet. 70.2.
Ob hanc coronationem spineam dignus fuit omni genere coronarum victorum. 74.1.
Quare voluerit coronari. 72.2.
Digniorem locum obtinuit corona inter instrumenta passionis, quia capiti fixa. 78.2.
Figura huius anulus a Salomone gestari solitus, aliae figurae. 79.2.
Passionis Domini signum praeclarum. 77.2.
Modus quo imposita fuit corona. 78.1.
Arundo in manu ejus posita a Prophetis non praedicta, et quare 79.2.
Vultus eius velatus, et quare. 81.2.
Oculi modestissimi cur velati. 82.1.
Sputa et salivae in faciem eius proiectae 82.2.
Colaphos sustinuit. 83.1
A Platone descripta passio Christi sub velamine ex Clem. Alex. 86.1.
Accusationes Iudaeorum contra illum ib.
Crux Christi, de qua materia. 91.2.
Fraxinus, an taxus fuerit. ib.
Ex quatuor lignis iuxta Bedam. 92.2.
Varietas arborum diversitatem gentium designavit, ex quibus Ecclesia constituitur. 93.1.
Quercus fuit ex auctoris sententia. 94.1.
Crucis sarcina pondus grave, sed gravius pondus peccata nostra. 95.2.
Crucis figura ab eo latae. 98.1
Buccinator et praeco antecedebat. 98.2.
Stimulis a Iudaeis urgentibus defatigatus 99.1.
Inter duos latrones medius ductus tanquam insignior. 100.2.
Simon angariatus ut ferret Crucem, quia timebant, ne deficeret in via. ib.
Post Iesum, non ante, et quare. 101.2.
Crucis locus medi. terrae quomodo dicatur. 102.1.





Golgotha medius terrae Hierusalem. 103.1.
Mons est, ubi Isaac immolari iussus. ib.
Calvariae dictus a calvaria Adami. ib.
Myrrhatum vinum ei propinatum. 104.1.
Duo pocula fuere. ib.
Noluit bibere, quia renuit omnem consolationem. 105.1.
Denudatus, et qualiter. 105.2.
Prophetiae de eo. 106.1.
Totus denudatus a militibus, sed a B. Virgine linteolo proprii capitis velatus. ib.
Cruci an affixus fuerit humi iacenti, seu erectae, incertum. 106.2
Clavis confixus ferreis 107.2.
Vere crucifixus Christus, non Simon Cyrenaeus. 107.2
Manus et pedes, vulnerati clavis. 109.1.
Clavi fuerunt quatuor, non tres. 110.1.
Corona spinea redimitus Cruci affixus. 111.1.
Ad Occidentem versus faciem habuit conversam. 111.2.
Latrones cum eo cruficixi etiam clavis. 112.1.
Cur inter duos latrones. 112.2.
Crucifixus fuit decima quinta die primi mensis. ib.
Inter tertiam, et sextam horam, scilicet prope meridiem. 113.1.
Milites diviserunt vestimenta in quatuor partes, tunicam vero inconsutilem sorte definierunt. 113.2.
Cur solliciti in hac divisione. ibid.
Quid significet ista divisio. 114.1.
Rationes plures ob quas crucifigi voluit. 114 et seq.
Mori elegit in aere, et quare. 115.2.
Ut satisfaceret pro peccato primi parentis commisso in ligno. 116.1.
Manibus extentis atq. confossis super Crucem ut Patris mandatum impleret. 117.2.
Eius Crucis figurae et imagines plures in lege veteri. 120 et seq.
Crucis supplicium turpe, abiectum, et infame apud veteres. 151.2.
Christo in ea suspenso, omne dedecus et ignominia in gloriam summam conversa 152.2.
Quesita a B. Elena ex divina revelat. 157.1.
Repertus vero locus Iudae manifestatione. ib.
Verba septem in Cruce prolata. 160.6.
Liberalitas eius in latronem. 176.1.
Matrem appellat mulierem in Cruce, et quare. 179.2.
Commendat matrem discipulo Ioanni. 182.1.
Clamavit voce magna. 185.1.
et quare conquestus ex Beda, et Origen. 186.5.
Non desperavit, ut Calvinus dixit. 184.2.
Quo pacto derelictum se dicat a Patre. 186.2.
Sitivit, et qua siti, corporali, an alia, servo assimilatus. 187.2.
Cur potius expressit sitim, quam dolores illos corporis 188.1.
Consummatum est, octo consummationes a Christo factas continet. 190.2.
Prodigia et, signa in eius morte facta de coelo, quae Iudaei petebant, sed non crediderunt: solis ecclypsis praedicta a prophetis. 211.2.
Cur facta illa prodigia. 113.2.
Centurionis confessio signum maius. 215.1.
Daemonum oracula a tempore mortis illius cessaverunt. 116.1.
Foramen quoddam apertum in monte Calvariae a sinistris Christi, quod usque ad inferos dilatatur. 116.2.
Vivens mortuos, et mortuus seipsum solus Christus suscitavit. 271.2
Epitaphium eius sepulchri. Surrexit, non est hic. 272.2.
Vas aureum plenum rore coeli optime clausum 274.1
Gladium è manibus Cherubin Paradisi portis praefecti fortiter eripuit. 207.2
Aquilae similis. 207.2.
Spolia multa collegit ex humani generis hoste. 208.1.
Non in instanti aut momento, sed cum temporis intervallo contigit, figurae 208.209.
Propriae virtutis viribus ascendit. 210.1.
Ascensio, fructus passionis. ib.
Ascendens Christus tamquam primitiae generis humani pulcherrimus, atque suavissimus fructus fuit. 210.2.
Demonstrata per vexillum Dan sub Aquilae coronatae campo candido. 211.2
Eius regnum in tres partes divisum a D. Paulo ad Philipp. 2. 213.2
Ab Ecclesia admirabilis non sancta dicitur. 215.1.
Similis herodio animali in Nativitate, Passione, atque Ascensione. 215.2.
Currus eius qualis. 219.2.
In auferendis armis ab hostibus, daemone, carne, et peccato, quomodo se gessit. 222.1.
Nubes in Ascensione suscepit eum, ut ostenderet illum non esse purum hominem. 223.1
In omnibus operibus divinitatis umbram demonstravit. 223.2
Ascensio Christi credentibus profuit. ibid.
Mysteria, quae de Christo praedicat Ecclesia, superant fabulas poetarum, et figmenta. 224.2
Non aliis artificialibus, sed propria virtute, et vere, non falso ab Ecclesia celebratur. 225.1.
A dextris Dei sedet, quia aeternus Pater illum in throno suae maiestatis posuit. 227.1
Super coelos ascendit, neque in sole substitit, ut quidam haeretici delirant. 228.2
Corpus eius et plantae pedis supra convexam coeli empyrei superficiem existit. 228.2
In medio convexae coeli empyrei superficie thronum posuit, ex auctoris sententia. ib.
Stat erectus, quia id gloriosi corporis perfectioni magis convenit. 229.1
Triumphi in Ascensione conditiones, et excellentiae. 229.2

Honores, quibus eum prosecutae omnes creaturae mundi. 230.1
Daemones a maiestate illius conterriti, ibid. ac fugati 231.1.
Hierarchiae Angelorum summum, quem potuerunt honorem, detulerunt ascendenti. 232.2
Ad dexteram Dei collocatus. 233.1.
Omnia imperio illius subiecta. ib.
Perpertui honores. ib.
Christi humilitas adeo maxima, ut aequari non possit. 235.1
Replevit coelum animabus sanctorum Patrum, replevit terram gratia Spiritus sancti. 235.2
In humilitate suae Crucis ab inimicis laudatus, in signis et miraculis nequaquam. 236.2
Quousque humiliaverit se. 237.1
Ducis titulo praecipue vocatus. 239.1
Ducis partes exequutus. ib.
Iovis die ascendit ob plures causas. 240.1
Meridiano tempore. ib.
De lapide elevatus, qui abrasus, nunquam minuitur, ex Tertull. 240.2
Ut magnes trahit nos ad coelum. 242.1
Laetatus est Deus Pater ob illius Ascensionem. 243.2.
Coronae, qua coronatus ascendit, varia nomina. 244.1.
Clausula felix itinerarii Filii Dei ex D. Ber. ib.
Vita eius, ut liber calamo velociter scribentis conscriptus. ib.
Ascensio eius sigillum operum. ib.
Uti missa solemnis cum suis partibus. ib.
Corporis Christi locus proprius. 245.2.
Nobilis prae omnibus ibid.
Consolatus est Apostolos discessurus ex amore. 246.1.
In coelo orat pro peccatoribus, et qualiter. 246.2.
Ut pulmo cor refrigerat, sic Christus Patrem iratum. 247.1.
Ascendemus uti ille ascendit. 247.2.
Eius vestimenta iusti, ex Isa. ib.
Ascendit, ut pro nobis coeli possessionem caperet. ib.
Diabolum omnino conculcavit ascendens. ib.
Quare post Resurrectionem discubuit. 248.2.
Increpavit discipulorum incredulitatem. 252.1.
Amicus verus Apostolorum. 252.2.
Ascensio modo active modo passive explicatur in Scripturis et quare. 254.2.
Commiseratio erga peccatores in cruce duplex. 10.1.
Christus, nomen commune regibus: sed Christus Dominus, vel Domini, de Christo tantum dicitur. 37.2.
Oculorum mirabilis virtus. 150.1.
In cruce exaltatus omnia traxit ad se. 117.1.
Liber scriptus, et qualiter. 149.1.
Liber vitae. ib.
In cruce maxime liber apertus. 150.1.
Gloria domus Dei, et Dei ipsius dicitur. ib.
Iudicaturum praecedet crux exaltata in coelum. 155.1.
Medium semper elegit locum. 201.1.
Praevisus prius quam Angeli. ibid.
Sponsus coronatus. 220.2.
Rex per antonomasiam 222.1.
Speciosus prae omnibus hominibus, quibus gratiis. 223.2.
De naturali. ib.
Effigies, forma corporis, et alia. 223. 224.
A pictore non potuit exprimi. 224.2
Speciosus in cruce. 225.2.
Et spinis coronatus. 226.1.
Pulchram Ecclesiam facit, ut sol lunam. ibid.
Magnus propheta. ib.
Eloquens nimis. 226.2.
Benedictus a Deo. 227.1.
Fortissimus, et qualiter. 228.1.
Regnum eius fundatum in supposititii, et adventitii facie, et quale. 229.1.
Dilatatum, et quousque. 230.1.
Humanitas eius sub calceamento, et chirotheca notatur. ib.
Virtutes rege dignae in eo effulserunt. 230.2.
Triplici sagittarum genere in cruce pendens transfigit corda hominum. 232.1.
Deus Rex. ibid. - Regnum eius differt a ceterorum regum regno. 233.1.
Unctus uti Rex, et sacerdos, et propheta multipliciter. 234.2.
Nuptiae factae Christo, uti filio Dei, tres. 235.1.
Ornamenta eius uti sponsi. 235.2.
Vestimenta eius multiplicia. ib.
Myrrhae primae nomine dicitur eius passio ib.
Uti Deus sponsus adorandus. 231.2.
Christi, et Ecclesiae partos. 241.1.
Eius sepulchrum, seu sepultura,-vide sepulchrum, eius figurae. 254.1.2.
Eius corpus de cruce depositum fuit, non cum cruce in terram depositum. 256.1.
Ab omni corruptione liberum, sanctorum vero corpora nequaquam. 255.1.
A brachiis crucis ad brachia Virginis translatus. ib.
Gloriosus in morte, inglorius in vita. 258.1.
Principes regum e contra.
In sepulchro existentis anima descendit in sinum Abrahae ante resurrectionem. 262.1.
Viator, et beatus, ac comprehensor. ib.
Magni consilii Angelus ab Isaia dictus. 308.2
Tamquam verum Deum ab omnibus haberi, a Senatu enixe postulavit Tiberius Caesar, ex Tertull. 333.1.
Vir dicitur in Scripturis per antonomasiam, et quare. 375.1.
Mittens Spiritum sanctum, Ducis prudentissimi instar. 377.2.
Numero nequaquam clauditur, ut cetera creata. 379.2.
Perfectus undequaque. ib.



Opera in Ecclesia a Spiritu sancto absoluta 387.1.2.
Christianus verus probatur esse quis fide, et operibus, tamquam duobus testibus. 343.1.
Cicatrices veras in manibus, et pedibus post resurrectionem Christus gestavit. 303.1.
Mystica ratio. 304.1.
Civitates plures in Asia corruerunt tempore Tiberii, in die Christi mortis. 214.2.
Clavi crucis Christi a B. Helena reperti. 157.2
Missi ad filium duo. ib.
Clavis ferreis olim crucifigebantur. 112.1.
Clavis aurea apud sacerdotes aperiendi portas coeli per Christum. 316.1.
Clypei militum apud veteres ungebantur. 234.2
Clypeus a Iosue exaltatus contra regem Hai figura crucis. 134.1.
Facta in monte obscuro, et caliginoso, ob tenebras tempore crucifixionis. ib.
Caeci, et claudi fluminis ripam transgredi desiderantium, emblema ex Alc. 326.2.
Coeli spirituales ex planetis sanctorum. 2 3.2
Coeli habent scientiam vocis, id est narrant mirabilia Dei 391.2.
Coelestis mundus. 393.2.
Cohors apud Romanos mille super centum quinque militum. 32.1.
Cogitationes pravae veluti vermes serici. 335.2.
Quo pacto propulsandae. 336.1.
Malos vocat Evangelium serpentes. 363.1.
Iob latrunculos. 363.2.
Subtiles funes, nodus tamen earum non facile solvitur. ib.
Cognitio differt ab amore. 388.1.
Collum Ecclesiae B. Virgo Maria. 339.1.
Columba visa avolare ex templo die mortis Christi, Spiritus sanctus. 216.2.
Columna, ad quam Christus ligatus, quantae magnitudinis. 62.2.
Sustinebat templum. ib.
Pars allata Romam, pars in morte Calvariae, pars Constantinopoli. 63.1.
Columnae duae altissimae ad templi portas erectae ac malogranatis sculptae, amoris, et charitatis symbolum. 397.2.
Commessationibus vacans lapidibus obruendus, ex Deut. 348.1.
Compassio Christi capitis ergo sua membra, B. Virginem, Apostolos, SS. martyres, et Confessores. 28.1.
Concionatores in Ecclesia, quales esse debent. 359.1.
Adulteri concionatores. ib.
Concordiae symbolum quo pacto depictum ab Ægyptiis. 394.2.
Animorum concordia magnam affert reipub. laetitiam. ib.
Confirmationis sacramentum Apostoli non acceperunt, sed a Spiritu sancto confirmati. 401.1.
Institutum postquam coenavit. ib.
Materia est unctio ex balsamo, et oleo. ib.
Forma illius, Signo te signo crucis, etc. 402.1.
Alapa qua confirmatus percutitur ab Episcopo quid. ib.
Conformitas summa, et discordia summa in carne, et anima unitis, 352.1.
Congratulandum Christo ascendenti in coelum, et quare. 338.1.
Congregare Dux debet milites dispersos. 339.1.
Conscientiae puritas, et candor regula est certa frequentandi sacramentum Eucharistiae. 239.1.
Consilium Iudaeorum initum contra Christum daemon ipse exorditus est. 10.2.
Iudas non vocatus abiit ad illum. 11.1.
Consiliarios malos daemonis collum vocat Iob, 363.1.
Constantinus adhuc puer Imperatoris patris sui dextrae adstitit. 327.1.
Consummatum est 190.2.
Octo consummationes. 191.1.
Contradicere possunt, et debent quandoque fratres religiosi ad invicem. 397.1.
Contradictores multos Christus habuit ante vitam, in vita, et post resurrectionem. 7. et 8.
Contrarietas in rebus naturalibus innata ex Dei voluntate. 180.1.
Contraria spiritualia, Adae scilicet Christus, Evae Maria, arbori paradisi crux. ib.
Controversia orta inter misericordiam, et iustitiam peccante Adam in Dei tribunali num. 208.2.
Conversione in naturali termini duo sunt, a quo, et ad quem 230.1.
Spiritualis item talis esse debet. ib.
Conviviorum intemperantia, flagitiorum fomes, et origo. 348.1.
Cor in scripturis quandoque voluntatem significat, item intellectum. 321.2.
Cor depravatorum hominum, uti paries fodiendus ab Ezech. iussu Dei. 363.1.
Cordis et linguae proprietates ad invicem. 369.2.
Cor a cura dictum. 370.2.
Ossicula habet. 371.1
Cor Ecclesiastici corporis, et mystici est Spiritus sanctus, et quomodo. 369.2.
Core filii disertissimi musici. 219.1.
Core calvariam significat. ib.
Qui Psalmi eis dati ad decantandum. ib.
Cornicines insonabant cum miles ad portam Decumanam morte plectendus ducebatur. 98.2.
Coronarum apud vet. varia genera, ex Gell. 71.1.
Corona impleto anno ad fores Imperatoris appendi solita ob congratulationem. 72.2.
Coronas Deis in templo suspensas consecrabant. 73.1.
Coronabantur Dii iuncorum floribus. ib.
Coronatae victimae immolabantur apud omnes. 73.2.
Coronati lauro victores ad propria redeuntes. 74.1.
Symbolum eius, quod ad finem usque perducitur. ib.
Corona seu diadema in capitibus sanctorum, quid. ib.
Corona, et purpura regium indumentum. 67. 2.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Eius nota, seu character distinguit fideles ab infidelibus. 402.1.
Corona circumstans est in orbem populus. 75.1.
Corona vocantur discipuli a Paulo. ib.
Corona redimitos servos olim antiqui vendebant. 75.2.
Coronam ne scindas, Pythagorae adagium. ib.
Symbolum legis, ex Pythag. ib.
Quercina ei qui servasset civem. 95.1.
Eadem civica dicta. ib.
Coronae variae triumphantium. 386.1.
Quid ib. multiplex significatio. ib.
Coronato capite totus homo coronatur. 342.2.
Coronatur Pontifex Romanus, et Roma ubique luminibus claret. 330.2.
Corporis venustas ex tribus oritur, ex medicorum sententia. 223.2.
Corpora e ligno deponi non poterant apud Hebraeos inconsulto iudice. 255.2.
Sanctorum dicuntur resurrexisse ab Evangelista ante Christum, per anticipationem. 270.2.
Vel aliter ex D. Chrysost. 271.1.
Resurrectio non cognita a philosophis, sed animae immortalitas. 278.1.
Eius auctorem daemonem affirmabant. ib.
Impossibilem putabant. ib.
Loca Scripturae, quae illud probant. 278.2
Gloriosa miro odore fragrant, et quare. 280.2.
Plura sanctorum resurrexerunt Christo resurgente, et quare. 302.2.
Quinam fuerint, incertum. 302.1.
Nobiliori nobilior locus debetur. 345.1.
Corporis existentia a forma. 345.2.
Corporis Ecclesiae forma, et partes. 360.1.
Corpus Christi gloriosum omnis lassitudinis incapax est 329.2.
In coelo non sedet sed stat. ib.
Corvi, turdi, et psittaci a Siphone Carthaginensi edocti docere, Siphon Deus est. 354.1.
Credere Christo, et pro illo pati debemus, ex D. Paulo. 352.1.
Crocodilus lingua caret, ex Plin. 222.2.
Symbolum Dei ineffabilis. ib.
Crucifixi Christi vultus pulcherrimus. 225.2.
Signaculum regium Christi 6.1.
Sigillum Christus vulneribus signatus. ib.
Crux Christi de qua arbore esset. 92.1.
An in ea fuerint quatuor ligna. 93.1.
Eorum misticae significationes. ib.
Quercus fuit ex auctoris sententia. 93.2.
Figurae illius in lege veteri. 94.1.
Principatus ab Isaia vocatur. 96.1.
Clavis ab eodem. 96.2.
Pondus super humerum Christi. ib.
Eius figuram gerit moles universa mundi ex Nyss. 119. 1.
Coelum et stellae describuntur a Davide. 119.2.
Humana figura illam demonstrat. ib.
Cruciata herba crucem Christi repraesantat voce, et mirabili virtute. 121.1.
Artificiosa omnia crucis figura utuntur, statera dicitur ab Ecclesia. 122.1.
Dignitas ex imaginibus, et figuris, quae praecesserunt in lege vet. 122.123.
Eius praedictio figurata in serpente aeneo. 129.1.
Nomina praeclara, et epitheta ab Ecclesiae Doctoribus insignita. 143 et seq.
Titulo ex buxo arbore. 145.2.
Eius litterarum mysteria. 148.1.
Supplicium turpe, et abiectum apud vet. 151.2.
Infames reddebat, qui per illam perierant. ib.
Damnata vocatur ab Apuleio. ib.
Infelix lignum a Seneca. ib.
Supplicium servile a Tacito. ib.
Homine libero indignum supplicium, a Lactantio. ib.
Latrones in ea suspendebantur. ib.
Poena contra seipsos interficientes. 152.1.
Humiliatum, et contemptibile lignum a Sapientia, nominatur. ib.
Christo in ea crucifixo dedecus, et ignominia in summam gloriam commutata. 152.2.
Eius figura in Serapidis pectore depicta ex Caelio Rhod. 153.1.
Alia nomina. 153.1-2.
Ascendit ad principium vexilla, et clarissima stemmata. 154.2.
Praecedet ipsa Christum ad iudicandum venturum, exaltata in coelo. 155.1.
In coelo empyreo perpetuo conservandam, et incorruptibilitate instar corporis gloriosi donatum iri aliqui affirmant. 155.2.
Quod a Catholicis adoratur, et adorari praecipiatur, summa eius gloria. ib.
Cultu latriae adoranda, prout dicit habitudinem ad prototypum. ex D. Thom. ib.
Qui gloriatur in Cruce, gloriatur in Domino. 156.1.
Gratitudo est, et pietas, ac religio illam adorare. 156.2.
Cruces ceterae factae ad imitationem illius, non eodem cultu adorandae. ib.
Inquisita ab Helena ex divina revelatione. ib.
Locum docuit Iudas Hebraeus. 157.1.
Absque suo titulo reperta. ib.
Mortuus suscitatus ab eius tactu. ib.
Particulis detractis aliae denuo germinabant sponte sua. 157.1.2.
Eius inventionem Graeci resurrectionem vocant. 157. 2.
Merito ab Ecclesia institutum. 158.1.
Virga regis Christi. 233.1.
Virga directionis. ib.
Crucis Christi effigies, et imago fuit taurus in campo rubeo gestatus ab Ephraim. 311.1.
Eius signo Christus benedixit Apostolis ascendens in coelum. 357.1.
In formam crucis benedicendi mos in Ecclesia ib.
Crucifigendi prius flagellabantur apud Iudaeos, ex D. Hier. 61.1.
Cruci damnatos omnino nudos suspendebant Romani. 105.2.
Crucifigebantur antiquitus per clavorum afflictionem, ex Esdra. 112.1.



Ex cura et sollicitudine in sepeliendis mortuis ab Hebraeis colligit D. Paul. resurrectionem. 290.2.
Currus plures tam sacri, quam profani. 319.1.
Currui triumphali Christi ascendentis cedant omnes currus profani. ib.
Curtius se in terrae hiatum onustus armis deiecit. 263.1.
Cydaris ornamentum capitis sacerdotum, dum sacrificia oblaturi erant. 72.2.
Cyri sepulchri epitaphium. 2?2.2.
Cyrus figura Christi. 338.1.

## D

Dedalus a Graecis alatus depictus. 324.2.
Daemon, Infernum, peccatum, hostes Christi fortis simi, ac potentissimi. 321.2.
Christi ascendentis maiestate territi fuere atque fugati. 331.2.
Fallacia hominem circumvenit, ut esset Deo similis. 335.1.
Eius collum malos consiliarios vocat Iob. 363.1.
Damnatis ad mortem vinum eos confortans dabatur. 104.2.
Ab Ægyptiis mos derivavit. ib.
Item thuris, et myrrhae. ibi.
Damonis, et Pythiae philosophorum Pythagoreorum maxima amicitia. 209.1.
David, et Saul uncti Reges diversis tamen vasis. 234.2.
David nomine Christus significatur. 294.2.
Senex cum operiretur vestibus, tamen non calefiebat. ob tria. 339.2.
Debbora insignis femina, iudicibus non existentibus, rexit populum Hebraeorum. 355.1.
Defensio latronis boni pro Christo mirifica, et prophetica simul. 173.2.
Defunctorum animae in Domino requiescunt, et pace perfruuntur, corpora vero non. 239.2.
Corpus Christi gloria. ib.
Demetius eloquentissimus apud Atheniensem. 359.1.
Traecentae statuae eidem erectae. ib.
Responsum ad Ptolemaeum Philadelphum. ib.
Demosthenis dictum contra voluptatibus deditos. 392.2.
Dentes Ecclesiae corporis sunt Evangelici verbi promulgatores. 369.1.
Desideria tria D. Augustini ex Posidon. 321.2.
Detractionis culpa semper in hac vita si non integre, saltem in parte punitur. 384.1.
Non appellat se Deum personae alicuius singularis in hac vita, sed postea, et quare. 47.1.
Deum ineffabilem quo simbolo Ægyptij notabant. 222.2.
Immediate supremum Seraphim illuminat, et eo medio proportionaliter reliquas hierarchias. 288.2.
In ascensione Christi gessit se cum hominibus veluti nutrix. 314.1.
Non tollit peccatores, sed peccata. 353.2.
Assistit rebus creatis per essentiam, praesentiam, et potentiam. 368.1.
In anima iusti quomodo sit, et illam inhabitet. ib. Venit ad nos. 368.2
Deus, coeli, Angeli, plantae, et elementa, numquam ab opere vacant. 389.1.
Dii a veteribus diversis modis depicti apud diversas nationes. 232.1.
In tribus depingendis concors eorum sententia. ib.
Plures a poetis finguntur volasse in coelum. 324.2.
Diadema seu corona in capitibus sanctorum victoriam designat. 74.1.
Dies, quem Abraham videre cupivit quis. 295.1.
Dies resurrectionis ex auctoris sententia, et ib.
Dies ascensionis, ut quoddam sigillum omnium operum Christi. 344.1.
Digitus Dei ex D. Chrysost. in scripturis significat Spiritum sanctum. 365.2.
Dignitas, et vita, et pulchritudo mystici corporis in unione, et concordia, ac animorum consensu consistit. 354.1.
Dilectionis inimicorum praeceptum Christus condidit, et servavit, in Cruce orans pro illis. 164.2. stemma, et insigne religionis Christianae. 165.1.
In tribus utilis etiam corpori. 166. 1. nihil ea.
honorificentius. ib.
Dilectus in sacris Scripturis Christus. 219.2.
Diogenis dictum, officium meum est aliis praecipere. 395.1.
De barbae longe gestatione responsum ib.
Discipuli Domini Iesu celebrarunt eius resurrectionem. 296.1.
Discissi montes in passione Christi. 357.1.
Discolis, et indisciplinatis ingrata est correctio, iustis gratissima. 352.2.
Discordia summa, ac conformitas summa in corpore, et anima unitis prodigium naturae. 352.1.
Discumbentes correpti, et castigati a Deo homines pluries, et quare. 348.1.
Apostolis discumbentibus apparet Christus. 348.2.
Discumbendi simul consuetudo amoris, et humanitatis pignus est. 349.2.
Distinctionis origo in divinis est processio unius personae ab altera. 367.1.
Divinitas in Christo non passa est, patiente humanitate Christi. 206.2.
Doctrina, et praedicatio Christi eius gladius. 228.2.
Dodonae oraculum Iovis aereis vasis circumdatum. 221.2.
Dominationes angelicae cur ita dictae. 333.1.
Domitianus eo, quod Deus dicit voluerit, occisus. 331.1.
Dona coelestia Christus ascendens largitus est credentibus nulla interposita mora. 312.1.
Draco sive serpens Ægyptius miro artificio necatus a Daniele. 322.1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Figura daemonis a Christo superati. ib.
Duritia cordis, idem, quod tarditas cordis. 351.1.

**E**

Ebullitionis, et eructationis metaphora apud Davidem. 221.1
Ecclesia sponsa Christi qualis 237.1 et 2.
Ecclesiae particulares aggregatae primitivae. 241.1.
Respondeat figuratum. 243.1.
Lunae similis, quae quanto magis distat a sole Christo, tanto clarius lucet in fide. 341.1.
Ecclesia olivarum mons. 357.
Eius corporis forma, et partes. 369.1.
Ut turris aedificatur a Spiritu sancto in die Pentecostes variis linguis. 379.1.
Non confundit, sed auget dono linguarum, ib.
Proprietates ad invicem. 384.1.
Eclipsis Solis tempore mortis Christi supernaturalis. 212.1.
Quomodo accidit, variae sententiae. ib.
Item tempore Iosue, et Ezechiae universalis. 212.2.
Elementaris mundus. 370.1.
Eliae nubecula altius evecta figura Christi ascendentis. 307.1.
Ipse, Enoch. et alii non in coelum proprie ascenderunt, sed paululum a terra elevati. 325.2.
Currum igneum ascensurus, bona quae reliquit Eliseo. 346.2.
Ei se communicat Spiritus sanctus in sibilo aurae tenuis, et quare. 373.1.
Epulas inter, et convivia multa flagitia patrari solent. 251.1.
Equites Salomonis aureo pulvere caesariem conspergebant, et quare. 75.1.
Eva non fuit filia Adae, licet ab eo producta. 317.1.
Evangelium, et mundus, duo extrema et diametro opposita copulat Christus. 358.1.
Eutychianorum error, Verbum esse animam vivificantem corpus Christi. 184.2.
Exequiae funerales mirum in modum cultae ab omnibus fere gentibus. 255.2.
Exinaniri debet prius anima his, quae adversantur Spiritus sancti gratiae, ut eam donorum suorum oleo expleat. 393.1.
Expugnatio regnorum, et animarum debellatio similis. 359.2.

**F**

Fabius pater Fabium filium suum consulem laudavit iussus equo descendere. 227.2.
Faculae deportatae in nocte sponsalitii quinque, non plures. ex Plutarc. 320.2.
Facultates, quae rebus insunt inferioribus, excellentius in causis superioribus inveniuntur. ex Dionysis. 377.1.
Fenestrae obliquae in templo a Salomone factae plura significant. 108.1.
Ficus Ægyptiacae ubertas ex Geminiano. 389.1.
Fides a sponsa comparata lacti, et quare. 351.1.
Dulcissima enim est. ib.
Donum Dei. 352.1.
Eius coniunctio cum ratione, et intellectu nostro sane prodigium, et quale. ib.
Uti iaspis. 288.2.
Fides pro fidelitate apud D. Ambros. dicentem Petrum perdidisse fidem. 44.2.
Fidium varia genera. 394.2.
Filius in divinis generatur per modum similis principio suo. 367.2.
Non potest producere alium filium, non ideo tamen potens est minus, quam Pater. 368.1.
Filius vocatus David a Saule, tunc tantum, quando cum posset, noluit illum occidere. 164.2.
Hoc nomen quis mereatur. ib.
Filii Dei instar ferri, et prunarum, ex Ezechiele. 373.2.
Firmitas, et stabilitas in bene coepto opere ab omnibus rebus praedicatur. 203.1.
Flagellorum ictus quadragenarius infamem hominem reddebat apud Iudaeos. 61.1.
Flagellationis duplex modus in lege. 63.2.
Cur numerus quadraginta. 61.1.
Sub flagellis multi interiere. 62.1.
Flagellatores sanguinarii carnifices dicti ib.
Flagellandi apud Rom. ex Gell. 62.2.
Mos flagellandi apud Rom. ex Caelio. 64.2.
Flatu Dei, qui est Spiritus sanctus, accepit homo animam viventem. 369.2.
Flumina quatuor in paradiso quatuor virtutes Ecclesiae catholicae. 385.1.
Igneus et rapidus Spiritus, sanctus. 377.1.
Femina ad alliciendum fortis, et potens, ad tenendum infirma 48.1.
Foetus si nascatur in octavo mense, non supervivit, et quare. 241.2.
Fons mirabilis. ex Solino. 266.1.
Foramen, per quod caput intrat, totum corpus intrare potest. 342.1.
Fortissimi hostes mors, peccatum, diabolus, a Christo superati. 269.1.
Fragilitas humana maxima est, ideo facilis Deus ad miserendum. 177.2.
Francorum insigne lilia, et inscriptio, spes augusta. 289.1.
Arma eorundem tres bufones antiquitus, deinde tres flores candidi, seu lilia. 311.1.
Fumus patriae propriae clarior solo in aliena, pro verb. ex Lucian. 344.2.

**G**

Gabina vestis apud Romanos. 228.1.
Consules ea utebantur indicentes bellum. ib.
Galilaeus idem quod transmigrans. 357.2.
Gallus symbolum concionatoris. 50.1.
Galli cantu excitatus Petrus. ib.
Feliciter incedit, apud Salom. 317.2,





Symbolum est praedicatorum. ex D. Gregorio. ib.
Gesta memoranda insculpta in lapideis columnis a veteribus. 223.1.
Gethsemani, hortus ad radices montis Oliveti. 17.1.
Vallis pinguissima, vel olei mei. 18.1.
Gigantae, sive herbae solaris proprietas. 308.1.
Gladiatores vulnerati ad siccandum fluentem sanguinem spongiam adhibebant vulneri. 189.2.
Gladius Christi doctrina, et eius praedicatio. 228.2.
Item crux. ib.
Golgothae rupes scissae in die mortis Christi. 214.2.
Gordiani sepulchrum titulo Graecis, Latinis, Persicis, Iudaicis, et Ægyptiis litteris exornatum a militibus Augusti. 146.2.

**H**

Habitibus sub diversis, et figura apparuit Christus resurgens, et quare. 301.2.
Habitus longus antiqui sacerdotis usque ad terram defluens perseverantiam in operibus notat. 315.2.
Hebraea sola lingua in orbe terrarum ante Babylonicam turrim. 322.2.
Helena Constantini mater divina revelatione Crucem Domini Iesu inquirit ex D. Ambrosio. 156.2.
Hieremias captus a suis figura Christi a militibus comprehensi. 39.1.
Hierusalem medium terrae a Davide dicitur. 102.1.
Medium terrae Palaestinae. 113.2.
Hierusalem coelestis dignitas, et bona. 344.2.
Holofernes rumpens aquaeductus, Diabolus prohibens lachrymas a poenitente. 54.1.
Homo mutabilitate omnes creaturas superat 217.1.
Humana vita comparatur pluribus rebus. ibi.
Homo in paradiso creatus a Deo stans, non iacens, aut sedens. 329.1.
Primus appetit Deo similis esse. 335.2.
Sed falsa sui fefellit opinio. ib.
Honor, voluptas, divitiae in pretio habentur ab hominibus. 392.2.
Humanitas Christi nomine calceamenti, et chirothecae, notatur. 229.1.
Humanitas Christi in coelum exaltata, nostram fidem firmat. 341.1.
Humanitate, et comitate conciliantur animi hominum. 349.1.
Hymnus a Christo decantatus post coenam in gratiarum actionem. ib.
Hypocritarum symbolum histriones. 239.2.

**I**

Iacobus minor simillimus Christo. 32.1.
Ieiunavit Christus, ut mederetur peccato Adae, per esum commisso. 246.1.
Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum, titulus Crucis, explicatur. 148.1.
Ignis deorsum aliquando fertur duabus de causis. 377.2.
Ignis, et linguarum coniunctio in die Pentecostes, quid. 379.1.
Ignis de coelo missus a Deo super sacrificium a Salomone oblatum. ib.
Illusiones ferre, magnus labor, et nullus eo maior ex Seneca. 80.1.
Imaginibus sanctorum vela cur apponantur. 7.1
Imago semper est similis rei quam repraesentat. 304.2.
Impedimenta ob tria quidam homines Spiritus sancti igne non incalescunt. 389.1.
Inclinato capite moritur Christus ob multa mysteria. 179.1.
Incorruptio corporis Christi praefigurata a multis 259.1.
Increduli Apostoli quandoque, Maria vero numquam. 250.1.
Increpat Deus homines praecipue inter epulas, et dum prandent. 348.1.
Increpatio duas conditiones requirit, ut debita sit. 351.1.
Infans Christus amari voluit, non timeri. 248.2.
Inferni, seu limbi limina tantum attigit Christus, non penetravit. 263.1.
Inferni, et sepulchri ora ante Christi passionem, et mortem, et post, qualia. 288.2.
Infirmus magis sitit in die purgationis, aut evacuationis, quam in aliis. 189.1.
Infelicitatis genus nullus maius est, quam meminisse se fuisse felicem. 114.2.
Inhabitat Deum animam iusti quando iustificatur, et quomodo. 368.2.
Inimicorum dilectionis praeceptum Christus condidit, et servavit in Cruce orans pro inimicis. 163.2.
Intemperantia ciborum breviorem reddit vitam. 347.1.
Ioannes Evang. gratiam significat. 179.2.
Similis Christo in pluribus. ib.
Frater Christi non solum ex parte patris, sed ex parte matris, et qualiter. ib.
Filius matris Dei ex speciali gratia, et qualis. ib.
Comparatur cum nativitate Ioannis Baptistae. 180.1.
Singulari amore materno dilectus a B. Virgin. ib.
Ipse etiam reverentiam filialem eidem exhibuit. ib.
Similitudo morum eius cum Christo. ib.
Probatissimus topazius. 181.1.
Fidelis Christo. 181.2.
Ioseph in carcere inter duos facinorosos, figura Christi inter duos latrones crucifixi. 112.1.
Vinctus spontaneus, et liber quia carceris claves habebat. 273.2.
A Pharaone exaltatus, et torque aureo donatus figura Christi ascendentis. 318.2.
Pater regis, pater tener conclamatus. ib.
Iscariotes Iudas ab Iscar, quod merces significat. 15.2.
Iudas non vocatus abiit ad consilium Iudaeorum contra Christum. 10.2.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Iscariotes dictus quid significet. ib.
Iudaei quatuor tantum modis poterant mortem infligere in lege veter. 56.1.
Ttriplex falsum Christo imposuerunt crimen 55.2.
In faciem Christi spuunt, et quare. 59.1.
Accusati a titulo super Crucem posito, quadrupliciter. 204.1.
Iudices mortis etiam iustam sententiam ferentes censuerunt purgationum piaculis indigere Romani. 88.1.
Iudice coram competente vocatus respondere debet quisque. 350.1.
Iuncus idem quod carex, scirpus, aut papyrus ex Plin. 70.1.
Iuncorum flores numquam marcescunt ex Clement. 72.1.
Iupiter in pluviam auri conversus amore Danaae, fabula. 57.2.
Iustificatio et sanctificatio hominis ardua res, et quare. 336.1.
Iustitiae divinae gravitas in Angelos. 94.1.
Eius, et iracundiae Dei vehementior cogitatio quosdam a Spiritus sancti igne repellit. 342.2.
Iusti, et sancti bene orant, peccatores non. 319.2.
Iustus vocabulum Christi per antonomasiam. 86.1.

L

Labores prius patienter tolerandi, quam eorum praemium, ac mercedem consequamur. 285.1.
Quos Martyres subeunt, et tormenta, argumentum nostrae resurrectionis putabat D. Paul. 288.1.
Lactis, et fidei proprietates sibi correspondent. 341.1.
Lacrymae Petri similes aquis maris rubri. 52.2.
Lacrymae poenitentis, seu divinae, extinguunt flammas libidinis. ib.
Deum animae praesentem faciunt. 54.2.
Laetitiam ob repentinam multi occubuere. 287.1.
Laetatus est Deus Pater Christi ob ascensionem, et quare. 344.2.
Lamia quod genus animalis. 272.2.
Lancea ab Ecclesia crudelis vocatur, clavi vero dulces. 247.2.
Latus, et cor aperuit. ibi.
Achillis lancea. 250.1.
Lances duo, quae omnia opera Dei ponderant, iustitia, et misericordia. 92.2.
Lapides a Iacob suppositi capiti suo dormienti figura incarnationis. 46.2.
Turris Babel inscripta nominibus aedificantium, ex Iosepho. 196.1.
12. In Iordane positi Prophetas ante Christum praefigurabant. 258.1.
Lapis, quo David Goliam stravit, miraculose nomen IESV intus habuit, eiusque mystica interpretatio. 29.2.
Lapis in Thracia dum aqua aspergitur, accenditur, atque inflammatur. 52.1.
Ille, de quo ascendit Christus, a peregrinis abrasus, semper integer est. 341.2.
Laterones, qui defenderent dextram incedentis apud antiquos. 227.2.
Latina locutio a Romanis plurimi facta - cum ea responsa dabant. 89.
Latrones crucifixi cum Christo clavis etiam confossi. 111.2.
Latro in cruce prius conviciatus est Christum, deinde vero conversus increpabat alterum. 167.1.
Eius conversio magis admirabilis, quam Magdalenae, et Pauli. 16.2.
Omnipotentia Christi in ea effulget. 68.1.
Qualis ista conversio. 168.1.
Semei resipiscens, et orans a Davide veniam, figura illius. 169.2.
Historia illius. ib.
Dymas latro nomine vocatus. 171.1.
Illuminatus praecipue a Spiritu sancto. ib.
Fidem habuit in Christum. ib.
Spem et fiduciam singularem in Deum. 172.2
Charitatem maximam. 173.1.
Locatus in ea sede, a qua Lucifer deiectus, ex Renal. Abb. ib.
Fortitudo in eo mirabilis. ib.
Aliae virtutes in eo. ib.
Christi largitas, et liberalitas in eum. 175.1.
Ex cruce didicit Christum esse Regem. 176.1.
ductus in coelum ante alios. ib.
Simplex eius petitio cito exaudita, ne peccatores desperent. 177.1.2.
Introductus in paradisum, id est vidit claram divinam essentiam eodem die. 178. 1.2.
Latrocinia multa famosa commemorantur in Scripturis. 178.2.
Latus suum aperiri voluit Christus plures ob causas. 247.2.
Lavare manus ante sententiae mortis prolationes, mos erat Iudaeorum, et Romanorum. 87.2.
Laurus perseverantiae symbolum. 293.2.
Lauro cingebat caput Caesar, ut fulmen evaderet. ib.
Lazarus linteo obvolutus e sepulchro prodiit, Christus nequaquam. 271.2.
Legio apud Romanos qualis. 31.2.
Leonis in membris quibusdam ex parte sol dominatur. 24.2.
Ei Christus resurgens assimilatur. 267.2.
Leonis eiusque sanguinis generositas praeclara, ex Eustrat. 326.1.
Legis gratiae, et scriptae differentia. 374.2.
Legis in morte Sinai, et legis in monte Sion dandae differentia. 376.1.
Liberalitas. 175.1.
Liberalis est, et habet manus perforatas, apud Hispanos, 305.1.
Libido, et damna quae infert homini 271.1.
Limbus apud Divum Paulum in parte inferiori terrae. 262.1.
Linguae et cordis figura sive proprietates ad invicem. 372.2.
Linguarum figura apparuit Spiritus sanctus Apostolis, doctrinae significans effectum. 379.1.



Linguae dispartitae cur in die Pentecostes. ib.
Lineae vestes sacrae. 257.1.
Litterae crucis formam gerenti Ægyptii circulum supponere soliti, et quid. 152.2.
Longinus miles percussit lancea pectus Christi iam mortui. 244.1.
Lucernae similis vita nostra. 347.1.
Luna, quasi luminum una. 331.2.
Luto liniunt parietes, adulatores, quia multum nocumenti afferunt. 358.2.
Limbus quid. 262.2.

M

Macedonius haeresiarcha. 366.1.
Magi Pharaonis defecerunt in tertio signo mystice, quid. 365.2.
Magneti Christus similis. 342.1.
Maledictionibus in lege vet. respondebatur Amen, benedictionibus non item, et quare. 175.1.
Maledicentiae morbus quantus sit, quot damna afferat, et quodnam remedium. 382.1.
Malogranata in fimbria sacerdotis diversa gentes multas ostendunt. 351.1.
Mane, diluculum, matutinum, vocatur resurrectio Christi. 298.1.
Mare in Thrachonitide regione ter inde aquam dulcem producit. 54.1.
Rubrum caricosum, ex Plin. 70.1.
Maria Virgo fuit omnium ultima, cuius aspectui Christus ascendens se subtraxit. 308.1.
Maria, vide B. Virgo.
Maria Magdalene prohibita Christum tangere, id est, ea pristina familiaritate ante Resurrectionem. 305.1.
Mariae quae flebant Christum, veluti sidera errantia. 283.2.
Martyrem non poena, sed causa facit, ex D. Augustino. 173.1.
Materia prima a Moyse appellata, aqua. Gen. I. et quare. 357.2.
Meditatio Passionis utilis est. pag. 1.
Medius locus semper electus a Christo. 201.1.
Medius locus omnium dignissimus. 329.1.
Memoriale proprie dicitur sacrificium legis veteris. 197.2.
Milites comprehendentes Christum similes canibus, et apibus. 37.1.
Milites profani, et milites Christiani opponuntur. 49.1.
Militum vitae sollicitus dux esse debet. 338.2.
Minister, qui dedit alapam Christo, fuit Malchus, cui restituta fuit auricula. 41.1.
Miseretur Deus facile hominibus, quare. 177.1.
Missa est repraesentatio vitae Christi. 192.2
Monumenta aperta in die mortis Christi, fuit hoc signum diversum ab aliis, et quid denotaverit. 214.2.
Montes discissi in passione Christi 357.1.
Mordacis linguae poena, et temporalis, et spiritualis. 383.2.
Mors a Christo quomodo superata. 281.2.
Mortuorum cadavera tripliciter condiebantur ab Hebraeis more Ægyptiorum. 256.1.
Mortuorum corporum resurrectio non cognita a Philosophis, immortalitas animae. 278.1.
Mundus et Evangelium tamquam duo extrema opposita, a Christo copulata. 358.1.
Muti septem diebus permanserunt amici Iob videntes eum in sterquilinio. 199.1.

N

Nabot, homo fructificans interpretatur.
Natalis et resurrectionis Christi quaedam convenientia. 273.2.
Naturalia omnia mutatis conditionibus, et qualitatibus mutant locum. 44.1.
Nautae Ionam in mare proiicientes figura Pilati lavantis manus suas. 88.2.
Neptunus a Virg. fingitur volasse. 324.2.
Nervi a cerebro in linguam fluunt, naturae non sine causa. 381.2.
Nox apud veteres divisa per quatuor vigilias, quarum quaelibet continebat tres horas. 112.2.
Nubes in ascensione Christi non sine mysterio. 322.2.
Splendida fuit, non tenebrosa vel obscura. 323.1.
Nobis figura in tabernaculo Exod. 40. ibi.
Nubes inter Septemtrionem et Meridiem sereno coelo existens signum est evidens pluviae futurae, ex Plin. 323.1.
Nubecula quae surrexit Eliae precibus tempore ariditatis, symbolum Christi. 373.1.
Nutrici assimilatur Deus in Ascensione Christi. 314.1.

O

Obsequium Christo a Latrone bono factum summe placuit. 172.1.
Occasiones peccatorum removendae, ut quis spiritualiter resurgat. 293.2.
Oculorum Christi mirabilis virtus. 50.2.
Aquilae et nycticoracis dissimiles. 364.2.
In hominibus quales. ib.
Oculi Ecclesiae Antistites. 300.1.
Olivarum mons Ecclesia. 357.1.
Olympi in montis cacumine nulla aeris perturbatio. 185.2.
Onix rixas contentionesque immittendi occultam vim habet. 265.2.
Opera poenalia et satisfactoria Deo offerre in compensationem poenarum, quas mortui debent exolvere pro commissis delictis, est baptizari pro mortuis apud D. Paul. 290.2.
Opera Christi ex obedientia. 258.2.
Operibus omnibus bonis corona adiicienda, id est perseverantia usque ad mortem. 315.2.
Opus (redemptionis) a Christo consummatum, et perfectum. 344.1.
Opera a Christo in Ecclesia coepta a Spiritu sancto absoluta. 385.2.
Ora vestimenti Aaron sunt iusti, in quos Spi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ritus sancti unctio derivatur a capite Aaron, id est Christo. 395.1.
Orantes cur faciem ad Orientem convertimus 111.2.
Orat Christus pro se conditionate, pro inimicis suis absolute. 161.1.
Oratorum Romanorum mos. 161.1.
Origenes non asseruit Christum in Ascensionis suae die in sole substitisse. 328.2.
Os non semper debet esse clausum, sicuti ianua non semper patet, nec semper clauditur. 383.2.
Oscula quae petiit et accepit Sponsa. Cantic. 1. a Sponso Christo. 379.1.
Ostium Arcae Noe, figura vulneris Christo lancea inflicti. 245.1.

P

Palatia regum iniquitatis universitas vocari possunt. 47.1.
Pallii pulvis a virga excutitur non ad illud efferendum, sed purgandum. 362.2.
Palma figura Crucis, Cant. 7. 310.2.
Panis Dei antiquorum species, et effigies. 215.2.
Paradisus latroni a Christo promissus quid 178.2.
Passio Christi, et resurrectio eius differunt quoad exemplaritatem. 179.2.
Pati pro Christo, et credere debemus, ex D. Paulo. 352.1.
Pater dedit filio omnia quae habet praeter esse patrem, explicatur a Damasc. 357.2.
Pater tenor, Pater Regis, Ioseph a Pharaone dictus. 319.1.
Patrinus in confirmatione. 303.2.
Pater spiritualis est confirmati. ibi.
Patriae coelestis dignitas, et bona. 343.1.
Pax ab hominibus maximi habita. 210.1.
Peccator maioris ponderis quam factus homo. 84.1.
Peccatores per spinas in sacris Scripturis designantur 75.1.
Peccator in mortiferam culpam incidens, sine gratia Dei non valet excitare cor. 291.2.
Peccatum consummatum in passione Christi. 192.1.
Peccatum tollens Deus de medio, non tollit peccatorem, et quare. 353.2.
Pectus Christi lancea vulneratum fuit post mortem ejus. 243.1.
Pedes Christi sunt praedicatores. 190.1.
Pedes Dei misericordia, et iustitia. ib.
Pellicani pietas in filios. 249.2.
Peregrini in forma Christus post resurrectionem apparuit, et quare. 301.2.
Perforatas habet manus, et liberalis est apud Hispanos idem. 304.1.
Perseverare debemus in gratia, ut non moriamur denuo. 292.1.
Perseverantia quid. 294.1.
Perseverantia sola in Christianis admirabilis est, et Deo gratissima. 315.1.
Petrarum scissio die mortis Christi praedicta ab Isa. 214.2.
Petra virga Moysis percussa figura vulneris Christi ex lancea. 251.1.
Petrus utebatur gladio, et quare: ei permissum auriculam scindere iusto Dei iudicio: dextra fuit. 34.2.
Petrus negavit Christum esse purum hominem. 44.2.
Petrus Vicarius in terris Christi ab eodem constituitur. 314.1.
Petrus a Clemente vocatur primitiae Apostolorum, et quare. ib.
Pharao declarat Iosephum regem, et sacerdotem, quibus honoribus, et signis. 319.1.
Philosophi quidam duas personas divinas cognoverunt, non tamen tertiam, idest Spiritum sanctum. 365.1.
Pilatus primus omnium Christum flagellare coepit 63.1.
Pilatus timuit damnare Christum ob innocentiam, deinde, quod filius Dei alicuius esset a se culti, lavit manus. 88.1.
Portenta prodigiosa Christo in Cruce pendente apparuerunt, et quare. 168.2.
Potestates Angelicae cur ita dictae. 332.2.
Praedicator evangelicus adulter quis. 358.2.
Praelati in reprehensionibus duas conditiones adhibeant. 352.2.
Primitiae mortuorum Christus dicitur. 268.2.
Primogeniti Hebraeorum a Pharaone occisi sunt principia cogitationum. 335.2.
Principes et Reges subditos visitare, et agnoscere per se ipsos solent. 313.2.
Principum vitia concionator increpare debet, et quare. 359.1.
Privilegia quibus Christus credentes primitivae Ecclesiae donavit. 362.1.
Pullos egredi volentes de nido aquila rostro pungit. 317.2.
Purgatoria aqua apud vet. 88.1.
Purpura Regum indumentum. 67.2.

Q

Quadragenarius numerus poenitentiae. 61.2.
Quadragenario numero ieiunii tempus ab Ecclesia includitur. ib.
Quercus arbor, de qua facta Crux Christi.

R

Rationes quae probant nostram resurrectionem. 290.2. etc.
Rebecca laureo serto redimivit caput. 293.2.
Reconciliavit Christus mundum Deo patri duobus mediis, effusione sanguinis, et petitione veniae pro inimicis. 160.2.
Reges quibus caeremoniis coronabantur. 77.2.
Regis incessus admirabilis apud Salomonem. 317.2.
Regna, sceptra, honores, et divitiae mundi caduca sunt, et arundini similia. 78.2.



Regnum Christi in tres partes divisum a D. Paulo, terrestrem, infernalem, et coelestem. 281.1.
Regni coelestis dignitas et bona. 344.1.
Religio sacra decoratur unione et concordia animorum. 393. et seq.
Reprehensio ut debita sit, duas conditiones requirit. 352.2.
Resurrectio Christi stultitia putabatur. 274.2.
Gloria Resurrectionis. 274.2.
Argumenta a Christo allata ad illam probandam per sensus. ib.
Resurrectionis triplex genus in sacris scripturis. 291.2.
Angelus apparens in sepulchro quid. 299.
Resurrectio Christi vexillo Iudae leonis in viridi campo depicti designata. 321.2.
Respublica bene ordinata quo pacto ab Ægyptiis picta. 384.1.
Romanam Ecclesiam respexit Christus moriens capite inclinato. 205.2.
Romanorum triumphorum antiquorum species. 321.2.
Romanorum superbia, qui Imperatoribus, ut tamquam Dii ab omnibus colerentur, Aquilam regalem demittebant. 324.2.

S

Sabaei etiam Reges mortuos inter sterquilinia mittebant. 255.2.
Sacerdotes Ægyptii soli vestibus byssinis utebantur. 319.1.
Sacerdotis veteris legis habitus ad terram usque demissus perseverantiam in bonis operibus denotat. 316.2.
Sacramenta Ecclesiae ex lateris vulnere Christi fluxere. 249.2.
Sacrificium ab holocausto in lege veteri differebat. 196.2.
Sacrificia Deo placita ab igne coelesti consumpta. 376.2.
Sacrificia duo Christus obtulit Patri, incruentum, et cruentum. ib.
Salomonis equites aureo pulvere caesariem conspergebant, et quare. 75.1.
Salomonis templum non habebat sedes, Ezechielis vero sic. 810.1.
Sanguis Christi roseus, et animas Sanctorum decorat, et Principes, et Reges facit. 68.2.
Sanguis, et aqua de latere Christi vulnerati exivit, quid. 247.2.
Sanguis holocaustorum in torrentem Cedron per subterranea loca descendebat. 16.2.
Sanguineus cometa mortis alicuius Principis praesagium, iuxta astrologos. 31.1.
Sancti in coelo ante Deum sedent, Angeli vero stant. 310.1.
Satanas super brachium Crucis sinistrum extitit, diligenterque observavit, an in animam Christi egressuram ius aliquod habere posset, ex Beda. 917.1.
Saul a spiritu maligno liberatus ex harmonia citharae, an miraculose, an natura. 398.2.
Scelera plurima et graviora ab hominibus commissa inter epulas. 348.1.
Sedes in templo Ezechielis, vocata latera per circuitum, in Salomonis nequaquam, in loco, sancta nuncupato, quatuordecim erant: in Sanctorum centum et sex. 311.1.
Semei resipiscens, et occurrens David figura latronis in Cruce conversi. 169.2.
Senatores Romani, ut Romulus pro Deo coleretur, finxerunt illum in coelum volasse. 324.2.
Sententia facta a Pilato contra Christum. 89.1.
Sententia lata a iudice stando, non sedendo nullius momenti est. 89.2.
Septenarius numerus sacer. 160.1.
Sepulchri Christi figura navis, quam Ionas ingressus est: item sepulchrum Abraham: domus David a Saul militibus undique obsessa, qua egressus ipsis ignorantibus: cisterna Ioseph. 254.1.
Sepultus Christus more principum mixtura myrrhae, et aloes quasi libris centum. 256.1.
Serpentis in Africa immanis, et adeo venefici vis. ex Plin. 30.2.
Serpentis, et pellicani inimicitia. 183.1.
Serpens tantae mansuetudinis, quod cibum de manu Tiberii sumeret. 395.2.
Simon Cyrenaeus felix quod Crucem Christi portavit. 101.1.
Simonis iusti duo filii a mortuis surrexerunt in die passionis Christi. 215.1.
Synagoga crudelis facta Christo Domino, tamquam leo in silva. 84.2.
Sindoni sacrae impressum cernitur vulnus lateris Christi, quae Taurini asservatur. 257.1.
Sindon, qua Christi corpus involutum longitudinis duodecim palmorum, latitudinis trium, linea fuit. ib.
Sitientibus Deus accurrit pluries. 189.1.
Sitienti Christo ne aquae quidem gutta porrecta a Patre, sed effudit aqueum lacrymarum humorem. ib.
Solis defectionem tempore mortis Christi praedixit Ezech. 212.1.
Sol quia solus et unicus. 283.2.
Sol quanto distat magis a luna, tanto clarius lucem in illam diffundit. 341.2.
Sors in scripturis ludum notat, quia taxilli sorte cadunt. 113.2.
Spina sancta in monte Oliveti frequens: ea Christus coronatus. 69.2.
Spinae, symbolum peccatorum in sacris Scripturis. 75.1.
Spiritualis animae resurrectio ad figuram Christi, qualis esse debeat. 291.2.
Spiritus Sancti opus est creatio rerum et mundi, eiusdem est Ecclesiae catholicae perfectio, et absolutio. 385. etc.
Spiritus divinus mundi anima, et mens, non informans, sed assistens, ex Platonicorum sententia. 391. etc.
Spiritus ab anima differt. 197.1.
Spirituum beatorum nomina, et officia. 331.2.
Spiritus malignus super terram fertur, id est

super corda affectibus terrenis deturpata 333.2.
Sponsus sub arbore malogranato figura Christi coronati spinis. 71.2.
Sponsi coronis redimiti incedebant apud veteres, ex Plin. 80.2.
Stellae in polo Antarctico figuram Crucis praeseferunt. 69.2.
Stolam sacerdotes collo apponunt, ut indicent catenam, qua Christus ligatus. 265.2.
Subditi pro re levissima a Praelatis arguendi non sunt. 358.1.
Sudor sanguineus naturaliter provenire potest, et quibus de causis. 27.1.
Sudor Christi sanguineus verus fuit sanguis. 27.1.
Supplicii aut mortis causa apud veteres vel publica praeconis voce divulgabatur, vel grandiusculis litteris scribebatur. 146.1.
Surgere et excitari differunt. 272.2.
Surrexit, non est hic, epitaphium sepulchri Christi: aliud. ib.

T

Tarditas cordis, idem quod duritia cordis. 351.1.
Tau signum liberandorum, Crucis figura expressa. 134.1.
Templi Salomonis, et Ezechielis differentia, in illo enim non erant sedes; et quid. 340.1.
Templum fumo repletur a Deo, dum vult S. Ioannem de sua magnitudine instruere, et quid. 309.2.
Tenebrae quae acciderant tempore mortis Christi, universales fuerunt super totum orbem, non super Iudaeam tantum. 212.
Propter illas ara ab Atheniensibus ignoto Deo dicata. ib.
Terminus Deus apud Romanos. 340.2.
Termini in iustificatione peccatoris duo sunt. 291.1.
Ternarii perfectio commendatur in eo, quod Christus resurrexit tertia die. 299.1.
Terrenus homo dictus a Deo, quia praevidit illum terrae adhaesurum magis, quam coelo. 336.2.
Terraemotus tempore mortis Christi prodigiosus fuit. 214.1.
Testamentum duplex in sacris Scripturis, vetus, et novum. 193.2.
Testamentum verum condidit Christus. 194.1.
Testamentum a Christo conditum diversis vitae suae temporibus. 194.1.
Thesauri pretiosissimi in montibus Riphaeis latent. 158.2.
Thronus Dei nubes dicitur in sacris Scripturis. 3.3.1.
Throni Angelorum cur ita dicantur. 332.2.
Tituli in Psalmis, veluti tabellae in officinis. 217.2.
Titulus Crucis ex buxo. 145.2.
Eius litterae incisae, non conscriptae super chartam. ib.
Linguis Hebraea, Graeca, et Latina scriptus. ib.
Titulus in Cruce positus quadrupliciter Iudaeos accusabat. 204.1.
Toga purpurea triumphantium vestis apud Romanos. 67.2.
Tremuit terra in resurrectione Christi, et quare. 301.1.
Tria sunt, quae in pretio habentur, divitiae, honor, voluptas. 392.2.
Tristitia in poenitentiae sacramento qualis esse debeat. 22.2.
Triumphatores, peracto triumpho, dona distribuebant. 382.1.
Tunica inconsutilis Christo facta a B. Virgine adhuc parvulo. 114.1.

U - V

Vaticinia omnia Prophetarum in Christo ad litteram impleta. 278.2.
Velamen honoris, aut religionis gratia semper adhibitum. 82.1.
Velum utrumque scissum. 213.2.
Venatoris Christus, et piscatoris munus exercuit. 468.2.
Venenum serpentis contrarium electro. 3641.
Verba cordis umbra, ex Democr. 362.2.
Pauca, et matura, prudentiam significant, multa stultitiam. ib.
Verba habent aerem pro subiecto, et per eum nobis communicantur cogitationes alterius hominis. 374.1.
Verbera et tintinnabula ante pompam triumphi portabant Romani, et quare, ex Sambuc. 392.1.
Verbo Dei solo omnia creata existentiam acceperunt. 159.1.
Verba septem Christus in Cruce protulit. ib.
Verbum divinum omnibus indifferenter praedicandum. 368.1.
Verbum divinum procedit a Patre per viam intellectus, et ideo similis ex vi suae productionis. ib.
Verbum evangelicae praedicationis docet, et Spiritum sanctum producere debet. ib.
Verecundorum nuditas, post lapsum Adae, indecentiam quandam praesefert, honestati repugnantem. 105.2.
Veronica mulier capitis velo detracto, quo operiebatur, Christi sudorem abstersit. 99.1.
An fuerit femina a sanguinis fluxu a Christo liberata. ib.
Vestis purpurea Regum insigne erat. 58.1.
Vestimenta Christi scissa plura significant. 114.1.
Vestigia Christi sequi debet qui coelum conscendere cupit. 340.2.
Viam novam nobis Christus aperuit ex D. Paul. 343.1.
Victimae apud Hebraeos, et alias gentes coronatae immolabantur. 731.2. etc.
Victoria Christi ascendentis, undique gloriosa, et admirabilis. 317.2.
Victores in Olympiacis ludis coronati. ib.



Vinctus unus dimittebatur in paschate ob memoriam beneficii liberationis ab Ægypti servitute. 59.2.
Vinum irae divinae symbolum. 250.1.
Vinum myrrhatum, id est amarissimum Christo propinatum. 104.1.
Vinum damnatorum, id est optimum apud Amos. ib.
Virga Aaronis, quae floruit, amygdalina, fuit figura resurrectionis. 266.1.
Virga ab Assuero Reginae Esther extensa amoris signum. 352.2.
Virgo Deipara adstitit flagellationi Christi. 65.2.
Mulier appellatur a Christo in Cruce pendente, et quare non mater. 179.2.
Pars praecipua totius patrimonii Christi legata D. Ioanni. 189.1.
Prior ceteris vidit Christum post resurrectionem. 283.2.
Virtutes in Angelorum choris. 332.2.
Vita Christi, et miracula omnia probata a Christo per loca sacrae Scripturae. 278.1.
Vitae militum sollicitus dux esse debet. 339.1.
Vitia principum concionator debet increpare, et quare. 359.1.
Ultores iniuriarum post longum tempus a Deo puniti. 175.1.
Unanimitas inter fratres maximi est momenti. 398.2.
Vocis Dei divina virtus, et foecunditas. 389.2.
Volucres, et animantia cetera ad propria domicilia redire delectantur. 364.2.
Voluntas animae humanae venter ex D. Greg. 390.2.
Vulnus lateri Christi post mortem eius illatum contra haereticos. 243.1.
Solus Ioannes Evang. de eo meminit. ib.
Ostendit amorem Christi erga genus humanum. 248.1.
Aliae causae. ib.
Vulnera militum curare debet dux. 339.1.

X

Xenodochia quaedam pro curandis infirmis constructa ex ingenti pecunia reperta in Davidis sepulchro. 257.2.

*Finis indicis rerum notabilium.*

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# DE DIVERSIS TITULIS MARIANIS

PROMPTUARIUM

# PRAECONIBUS LAUDUM B. M. V. PERUTILE

AUCTORE

RAPHAELE COPPOLA PRESB. NEAP.

PRAELATO PROTONOTARIO APOSTOLICO AD INSTAR PARTICIPANTIUM,
IN ALMO NEAPOLITANO THEOLOGORUM COLLEGIO
S. THEOLOGIAE MAGISTRO.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHAEO DICTO DEL TASSO
Anno MDCCCLXVI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# LECTORI BENEVOLO

## AUCTOR

Sapientissimus Salomon in libro Proverbiorum (cap. 30. v. 4) sciscitatur ab eo, qui se sapientem esse praesumit, quodnam sit Dei nomen: *Quod nomen est eius* (intellige Dei). Profecto regius Psaltes fatetur admirabile esse nomen Domini (Ps. 8. v. 1.). Admirabile autem dicitur Dei nomen, quod secundum divum Hieronymum, idem est ac *non effabile;* secundum Theodoretum significat *non explicabile;* et iuxta Damascenum, idem sonat ac *non eloquibile* (vid. Le-Blanc, comm. in Ps. 8. v. 4. art. 2.§. 3). Habita proportione, idem dici potest de Deiparae nomine; et licet Evangelista Lucas (cap. 1. v. 27) dicat: *Et nomen Virginis Maria,* tamen indubium est, quod etiam Mariae nomen sit aliquo pacto ineffabile, et non eloquibile; nam eius nomen, cum sit significativum omnium charismatum et virtutum in ipsa existentium; si non effabilia sunt eius charismata et virtutes, non eloquibile aliquo pacto est etiam ipsius nomen. His non obstantibus, fidelium pietas et Sanctae Catholicae Ecclesiae auctoritas sub diversis titulis et nominibus, sive ex sacris litteris desumptis, sive eius virtutes et munia obumbrantibus, eam colit et veneratur. De praecipuis ergo et receptioribus huiusmodi titulis et nominibus consilium inivimus aliquot tractatiunculas elucubrare, ut Marianarum laudum concionatores aliquod qualecumque promptuarium prae manibus habere possint.

Heic in antecessum de duobus monitos volumus lectores: 1.° non de omnibus et singulis titulis, sub quibus Deipara colitur, sed tantum de aliquibus receptioribus, ut superius innuimus, nos sermonem instituere: 2.° mentem nobis haud fuisse conciones et homilias comptas elucubrare, sed tantum *promptuarium;* ideoque si argumenta minus quam par esset, ordinate et concinne disposita erunt, id nobis culpae minime verti debere.

S. Isidorus Hispalensis (lib. 7. ethim. c. 1.) observat, decem nominibus Hebraeos consuevisse vocare Deum, ad designandam vel eius naturam, vel aliquod suum attributum. Simili pacto sub diversis titulis honorificatur Deipara Virgo, ad significandas vel suas virtutes, vel charismata, quibus ditata fuit.

Scio quidem, dulcissima Mater mea, immaculata Maria, quod licet ego *linguis hominum loquar, aut Angelorum,* ut verbis utar Apostoli (1. ad Cor. c. 13 v.1) numquam condecenter potero tuas promere laudes: verum tum ut grates aliquo mihi possibili modo tibi rependam pro innumeris mihi collatis beneficiis; tum ut vitae aeternae ianuam, quae ob iniquitates meas occlusa mihi fuit, reserare pro meis viribus studeam, tuas laudes enarrare decrevi, Te ipsa ad hoc exhortante illis memorandis verbis (Eccli. 24. 31.): *Qui elucidant me vitam aeternam habebunt.* Tu ergo, piissima mea Domina et dulcissima Mater, quae linguas infantium saepe fecisti disertas, dignare me, indignissimum Filii tui ministrum, laudare Te. Quod si tuus Natus, benedictus Iesus, dixit (Matth. 10. 42): *Quicumque dederit uni ex minimis meis calicem aquae frigidae, amen dico vobis, non perdet mercedem suam;* Tu indulgentissima Domina, pro hoc tenui munusculo tria mihi, quaeso, ne deneges: 1.° ut tuo famulatui me mancipatum habeas, suscipiasque residuum vitae meae; 2.° ut mihi ex hac vita migranti comis et mitissima adsis (id mihi audaciae ne vertas, nam a magna et potentissima Domina magna postulanda sunt): 3.° ut ad Tuos immaculatos pedes in coelis me provolvi permittas. *In tribus beneplacitum est Spiritui* Sponsi tui, de quibus sermo est in libro Ecclesiastici (cap. 25. v. 1); in his tribus petitionibus beneplacitum sit Spiritui tuo immaculato, o dulcissima Virgo. Haec tenuium meorum sit merces satis ampla laborum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V. *inquit : Murus est continentia, antemurale est patientia.*

In Canticis Canticorum (cap. 8. v. 9) haec verba leguntur : *Si murus est , aedificemus super eum propugnacula argentea ; si ostium est , compingamus illud tabulis cedrinis* : et paulo post (vers. 10) Sponsa inquit : *Ego murus, et ubera mea sicut turris.* Haec verba optime quadrant uni beatissimae Virgini; unde facile erit illa ipsi adaptare. Habuit enim ipsa pectus virile et forte, instar muri, cui quotidie propugnacula argentea eloquiorum S. Scripturae, et inspirationum Spiritus S. inaedificabat, ut uberibus, et lacte doctrinae abundaret, lactaretque Apostolos, et ceteros fideles. Murus est Deipara, de vivis et electis lapidibus virtutum constructus, qui lapides, coemento gratiae et donorum, ita fortiter inter se cohaeserunt, ut murus ipse inexpugnabilis effectus sit. Murus per firmitatem virtutum, et turris per celsitudinem contemplationis est etiam ipsamet sanctissima Dei Genitrix. Denique beata Virgo omnibus ad se confugientibus est murus, inaccessibilis daemonibus, et omnibus hostibus, sive spiritualibus, sive temporalibus. Opportune igitur Gulielmus sci camdem Deiparam, Spiritus S. Sponsam, dulciter et pie loquentem inducit (vide a Lapide in Cantic. cap. 8. v. 10): *Porro, ex quo sensi me in utero habere de Spiritu Sancto, procul dubio tantae excellentiae, tantae potentiae, tantaeque clementiae facta sum, ut omnibus ad me confugientibus, non tantum murus sim ad muniendum, sed et mater ad nutriendum, et talis mater, cuius ubera sunt sicut turris , idest cuius materna pietas, non tantum parvulos nutriat, sed etiam, dum adhuc in nutrimentis sunt, et minus apti ad praelium, hostibus inaccessibiles faciat; cum creverint, fiducialiter processuros in campum, non tantum carnem et sanguinem, sed et spiritualia nequitiae in caelestibus provocaturo ad praelium.*



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# TITULUS VIII.

## IN QUO SIMUL DE S. MARIA COMPASSIONIS, ET DE S. MARIA REGINA SEPTEM DOLORUM, NECNON DE DESOLATIONE VIRGINIS DISSERITUR.

Inter sapientissima praecepta a divo Paulo Apostolo data fidelibus (ad Rom. c. 12 v. 15) illud invenitur: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Re quidem vera Christiana charitas hoc efficit, ut qui illam in corde habet, fratrum suorum bona, vel mala, sua propria faciat. Divus Bernardus (in serm. de S. M. Magdalene) enunciata apostolica verba commemorans, inquit: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. O quam brevi sermunculo totius religionis Apostolus depinxit insigne! quam eleganti clausula proposuit pietatem, aequitatem statuit, submovit invidiam!.. patientibus compatiens, et congaudens gaudentibus, perfectionis metam cursu consummato contingit.* Ex quibus verbis clarissime patet, quod congaudere et condolere, sunt signa perfectionis, imo actus virtutis perfectae. Hinc alibi idem Apostolus inquit (ad Galat. c. 6. v. 2): *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*; et in alio loco (ad Hebr. c. 13 v. 3): *Mementote vinctorum, tamquam simul vincti, et laborantium, tamquam, et ipsi in corpore morantes*, idest quasi habeatis unam animam, et sitis in corpore fratrum vestrorum patientium, suas tribulationes, veluti vestras reputantes.

Sed nunc quaestio insurgit, nempe utrum perfectius sit gaudere cum gaudentibus, an flere cum flentibus. Huic difficultati facili negotio respondetur verbis Ecclesiastes (cap. 7. v. 3. et 5): *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii..* et: *Cor sapientum ubi tristitia est, et cor stultorum ubi laetitia.* Melius est, inquam, ire ad domum luctus, 1. quia huiusmodi domus est schola sapientiae, ibique monemur, quod tribulationes inductae sunt in mundum per peccatum; 2. quia sic facilius et perfectius charitatem possumus exercere: gaudere enim cum gaudentibus, et ire ad domum convivii animo sincero, etiam charitatem demonstrat, per quam felicitati aliorum non invidemus, et consolationes proximorum nostras facimus; verum hoc non adeo difficile est. Ad domum autem luctus ire, et flere cum flentibus est magis arduum; nihil enim sic probat amicum, quam amici oneris portatio.

Si ita res se habet, quisquis videt, quod quamvis laudabile admodum sit de sublimitate honoris et donorum B. M. V. et de eius gaudiis gaudere et laetari, tamen illius materno cordi dulcius et gratius accidit si acerbissimos dolores, quos ipsa passa fuit consideremus, et de iisdem condoleamus.

Sed quando dolores passa est beatissima Virgo?. De hoc argumento sermonem instituere volentes, hanc tractationem dividimus 1.° in dolores, quos Deipara passa est antequam Christus crucifigeretur: 2 tempore eiusdem crucifixionis; 3. denique post Iesu Christi mortem, et in tempore, qui dicitur suae desolationis.

### I.

### *De doloribus B. M. V. antequam Christus crucifigeretur.*

#### *Advertentia.*

Antequam ad disserendum de Virginis Deiparae doloribus veniamus, observandum est, quod a fidelium devotione septem dolores enumerantur, nempe 1. Simeonis prophetia 2. fuga in Aegyptum 3. dispersio pueri Iesu duodennis in templo 4. occursus Deiparae Filio Crucem ferenti, in itinere ad Calvariae montem 5. praesentia eiusdem iuxta Crucem, dum Christus animam efflavit 6. depositio corporis Iesu e Cruce in sinum Matris 7. tandem sepultura dulcissimi sui Nati. Huiusmodi septem dolorum recensitio fundamentum habet in septem responsoriis, quos Ecclesia recitat post septem priores lectiones matutini, in officio festi septem dolorum B. M. V., quod celebratur in tertia dominica mensis Septembris. Ex quo etiam eruitur, quod in huiusmodi festo recolendi proponuntur septem dolores nuper enunciati; in alio festo vero, quod celebratur feria sexta post domini-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cam Passionis, proponitur tantum Deipara iuxta Crucem Filii sui stans.

Verum, licet recensitio septem dolorum talis sit, qualis paulo superius a nobis commemorata est, tamen quia non desunt scriptores, qui, a circumcisione D. N. I. C. incipiunt enumerationem eorumdem, nos ipsorum exemplum sequendum duximus, ad commodum illorum qui longius protrahere cupiunt meditationem ipsorum dolorum; maxime quando iidem sacri oratores post sermones, qui fieri solent in septem feriis sextis, quae praecedunt festum de memoratis septem doloribus, debent etiam concionari in die festo; et insuper in pio exercitio, quod celebrari solet in memoriam desolationis eiusdem dolentissimae Deiparae. Igitur qui servare cupiunt ordinem in Ecclesia receptum, et Ecclesiae liturgiae innixum, id facili negotio efficient praetereundo tantum paragraphos superfluos, et recurrendo ad tractationes sequentes pro doloribus 5.° 6.° et 7.° Nos ordinem temporum sequemur.

## I.

### *Dolor Virginis in Circumcisione Iesu.*

*Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.*

Divus Lucas Evangelista (cap.2.v.21).

Die octava a nativitate, benedictus fructus virginei ventris Iesus Christus circumcisus fuit. Non latebat Virginem Deiparam, infantem suum legi circumcisionis a Deo latae non teneri. Duabus enim de causis circumcidebantur Iudaeorum infantes; tum ut hoc veteris legis sacramento liberarentur ab originali peccato; tum ut externo hoc signo a ceteris nationibus separati, populo Dei adnumerarentur. Sciebat sane Virgo Deipara, has causas in Christo locum non habere, quippe quia, cum ipse esset destructor peccati, cuiuscumque culpae erat omnino expers: et praeterea probe noscebat Deipara, quod Iesus non venerat in mundum, ut pertineret ad unam Iudaicam nationem, sed ut ex omnibus mundi nationibus, a solis ortu usque ad occasum, Ecclesiam sibi efformaret.

Ex alia parte benedicta Virgo cognoscebat rationes, ob quas decebat filium suum circumcidi (apud divum Thomam huiusmodi rationes expositae reperiuntur, et quiquis eas legere cupit, adeat 3 partem Summ. quaest. 37. art. 1. - fuse etiam huiusmodi rationes adductae sunt a doctissimo Carthagena de sacr. arc. I. C. lib. 4. hom. 1. 2. 3. et 4:), ac praecipue ut ostenderetur veritas carnis humanae Iesu Christi; ut tolleretur Iudaeis quivis praetextus, ne eum reciperent, si esset incircumcisus etc: Cognoscebat insuper, hanc esse Dei voluntatem; et idcirco illum circumcidit.

Heic quaeri potest, num Beata Virgo suis manibus Filium suum circumciderit. Ad huius difficultatis enodationem, praestat sententiam referre Abulensis (sup. Iosue), qui observat, ministrum circumcisionis non fuisse certum, sicuti infertur ex capite 4. Exodi, et ex cap. I lib. I Machabaeorum, ubi legimus, a multis matribus proprios filios fuisse circumcisos. Et quamvis, circumcisione existente in veteri lege, veluti praestantissimo omnium sacramento, videri posset eius administrationem ad Sacerdotes pertinuisse, nullus tamen in sacris litteris locus est, qui nos id cogat asserere: unde non expedit, ut a nobis haec necessitas certi ministri praecepto circumcisionis imponatur. Non desunt etiam qui censent hoc officium a divo Iosepho fuisse persolutum: verum probabilius alii putant, Deiparam Virginem Filium suum dulcissimum circumcidisse. Re quidem vera in libro Exodi (cap. 4. v.25) legimus, quod Sephora, uxor Moysis, cum intellexisset virum suum esse in vitae periculo, ob neglectam filii sui circumcisionem, *tulit acutissimam petram, et circumcidit praeputium filii sui.* Item ex I. libro Machabaeorum (cap. I. v. 63) colligimus, quod feminae quaedam, circumcisionis observandae zelo accensae, contra Antiochi praeceptum id vetantis, *circumcidebant filios suos, et* (propterea) *trucidabantur secundum iussum regis.* Similiter ex libro 2. Machabaeorum (cap. 6. v. 10) scimus, quod *duae mulieres delatae sunt natos suos circumcidisse: quas infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros praecipitaverunt.* Ex allatis ergo Scripturarum testimoniis liquet, non debere necessario circumcisionem operari a sacerdotibus, vel a viris; et aliquando etiam ab ipsis matribus peractam fuisse. Probabiliter ergo Deipara Virgo suis manibus benedictum Iesum filium suum circumcidit; et posito etiam quod tantum consenserit, ut ab alio circumcideretur, id nihil officeret argumento, quod evolvimus.

Hanc autem caeremoniam a Deo Abrahae praeceptam (Genes. 17. 10) considerare operae pretium est, tum ex parte pueri Iesu, in cuius persona perficiebatur, tum ex parte Deiparae Virginis, quae probabiliter, uti nuper diximus, illam peregit.

Ex parte pueri Iesu attendenda est 1. infantilis et tenera nimis sua caro, in qua, vix post octiduum a nativitate, illam durissimam incisionem pati debuit: caro autem illa tanto magis delicata erat, in quantum efformata fuit, non aliorum hominum more, sed virtute Spiritus Sancti, ex purissimo et virgineo sanguine beatissimae, semperque Virginis Mariae. Iam vero Angelicus Doctor docet (1. p. quaest. 25 6. ad 4), quod humanitas Christi, ex hoc, quod est unita Deo, non poterat fieri melior; et alibi idem S. Thomas docet, quod opera, quae fiunt immediate a Deo, sunt perfecta. Sed talis est humana Christi caro, de Spiritus Sancto concepta. Ergo nulla caro magis tenera, quam caro infantis Iesu. — 2.° attendi debet, quod Iesus, aliter ac caeteri pueri, habuit usum perfectum rationis a primo suae conceptionis instanti; ipse enim, ut inquit Apostolus (ad Hebr. c.10.v.5), in ipso momento unionis hypostaticae, perfecte seipsum obtulit hostiam aeterno Patri, suo tempore mactandam. *Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... tunc dixi: ecce venio. In capite libri scriptum est de me.* -- Si ergo Iesus a primo suae conceptionis instanti habuit usum perfectum rationis, profecto sensit in infantilibus tenerrimis suis membris dolorem circumcisionis.

2° Haec omnia optime cognoscebat beatissima Virgo; hisce autem non obstantibus, ipsa prima Filium suum ad sanguinem pro nobis hac circumcisione fundendum dedit; prima omnium cruentum Filii sui sacrificium pro nobis, proque toto humano genere Deo Patri obtulit. Non poterant tunc temporis omnes eius cogitationes purpureo infantis Christi sanguine non intingi: memor tamen verborum Domini (Exod. 22.29.): *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi;* memor quoque divinae voluntatis, per quam a se tale sacrificium expetebatur, difficultatem illam in exponendo filium suum sanguinis effusioni invicto animo superavit.

Id sine maximo et inexplicabili eiusdem Virginis dolore, absque ulla dubitatione locum habere non potuit. Causae autem tanti doloris, praeter nuper allata, videntur tres 1. peccata hominum, quorum tantam intelligebat esse malitiam, ut nisi effuso sanguine Filii sui, expiari non possent. Dolebat igitur, illis divinam maiestatem offendi, dolebat tot hominum myriades ad inferos deturbari; dolebat denique, suum et aeterni Patris Filium, ad tollenda peccata sanguinem fundere, acerba pati, mortemque oppetere debere. Hunc dolorem renovabat suavissimus infantis Iesu aspectus, cuius quoties contemplabat tenellas manus cruci affigendas, infantiles pedes perforandos, parvum caput spinis pungendum, et, ut Tertulliani verbo utar (lib. de coron. milit.), *languinandum*, ceteraque corporis membra flagellis diverberanda, sputis deformanda, pugnisque contundenda, interno dolore cruciabatur. Non enim verisimile est, Matrem Dei, nobilem illam prophetissam et prophetarum reginam, haec secreta Filii sui ignoravisse, quae Prophetis ipsis, multum illi inferioribus, a Spiritu Sancto revelata fuerant - 2° Altera doloris B.M.V. causa derivabat ex hominum ingratitudine, pro quibus tam acerba subire videbat, pluraque subiturum sciebat Filium Dei. Dolebat siquidem, quod tam pretiosus sanguis Iesu Christi, tanto dolore fusus, tantaque charitate datus, adeo parvipenderetur, tam parum recogitaretur, et tam facile abiiceretur. - 3.° Denique ultima beatissimae Virginis doloris causa in circumcisione infantis Iesu, ortum habuit, uti superius innuimus, ex cognitione magnitudinis et intensitatis dolorum, quos, ad differentiam ceterorum puerorum, Filium suum, propter corporis teneritudinem, nobilissimamque complexionem sustinere, non ignorabat. Et quidem in hac incisione, quae cultro lapideo fiebat, in tam tenella aetate, dolor non potuit non esse acerbissimus.



Tametsi Maria Virgo Deipara incredibili dolore angeretur, Filiique dolores faceret suos, nihil tamen egit ad impediendam huiusmodi circumcisionem, imo potius, vel illam propriis manibus ipsa perfecit, vel saltem consensit ut a divo Iosepho, vel ab alio exequeretur. De hoc cordis dolore questa non fuit, nullam impatientiae significationem dedit, sed apud seipsam sui animi angustias et tribulationes pressit, et patienti animo toleravit.

Comparatione instituta inter B.M.V. dolorem, et inter tribulationes, quas nos iuste pro peccatis nostris patimur, quodnam discrimen interest inter aequanimitatem et patientiam eiusdem, et inter nostras intolerantias?

Eia, dolorosa Virgo! sanguinem pretiosum tenelluli infantis Filii tui, quem in eiusdem circumcisione, uti pie credendum est, tam diligenter colligere et asservare studuisti, pro nobis aeterno Patri offer, ut unam pretiosi istius sanguinis guttulam, ad purgandas animae nostrae sordes, et ad impetrandam gratiam patientiae in tribulationibus, nobis clementer applicare dignetur.

## II.

### Dolor Virginis ob Simeonis prophetiam

*Benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur; et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

*Luc. 2. 34.*

Impletis diebus a lege constitutis, Maria et Ioseph tulerunt puerum Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. Etiam huic legi Deipara sponte se submittere voluit, quamvis ad illam non esset obligata: stetit igitur in atrio immundorum, more ceterarum puerperarum; obtulit Domino pro sua purificatione, non agnum, quem offerre debebant divites, sed hostiam pauperum, scilicet duos turtures, aut duos pullos columbarum. Verisimile est etiam, purissimam Virginem, quae velut immunda ad templum venit, aspersam fuisse aqua cinerea vitulae rufae; illa enim erat quasi aqua lustralis in omni purificatione. Tandem obtulit infantem suum aeterno Patri, illumque e manu Sacerdotis per aliquot nummorum solutionem redemit. Interea Simeon, vir iustus et timoratus, accepit eum in ulnas suas; et quoniam Spiritus Sanctus erat in eo, qui ipsi secreta coelestia revelaverat, veluti cygnus iam imminentis suae mortis praescius, suavissime cecinit canticum amoris, et ardentissimi desiderii sui moriendi in pace. Deipara Virgo, et beatissimus Patriarcha Ioseph, erant mirantes

de magnalibus, quae de Iesu a Simeone et Anna dicebantur. Mirabantur, inquam, vel quia, licet Deipara prophetiae dono inclaruerit, et omnia in genere cognoverit circa mundi redemptionem a Iesu peragendam, tamen potuit non scire aliqua accidentalia, seu circa modum, quo redemptio ipsa compleri debebat: vel mirabantur, prout admiratio exprimi solet ab aliquibus in narratione rerum mirabilium, quamvis illarum rerum iam praescii erant. Verum, postquam Simeon benedixit ambobus sponsis, scilicet Mariae et Iosepho, ad Mariam convertitur, illique sic fatur: *Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum etc.* — Quare ad solam Virginem sermonem dirigit Simeon, potius quam ad Ioseph? Doctissimus a Lapide respondet, quod 1. id fecit quia ipsa sola vera et naturalis Mater erat Iesu; Ioseph autem erat eius pater tantum per denominationem, et in hominum opinione 2. quia Ioseph probabiliter debebat iam esse mortuus ante annum trigesimum vitae Christi, eo scilicet tempore, quo Simeonis praedictio compleri debebat; et quoniam solius Deiparae cor ob Christi passionem debebat tam vehementer angi, idcirco illi tantummodum directa fuerunt Simeonis verba.

Audiens benedicta Virgo ex prophetico ore illius iusti senis ea, quae Filio suo et sibi contingere debebant, acutissimo doloris gladio transverberata fuit. Non me latet, obiici posse, quod si Sanctissima Dei Genitrix, etiam ante Simeonis vaticinium dono prophetiae praedita erat, non est cur dicamus ipsam in illa occasione dolorem profundissimum in corde sensisse, cum nihil novi ab ipso sciverit.

Antequam hanc difficultatem enodemus, sciendum est, non posse in dubium verti, beatissimam Virginem gratia plenam fuisse, nam ita ab Angelo salutata fuit (Luc. 1. 28). Huiusmodi gratia tanta fuit, ut secundum celebriores theologos, non solum in termino vitae, sed etiam in primo conceptionis instanti superaret gratiam consummatam omnium Sanctorum hominum et Angelorum, simul sumptorum (vide Suarez tom. 2. in 3. part. div. Thom. disp. 3. sect. 1., et alios etiam theologos). Decebat equidem quod illa, quae a primo suae conceptionis instanti ad dignitatem electa erat, quae longissime superat dignitatem hominum et angelorum simul sumptorum, gratiam haberet dignitati suae proportionatam (vid. div. August. lib. de nat. et grat. cap. 36. et div. Thom. 3. p. quaest. 7. art. 10). Quoniam autem in ipsa non fuit culpa, nec etiam potuit esse poena ipsi culpae respondens, nempe ignorantia, saltem privativa, quae consistit in carentia scientiae suo statui debita. Sed cum gratia dividatur in illam, quae Deo *gratum facit*, et in illam, quae a Deo *gratis datur;* cumque de prima nulla quaestio esse possit, quod illa Deipara praedita fuit, examinandum solum est num etiam gratias gratis datas habuerit. Quod habuerit scientiam infusam ab ipso primo suae conceptionis instanti, videtur certum, secundum theologos. De gratiis gratis datis autem etiam affirmant doctissimi theologi, et praecipue Angelicus Doctor divus Thomas, qui (3. part. quaest. 27 a. 5 ad 7) inquit: *Non est dubitandum, quod B. Virgo acceperit excellenter donum sapientiae, et gratiam virtutum, et etiam gratiam prophetiae etc.* In praesenti tractatione, de aliis gratiis gratis datis non loquimur, et solum super gratiam prophetiae aliquantum immoramur, quia haec pertinet ad nostrum propositum. Huiusmodi gratia Deiparam Virginem praeditam fuisse, fatebitur quisquis solum ad canticum *Magnificat* mentem convertat. Per hanc prophetiae gratiam, ipsam cognovisse dicendum est, saltem a tempore, in quo ab Angelo salutata fuit, ea quae respiciebant opus redemptionis a filio suo Iesu Christo complendum. Cum autem non sit necessarium, quod propheta omnia sciat, sed tantum illa, quae ei a Deo communicantur, fieri potuit, quod Deipara Virgo a principio cognoverit essentialia tantum, ignoraverit vero aliqua accidentalia, circa modum, quo redemptio ad optatum finem perduci debebat.

Hisce positis, 1. dicere possumus, quod cum benedicta Dei Mater a Simeone distincte et praecise audierit aliqua relate ad passionem Filii sui, quae tantum in confuso et quoad essentialia ab ipsa iam cognoscebantur, idcirco ex hac praedictione dolorem maximum sensit. 2. affirmare etiam possumus, quod licet alicui iam aliunde nota sint, quae ipsi contingere postea debent, negari nequit, quod si eaedem res ab alio ad suam mentem reducantur, ex huiusmodi recordatione consequitur gaudium, vel tristitia, prout res quae praevidentur sunt prosperae, vel adversae. 3.° Potest etiam addi, quod res a Simeone Deiparae praedictae, quamvis iam ab illa praevisae, tamen, eo quod iam ex ortu Christi, eiusque ad templum praesentatione iam ad suam exequutionen appropinquabant, cor immaculatum et amorosissimum Virginis magis transverberabant. Igitur quemadmodum Mardochaeus somnium habuit, in quo vidit parvum fontem, qui *crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit* (Esth. cap. 10. v. 6.); sic dolor Virginis crevit eundo, et lux superna, quae velut aurora prius eius mentem illuminaverat, processit progressive usque ad perfectam diem, et in lucem solemque conversa fuit. Et quemadmodum Christus, quamvis semper clare cognoverit ea omnia, quae pati pro hominum salute debebat, tamen, appropinquante magis passione, *coepit pavere, taedere, et moestus esse* (Matth. 26. 37); sic etiam dici potest de beatissima eius Matre.

Praevisio alicuius mali certo futuri solet aliquando maiorem dolorem afferre, quam ipsum malum quando advenit, quia saepe phantasia illum repraesentat tristiorem, quam reipsa est. Id locum non habuit in beatissima Virgine, in cuius mente amplificata non apparuit idea passionis Iesu Christi. Verum nemo negabit, quod si hic prospectus a Simeone prius, et postea ab Anna prophetissa Deiparae exhibitus, amplificatus non apparuit, fuit certe ad vivum repraesentatus; ideoque magnum et incredibilem dolorem illi attulit. — Nathan propheta praenunciavit



Davidi mortem illius filii, quem ex adulterio cum Bethsabeae procreaverat. *Dominus transtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur* (2. Reg. cap. 12. v. 14). Coniectari nobis licet, quantus dolor sequutus fuerit Davidi ob nuncium mortis filii sui: verum 1.° poterat hoc decretum Domini esse conditionatum, veluti decretum exterminii civitatis Ninive, quod perfectum non fuit, ob poenitentiam Ninivitarum: 2.° posito etiam quod huiusmodi decretum non deberet dici conditionatum, dolor cordis Davidis fuit magna ex parte temperatus 1.° a nuncio veniae iam a Deo impetratae, 2.° ab assecuratione habita, quod non moreretur ipse David 3.° ab idea quod filius in innocentia mortuus, salvus esset evasurus. At nihil Deiparae Virginis dolorem temperare potuit, ob Simeonis vaticinium.

Similiter et Saul, cum impie per Pythonissam suscitasset Samuelem iam mortuum, et ab eo sciscitasset quid sibi obventurum esset in praelio contra Philistiim, Samuel respondit (1. Reg. cap. 28 v. 15): *Faciet tibi Dominus sicut locutus est, et scindet regnum tuum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David.. et dabit etiam Israel tecum in manu Philistiim: cras autem tu et filii tui mecum eritis.* Hisce auditis, et habito nuncio imminentis mortis suae, et filiorum suorum, necnon profligationis et cladis exercitus sui, *statim Saul cecidit porrectus in terram; extimuerat enim verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa.* — Scimus etiam ex historicis, quod aliquis, tantum ex sententia suae mortis audita, tam dolorosam expertus est imminentis mali apprehensionem, ut statim canutos habuerit crines. Praeterea in libro Danielis legimus de Baltassare, qui cum epularetur sacrilege, vidit contra candelabrum in superficie parietis digitos, quasi manus hominis scribentis: *Mane, Thecel, Phares*, et cognovit advenisse finem regni et vitae suae. *Tunc*, ut ait sacer textus, *facies regis commutata est, et cogitationes conturbabant eum, et compages renum eius solvebantur, et genua eius ad se invicem collidebantur* (Dan. 5. 6.). Si igitur recensiti viri, ob praevisionem malorum imminentium, ac praecipue mortis, tantum conturbati fuerunt, quid dicemus de beatissima Virgine, cui iustus Simeon praedixit, quae Filio suo obventura erant? Scio, quod nuper commemorati homines conturbati fuerunt pro malis instantibus sibi; Simeon autem non de Maria, sed de Iesu dixit, quod positus erat *in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum*, cui contradici debebat. Verum quis ignorat Deiparam plus amasse suum filium Iesum, quam seipsam? Dum autem illius passio et mors praedicabatur, doloris gladius maternum cor pertransibat.

Patientissimus Iob dicebat (Iob. 17.11.): *Cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum.* Eadem verba proferre potuisset beatissima Virgo post propheticum Simeonis sermonem. Una cogitatio dissipata fuit, et volavit ad proximum tempus persecutionis Herodis, quando ipsa salvare debebat filium, fugiendo in Ægyptum; et ex hac cogitatione cor suum maternum torquebatur: alia cogitatio dissipata fuit ad dispersionem duodennis Iesu in templo; haec cogitatio dissipata fuit ad labores vitae privatae; illa ad vitae publicae incommoda; una ad proditionem Iudae; alia cucurrit ad sanguineum sudorem in horto effundendum. Brevi: cogitationes eius huc illuc *dissipatae sunt, torquentes cor* illius. Dum ulnas suas iustus Simeon extendebat ad puerum, menti Deiparae occurit tempus, in quo Iesus extendere debebat brachia ad Crucem: dum domi infantem reduxit, illeque sugebat lac purissimum ab uberibus virgineis, ipsa considerabat, quod sanguis, quem Filio suo subministrabat, ab illo effundi debebat in horto, in flagellatione, in coronatione, et in cruce; et a peccatoribus impie conculcandus erat. Et, ut omnia paucis perstringam, ex illo praesertim tempore, quo ex ore Simeonis prodivit illud vaticinium, nulla dies praeteriit, in qua sanctissima Mater dicere non potuerit cum Regio Psalte: *Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus* (Ps. 30.11); et *Dolor meus in conspectu meo semper.* (Ps. 37.18).

## III.

*Dolor Virginis ob Herodis persecutionem, et fugam in Ægypto.*

*Surge et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Ægyptum; futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum, ad perdendum eum.* Matth. 2. 13.

Admiranda est divina providentia, et eius arcana consilia humiliter adoranda. Potuisset Deus Angelum e coelo mittere, ut impium Herodem occideret, ne tantorum innocentium infantium a bimatu et infra, occisor existeret, neve sanctissima Iesu Christi familia tantis incommodis esset obnoxia; sed Angelus descendit quidem, verum non vadit in Hierusalem ad tollendum e medio impium tyrannum, sed in Nazareth, ad Ioseph virum Mariae, illique subitam fugam in Ægypto praecipit: *Surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum; futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum* (Matth. loc. cit.). Propheta Ieremias dicebat (cap. 12. v. 1.): *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; verumtamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur?* Patientissimus Iob etiam dicebat (cap. 21. v. 7.): *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?.. non est virga Dei super illos?* Sed paulo post subiungit: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferiora descendunt* (ib. v. 13). — Iustus est Deus

et rectum iudicium eius. Ipse tolerat impios, aut ut corrigantur, aut ut per illos boni exerceantur (div. August. in Ps. 54 ad l. vers.). In casu autem nostro permisit Deus persecutionem ab Herode suscitatam contra puerum Iesum, quia per illam persecutionem Christus ipse multum mereri debebat: insuper quia effulgere debebant eximiae virtutes Deiparae Virginis et divi Iosephi; et tandem quia ex illa resultare debebat triumphus divinae omnipotentiae, immanissimi tyranni consilium disperdentis, et inter tot puerorum funera, puerum Iesum, quem solum Herodes exquirebat, immunem a clade servando.

Vix in patriam Nazareth ex Bethleem redierant Maria, Ioseph et puer Iesus (nam post purificationem in templo Hierosolymitano, *reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth*, ut innuit Evangelista Lucas cap. 2. v. 39): vix a labore longi itineris requiescere incipiebant, et ecce praecipitur eis ab Angelo subita fuga.

Huiusmodi Angelus *apparuit in somnis Ioseph, dicens etc.* Quare ad Iosephum dignitate inferiorem, dirigitur, non vero ad Deiparam Virginem? Scio hoc factum esse quia Ioseph, licet dignitate inferior, officio tamen erat maritus, adeoque caput familiae: non me latet, Deum, absque necessitate, nunquam naturae ordinem invertere: et in naturali ordine ad virum, non ad mulierem spectat familiae directio, praesertim in rebus arduis. Verum, praeter adductam rationem, puto Deum ita disposuisse, ut benedicta Virgo plures virtutes heroicas exercere posset, et praecipue coecam et promptam obedientiam, necnon fidem, per quam quamvis visio Angeli contigerat non sibi, sed eius castissimo Sponso, tamen ipsa credidit et obsecundavit.

Amor patriae solet esse omnibus dulcis. Abrahae dixit Deus (Genes. 12. 1.): *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi.* Notandum autem est, Abraham antea domicilium habuisse in Ur Chaldaeorum, ubi multas calamitates et afflictiones passus fuerat a Chaldaeis, eo quod noluit idololatriae peccato se inquinare (S. August. lib. 16. de Civit. Dei 13 etc.). Ad haec terra, ad quam vocabatur, ipsi erat a Deo promissa, et in illa poterant sperari multa bona. Nihilominus, opus fuit divino praecepto, ut sanctus ille Patriarcha egrederetur de sua patria, et Deus ipsum allecit promissionibus quamplurimis: *Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae* (ib. vers. 2. et 3). Abraham autem, quando migravit de sua patria, *septuaginta quinque annorum erat* (ib. v. 4), et secum omnia sua ducere potuit: *Tulit Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam, quam possederant, et animas quas fecerant in Haran* (ib. v. 5.). Hisce non obstantibus, commendatur ab omnibus, et ad coelum usque attollitur Abrahae obedientia, et sacrificium quod obtulit e patria migrando. Quid autem dicemus de beatissima Virgine? Haec iubetur relinquere Nazareth, suam patriam, in qua, quamvis pauper et habscondita viveret, tamen credendum est habuisse aliquod vitae commodum, necnon parentes. Abraham vir erat, ideoque indolis fortioris; erat senex, ideoque rerum mundi habebat experientiam: Maria autem, licet iam facta esset Mater, Spiritus Sancti virtute, tamen adhuc adolescentula erat, et fortasse vix tertium vitae lostrum attingebat. Ille exagitatus, vexatusque fuerat in sua patria, quia patrare noluit idololatriae crimen; eique promissa fuit terra Chanaan, in qua verum Deum posset adorare. Contra beatissima Virgo in Nazareth poterat libere verum Deum adorare, et pergere debebat in Ægyptum, terram idololatricam, in qua falsa numina colebantur. Denique Abraham profectus fuit ex Chaldaea cum omnibus suis substantiis; Maria vero secum ducebat Iesum, qui ob infantilem suam conditionem multa cura indigebat; nihilque secum ducebat, quo itineris incommoda et pericula levare posset, cum vitam admodum pauperem duceret. Quis ergo non admirabitur Deiparae Virginis eximiam virtutem, et dolorem, quem pati debuit patriam relinquendo? Scimus etiam populum Israeliticum in Ægypto commorantem, durissimisque laboribus a Pharaone mancipatum, non sine magna difficultate a Moyse ex illo servitutis loco e ductum, licet ei magnifica terra promissa fuerit, quae lac et mel fluebat. Adeo autem difficulter ex Ægypto populus Israel egressus fuit, ut saepe saepius, per summam ingratitudinem, poenituerit suae migrationis. - Denique ex secundo libro Regum colligimus (cap. 19. v. 33), quod David rex, ut suum gratum animum ostenderet Berzellai, qui ipsi alimenta praebuerat, dum moraretur in castris, invitavit illum, ut secum descenderet: *Dixitque rex ad Berzellai: veni mecum, ut requiescas securus mecum in Ierusalem.* At Berzellai praetulit amorem suae patriae commodis, quae habere poterat in urbe magnifica, et in domo regia, responditque Davidi: *Obsecro, ut revertar servus tuus, et moriar in civitate mea, et sepeliar iuxta sepulchrum patris mei et matris meae* (ib. v. 37). Patet igitur ex adductis exemplis, et ex centenis aliis quae afferre possemus, quantum amor patriae potens sit, adeoque quantum dolorem experiri debuit beatissima Virgo dum terram suam natalem derelinquere debuit, et in Ægyptum migrare.

Multis etiam afflictionibus cor Deiparae anxiatum esse debuit ob itineris incommoda et pericula. Scio alia etiam itinera ipsam aggressam iam antea fuisse. Vix vix acceperat nuncium divinae maternitatis, perrexit in montana Galileae ad visitandam Elisabeth; deinde aliam peregrinationem suscipere coacta est, et Bethleem se conferre debuit, ut Caesaris edicto obediret. Verum, praeterquam quod haec duo praecedentia itinera breviora fuerunt, respectu viae, quae percurri debebat a Nazareth in Ægyptum: praeterquam quod in prima et altera vice benedicta Virgo non debuit egredi e medio populi Israelitici, qui veram religionem profitebatur; et contra cum Ægyptum petiit, commorari debuit in medio nationis pravae, et idolis addictae; illud in dubium verti nequit, quod quando peregrinationem suscepit ad montana Galilaeae, certa erat, quod comiter et gratanter exciperetur a piissimis suis cognatis; et quando in Bethleem se contulit, probabiliter multos alios suos concives socios habuit suae peregrinationis, et certa erat se brevi Nazareth reversuram. Nunc autem contra nigro nimis colore futurum suae menti obversabatur, eo magis, quod secum ducebat tenerrimum infantem Iesum.

Interea, statim ac Angelus in somnis Iosephum monuit de Herodis persecutione, illico sanctissima illa familia fugam arripuit. Non sunt diu immorati in paranda supellectili, non onerarunt iumenta, non impleverunt sarcinas, non dixerunt vale cognatis et amicis, sed, dum nox adhuc tenebras longe lateque diffundebat, pauperes, ac bonis omnibus terrenis destituti, iter arripuerunt.

Quaerunt Sacrae Scripturae interpretes utrum terra, aut mari in Ægyptum migraverit Deipara cum Filio et divo Iosepho (qui citationes velit auctorum circa praesentem quaestionem, aliasque sequentes, consulat a Lapide, Calmet sup. cap. 2. Matth. vel etiam Carthagen. lib. 9. hom. 9.). Certum est, civitatem Nazareth non longe distare a mari, et multo breviori ac faciliori modo sacram familiam potuisse pergere in Ægyptum via maritima, quam via terrestri. Re quidem vera, via terrestris de Iudaea in Ægyptum, a civitate Gaza, quae pertinet ad terram Chanaan, usque ad civitatem Cairam in Ægypto, est, et erat quasi tota deserta. Quamvis autem haec via terrestris esset longior, nec periculis innumeris careret, tamen communior et sanior pars doctorum (vid. Abulens. in cap. 2. Matth.) tenet, quod electa fuerit a sanctissimis coniugibus, quia probabiliter existimarunt, graviores esse difficultates viae maritimae, praesertim ob necessitatem expectandi in portu opportunitatem alicuius navis illuc profecturae, ob tempestatum probabilitatem in hiemali tempore etc.

Praeterea consideranda sunt latronum pericula, quibus in peregrinatione subiecta fuit excelsa Iesu familia; estque pia quaedam traditio, quod bonus latro, qui in cruce Paradisi promissionem a Christo moriente promeruit, vitam Iesu salvavit, dum infans ducebatur in Ægyptum, illum redimendo e manu suorum sociorum latronum, qui pecuniam exigebant, quam Ioseph et Maria, ob suam paupertatem, dare nequibant. Sileo etiam defectum cibi, potus, et hospitii; silentio praetereo longitudinem et difficultatem viae, magna ex parte saxosae et incultae. Heu! quo doloris gladio sauciatum fuit amantissimum et dulcissimum cor benedictae Virginis!

Circa locum, in quo sanctissima familia commorata fuit in terra Ægypti, non una est opinio. S. Anselmus, S. Thomas, S. Bonaventura, Hugo Cardinalis, et Abulensis putant, Deiparam in civitate Heliopolis habitasse. Alii auctores in diversas abeunt sententias; verum maior illorum pars consentit, quod si non in dicta civitate, saltem in locis illi adiacentibus puer Iesus cum Matre et putativo suo Patre domicilium fixit.

Alia quaestio insurgit circa tempus mansionis in memorato exilio. Divus Epiphanius censet, biennio post Christi nativitatem Herodem obiisse, et illico Iesum reductum fuisse in terram Israel. Alii auctores ad tres annos extendunt exilii tempus, alii ad quinque, ad sex; et non desunt qui usque ad novem annos protrahunt. Inter tantas opinionum varietates hoc pro certo habendum est, quod non brevis fuit illa mora, quodque Iesus, Maria, et Ioseph in Ægypto commorati sunt usque ad obitum Herodis; inquit enim Evangelista Matthaeus (cap. 2. 19): *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel, defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri.* Quis autem non videt mirabile patientiae et longanimitatis exemplum praestitum a Deipara Virgine in illa non brevi mansione? Ipsa Filium suum secum habebat, Deum verum, qui ad salvandas omnes gentes venerat, et cui soli debetur honor et gloria; et interim propriis oculis videbat Ægypti populum idolis thura et sacrificia offerre. Acerbissimus hic dolor cor Virginis transverberabat mirum in modum. *Noctes laboriosas* (Iob. c. 7. v. 3) ipsa numeravit, et *pane lacrymarum* (Ps. 79. v. 6) cibavit se.

O admirabilis divina providentia! Olim Pharao in Ægypto, timens Hebraeos crescentes, lege adegit obstetrices, ut adveniente partus tempore mulierum Hebraearum, occiderent masculos. Deinde, quoniam obstetrices prudenter se ab hoc impio praecepto implendo subtraxerunt, praecepit, quod *quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiiceretur* (Exod. cap. 1). Tamen ex huiusmodi morte, divina providentia, servatus fuit infans Moyses, qui primum a matre absconditus per aliquod tempus, deinde inclusus in fiscella scirpae, bitumine ac pice linita, expositus fuit *in carecto ripae fluminis* (Exod. cap. 2. v. 3); et nunc Herodes, timens natum Regem Iudaeorum, de quo a Magis audierat, iubet occidi *omnes pueros, qui erant in Bethleem et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra* (Matth. 2. 16); et tamen ex huiusmodi morte, divina providentia, et prodigiose servatur unicus ille puer, quem impius tyrannus timebat, a Virgine matre sua in eodem Ægypto absconditus, ubi iussu Pharaonis alia innocentium exterminatio locum habuit.

Sic etiam ex libro secundo Paralipomenon colligimus (cap. 22. v. 11), quod *Iosabeth filia regis tulit Ioas filium Ocoziae, et furata est eum de medio filiorum regis, cum interficerentur, abscondique eum ...... Fuit ergo absconditus sex annis, quibus regnavit Athalia super terram.* Ad rem autem S. Crysologus (hom.

151) inquit, quod quemadmodum Iosabetha filia regis abscondit Ioas infantulum regium, ne ab Athalia impia femina semen omne regium extingueretur, ipsumque parvulum clam nutriendum curavit ad regni Israelitici spem; pari modo Deipara Virgo *mundi totius salutem in uno parvulo positam cernens, ad spem regni coelestis ipsum aeternitatis haeredem, fuga nobis et latebris, conservavit.*

Doluit igitur beatissima Virgo pluribus de causis: 1. quia exilium a patria adnumeratur inter graviores tribulationes; nam quum Deus voluit enormi poena mulctare Cain, inquit illi: *Vagus et profugus eris super terram*: 2. doluit ob incommoda longi itineris in maxima paupertate suscepti; idque non tam pro se, quam pro tenero infante Filio suo, et pro castissimo suo Sponso. 3. doluit in mora plurium annorum, quam traxit in illa terra idolorum cultrice: 4. doluit ob innocentium puerorum cladem, et ob matres illorum, quae inconsolabiliter plorabant.

Studeamus, ne et nos simus velut alteri Herodes, et per peccatum quaeramus *puerum ad perdendum eum*, sed potius ab exilio sanctissimae Iesu familiae gratiam mutuemus, qua huius vitae exilium patienter et absque culpa sustinere, et deinde ex exilio ad patriam pervenire possimus.

## IV.

*Dolor Virginis in dispersione duodennis pueri Iesu.*

*Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te.*
*Luc. 2. v. 48.*

Ex quo beatissima Virgo cum Filio, et castissimo suo Sponso Iosepho ex Ægypto rediit, habitavit in Nazareth, sicut scriptum est in Evangelio Matthaei (cap. 2. v. 23): *Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est: Quoniam Nazaraeus vocabitur.* Ex illo loco, pro more Iudaeorum, sacra illa familia Ierusalem veniebat ad celebrandas ibidem solemnitates. Permulta erant Iudaeorum festa, nempe festum Sabbati, Paschatis, Pentecostes, festum tubarum, festum expiationis, festum tabernaculorum, festum coetus sive collectae, festum Neomeniae, festum encaeniorum etc. (vide a Lapid. in Levitic. cap. 23. v. 2). Ex hoc colligi potest quantum stulti sint, qui de nimietate festorum apud Christianos queruntur. Illarum solemnitatum praecipuae erant tres, scilicet 1. solemnitas Paschae Azymorum, quae celebrabatur die decimaquarta primi mensis Hebraeorum, nempe *Nisan*, qui respondet mensi Martii; et instituta erat in memoriam exitus de Ægypto: 2. solemnitas Hebdomadarum, idest Pentecostes, in memoriam legis a Deo Moysi datae: 3. tandem solemnitas tabernaculorum, quae dicebatur etiam Scenopegiae. In hac solemnitate Hebraei tabernacula figebant in locis templo adiacentibus, et in illis habitabant per septem dies, in memoriam protectionis divinae, qua Deus eos peregrinantes in deserto, et habitantes per 40 annos in tabernaculis, cumulavit.

Nunc inquirendum est, in quanam ex dictis tribus principalioribus solemnitatibus locum habuerit dispersio duodennis pueri Iesu. Certum est ex Evangelio, hoc evenisse in solemnitate Paschae, nam inquit divus Lucas (cap. 2. v. 41): *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschae.* Duplici de causa ad templum convenire debebant Iudaei, scilicet 1. ad adorandum Deum publice, 2. ad offerendas oblationes.

Ad memoratas solemnitates mulieres non obligabantur ex praecepto; Christus autem Dominus ad eas non erat adstrictus, quia legi superior, quamvis ex divino praecepto filii ad id tenerentur, uti patet ex Exodo (cap. 23. v. 17): *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo*; et ex Deuteronomio (cap. 16 v. 16): *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit.* Nihilominus certum est ex super allegato Evangelii textu, quod saltem ad primum ex dictis solemnioribus festis, nempe Paschae azymorum, Deipara singulis annis consueverit cum suo Sponso Iosepho, se Ierosolymis conferre. Maxime enim decens erat, ut beata Virgo, quae in omni genere virtutum erat heroica et eminentissima, religionis quoque foret quammaxime studiosa, et ad celebranda festa diligenter conveniret.

An Christus antequam annum duodecimum suae aetatis attingeret, ad solemnitates cum Deipara et cum divo Iosepho accesserit, non est certum: verum existimandum est, quod infantia expleta et pueritia inchoata, quando iter a Nazareth in Ierusalem Iesus perficere poterat, ipse ad solemnitates templi, una cum suis parentibus, se contulerit. Hoc autem pro certo habendum est, quod anno duodecimo suae aetatis ad festum Paschae azymorum venerit.

Impletis religiosis functionibus, Maria et Ioseph, *cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius* (Luc. loc. cit.). Quomodo haec dispersio locum habere potuerit, litigant interpretes Evangeliorum. Chrysostomus Lusitanus (tom. 2. de verb. Dom.) refert opinionem quorumdam, qui tenent, quod, cum in templo separatae essent feminae a viris, liceretque parvulis filiis patribus, vel matribus adhaerere, facile potuit puer Iesus ab illis discedere, in eodem templo manens, quia unusquisque parentum, eum esse apud alterum prudenter existimare poterat. Haec sententia iure merito exploditur. Altera sententia est ven. Bedae, qui (in cap. 2. Luc.) asserit, Israelitas e festo redeuntes solere incedere in choris distinctis, scilicet seorsim viros, et seorsim mulieres; pueros vero pro libito solere vel patrem comitari, vel matrem. Haec etiam sententia improbatur a Card. Toleto et a Maldonato, quia ex Evangelio constat, parentes simul existimasse, illum esse *in comitatu.* Baradius (in cap. 2. Luc.) cum aliis tenet, ante templum esse atrium distinctum cum suis porticibus pro viris, aliumque pro mulieribus. Cum autem diversimode a diversis haec dispersio explicetur, quisquis liber erit illi adhaerere, quae magis consona rationi et textui evangelico videtur: nos, praeteritis iis, quae ad eruditionem potius spectant, ad dolorem, quem Virgo ex Filii dispersione sensit, gradum facimus, illudque solum dicimus, quod quemadmodum antiquus Ioseph, filius Iacob, cum sexdecim esset annorum, ex patris mandato et amore fratrum, ivit ad hos quaerendos; sic Christus, cum duodecim esset annorum, ex mandato aeterni sui Patris, ivit in templo ad quaerendos suos fratres, et matrem deseruit.

Commensurari huiusmodi dolor certe nequit. Ponderari opus esset amor matris erga filium, et talis matris erga talem filium, ut argui posset dolor pro eiusdem amissione.

1.° Cogitationes aliquot affligere mirum in modum cor benedictae Virginis potuerunt. Timotheus presbyter Ierosolymitanus (orat. de prophet. Simeon.) existimat, hanc cogitationem in mente Deiparae irrepsisse: Numquid filius meus mortuus est? Verum huiusmodi cogitatio locum habere non potuit, nam sanctissima Virgo Scripturas probe noscebat, et cum esset plena sapientiae, sciebat Christum in cruce in virili aetate moriturum. Origenes (hom. 19) putat Deiparam cogitare potuisse, quod suus Filius flagitiis et criminibus Hebraeorum irritatus, reversus esset ad coelum. Haec etiam sententia parum verisimilis existimanda est. Sunt qui docent, Beatissimam Virginem potuisse cogitare, quod ex defectu suae diligentiae Christus dispersus fuerit. Aliis adfirmare placet, sanctissimam Deiparentem dubitare potuisse, si forsan decrevisset Jesus solitariam vitam agere, et idcirco a suo consortio segregatus esset. Quidquid autem sit de variis huiusmodi cogitationibus, certum est duplicem hanc cogitationem in Virginis mentem venisse. 1.° Probabiliter Jesum inter ignotas personas degentem, multis incommodis, et penuriae rerum ad victum necessariarum laborare: 2 ipsam non habere secum Filium, quem tam ardenter amabat, et incertam esse de diuturnitate, aut brevitate absentiae eiusdem. — Cogitare debuit amantissima Mater, quomodo Jesus reficeretur, quis victum ei subministraret, num apud aliquem somnum capere posset. Sciebat equidem, Jesum esse Deum, et vel abstinere posse a cibo, quemadmodum postea fecit, per quadraginta dies ieiunando, vel Angelorum ministerio cibari posse, sicut in deserto ei contigit. Sciebat etiam Filium tanta sapientia, venustate et gratia praeditum esse, ut probabiliter doctores templi, aliique Iudaei illum audientes, ad propriam mensam invitare potuerint. Forsan etiam ad pauperum hospitium divertere poterat, vel victum ostiatim quaeritare. Quomodocumque autem res se habeat, certum est, hisce cogitationibus Deiparae mentem mirum in modum anxiatam fuisse.

II. Nunc ad gravitatem doloris, quo Virginis cor fuit transverberatum, gradum faciamus. Ex cogitationibus tristibus, quae menti obversantur, sequitur cruciatus et dolor, qui in corde sentitur. Non desunt, qui adfirmant, praecise de hoc dolore locutum fuisse Simeonem, nempe de dispersione duodennis Iesu, cum dixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (Luc. cap. 2.) — Tempus determinatum assignari non potest, quo primum B. Virgo agnovit, puerum Iesum ab ea discessisse. Sacer textus sic loquitur (Luc. loc. cit.): *Venerunt iter diei,... et requirebant eum inter cognatos et notos.* Videtur itaque quod noctis tempore adventante, quando sacra familia ad hospitium divertere debebat, tunc primum de absentia Pueri sanctissima Virgo certa facta fuit. Ingenti dolore tunc affecta, in verba Ruben prorumpere debuit, quando Ioseph, sexdecim annorum, ad cisternam, ubi illum putabat esse, non invenit (Genes. 37 30): *Puer non comparet, et ego quo ibo?*

- 1. Dolor hic derivabat ex conditione matris et talis matris. Ursa ipsa, ferox animalis, si catuli ei rapiantur, saevit: vacca etiam, abstracto vitulo, prae dolore mugit: columba, ablato illi pullo, gemebunda querulis vocibus clamat: tandem, ne in longum abeam, ovis, perdito agno quem peperit, et non invento, non solum per prata cursitat, sed per gemebundos balatus videtur agnum ipsum undique efflagitare. Si igitur in ipsis irrationabilibus animalibus tantum potest maternus amor, quid dicemus de dolore sanctissimae Virginis ob Filium amissum?

Ad haec, si Heva, propter paradisum terrestrem amissum, summo dolore affecta fuit; quo, quaeso, dolore affici debuit dulcissima Virgo cum suo sponso Iosepho, cum se agnoverunt puero iam privatos, qui eis vere erat paradisus voluptatis? — De matre Sisarae legimus, quod oppresso animo erat propter dilationem adventus filii sui, et per fenestras aspiciens si forte adventasset, quamvis prosperis eventibus illum frui cogitaret, tamen dolenter exclamabat (Iudit. 5 30: *Forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur ei*: — Denique de Anna matre iunioris Tobiae scimus, quod cum filius nondum domi ex itinere redierat, per cacumina montium conscendebat, ut si cum eminus venientem cerneret, marito nunciaret; quem tamen, cum clusa non videret, querebunda exclamabat (Tob. cap. 10): *Heu, heu me, fili mi! ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrae?!* At maior certe, immensaque esse debuit amaritudo et angustia, quam amantissima Deipara cum suo Sponso sensit ob Iesu duodennis amissionem. Haec autem amaritudo non una die perduravit, sed altera etiam, et tertia die. Huc, illuc, per diversa hospitia, per domos, per vias campestres, et per vias civitatis, eundo centies in Ierusalem, et centies



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

absque fructu redeundo, per diem et per noctem, semperque dolenter, illa Sponsae verba repetere debuit (Cant. 3): *Quaesivi quem diligit anima mea; quaesivi illum, et non inveni.. Num vidistis quem diligit anima mea?.. Adiuro vos, si inveneritis illum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.*

2. Alter fons doloris derivabat ex conditione amissi Jesu, qui Deus erat. -- Beatissima Virgo igitur summopere dolebat ob dispersionem Filii divini. Non me latet, Deum vere ac proprie non amitti, nisi per peccatum mortale, quod, cum Deipara committere nequiret, quippe quia singulari privilegio a peccato originali praeservata fuit, ac insuper confirmata erat in gratia, non poterat idcirco Deum vere ac proprie amittere. De hoc nulla quaestio. Non loquimur heic igitur de amissione gratiae Dei, quae, positis singularibus praerogativis, quibus cumulata fuit, esse non potuit in illa; sed tantum de amissione Filii Dei, qui in eius utero virginali humanam carnem suscepit. Ut dolorem, ex hac amissione consequentem aliquo modo consideremus, aliqua meminisse abs re non erit. Et sit primo illud quod legimus, in libro Geneseos (cap. 31 v. 30). De tribus Laban accusavit Iacob, quando iste cum Rachele sua sponsa discessit e paterna domo, 1. accusavit eum, quod insalutato hospite abierat: *Cur ignorante me fugere voluisti?* 2. quod non permisisset osculari filias suas: *Non es passus, ut oscularem filios meos.* Sed tertia querela fuit omnium maxima, ideoque posita fuit ultimo loco, scilicet quod Iacob abstulisset idola sua: *Cur furatus es Deos meos?* Laban igitur iacturam Deorum existimavit maximum malorum suorum. Simile aliud legitur in libro Iudicum (cap. 18) accidisse cuidam idololatrae, nomine Micha: nam cum quidam latrones bona omnia domus suae depraedati fuissent, ipse dolens magna voce eiulabat: latronibus autem clamantibus: *Quid vis?* Micha respondit: *Deos meos tulistis, et dicitis: quid tibi est?* Quamvis ergo fures omnia bona illi surripuissent, Micha nullum illorum nominavit, nisi *Deos suos.*

Sed quid immoramur loquendo de iactura idolorum? - Potius recogitemus David, qui de nulla alia consequentia sui criminis queritur, nisi de amissione Dei (Ps. 41. 4): *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Recogitemus etiam (quod facit magis ad rem nostram) Sponsam, de qua memoratur in sacro Cantico Canticorum, quae, uti diximus, tam amare deflebat sui dilecti iacturam. — Igitur Beatissima Virgo gladio acutissimo, pertingente usque ad divisionem animae et spiritus, adeo transverberata fuit ex hac divini sui Filii amissione, quod in toto illo triduo probabiliter nec somnum dederit oculis suis, nec alium panem manducaverit, nisi panem doloris, nec aliunde biberit, nisi de aquis lacrymarum suarum.

Post triduum tandem Maria Filium suum invenit in templo. - Quid fecit Iesus in illo triduo? Doctissimus a Lapide (sup. hunc loc. Luc. cap. 2) dicit, quod *totum hoc triduum transegit partim orando, partim audiendo doctores, eisque respondendo in templo... idque ad hoc, ut suis interrogationibus de instanti adventu Messiae doctores ipsos ad eum cogitandum et inquirendum excitaret.* Probabiliter, uti docet idem a Lapide, loquebatur puer Jesus de translato sceptro a Iuda ad Herodem alienigenam, de expletis iam septuaginta hebdomadibus a Daniele praedictis, deque caeteris Prophetarum oraculis relate ad Christum; et licet videretur omnibus, quod ille qui putabatur fabri filius, et nunquam litteras didicerat, iam sapienter loqueretur, tamen benedicta Virgo cum castissimo suo Sponso illum inveniendo, acerbissimum animi dolorem, quem experta fuerat in eius amissione, cohibere non potuit, illiqui, non quasi obiurgando, sed dulciter et amanter dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te* (Luc. loc. cit.).

Interea si Immaculata et Sanctissima Virgo Filium, absque sua culpa, disperdendo, plus doluit, uti inquit Origines, quam Martyres dolorem senserint de animae a corpore separatione, studeamus potius omnem iacturam tolerare, quam Christum per peccatum amittere; et si iam illum infeliciter amisisse conscii sumus, curemus illum quaerere per triduum 1. cordis contritionis, 2. oris confessionis, 3. operis satisfactionis; ut tandem invenire eum possimus in templo gloriae suae. Amen.

## V.

### *Dolor Virginis, discedente Filio ad passionem*

*Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum.*

*Matth.* 20 18.

*Gratia plena* indubitanter fuit Deipara (Luc. c. 1. v. 28). Sic ab Angelo salutata fuit. Haec autem plenitudo tanta fuit, ut licet per eius cooperationem augeri potuerit, tamen, uti asserit doctissimus Suarez (in 3 part. divi Thom. disp. 18 sect. 4), in ipso primo conceptionis eius instanti fuit maior gratia, quam habuit supremus Angelus. Huiusmodi gratia non solum fuit illa, quae a theologis dicitur *gratum faciens*, sed etiam illa, quae nuncupatur *gratis data*. Inter huiusmodi gratias, iam superius diximus, ipsam benedictam Virginem habuisse scientiam infusam supernaturalem, necnon donum sapientiae, gratiam virtutum, donum prophetiae etc, uti docet divus Thomas (3 part. quaest. 27 art. 5 ad 3).

Hisce praelibatis, sanctissima Mater non ignorabat causam incarnationis Filii Dei, nempe ut acerbissimis cruciatibus, sanguinis effusione, opprobriis, et morte, humanum genus redimeret. Hoc enim cognovit tum ex divina supernaturali revelatione, tum diligenti lectione et meditatione Prophetarum, tum denique ex conversatione cum Filio suo, cuius divina verba ipsa *conservabat, conferens in corde suo.* Iesus autem profecto non solum Matri suae debuit aperire Scripturarum sensum in abstracto, verum etiam probabile est, quod saepe in concreto docere debuit Matrem, multa Prophetarum oracula alii non convenire, nisi suae personae.

Quamvis autem beatissima Virgo probe intelligendo tum gloriam, quae ex redemptione Deo derivare debebat, tum mundi redemptionem, quae per passionem Iesu Christi perfici opus erat, ipsum libenter aeterno Patri obtulerit, tamen id non impedivit acerbissimum sui cordis dolorem, praesertim appropinquante passionis tempore.

Praeterea in dubium revocari nequit, quod a tempore in quo iustus Simeon illa memoranda verba protulit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (Luc. 2. 35), semper illa auribus eius dulcissimis resonabant. Sileo, quod quoties charissimi Nati membra contemplabatur, toties illi recurrebant dira tormenta, quae in ipsis erat passurus. Quamobrem etiam in aliquibus consolationibus suae vitae ipsa recordabatur, sive praeteritarum, sive futurarum afflictionum, et illud Spiritus S. mandatum adamussim observabat (Eccl. 11. 27): *In die bonorum ne immemor sis malorum.* Semper igitur, a primo incarnationis momento usque ad suam gloriosam resurrectionem (et etiam postea, ob absentiam a Filio donec assumpta fuit in coelum) Iesus Christus fuit cordi Matris suae *fasciculus myrrhae* amarissimae (Cant. 1. 12).

Si autem, toto tempore vitae privatae et publicae Iesu, Deiparae Virginis anima semper gladio doloris sauciata fuit, quid dicemus de tempore, quo dies passionis appropinquabat, et quo divinus Magister discipulis dixit (Matth. 20 18): *Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum?...* Quid, cum die martis, ante suam passionem dixit (Matth. 26. 2): *Scitis, quia post biduum pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur?* Praedixerat saepe se passurum, sed instante tempore, voluit magis modum passionis suae praecisare. Id autem, quod noluit latere discipulos, utique dilectissimae Matri non celavit; sed quam aliarum rerum consciam esse voluit, illi etiam discessus sui diem et horam indicavit. Et sane non decebat, Filium observantissimum, qui *subditus* semper fuit suae Genitrici, illa insalutata ad deliberatam mortem proficisci. Itaque ad passionem suam abiturus, pridie Parasceves, idest feria quinta, iturusque in domum ad esum agni, Matri dulcissimae, quae tunc probabiliter pro more diei festi Paschatis Ierosolymis reperiebatur, ultimum vale dixisse verisimile est. Re quidem vera observant aliqui pii scriptores, quod si Verbum Patris noluit in utero virginali Deiparae humanam carnem assumere, quin prius ipsa voluntarium assensum suum Angelo nuntianti praeberet; sic ab ipsa benedicta sua Genitrice non discederet, ad illam passionem iturus, cui ipsa mirum in modum cooperari debebat, quin prius ab eadem sua Matre assensum obtinuerit. Sicut voluntas Christi, qua Deus, fuit semper voluntati aeterni sui Patris conformis; unde dicere potuit: *Quae placita sunt ei, facio semper* (Io. 8. 29); sic semper, qua homo, fuit semper conformis rectissimae et sanctissimae voluntati Matris suae. Et erat *subditus illis* (Luc. 2. 51). Si autem passio Christi, antequam eveniret, per Simeonem fuit Virgini revelata, quomodo, illa imminente, non deberet ab ipso Christo Matri suae nunciari? Eruditissimus I. C. Trombelli (SS. Mariae vita et gesta diss. 25) ad rem inquit: *Non defuit qui doceret Christum, antequam Hierosolymam crucem passurus adiret, monuisse Mariam de omnibus, quae passurus ibi foret. Viris piis sane non paucis opinio haec summopere placuit, qui sacras revelationes allegant, quas ego quidem minime improbo.* Abs res heic non erit verba, non levis auctoritatis, Seraphici Doctoris divi Bonaventurae allegare (in medit. de vit. Chr. cap. 72). *Caenante,* inquit, *Domino Jesu die mercurii cum discipulis suis, in domo Mariae et Marthae, et etiam Matre eius cum mulieribus in alia parte domus... Caena igitur facta, vadit Dominus Iesus ad Matrem, et sedet cum ea seorsum colloquens cum ea, et copiam ei suae praesentiae praebens, quam in brevi subtracturus erat ab ea... Ad quem Mater: Fili mi... faciamus hic Pascha; scis enim quod insidiae ad te capiendum ordinatae sunt. Et Dominus ad eam: Mater charissima, voluntas Patris est, ut ibi* (in Ierusalem) *faciam Pascha, quia tempus redemptionis advenit. Modo implebuntur omnia, quae de me scripta sunt, et facient in me quidquid volent... Dicit igitur Mater, vix valens verba proferre* (bene intellexit enim, quod de morte sua Iesus dicebat): *Fili mi, tota concussa sum ad vocem istam, et cor meum dereliquit me. Provideat Pater, quia nescio quid dicam.* - Interea si Christus ad sepulchrum Lazari flevit, quomodo non flevisse existimandum est, cum extrema vice amplexatus fuit illam sanctissimam Genitricem, quam tam potenter amabat? Ad Iesu lacrymas etiam Mariam flevisse credendum est. Flevit David amare, quando a charissimo amico suo Ionatha, Saulis malitia, avulsus fuit. Profecto Deipara divinam aeterni Patris voluntatem adoravit: verum, salva semper sui animi resignatione decreto divino, dicere potuit Filio, quod dixisse scimus David pro filio suo Absalom (2. Reg. 18. 33): *Fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* - Et sane, absque ulla dubitatione existimare possumus, quod si in Mariae potestate fuisset commutare vitam suam cum vita Iesu, libentissime ipsa mortem pro illo subiret. Dicere etiam potuit sanctissima Virgo suo charissimo Nato: Quoniam aeternus tuus Pater *hostiam et oblationem* respuit, *corpus autem aptavit* tibi in utero meo, ut tu teipsum offeras pro mundi redemptione, saltem, si ego non possum mori pro te, moriar

tecum. Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut Deo placet fiat de me: *Fiat mihi secundum verbum Dei.*

Interea, postquam Dominus Iesus ultima vice e domo abiit, ubi cum Deipara moratus fuerat, haec dolore transfixa, lacrymisque perfusa, contemplationi et orationi se dedit, et omnia singillatim praevidit, quae brevi Filio suo,et sibi contingere debebant: *Plorans ploravit in nocte, et lacrymae eius in maxillis eius* (Thren 1.2.) - *Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui* (Thren. 2. 18). Studeamus nunquam a Deo per peccatum dividi, et interim utrique,et Filio et Matri, ex corde compatiamur, summasque grates illis rependamus, quod tantis lacrymis et tanto dolore pro nobis auspicati sint passionem.

## VI.

*Dolor Virginis in occursu Filii baiulantis Crucem*

*Et baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvarius locus.*

Io. 19. 17.

In libro Ecclesiastici (cap. 15, v. 2) haec verba leguntur: *Obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier a virginitate.* Scio heic loqui de Sapientia, quae obviam procedit honorificanti et colenti se, illumque mirabili promptitudine et celeritate quaerit. Honor acceptus excitat gratitudinem amoris; anima autem, eo ipso quod sapientiae studet, quodque illam colit et honorat, meretur quod sapientia vicissim, gratitudine amoris, occurrat sibi, suo cultori.

Huiusmodi tamen verba accomodari posse Deiparae Virgini, citra dubium est. Ipsa est Christi Mater, et vera mater, quia de sua substantia dedit aeterni Patris Verbo, ut in eius utero humanam carnem assumeret. Imo Maria respectu Christi est plusquam Mater, quia, non sicut reliquae matres, quae humano more filios procreant, sed virtute Spiritus Sancti, et absque ulla opera viri illum generavit. Ipsa insuper est *mulier a virginitate*, de qua in supradicto textu Siracides loquitur; mulier, inquam, scilicet mater: mulier, cui Iesus in cruce pendens dixit: *Mulier ecce filius tuus* (Io. 19. 26). Fuit autem *mulier a virginitate*, et in virginitate, quia salva et integra ei fuerunt sua lilia. Huiusmodi Virgo et Mulier honorificata semper fuit a divino suo filio Christo Iesu: 1. *honorificata* fuit quando ab aeterno praedestinata fuit ad divinam maternitatem, quae dignitas, post Deum, est summus honoris titulus, ex quo Deipara super omnem dignitatem angelicam et humanam elevatur: 2. *honorificata* fuit, cum singulari privilegio immunis fuit, a primo suae conceptionis instanti ad ultimum vitae terminum, a quacumque noxa, non exclusa originali: 3. *honorificata* fuit, cum donis et charismatibus divinis superabundanter et supereffluenter repleta fuit: 4. *honorificata* fuit, cum suus filius Iesus, licet Deus esset aequalis Patri, tamen in terris degens, subditus ei esse voluit, illique se subiecit: 5. tandem post suam dulcissimam mortem fuit etiam *mater honorificata* in coelis, cum Iesus Christus illam collocavit in excelsissimo throno a dextris suis. Typum autem huiusmodi honorificationis habemus in Salomone, qui simili modo honoravit Bethsabee suam matrem (3 Reg. 2. 19): *Surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam, et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius.* Quapropter iure optimo S. Ildelfonsus (serm. 1. de assumpt.) et S. Bonaventura (in Psalter. Virg.) Deiparam *Matrem honorificatam* nuncupant.

Si igitur Deipara Virgo fuit *Mater honorificata* a Filio suo, quoniam amor amore compensatur, conveniens erat, quod vicissim ipsa obviaret illi. Quando autem amantissima mater occurrere et obviare debet filio suo? Profecto non tam in gaudiis, sed potius tempore tribulationis. Si autem Ecclesiae Patres et Sacrarum Scripturarum interpretes dicunt, sanctissimam Virginem occurrere et obviare filiis suis adoptivis, nempe hominibus, qui eam colunt; inquit enim doctissimus a Lapide (sup. Eccli. c. 15 v. 2) *To obviabit optime convenit Beatae Virgini, quia ipsa innumeris velut alis misericordiae circumdata, illico advolat, ut miseris opituletur;* quomodo non debuisset obviare Filio suo dulcissimo Iesu Christo, a quo maxime honorificata fuerat, in tempore maximae suae tribulationis, scilicet in sua passione et morte?

Videamus nunc quando Deipara Virgo obviavit Filio. Quod ipsa adstiterit iuxta Crucem Filio suo morienti, certum est de fide; legimus enim apud Ioannem (19. 25): *Stabat autem iuxta Crucem Iesu Mater eius*: quo autem tempore passionis illuc advenerit, diversi diversa sentiunt. Simeon Metaphrastes (orat. de Deip.), Guerricus Abbas (serm. 4 de Assumpt.), aliique non pauci dicunt, quod beatissima Virgo fuit comes perpetua Christi, nec ab eius consortio divulsa toto tempore praedicationis. Si enim aliae mulieres Christum in via publica secutae sunt, cur non Mater eius, quae plus omnium avida erat audiendi verba sua, illaque custodiebat *conferens in corde suo*? Insuper, licet aliqui aliter sentiant, tamen permulti doctores asserunt, Deiparam praesentem fuisse ultimae caenae, et saltem per Sanctum Petrum, epulo Eucharistico, una cum aliis piis feminis, pastam. Ita Metaphrastes (orat. de vit. et dormit. S. Mar.), Didacus de la Vega (in serm. fer. 6. mai. hebd.), Barradius (tom. 4 cap. 17), Christophorus Vega (in theol. marìana. num. 1477), et plures alii citati a Drexelio (tom. 2 fol. 853). Re quidem vera, iuxta Evangelium, Deipara die insequenti stetit iuxta Crucem. Debuit ergo ex Eucharistiae perceptione robur accipere, ut ad hanc supremam luctam corde transfixo quidem, sed firmo, praesens esse posset. Insuper si tempore agoniae et mortis Iesu, quemadmodum nuper diximus, iuxta Crucem stetit, dicendum est, quod praecedenti die iam Hierosolymis degebat: si autem ibi erat, absonum est adfirmare quod non celebraverit Pascha extrema vice cum Filio suo Iesu. Quis vero cogitabit, Christum Eucharistico cibo aluisse discipulos suos, non excepto ipso Iuda, et illa potissima consolatione privasse dilectissimam Matrem suam? Quidquid autem sit de hac quaestione, rursus dicimus, indubium ex Evangelio esse, quod Virgo Deipara cruci adstiterit. Sed quomodo, et quando illuc advenit? De hoc nihil certi statui potest.

Ab Angelo fuisse monitam ii putant, qui Hierosolyma absentem fuisse aiunt Virginem, quae propterea Christo cruci affixo non adfuisset, si ab Angelo ea de re monita non fuisset (vide I. C. Trombelli, SS. Mariae vita et gesta, diss.37).Aliis haec opinio non arridet, et revelationibus innixi, putant Deiparam a Ioanne monitam de Christi captura in horto,statim ad tribunalia convolasse,ibique praesentem fuisse flagellationi, coronationi, et omnibus aliis eius passionibus. Sunt qui censent,benedictam Virginem inter illas filias Hierusalem reperiri, ad quas Iesus baiulans crucem conversus ait (Luc. 23. 28): *Filiae Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Nuper laudatus I. C. Trombelli (loc. cit.) inquit: *Si beatissima Virgo a quopiam discipulorum accepit, a Ioanne accepisse simillimum veri est; caeteris enim discipulis dispersis, ipse cum Virgine et Magdalena cruci adstare non timuit.* Quamobrem si ipse cum reliquis primo fugit, vel ideo fugit, ut statim nuntiaret Virgini, vel timore subito correptus est quidem, sed tamen postea resipuit, et admonita Virgine, Iesum ad tribunalia secutus est (vide Calmet in Io. 18. 25).

Nihil certi, uti nuper diximus, statui potest circa modum, quo Deipara monita fuit de Christi comprehensione, et circa tempus, quo ad eum venit. Verum, si in hac tanta opinionum varietate aliquid dici potest, nos prae oculis habendam dicimus Ecclesiae liturgiam, quae post tertium responsorium primi nocturni festi dolorum B. M., V. quod in dominica tertia Septembris celebratur, in quo responsorio de dolore Virginis loquitur quando in Ægyptum migrare debuit, ad quartum responsorium, scilicet ad illum, qui sequitur primam lectionem secundi nocturni, sermonem facit de filiabus Hierusalem, quae plangebant et sequebantur Iesum crucem baiulantem. Ex hoc igitur videtur, quod circa illud tempus Deipara obviam ierit Filio suo. Exercitium etiam, quod nuncupatur *Via Crucis*, quodque ab Ecclesia innumeris indulgentiis locupletatum est, huic opinioni favere videtur; nam in eo, ad quartam stationem, postquam Iesus primo ceciderat in itinere ad Calvariae montem, ad memoriam revocatur obviatio Sanctissimae Deiparentis Filio suo crucem ferenti.

Hisce praelibatis, inspiciamus nunc, quo dolore benedicta Virgo transverberata esse debuit, cum primum Filium suum vidit in tam miseranda conditione. De Sephora legimus (Exod. 4. 26), quod Moysi sponso suo dixit: *Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum postquam dixerat; Sponsus sanguinum tu mihi es.* Potiori iure dolentissima Virgo, cum vidit Iesum vestigia sanguinis undique in via Calvariae relinquentem, dicere potuit: Filius sanguinum, et etiam *Sponsus sanguinum tu mihi es*: Ipsa vero tunc non dimisit Iesum, quemadmodum Sephora fecit cum Moyse ad montem ascendente, sed illum sequuta fuit, eiusque Cruci adstitit.

Heu! Patriarchae Iacob, in itinere, obviam exierunt duo Angelorum agmina, ut illum tutarentur (Genes. 32. 1). Nunc, non duo Angelorum agmina, sed ipsa Angelorum omnium Regina occurrit patienti Filio suo: sed illum tutari et defendere e manibus inimicorum non potest.

Legimus etiam in libro Genesis (46. 29), quod cum senex Patriarcha Iacob occurrit Iosepho filio suo in Gessen, *videns eum irruit super collum eius, et inter amplexus flevit. Dixitque pater ad Ioseph: iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam et superstitem te relinquo.* Utinam et dolentissima Virgo posset irruere super collum Iesu filii sui!. Sed collum illud est curvum, quoniam *factus est principatus super humerum eius* (Is. 9. 6). Ipsa Iesum amplexari nequit; nec Iesus illam; nec illa Filio dicere potest: *Iam laeta moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo.*

Tandem ex libro Tobiae colligimus (cap. 11. v. 9), quod adveniente iuvene filio suo, *praecucurrit canis, qui simul fuerat in via, quasi nuntius adveniens, et consurgens caecus pater, occurrit obviam filio suo, et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, et coeperunt ambo flere prae gaudio.* Sed nunc Iesus non venit, uti iuvenis Tobias a nuptiis, sed vadit ad nuptias in thalamo Crucis explendas. Deipara autem occurrit quidem obviam Filio, sed osculari ipsum non potest, quia id ei a Iudaeis crudeliter interdicitur; nec prae gaudio, veluti Tobiae genitores, flere debet, sed potius nimietas et profunditas afflictionis, lacrymarum effusione, et Filio et Matri, acerbum temperare dolorem non patitur.

Non me latet, Abraham filium suum Isaac ad montem ascendentem, ut immolaretur, comitasse; sed ex parte Isaac notandum est, quod nondum sciebat se occidendum; nec talia iam passus fuerat tormenta, qualia Christo iam illata fuerant, cum ad Calvariae montem baiulans sibi crucem exivit: ex parte vero Abrahae considerandum est, quod ipse vir erat et pater, non mulier et mater, qualis erat Deipara Virgo.

Celebre est in historiis Anglorum, quod cum insignis ille magnus Cancellarius Thomas Moro ad supplicium pro veritatis et iustitiae causa ducebatur, filia eius Margarita, quae patrem summopere diligebat, obviam illi occurrit, cumque nomen patris proferre

voluisset, illico cecidit, et e vita excessit. - Si quis quaerat quomodo in acerbissimis doloribus, quae Virgo Deipara, patiente Iesu sustinuit, mortua non fuerit, hoc singulari Dei providentiae adscribendum esse respondeo, qui illam volebat cooperatricem, usque ad extremum, in opere redemptionis, ipsamque statuerat matrem Ioannis et ceterorum fidelium, necnon Ecclesiae adiutricem et magistram, signanter in exordio suae fundationis.

Cum igitur Christus et Maria in itinere ad Calvariae montem se primum viderunt, illud Psalmi impletum esse affirmare possumus (Ps. 84. v. 16): *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*: Veritas siquidem a Iesu repraesentabatur, et misericordia a Deipara, quae tunc praesertim miserum habebat cor.

Praeterea operae pretium est considerare dolorem, quem pati debuit benedicta Virgo in reliquo itineris, quod simul cum Filio perfecit. Commoveri debuerunt viscera eius, cum voluisset Crucem vel sola, vel saltem cum Iesu ferre, idque illi interdicebatur: affligi debuit summopere quando praeco clamabat, gravimumque facinorum reum omnibus nunciabat illum, qui peccatum non fecit, et erat sanctus, innocens impollutus et segregatus a peccatoribus. Quid pati non debuit, cum populum debacchantem et prae gaudio gestientem ob Filii sui mortem videbat? Quid, cum lictores spectabat, qui et clavos, et malleos, et scalas, et reliqua instrumenta ad supplicium Christi opportuna deferebant?

Interea si Christus, veluti Sponsus ad crucem processit; sique viri et mulieres olim, cum taedis flammiferis et pronubis sponsis obviabant, etiam nos cum Deipara Virgine obviemus Christo ad sponsalia Crucis procedentem, illumque per compassionem et cordis contritionem comitemur, ut aliquando cum angelis et sanctis procedere possimus *obviam eidem Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (1. ad Thessalonic. 4. 16).

## VII.

*Dolor Virginis in Christi filii sui crucifixione*

*Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius*
Io: 19. 17.

*Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum* (Hierem. 9. 1.), ut dolorem summum, quem dolentissima Virgo sub cruce Filii sui pertulit, ipsi, corde compuncto compatiendo temperare aliquo modo possim? Quis autem intellectus capere sufficiet, vel quae lingua hominum aut Angelorum enarrare praesumet huius doloris acerbitatem? Tantus fuit profecto hic dolor, ut doctissimus Nicolaus Lyrensis (sup. 3 sentent.) dicat. Beatissimam Virginem *sustinuisse in passione Christi maius martyrium; quam aliquis Martyrum: quia dolor passionis oritur ex laesione carnis cum perceptione sensus, et redundat in animam; dolor vero compassionis oritur et incipit in anima, et redundat in sensum et carnem. Quanto igitur anima est potentior, et magis dominans super carnem, tanto maior est dolor, qui incipit in anima.* Tanta autem passa fuit, et tam acerba supplicia in corde suo benedicta Virgo, ut nobilis laudator eius B. Amaedeus (hom. 5. de Virg. Mar.) aliter exprimi nescierit, quam his verbis: *Vicit sexum, vicit hominem, et passa est ultra humanitatem: torquebatur namque magis, quam si torqueretur ex se, quoniam incomparabiliter diligebat id, unde dolebat.* In eundem scopum collimat Arnoldus Abbas Bonaevallis, qui sic loquitur (de sept. verb. Dom.): *In tabernaculo illo duo videres altaria, aliud in pectore Mariae, aliud in corpore Christi; Christus carnem, Maria immolabat animam.* Merito igitur divus Thomas (2. 2 quaest. 124 art. 4 ad. 1.) asserit, beatam Virginem Martyrem fuisse, ob summos dolores Filii sui causa toleratos. Imo plus quam martyrem illam appellant S. Bernardus (serm. sup. *Signum magn.*), S. Ildephonsus (serm. 2. de Assumpt.), Sophronius (ap. div. Hieronym. tom. 4 epist. 10) etc. Et ratio est, quia si ipsa omnes Martyres collective superavit amore erga Deum, etiam superare debuit dolore, ipsi amori commensurato. Tandem, quia nimis longa haec procederet oratio, si omnes Sanctos Patres, piosque scriptores recensere vellemus de doloribus Virginis loquentes, coronidis loco subiungimus tantum divi Bernardini Senensis magnifica verba. Ipse sic scribit (tom. 3 serm. 4 part. 2 pag. 299 edit. Venet. 1745): *Dolor Virginis erat in tantum, quod si ille dolor foret partitus inter omnes creaturas, caderent mortuae.* Haec verba hyperbolica videntur; sed verissima sunt, quia si inexplicabilis est amor, quo Deipara prosequuta fuit Christum, inexplicabilis pariter est dolor, quem pati ipsa debuit in eius crudelissima crucifixione. Vere Deipara salutata fuit a Gabriele Archangelo *gratia plena*, sed nos eam salutare possumus *doloribus superplenam*. Dolores autem benedictae Virginis iuxta Crucem stantis ponderari possunt.

1. Propter ea quae vidit. Vidit 1.º ex parte Iudaeorum maximam crudelitatem. Illa immanis tragaedia; quae iussu Herodis locum habuit, quaeque vivis admodum coloribus a divo Augustino describitur (serm. 1 de innoc.) typus videtur eorum, quae in crucifixione Christi evenerunt. Sinamus, ut ipse Africanus Doctor loquatur. *Pugnabat*, ille inquit, *mater et carnifex: ille trahebat, illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat: Quid separas a me quem genui ex me? uterus genuit, non mansit ille, cum vixit, ubera mea frustra lacte contorquens. Caute portavi, quem a te video manu crudeli iactari. Modo eum effuderunt viscera mea, et tu elidis ad terram. - Alia succlamabat mater, cum exactor latro non compelleret simul occidi cum parvulo matrem. Ut quid me dimittis inanem? Si culpa est, mea est: si non est crimen, iunge mortem, et libera matrem... Miscebatur lamentatio matrum, et ad caelum transibat oblatio parvulorum.* Cum igitur Deipara mater innocentissimi Iesu vidit tyrannos Iudaeos contra Filium suum saevientes, quamvis obsequentissima esset aeterni Patris voluntati, tamen tacita voce videbatur dicere carnificibus: Quid separatis a me, quem genui in utero meo virginali ex purissimo meo sanguine, ope Spiritus Sancti? Ego caute illum per novem menses portavi, *speciosum forma prae filiis hominum*, quem nunc a vobis cerno manu crudeli tractari et ad crucem affigi. Ergo ubera mea frustra ille lacte contorsit? Quare non compellitis simul occidi cum Filio Matrem? Ille culpam non fecit: iungite ergo mortem, et matrem liberate. — Miscebatur tacita lamentatio Deiparae, dum ad coelum transibat oblatio Crucifixi Jesu. = 2. Vidit insuper benedicta Virgo ex parte Christi patientis maximam charitatem. *Speciosus forma prae filiis hominum* (Ps. 44. v. 3.) adeo ex flagellatione, coronatione, crucifixione, ceterisque ludibriis erat deformatus, ut Isaias dixerit (*cap.* 53. *v.* 2.): *Non est ei species neque decor; vidimus eum et non erat aspectus.* Ut ignominiam dulcissimo Iesu augerent, ipsum inter duos facinorosos homines et latrones crucifigunt. - Illudebatur, subsannabatur, blasphemabatur a Judaeis, a crucifixoribus, et ab ipsis praetereuntibus; et tamen, dum haec fiebant, ipse suorum inimicorum delictum attenuare et excusare satagebat, et pro eis veniam a Patre impetrabat. = 3. Vidit denique dolentissima Mater ex parte aeterni Patris maximam iustitiam, qui cum posset facillimo negotio, et unico suae voluntatis imperio Jesum e manibus impiorum eripere, tamen, ut servi redimerentur Filium suum tradidit, adeo ut ipse Filius exclamare cogatur (*Matth.* 27. 46) *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Haec Deipara Virgo oculis suis aspiciebat. Videbat Filium, et ab illo videbatur; loqui volebat, sed dolor vocem intercludebat. Contemplabat Jesu crucifixi vulnera, et ex illo aspectu cor suum dirissime vulnerabatur. Si enim in carne beatissimi Francisci, aliorumque Sanctorum, Christus, in amoris testimonium, sua stigmata etiam visibiliter impressit, renovavitque; utique etiam in amoris vehementissimi ostensionem efficere debuit, ut Mater sua eadem sua vulnera corde animoque persentiret - Sed dolores Virginis non solum ponderari possunt propter ea quae vidit, sed etiam.

2. Propter ea quae audivit. - Apud Isaiam [50. 4] legimus: *Dominus... erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam. Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Haec verba, licet principaliter intelligi non debeant de Deipara, tamen potuerunt ab ea assumi dum ad pedes Crucis stetit. Quid autem audivit? - Audivit *vituperationem multorum commorantium in circuitu* (Ps. 30 v. 14): audivit, inquam, 1 ab hominibus tot blasphemias, immensa convicia, innumerabiles irrisiones. Ad eius purissimas aures personabant calumniae Pharisaeorum, Judaeorum, militum, praetereuntium. Isti miracula criminabantur, atque in diabolum auctorem referebant; illi de doctrina impie loquebantur; alii irridebant intemeratos mores; denique nemo non petulanter illi insultabat. Unus etiam ex latronibus cum Christo crucifixus conviciabatur ei, et dicebat (Luc. 23. 39): *Si tu es Christus salva temetipsum et nos.* Si autem tam crudeliter blasphemabatur ille, qui in tam miseranda reperiebatur conditione, adeo ut *a planta pedis usque ad verticem capitis non esset in eo sanitas* (*Is. cap.* 1 *v.* 6), quis negabit, quod forte non defuerit aliquis, qui Virginem ipsam iuxta crucem stantem, contumeliis, cachinnis et conviciis affecerit? Verum benedicta Virgo non solum doluit summopere propter ea quae ab inimicis dicebantur, sed etiam 2 propter ea quae ab ipso Jesu crucifixo audiebat. Velut Sponsa sacrorum Canticorum (Cant. 2. 14) semper illam dulcissimam vocem auscultare concupierat: *Sonet vox tua in auribus meis.* Nunc autem vox illa rauca facta est, nam lingua eius adhaesit faucibus suis. Hisce non obstantibus, loquitur e Cruce, et vox sua Matris animum dilacerat, tum propter laborem, quem ipsa clare cognoscit Filium suum debere sustinere in loquendo; tum propter loquentis affectum; tum denique propter sensum verborum. Miscebat Jesus verba singultibus, et linguae fauciumque ariditas difficultatem sermonis augebat: singula autem verba cor Deiparae transverberabant. In primo verbo admirabat Filii charitatem eximiam, delicta crucifixorum attenuantem, et pro inimicis orantem. Helias contra suos hostes ignem e caelo descendere fecit; Helisaeus, sibi irridentes pueros ab ursis devorari obtinuit; et Filius meus, Maria dicebat, pro crucifixoribus rogat. Tanta magnanimitas autem tanta ingratitudine compensatur! -- Audiebat secundum verbum, et misericordiam immensam morientis sui Nati admirabatur, qui dum in medio iniquorum reperiebatur, uni ex illis Paradisum libenter promittebat. Quid de tertio verbo dicam? Gladius hic acutissimus profecto fuit. Hinc Filium semper sibi observantissimum considerabat, qui suorum dolorum immemor, Matris recordabatur; illinc commutationem enormem videbat Ioannis puri hominis, qui ei dabatur in filium, pro Christo Deo, quem inconsolabiliter amittebat. -- Praetereo reliqua verba: consideret qui potest, quantum doloris ex illis Deipara persentire in corde debuerit.

Haec pauca delibavimus circa dolorem Deiparae Virginis in Filii sui crucifixione. Verum qui alia permulta argumenta quaerit circa eamdem materiam, legat ea, quae posthac adiicientur, cum de Virgine iuxta Crucem Filii stante sermonem instituemus.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## II.

## *Deipara Virgo in Crucifixione Filii.*

In libro Ecclesiastici (c.7.v.29) haec verba leguntur: *Gemitus matris tuae ne obliviscaris.* Quaenam est mater nostra? Heva prima mulier, mater cunctorum viventium appellata fuit, sed melius dici debuisset mater cunctorum morientium, imo mortuorum: per Adam namque, qui eiusdem Hevae suasione cibum vetitum gustavit, *peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ideo in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (ad Rom.5.12). Potiori iure, quam Heva, Maria est mater nostra; illa enim ad mortem, haec ad vitam nos genuit. Ubi autem Deipara nos genuit? Genuit nos in suo corde, quando ad vocem Archangeli respondit: *Ecce ancilla Domini* (Luc.1.38). Principaliter autem nos genuit quando benedictus eius Filius Iesus e cruce pendens, dixit ei: *Mulier, ecce filius tuus* (Io. 19. v. 26). Huius ergo Matris, erga nos charitate fragrantissimae, gemitus oblivisci non debemus. Pietas, religio, Dei voluntas, gratitudo, ad hoc nos inducunt.

Sed quo tempore gemuit et doluit sanctissima Mater nostra? Profecto toto tempore vitae suae, adeo ut dicere potuerit cum Regio Psalte: *Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus* (Ps. 30. 11); et *Dolor meus in conspectu meo semper* (Ps. 37. 18): gratia enim plena, et donis Spiritus Sancti cumulatissime repleta a primo suae conceptionis instanti, spiritu prophetico omnia praevidens, quae sibi et Filio suo evenire debebant, doluit antequam fierent; postquam autem evenerunt, doluit etiam. Dicere ergo potuit illud Thren. (1.22). *Multi gemitus mei, et cor meum moerens.*

Gemitus igitur semper Deipara effudit, et incessanter doluit, adeo ut si divus Bernardus de Christo dicit, quod *Crucifixus fuit ab utero*, idem affirmare nos possumus de benedictae Virginis doloribus. Verumtamen non semper eodem modo dolores passa est. Aliquando enim ipsa sola doluit; aliquando vero cum Filio suo compassa est. Nos, ne nimis in longum orationem de Deiparae doloribus protrahamus, de illis, quos Iesu Christo adhuc vivente passa est, primum in hoc loco pertractabimus, praesentemque titulum *S. Mariae Compassionis* nominamus: in alio vero titulo, de *desolatione* eiusdem Deiparae post Filii sui mortem sermonem instituemus.

## *S. Maria Compassionis*

### *seu de doloribus, quos Deipara, Filio suo adhuc vivente, passa est.*

S. Basilius (in regul. brevior. reg. 175) docet, evidens signum dilectionis esse duplex; primo ut proximi utilitate laetemur et gaudeamus; secundo ut de eius malo tristemur, et eum iuvare et auxiliari satagamus. Unde Iob, qui viscera plena pietatis habebat, testatur se simul cum pauperibus passum esse: *Compatiebatur anima mea pauperi* (Iob. 30.25); et Apostolus cor habebat adeo ad compassionem proclive, ut dicere non dubitaverit: *Quis infirmatur et ego non infirmor* (2 ad Cor.11.26)? Re quidem vera si perfectio a charitate procedit, ille magis perfectus dicendus est, qui magis proximo patienti compatitur. Nos unum corpus sumus in Christo, et membra de membro (1 ad Cor. 12.27); si autem unum membrum corporis patitur, nonne compatiuntur omnia membra? Verum si hoc de quibuslibet membris, quid dicendum erit, cum caput dolet? Omnibus illud effatum notum est: *Cum caput dolet, omnia membra dolent*; et tanto magis dolent, quanto magis capiti proxima sunt. Iam ex dictis hoc prono alveo fluit, quod patiente Iesu Christo Servatore nostro, qui caput est mystici corporis, quod est Ecclesia, Deipara Virgo, quae est unum ex principalioribus eiusdem Ecclesiae membris, maxime cum illo pati debuit. Ipsa autem multiplici ratione compassa est.

### I.

### *Deipara compassa est Filio, qua mulier.*

E cruce pendens Iesus Christus, cum vidisset benedictam suam Matrem, *mulieris* nomine illam nuncupavit: *Mulier* (Io. 19. 26). Quare foeminei sexus nomine, et non maternae dignitatis honore Deiparam Christus nuncupat? Id sine altissimo mysterio profecto non accidit.

Negari non potest, foeminas ad pietatem et misericordiam viris proniores et procliviores esse. Aristoteles (lib.9. de anim.) docuit, quod *cor virile expansum magis, muliebre vero magis compressum est*. Ideo viri ad laetitiam, quae animum dilatat, mulieres ad tristitiam, quae constringit, magis aptae esse noscuntur. Sed, missis hisce prophanis auctoritatibus, id ex permultis S. Scripturae locis luculenter eruitur. In Exodo (cap. 1.) narratur quod, praecipiente rege Pharaone obstetricibus Aegyptiis, ut quando obstetricarentur Hebraeas, et partus tempus adveniret, servatis foeminis, occiderent omnes masculos nascentes, ipsae cor adeo durum non habuerunt, ut impio regis praecepto obedirent, maresque conservarunt. Insuper in eodem Exodi libro (cap. 2.) legitur, praedictum Pharaonem praecepisse, quod quidquid masculini sexus nasceretur, in flumen proiici deberet. Tunc autem vir de domo Levi, pater Moysis, nequaquam sollicitus fuit de puero servando. Verum Mater infantis, utpote ad pietatem pronior erga fructum uteri sui, illum primo tribus mensibus abscondit; deinde, cum iam illum amplius celare non posset, ita egit, ut puer salvari posset: votis autem suis exitus respondit, et mediante alia muliere, nempe filia Pharaonis, quae pulcherrimi infantis miserta, ait: *De infantibus Hebraeorum est hic!* Moyses a submersione liberatus, ad salutem Israelis crevit. Quid plura? Exploratorum terrae promissae, qui ad mortem quaerebantur, sola mulier, nomine Rahab, quantumvis meretrix, miserta est, et ipsos abscondens, liberavit et salvos remisit (Ios. 2. 4). Adhaec nuncii euntes ad David, ut salvarent illum de manu Absalom, absconditi fuerunt in puteo, et a morte liberati per mulierem (2. Reg. 17. 19). In Sarepta Sydonis pene innumeri habitabant viri, multis divitiis affluentes; et tamen, cum Helias in illam urbem a Deo missus fuisset, ad neminem illorum, sed ad solam piam mulierem ex Dei mandato divertit (3. Reg. 17. 9). In Canticis Canticorum legimus (cap.5.v.17), quod, cum quadam die egrederetur Sponsa, quaerens Sponsum suum, licet alioquin plures ei occurrerent viri, solum foeminae sibi compatientes dixerunt: *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum.* De Hester scimus, ipsam solam compassam fuisse populo morti addicto, et apud Assuerum, cum magno suae vitae periculo, causam Hebraeorum defendisse (Hest. 7. 3). Item sola Iudith mulier vidua, suae patriae miserta, illam liberavit, cum homines illam tradere in manus inimici decrevissent (Iudith. cap. 8). Sed ad novum testamentum veniamus. Mulieres ministraverunt Domino praedicanti per castella et civitates (Luc. 10. 38). Dum Iudaei saeviebant in Christum baiulantem Crucem, mulieres solae sequebantur illum flentes (Io. 19. 25). Uxor Pilati sola conata fuit impedire Dominicam passionem, cum omnes clamarent: *Crucifige, crucifige eum* (Matth. 27. 19). Mulieres Cruci adstiterunt (Io. 19. 25). Mulieres primae ad monumentum Christi venerunt (Io. 20. 1.) etc.

Quamvis ergo etiam homines compassionis et doloris sint capaces, tamen negandum non est, mulieres ad hoc proniores existere, ex ipsa sua natura, et foeminei sexus conditione. Unde enim mulieris nomen? Mulier, inquit Tiraquellus (4. lib. Connubial.) a molliendo; idem ergo est mulier quod mollis, non solum corporis, sed animi etiam mollitie et flexibilitate. Patet igitur ex hoc, beatissimam Virginem, etiam inspecta tantum sui sexus conditione, summo dolore et compassione affectam fuisse in Filii sui passione; et idcirco, inter alias rationes, Jesum illam mulieris, non matris nomine vocasse, cum illi Ioannem in filium tradidit. Nec illius doloribus ullo modo existimandum est obstare, quod ipsa peccati originalis et multarum miseriarum ex ipso consequentium expers fuerit. Non est profecto defectus aut imperfectio habere cor ad compassionem pronum et proclive; nam compassio ex charitate prodit; et charitas est virtutum omnium nobilior. Quare patientissimus Job quasi gloriabatur de hac animi sui dispositione, et sic scriptum reliquit (Iob. 31. 18.): *Ab infantia crevit mecum miseratio.* De Salomone legimus, quod inter cetera dona ipsi a Deo collata, illud adnumeratur (3. Reg. 4. 29): *Dedit ei Deus latitudinem cordis*; et, ne in longum procedamus, de ipso Dei Patris Verbo in humana natura assumpta sic loquitur Apostolus (Hebr. 4. 15): *Talis enim decebat, ut esset nobis Pontifex... qui possit compati infirmitatibus nostris.* Tantum igitur crevisse dicendum est dolorem et compassionem in corde beatissimae Virginis pro Filii sui passione, quantum ipsa, utpote perfectissima inter ceteras puras creaturas, sexus conditione aliis mulieribus praestat et supereminet.

### II.

### *Deipara compassa est Filio, qua Mater*

Si quaelibet mulier, ob sui sexus conditionem prona est ad compatiendum cuilibet patienti, quid dicendum est, si haec mulier sit etiam mater, et si ille qui patitur sit fructus sui ventris?

Quemadmodum ignis ponderari nequit (4. Esdr. 4. 5.), sic nec ponderari potest amor matrum erga filios. Arnobius refert, adeo excessivum fuisse amorem Agrippinae erga impium suum filium Neronem, ut cuidam astrologo ei dicenti, futurum esse, ut ille ad imperium perveniret; adeo tamen tyrannum evasurum, ut propriam matrem foret occisurus, ipsa continuo respondit: *Occidat me, modo imperet.* Sed quid refero Agrippinam? Ipsa bruta animantia naturalis materni amoris erga filios luculentissima praebent argumenta. Ut aquilam omittam, quae, ut filios suos ab aucupe defendat, periculo iaculorum se exponit; utque pelicanum sileam, quae ut filiorum vulneribus medeatur, rostro proprium pectus percutiens, sanguinem elicit, solum dicam, leaenas ipsas pro suis leunculis saepe vitam ipsam suam exposuisse. Si ergo maternus amor naturaliter tam ardens esse solet, non potuit non in Maria ardentior esse; tum quia, si ad amorem, quem vocant acquisitum, mentem convertamus, qui maxime foveri et nutriri solet communicationis et familiaritatis pabulo, necesse est, hunc amorem fuisse in beata Virgine admodum eximium, cum ipsa cum Filio suo per plusquam triginta et tres annos, familiarem consuetudinem habuerit. Apostolus Petrus ad breve tempus cum Christo conversatus fuit; et tamen summo exarsit amoris igne erga eum. Magdalena vix vidit Iesum in domo Simonis, et illico

## II.

## *Deipara Virgo in Crucifixione Filii.*

In libro Ecclesiastici (c.7.v.29) haec verba leguntur: *Gemitus matris tuae ne obliviscaris.* Quaenam est mater nostra? Heva prima mulier, mater cunctorum viventium appellata fuit, sed melius dici debuisset mater cunctorum morientium, imo mortuorum: per Adam namque, qui eiusdem Hevae suasione cibum vetitum gustavit, *peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ideo in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (ad Rom.5. 12). Potiori iure, quam Heva, Maria est mater nostra; illa enim ad mortem, haec ad vitam nos genuit. Ubi autem Deipara nos genuit? Genuit nos in suo corde, quando ad vocem Archangeli respondit: *Ecce ancilla Domini* (Luc.1.38). Principaliter autem nos genuit quando benedictus eius Filius Iesus e cruce pendens, dixit ei: *Mulier, ecce filius tuus* (Io. 19. v. 26). Huius ergo Matris, erga nos charitate fragrantissimae, gemitus oblivisci non debemus. Pietas, religio, Dei voluntas, gratitudo, ad hoc nos inducunt.

Sed quo tempore gemuit et doluit sanctissima Mater nostra? Profecto toto tempore vitae suae, adeo ut dicere potuerit cum Regio Psalte: *Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus* (Ps. 30. 11); et *Dolor meus in conspectu meo semper* (Ps. 37. 18): gratia enim plena, et donis Spiritus Sancti cumulatissime repleta a primo suae conceptionis instanti, spiritu prophetico omnia praevidens, quae sibi et Filio suo evenire debebant, doluit antequam fierent; postquam autem evenerunt, doluit etiam. Dicere ergo potuit illud Thren. (1.22). *Multi gemitus mei, et cor meum moerens.*

Gemitus igitur semper Deipara effudit, et incessanter doluit, adeo ut si divus Bernardus de Christo dicit, quod *Crucifixus fuit ab utero*, idem affirmare nos possumus de benedictae Virginis doloribus. Verumtamen non semper eodem modo dolores passa est. Aliquando enim ipsa sola doluit; aliquando vero cum Filio suo compassa est. Nos, ne nimis in longum orationem de Deiparae doloribus protrahamus, de illis, quos Iesu Christo adhuc vivente passa est, primum in hoc loco pertractabimus, praesentemque titulum *S. Mariae Compassionis* nominamus: in alio vero titulo, de *desolatione* eiusdem Deiparae post Filii sui mortem sermonem instituemus.

## *S. Maria Compassionis*

### *seu de doloribus, quos Deipara, Filio suo adhuc vivente, passa est.*

S. Basilius (in regul. brevior. reg. 175) docet, evidens signum dilectionis esse duplex; primo ut proximi utilitate laetemur et gaudeamus; secundo ut de eius malo tristemur, et eum iuvare et auxiliari satagamus. Unde Iob, qui viscera plena pietatis habebat, testatur se simul cum pauperibus passum esse: *Compatiebatur anima mea pauperi* (Iob. 30.25); et Apostolus cor habebat adeo ad compassionem proclive, ut dicere non dubitaverit: *Quis infirmatur et ego non infirmor* (2. ad Cor.11.26)? Re quidem vera si perfectio a charitate procedit, ille magis perfectus dicendus est, qui magis proximo patienti compatitur. Nos unum corpus sumus in Christo, et membra de membro (1 ad Cor. 12.27): si autem unum membrum corporis patitur, nonne compatiuntur omnia membra? Verum si hoc de quibuslibet membris, quid dicendum erit, cum caput dolet? Omnibus illud effatum notum est: *Cum caput dolet, omnia membra dolent*; et tanto magis dolent, quanto magis capiti proxima sunt. Iam ex dictis hoc prono alveo fluit, quod patiente Jesu Christo Servatore nostro, qui caput est mystici corporis, quod est Ecclesia, Deipara Virgo, quae est unum ex principalioribus eiusdem Ecclesiae membris, maxime cum illo pati debuit. Ipsa autem multiplici ratione compassa est.

### I.

### *Deipara compassa est Filio, qua mulier.*

E cruce pendens Iesus Christus, cum vidisset benedictam suam Matrem, *mulieris* nomine illam nuncupavit: *Mulier* (Io. 19. 26). Quare foeminei sexus nomine, et non maternae dignitatis honore Deiparam Christus nuncupat? Id sine altissimo mysterio profecto non accidit.

Negari non potest, foeminas ad pietatem et misericordiam virisproniores et procliviores esse. Aristotiles (lib.9. de anim.) docuit, quod *cor virile expansum magis, muliebre vero magis compressum est.* Ideo viri ad laetitiam, quae animum dilatat, mulieres ad tristitiam, quae constringit, magis aptae esse noscuntur. Sed, missis hisce prophanis auctoritatibus, id ex permultis S. Scripturae locis luculenter eruitur. In Exodo (cap. 1.) narratur quod, praecipiente rege Pharaone obstetricibus Aegyptiis, ut quando obstetricarentur Hebraeas, et partus tempus adveniret, servatis foeminis, occiderent omnes masculos nascentes, ipsae cor adeo durum non habuerunt, ut impio regis praecepto obedirent, maresque conservarunt. Insuper in eodem Exodi libro (cap. 2.) legitur, praedictum Pharaonem praecepisse, quod quidquid masculini sexus nasceretur, in flumen proiici deberet. Tunc autem vir de domo Levi, pater Moysis, nequaquam sollicitus fuit de puero servando. Verum Mater infantis, utpote ad pietatem pronior erga fructum uteri sui, illum primo tribus mensibus abscondit; deinde, cum iam illum amplius celare non posset, ita egit, ut puer salvari posset: votis autem suis exitus respondit, et mediante alia muliere, nempe filia Pharaonis, quae pulcherrimi infantis miserta, ait: *De infantibus Hebraeorum est hic!* Moyses a submersione liberatus, ad salutem Israelis crevit. Quid plura? Exploratorum terrae promissae, qui ad mortem quaerebantur, sola mulier, nomine Rahab, quantumvis meretrix, miserta est, et ipsos abscondens, liberavit et salvos remisit (Ios.2.4). Adhaec nuncii euntes ad David, ut salvarent illum de manu Absalom, absconditi fuerunt in puteo, et a morte liberati per mulierem (2. Reg. 17.19). In Sarepta Sydonis pene innumeri habitabant viri, multis divitiis affluentes; et tamen, cum Helias in illam urbem a Deo missus fuisset, ad neminem illorum, sed ad solam piam mulierem ex Dei mandato divertit (3. Reg. 17. 9). In Canticis Canticorum legimus (cap.5.v.17), quod, cum quadam die egrederetur Sponsa, quaerens Sponsum suum, licet alioquin plures ei occurrerent viri, solum foeminae sibi compatientes dixerunt: *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum.* De Hester scimus, ipsam solam compassam fuisse populo morti addicto, et apud Assuerum, cum magno suae vitae periculo, causam Hebraeorum defendisse (Hest.7.3). Item sola Iudith mulier vidua, suae patriae miserta, illam liberavit, cum homines illam tradere in manus inimici decrevissent (Iudith. cap. 8). Sed ad novum testamentum veniamus. Mulieres ministraverunt Domino praedicanti per castella et civitates (Luc. 10.38). Dum Iudaei saeviebant in Christum baiulantem Crucem, mulieres solae sequebantur illum flentes (Io.19. 25). Uxor Pilati sola conata fuit impedire Dominicam passionem, cum omnes clamarent: *Crucifige, crucifige eum* (Matth. 27. 19). Mulieres Cruci adstiterunt (Io. 19.25). Mulieres primae ad monumentum Christi venerunt (Io. 20.1.) etc.

Quamvis ergo etiam homines compassionis et doloris sint capaces, tamen negandum non est, mulieres ad hoc proniores existere, ex ipsa sua natura, et foeminei sexus conditione. Unde enim mulieris nomen? Mulier, inquit Tiraquellus (4. lib. Connubial.) a molliendo; idem ergo est mulier quod mollis, non solum corporis, sed animi etiam mollitie et flexibilitate. Patet igitur ex hoc, beatissimam Virginem, etiam inspecta tantum sui sexus conditione, summo dolore et compassione affectam fuisse in Filii sui passione; et idcirco, inter alias rationes, Jesum illam mulieris, non matris nomine vocasse, cum illi Ioannem in filium tradidit. Nec illius doloribus ullo modo existimandum est obstare, quod ipsa peccati originalis et multarum miseriarum ex ipso consequentium expers fuerit. Non est profecto defectus aut imperfectio habere cor ad compassionem pronum et proclive; nam compassio ex charitate prodit; et charitas est virtutum omnium nobilior. Quare patientissimus Job quasi gloriabatur de hac animi sui dispositione, et sic scriptum reliquit (Iob. 31. 18.): *Ab infantia crevit mecum miseratio.* De Salomone legimus, quod inter cetera dona ipsi a Deo collata, illud adnumeratur (3. Reg. 4.29): *Dedit ei Deus latitudinem cordis*; et, ne in longum procedamus, de ipso Dei Patris Verbo in humana natura assumpta sic loquitur Apostolus (Hebr. 4.15): *Talis enim decebat, ut esset nobis Pontifex...qui possit compati infirmitatibus nostris.* Tantum igitur crevisse dicendum est dolorem et compassionem in corde beatissimae Virginis pro Filii sui passione, quantum ipsa, utpote perfectissima inter ceteras puras creaturas, sexus conditione aliis mulieribus praestat et supereminet.

### II.

### *Deipara compassa est Filio, qua Mater*

Si quaelibet mulier, ob sui sexus conditionem prona est ad compatiendum cuilibet patienti, quid dicendum est, si haec mulier sit etiam mater, et si ille qui patitur sit fructus sui ventris?

Quemadmodum ignis ponderari nequit (4. Esdr. 4.5.), sic nec ponderari potest amor matrum erga filios. Arnobius refert, adeo excessivum fuisse amorem Agrippinae erga impium suum filium Neronem, ut cuidam astrologo ei dicenti, futurum esse, ut ille ad imperium perveniret; adeo tamen tyrannum evasurum, ut propriam matrem foret occisurus, ipsa continuo respondit: *Occidat me, modo imperet.* Sed quid refero Agrippinam? Ipsa bruta animantia naturalis materni amoris erga filios luculentissima praebent argumenta. Ut aquilam omittam, quae, ut filios suos ab aucupe defendat, periculo iaculorum se exponit; utque pelicanum sileam, quae ut filiorum vulneribus medeatur, rostro proprium pectus percutiens, sanguinem elicit, solum dicam, leaenas ipsas pro suis leunculis saepe vitam ipsam suam exposuisse. Si ergo maternus amor naturaliter tam ardens esse solet, non potuit non in Maria ardentior esse; tum quia, si ad amorem, quem vocant acquisitum, mentem convertamus, qui maxime foveri et nutriri solet communicationis et familiaritatis pabulo, necesse est, hunc amorem fuisse in beata Virgine admodum eximium, cum ipsa cum Filio suo per plusquam triginta et tres annos familiarem consuetudinem habuerit. Apostolus Petrus ad breve tempus cum Christo conversatus fuit; et tamen summo exarsit amoris igne erga eum. Magdalena vix vidit Iesum in domo Simonis, et illico



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tanto eius amore capta fuit, ut ipse Jesus dixerit de illa: *Dilexit multum* (Luc.7.47.). Quid igitur dicendum est de Mariae amore erga charam suam sobolem? Si ceterae matres filios diligunt ob eximiam eorum pulchritudinem, nemo profecto pulchrior illo, de quo David dixit: *Speciosus forma prae filiis hominum* (Is. 44.): Si aliae genitrices natos suos amant ob divitias, quis ditior illo, quem Pater *constituit haeredem universorum* (ad Hebr. 1. 2.)? Si aliae filios amant propter imperium, *omnia dedit ei Pater in manus* (Io: 13.3.): si ob scientiam, in ipso *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei* (ad Coloss. 2.): Si denique aliae matres amantissimas se filiis exhibent propter egregiam eorum indolem, et propter innocentiam eximiam et virtutes, de Christo procul dubio scriptum est, quod *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius* (1. Petr. 2.).

His adde, quod beatissima Virgo dupliciter mater Iesu dicenda est, nam absque viri concursu illum genuit, ex sola Spiritus Sancti virtute. Nec tantum naturaliter ipsa Filium suum dilexit, sed supernaturali etiam charitate.

Cum ergo tantus fuerit amor in Deipara Virgine, ex eius amoris propemodum immensitate, coniici potest acerbitas compassionis ob dilectissimi sui nati passionem; doloris enim mensura a mensura amoris sumenda est. Ad quod sane respiciens divus Bonaventura dixit (in offic. de Compass. B. M. V.): *Nullus dolor amarior quia nulla proles charior.*

Cui igitur comparari potest, vel cui assimilari dolor et compassio Virginis benedictae? Abrahami cor compassionis iaculo vulneratum esse debuit, quando filium suum Isaac ad montem secum duxit, ut illum, iuxta Domini praeceptum, sacrificaret. Sed compassio Abrahae comparari nequit compassioni Deiparae, quia ille erat vir et pater; haec autem mulier est, et Mater tanti Filii. Heva ipsa, uxor Adae, summopere dolere debuit, quando vidit filium suum Abel a fratre Cain occisum; sed Heva in primis dividere potuit compassionis dolorem cum viro suo; et quis nescit, quod *solatium est miseris socios habere poenantes?* Deinde vero Heva non vidit filium tam dura supplicia patientem, sed illum probabiliter aspexit iam mortuum; Maria vero omnium Filii dolorum testis oculata et socia fuit. Patet igitur, summum fuisse dolorem beatissimae Virginis, quia compassa est Filio qua mater.

## III.

### *Deipara compassa est Filio, qua Mater unigeniti.*

Quamvis quaelibet mater summo dolore afficiatur in morte cuiuslibet sui filii, indubium tamen est, quod si, uno defuncto alii supersint ei nati, quodammodo dolor ipse minuitur et attenuatur: sed si filius, qui moritur, unicus sit matri suae; sique illi nullus alius remaneat, ecquis dicere potest quanta sit illius genitricis compassio et desolatio?

Iam vero hic praecise est casus benedictae et intemeratae Virginis Mariae in passione et morte unigeniti et divini filii sui Iesu.

De fide est, sanctissimam Deiparentem in virginitate concepisse, et peperisse Iesum Christum. Isaias id praedixit, cum inquit (7. 19): *Ecce Virgo concipiet...* Angelus autem Gabriel missus fuit *ad Virginem*, et nunciavit ei, ipsam electam fuisse ad divinam maternitatem. Deipara autem respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* (*Luc.* 1. 34.)? Certum ergo est, Deiparam usque ad Christi conceptionem virginem fuisse; ac proinde nullum filium ante illum habuit, aut habere potuit. Post partum autem similiter de fide certum est, eamdem Dei Genitricem virginem permansisse. Impius Helvidius hoc negare praesumpsit, et non est veritus asserere, matrem Christi post partum a Ioseph fuisse carnaliter cognitam, et alios genuisse. Simili ausu temerario Iovinianus, et Lucas Sternberger blaterarunt, quod Maria, praeter unigenitum suum Iesum Christum, alios progenuit filios. Ezechiel propheta sic de virginitate Deiparae, etiam post partum, vaticinatus est (44. 2): *Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam; quoniam Deus Israel ingressus est per eam.* Quod exponens divus Augustinus (serm. 18 de temp. par. a princip. tom. 10) docet, ex praedictis Isaiae verbis aperte colligi virginitatem Deiparae post partum. *Quid inquit, porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, Homo non transibit per eam, nisi quod Ioseph non cognoscet eam? Et quid est, Clausa erit in aeternum, nisi quod Maria Virgo est ante partum, Virgo in partu, et Virgo post partum?* Angelicus autem Doctor divus Thomas (3. p. q. 28. art. 3.) idipsum affirmat, et docet convenire virginitatem Deiparae post partum 1. Christi perfectioni, quia *sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia Filius eius; ita decet ut esset unigenitus Matris, tanquam perfectissimum germen eius:* 2. convenire Spiritui Sancto, *cuius sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit; unde non decebat, quod de cetero violaretur per commixtionem virilem* 3. convenire dignitati et sanctitati Matris Dei, *quae ingratissima videretur, si tanto Filio non contenta esset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum* 4. denique convenire ipsi Joseph, cui *esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam, quam, revelante Angelo, de Spiritu S. concepisse Deum cognoverat, polluere attentaret.* Iuremerito igitur Ecclesia Beatae Virgini accinit: *Post partum Virgo inviolata permansisti.*

Si ergo Deipara nullum filium habuit, antequam Mater fieret Christi; si nullum postquam Christi effecta est genitrix, proculdubio sequitur, ipsum Iesum unigenitum fuisse, et filium unicum Matri suae.



## IV.

### *Deipara compassa est Filio, qua Mater innocentis.*

Eliphaz Themanites, volens amico suo Iob aliquod lenimentum suis verbis afferre in eius calamitate, sic illum alloquutus fuit (Iob. 3. 7.): *Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt.* Licet enim Deus aliquando sinat innocentes ab impiis opprimi, vel aliter per tribulationem probari, quemadmodum contigit Abel filio Adae, a Cain fratre suo occiso; Iosepho filio Iacob, a fratribus suis in cisternam demisso, et postea Ismaelitis vendito; et denique ipsi Iob; tamen in ipsa oppressione et tribulatione solet Deus aliqua consolatione recreare innocentes, qui iniuste patiuntur; et saepe etiam e manu persequentium ipsos innocentes miraculose eripit, uti evenit Davidi, quem e gladio maligno non semel liberavit.

Hisce positis, est ne innocens benedictus Iesus? Si autem innocens est, quare morti turpissimae damnatus est? Quare aeternus eius Pater illum e manibus impiorum non eripuit?

Innocens, si vim verbi inspiciamus idem est ac non nocens: secundum Graecos interpretes sacrorum Bibliorum, est ille, qui habet mentem abhorrentem a malitia, vel malitiae ignaram. Iuxta alios definitur *Animi affectio, quae noceat nemini, nemini male velit, sed omnibus prodesse et benefacere studeat.* Quare Cicero (lib. 5 Tuscul.) dicit: *Innocens dicitur, non qui leviter noceat, sed qui nihil nocet.* Divus Chrysostomus autem et Oecumenius innocentem dicunt *expertem doli, qui nescit fallere, nescit decipere.* Fraus enim ac dolus, aeque ac animus nocendi avidus, proprie vocantur malitia (vide a Lapid. in epist. ad Hebr. cap. 7. v. 26).

Apostolus gentium (ad Hebr. cap. 7. v. 26) docet, quod *Talis decebat nobis, ut esset Pontifex, sanctus, INNOCENS, etc. - Decebat,* inquam, quia *nihil nobis Iesu mors profuisset, nisi innocens eam passus fuisset;* et idcirco *Iesu innocentia est praecipuum salutis nostrae caput,* inquit Lucas Brugensis. Adam, cibum vetitum gustando innocentiam amisit, et nocens factus est. Praetereo quod *nocuit* Deo, saltem affective, quia illum, quantum in se fuit, e sua suprema sede exturbare contendit: dico tantum quod nocuit sibi; nocuit et universo humano generi. Verum, ut nocens redimeretur ab aeterna morte, innocens mori debuit: *Talis enim decebat, ut esset nobis Pontifex ... innocens.*

Heic reponi posset illud quod, Angelicus divus Thomas docet (part. 3. quest. 46. art. 6. ad 5). Ipse enim, disserens de Christi passione, dicit: « Videtur quod innocentia patientis di- » minuit dolorem passionis. Sed Christus in- » nocens est passus, secundum illud Hieremi- » ae (11.19): *Ego autem quasi agnus man-* » *suetus, qui portatur ad victimam.* Ergo di- » cendum quod dolor passionis Christi non » fuerit maximus ». Huic obiectioni ipse Angelicus Doctor respondet: « Sed contra » dicendum quod innocentia patientis minuit » dolorem quantum ad numerum, quia cum » nocens patitur, dolet non solum de poena, » sed etiam de culpa; innocens autem solum » de poena: qui tamen dolor in eo augetur » ex innocentia, in quantum apprehendit no- » cumentum illatum, ut magis indebitum: » unde etiam et alii magis sunt reprehensi- » biles si ei non compatiantur, secundum » illud Isaiae (57.1): *Iustus autem perit,* » *et non est, qui recogitet in corde suo* ».

Etiam prophanus poeta Ovidius hanc veritatem confirmavit (in suis epist.) dicens:

*Leniter ex merito quidquid patiare ferendum est:*
*Quae venit indigne poena dolenda venit.*

Si igitur, uti diximus, innocentia non extenuavit, sed mirum in modum aggravavit Christi passionem, proculdubio benedicta eius Mater maximum et infandum dolorem experiri debuit, eo quod vidit dulcissimum suum Filium, qui licet sanctus, *innocens,* impollutus, segregatusque esset a peccatoribus, tamen dirissima tormenta patiebatur.

Non me latet, conscientiam male factorum tormentum potius, quam lenimentum afferre patienti. Verum negari non potest, quod quando poena non est iniuste inflicta, imo per delicta patrata promerita, tunc et qui illam patitur, quum aliquo modo illam voluerit in causa, conqueri non potest; et qui patientem diligunt, compati quidem ei possunt, sed de iniustitia eiusdem poenae accusare nequeunt. Unde et latro poenitens socio suo blasphemanti dixit (Matth. 27): *Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic autem quid mali fecit?*

Haec Deipara Virgo, stans iuxta Crucem Filii sui, audivit a latrone, et fortasse eadem verba repetere potuit: *Quid mali fecit* benedictus et dulcissimus Filius meus?

Interrogentur prophetae. Prophetae praenuntiarunt de ipso dici debere: *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius* (Is. 53. 9). David in Psalmis dixit: *Quaeretur peccatum illius, et non invenietur.- Quid mali fecit?* Ipse proditor Iudas, qui illum vendiderat, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos dicens: *Peccavi tradens sanguinem iustum* (Matth. 27.3). *Quid mali fecit?* Herodes illum damnare non potuit, et illusum dimisit (Luc. 23.12). Pilatus ipse, iniquissimus iudex, dicere coactus fuit: *Ego nullam causam mortis in eo invenio* (Luc. 23. 22): *Innocens ego sum a sanguine iusti huius* (Matth. 27 24).

Si ergo Christus non tantum innocens erat a quocumque crimine, idest non nocens, verum etiam omnium benefactor extitit; et his-

ce non obstantibus, dirissima tormenta perpessus est, quantum ei compati non debuit benedictissima ejus Mater? Saul rex innocens profecto non erat. Ad nullum aliud damnum temporale, pro sua inobedientia divinis iussionibus damnatus fuerat, nisi ad regni privationem; et tamen Propheta Samuel illum amare lugebat (1. Reg. 15.35). David a filio suo Absalom male tractatus fuit, qui per summam ingratitudinem et iniuriam, contra regnum, et vitam patris saepe conspiravit; hisce non obstantibus, quum David nuncium mortis accepisset ingratissimi et parricidae Absalom, *contristatus ascendit caenaculum portae, et flevit, et sic loquebatur vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi! quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom* (2.Reg. 18. 33)! Advertendum hoic est, Absalom non fuisse innocentem, sed nocentissimum, immo parricidam: Absalom insuper non sustinuit tanta tormenta, quanta passus fuit innocentissimus Christus, sed tantum lancea confossus mortem oppetiit. Ad haec, David habebat cor virile et forte; alios filios, praeter Absalom habebat: denique non vidit suis oculis filii sui mortem. Quis ergo non videt maximam differentiam, quae intercedit inter Davidis pro morte Absalom, et Deiparae Virginis pro morte innocentissimi filii sui Iesu Christi dolorem?

Heu! mihi videtur, benedictissimam Matrem nunc ad Filium suum dolenter converti, illique sic loqui: Indica mihi, obsecro, dulcissime Nate, in quo Iudaeos offendisti, quoniam ab ipsis odio tam maligno prosequutus es? Forsitan vero contra Caesarem conspirasti, illique tributi solutionem denegasti? Forsitan blasphemasti? Forsitan?!... Nunc dolorosa Genitrix ad aeternum Patrem convertitur, illumque sic affatur: *Deus, Deus meus, quare* Filium tuum *dereliquisti?... In te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos; ad te clamaverunt, et salvi facti sunt.* Respice de altissimo coelorum habitaculo Filium tuum innocentissimum, qui videtur *vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.* Nemo unquam frustra ad te clamavit: quare vocem morientis Iesu non audis? Audisti vocem Noe, illumque de diluvio aquarum multarum salvasti; audisti vocem Abrahae, illumque de Ur Chaldeorum liberasti: audisti vocem Loth, illumque de Sodomae incendio eduxisti: audisti vocem Danielis, illumque de lacu leonum eruisti: audisti vocem Susannae, illamque a calumniis seniorum eripuisti. Eccur, Pater aeterne, Filii tui e Cruce pendentis vocem non exaudis? — Nunc denique Mater admirabilis, et posterorum memoria digna, ad Iudaeos conversa, sic illos dolenter alloqui mihi videtur: Quid mali fecit vobis benedictus fructus virginei mei ventris? Forsitan hoc malum ipse fecit patribus vestris, quod illos ex Aegypto eduxit, demerso Pharaone cum ingenti exercitu suo in mare rubrum?.. Malum ne hoc fuit, quod, murmurantibus iisdem patribus vestris ob ciborum inopiam, dedit eis coturnices et manna ad manducandum, omne delectamentum in se continens?... quod rursus murmurantibus in Raphidiim ob aquae defectum, dedit aquam de petra durissima?.. quod Amalecitas exterminavit?.. quod tandem, plusquam triginta regibus profligatis, dedit eis terram fluentem lac et mel?

Non solum igitur benedicta Virgo compatiebatur Filio suo, eo quod ipse innocens erat eo sensu, quod nunquam male operatus fuerat, sed insuper, eo quod positive omnibus bene fecerit. Ipse in nuptiis Canae Galileae aquam in vinum convertit (Io. 2.11); filium Reguli aegrum Capharnai sanavit (Io. 4. 50); daemoniacum in synagoga a daemone liberavit (Marc. 1.23); socrum Petri febrientem, aliosque multos aegros curavit (Matth.8.15); in navi dormiens, excitatus a discipulis, sedavit tempestatem, et ventis ac fluctibus imperavit (Matth.8.15); duos daemoniacos sanavit in regione Gerasenorum, ac daemonibus permisit ingredi in porcos (Matth. 8. 28.); paralyticum per tegulas ante se demissum consolidavit (Matth.9.2); Archisynagogi filiam a morte revocavit, et hemorroissae fluxum sanguinis sistere fecit (Matth.9. 18). Quid plura?. Nimis in longum oratio procederet si singillatim eius benefacta recensere vellemus, quae scripta sunt, praeter alia plurima, quae scripta non esse ex Scripturis constat. Ipse aegros immensos sanitati restituit, mutis loquelam, surdis auditum, coecis visum, famelicis cibum saepe per miracula dedit; mortuos nonnullos ad vitam ipse revocavit. Non solum ergo immunis a quocumque crimine et defectu, adeoque innocens negative fuit, verum etiam nemo inter homines potiori iure benefactor omnium dici debuit, quam Christus Iesus. Hisce non obstantibus, tam dira tormenta patiebatur, et ad mortem ducebatur tamquam flagitiosissimus, et nemo ex illis qui beneficia ab ipso receperant, surgit ad proclamandam ejus innocentiam!

Benedicta autem et dolorosissima Christi Mater, quae ex una parte Filii sui innocentiam quaquaversus probe noscebat; et ex alia ingratitudinem hominum, illum non defendentium, conspiciebat, quanto dolore affici propterea non debuit?. Ipsa dicere potuit cum Regio Psalte: *Considerabam ad dexteram et videbam, et non erat, qui cognosceret* Filium meum (Ps. 141); et cum Isaia: *Circumspexi et non erat auxiliator* (Is. 635).

## V.

### *Deipara compassa est Filio, qua praesens eius passioni.*

Platonis discipuli inter se quondam disceptabant, quanam poena plecti deberet mulier in actu adulterii deprehensa. Multi in multas abiere sententias. Fuit aliquis qui proposuit, more Cumanorum, adulteram asino per totam urbem circumvehi, ut ab omnibus cognosceretur velut



infamis. Alius aliam poenam substituit, dixitque, duarum arborum inflecti oportere capita, et ad adulterae pedes religari, moxque dimitti, ut intervulsa utrimque penderet. Alius adulterae corpus securi concidi existimavit; alius oculos eius erui, vel corpus concremari et comburi, vel nasum truncari, vel sinum disrumpi, vel aliter cruciari, proposuerunt. Unus tandem surrexit, silentioque ceteris imposito, novam poenam excogitavit. Si haec mulier adultera, ipse inquit, filium sibi dilectum iam habet, huiusmodi filius, matre inspectante et praesente, crudeliter occidatur. Mirati fuerunt circumstantes ob hujus speciosae et novae poenae excogitationem, reposueruntque, iniustum nimis esse, filium ob matris delictum puniri. Ast proponens subiunxit, quod non semel parentum delicta in filios punita fuerunt: verum in hoc casu ipsi matri adulterae poena infligeretur, qua maior excogitari nequit. Cum enim matres filios suos diligere soleant plusquam seipsas, nulli dubium, quod adultera genitrix mallet ipsa potius mori, quam filii sui crudelem occisionem propriis oculis spectare.

Re quidem vera, in libro Genesis (cap.11.v. 28) legimus, quod *mortuus est Aran ante Thare* (seu *coram Thare*: vide Lyr.-vid etiam Hieronim in quaest Hebraic. in Genes. necnon Calmet, in hunc loc.) *patrem suum, in terra nativitatis suae, in Ur Chaldaeorum*. Quid sibi volunt illa verba: *ante Thare patrem suum?* quare haec circumstantia consideranda exhibetur, nempe genitoris praesentia, dum filius Aran moreretur? In divinis Scripturis ne apex quidem superfluus ponitur, et omnia, licet minima, notatu sunt digna. — Profecto id scriptum est, ut dolor paternus omnibus innotesceret, qui dum natum suum spiritum exhalantem propriis oculis spectavit, maximus et intensissimus esse debuit.

Id etiam eruitur ex facto Agar, quae, uti in eodem libro Geneseos legitur (cap.21.v.15), cum videret filium suum Ismaelem sitientem in solitudine Bersabeae, nec haberet guttam aquae in utre, nec fontem proximum, unde illam haurire posset, *abiecit eumdem* puerum suum *subter unam arborum, quae ibi erant, et abiit, seditque e regione procul, quantum potest arcus iacere; dixit enim: Non videbo morientem puerum; et sedens contra levavit vocem suam, et flevit*. Num bene egerit Agar, puerum Ismaelem abiiciendo, iudicare non volumus. Divus Augustinus dicit, illam abiecisse filium, non tam brachiis, quam animo, illumque reliquisse sub arbore, quasi desperatum et mox moriturum. Hoc tantum colligere possumus ex huiusmodi narratione, nempe quod cordi matris mirum in modum dolorosum evadit, si oculis suis filii sui cruciatus et mortem spectare debeat.

Sed quid loquimur de creaturis rationabilibus, quum etiam irrationabilia, imo ferae ipsae, natos suos adeo naturaliter diligant, ut pro ipsis etiam suam vitam parvipendant? Aquilam omitto, quae ut filios suos ab aucupe defendat, periculo iaculorum se exponit; et pelicanum sileo, qui ut filiorum vulneribus medeatur, rostro proprium pectus percutiens, sanguinem elicit. Solum dicam, quod si quis leunculum occidere vel rapere vellet, statim leaena contra audacem venatorem totis viribus insurgeret. Quare in Levitico hoc praeceptum a Deo datum legimus (cap.22.v.28): *Sive bos, sive ovis, non immolabuntur una die cum foetibus suis.* - Eccur Deus de hoc tam sollicitus fuit, ut mactationem bovis, sive ovis cum filiis suis tam solemniter vetuerit? Doctissimus A-Lapide respondet « Quia hoc crudele videtur » Quare crudele, nisi quia matri, licet ratione non utenti, ob naturalem amorem erga filios suos, quodammodo magnum dolorem afferret filium suum ante suos oculos occisum spectare? — Si hoc igitur de animalibus ratione carentibus, et de ipsis feris; si hoc de ceteris matribus, quid de Deipara Virgine dicemus, quae dilectissimum suum Natum conspicit tam saeva supplicia patientem?

Ad rem S. Laurentius Iustinianus (lib. de triumph. agon. cap. 11) haec scribit: *Gemebat Filius; quod Mater in tam horrendo esset spectaculo: ad cor Virginis loquebatur dicens: Ut quid venisti, columba mea, formosa mea? Dolor tuus meum auget; cruciatus tuus transfigit me. Heu! quo properas Mater? Ad locum miseriorum raperis?. Recede Mater.*

## VI.

### *Deipara compassa est Filio, qua impotens ad illum sublevandum.*

Si aliquod levamen benedicta Virgo dilectissimo Filio suo, in extremo vitae periculo constituto, ac summis doloribus confecto, praebere potuisset, hoc materno eius cordi quodammodo summum ac intensissimum dolorem leniret.

Legimus in libro II. Regum (cap. 23. v. 15): *Desideravit David, et ait: O, si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est de Bethlehem iuxta portam! Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quae erat iuxta portam, et attulerunt ad David: at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino.* Hoc facto praenotato, 1.° considerandum est, Davidem, non quia siti laborabat, sed tantum quia Bethlehem erat patria sua, et ipse recordatus fuerat aquae illius cisternae, de qua saepe biberat, desiderium suum patefecisse; Christus vero in cruce sitim tam ardentissimam patiebatur, ut eius lingua faucibus suis adhaeserit. *David desiderium*, ad rem inquit doctissimus a Lapide (sup. hunc. loc.) *magis ferebatur in ipsam Bethlehem, quam in aquam eius: nimirum optabat ipse e manibus Philistinorum extorqueri, et sibi et Israeli reddi.* 2.° prae oculis habenda est differentia maxima, quae intercedit inter amorem trium fortium militum erga Davidem, et inter amorem Deiparae erga filium suum Iesum. - Beatissima igitur Virgo quid non fecisset, ut aliquod refrigerium Filio suo in Cruce pen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

denti afferret? Videbat ipsa spinarum vulnera, et leniter illas e fronte educere et sanguinem abstergere, caputque ipsum fasciis alligare voluisset, nec poterat, quia id ei interdicebatur: cernebat faciem sputis, sanguine et lacrymis, perfusam, nec poterat abstergere: aspiciebat totum corpus undique cruentatum, nec linteo poterat cooperire: audiebat illum, *Sitio* dicentem; intuebatur felle et aceto potari, nec id avertere poterat, illumque aqua refrigerare. Ex hoc non poterat dolor Deiparae non esse acerbissimus.

Haec divus Anselmus meditabatur, dum de compassione Virginis, ob eius impotentiam iuvandi Filium, loquens dicebat: *Quis existimare potest quanta tristitia, moerere et dolore vulnerabatur cor Mariae super unici et naturalis Filii passione, quem tam caste concepit, tam gaudiose peperit, tam dulciter aluit? Vidit eum ligatum, et solvere non potuit; vidit corpus vulneratum, et vulnus ligare non valuit; vidit sanguinem in faciem fluere, et abstergere nequivit; vidit nudum, et cooperire illi interdictum fuit; caput inclinatum, et sustentare non potuit; flentem, et prae tristitia consolari nequivit; audivit eum dicere, sitio, et ei aquam ministrare non valuit.*

## VII.

*Deipara compassa est Filio, dum ille praevidebat, quod eius passio multis inutilis esset futura; ipsaque sciebat suos dolores non omnibus esse profuturos.*

Divino Spiritu afflata benedicta Virgo, dum iuxta Crucem Filii sui stabat, hoc mente manifeste et certo certius praecognoscebat, nempe quod, cum alioquin copiosissima esset Christi redemptio, et sufficere posset vis unius tantum guttae pretiosissimi eius sanguinis, non modo ad totius mundi existentis, sed etiam ad salvandos homines immensorum mundorum possibilium, tamen paucissimi forent qui fructu eius gauderent. Copiosa siquidem fuit redemptio a Christo operata triplici ratione, 1.° quia multos et acerbissimos dolores pertulit, et totum sanguinem dedit. Una gutta eius sanguinis, propter unionem hypostaticam; imo una humiliatio Verbi, completa in assumptione humanae naturae in utero Virginis, abunde suffecisset, prout nuper diximus, humani generis redemptioni. Verum, quod sufficiebat redemptioni non satis erat amori, inquit Augustinus; et idcirco, non solum sufficientem, sed amplissimam, supereffluentem, copiosam redemptionem complere voluit, adeo ut verificaretur quod Hieremias praedixerat (cap. 13. 1.): *In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, et menstruatae;* et quod scriptum legimus in libro Ecclesiastici (30. 27): *Benedictio eius quasi flumen inundabit.* — 2.° Copiosa fuit redemptio ob vehementiam amoris: quippe quia, cum Deus omnipotens potuisset utique, si voluisset, absque suae iustitiae laesione, nos per aliquem Angelorum, sive alio modo, nos redimere, tamen voluit per ipsum unigenitum Filium suum Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, nos a tantis miseriis eripere. Quare opportune divus Ioannes in Evangelio de tanto charitatis excessu miratur, dicens (3. 16): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* et Isaias (cap. 63. v. 9), uti vertunt Septuaginta interpretes, sic loquitur: *Non legatus, neque Angelus, sed ipse Dominus salvavit eos, quod diligeret eos, et parceret eis: ipse redemit eos.* — 3. Denique copiosa fuit Christi redemptio propter infinitatem pretii pro nobis dati, de quo iam superius aliquid attigimus. Apostolus hoc considerans, inquit (1. ad Cor. 6. 20): *Empti enim estis pretio magno* - et apud Ephesios (1. 7.) subiungit: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis.*

Hanc copiosam mundi redemptionem, per immanissimum Crucis supplicium a Filio suo toleratum, Deipara non ignorabat. Verum, dum Christus in extremo agone constitutus illud Regii Psaltis usurpare poterat (Ps. 29. 10.): *Quae utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?* ex alia parte benedictae eius Matri illa Isaiae verba assumere fas erat (Is. 49. 4.): *Et ego dixi: in vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi. . . ut reducam Iacob ad eum, et Israel non congregabitur!* Non ignorabat Deipara, quod Christus docuerat in parabola Evangelica (Luc. 8. 11), nempe tantum quartam partem seminis diligenti seminatori fructum optatum attulisse. Utinam autem et quarta pars hominum, vel etiam solummodo quarta pars catholicorum, de fructu redemptionis a Christo operatae participet! — Dum autem Christo in Cruce, etiam eius Matri iuxta Crucem stanti, illud occurrebat Micheae vaticinium (Mich. 7. 1.): *Vae mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae!* qui textus opportunius ad rem nostram in versione Syra, Septuaginta, etc. sic exponitur: *Sicut qui congregat stipulam in messe, et sicut qui* (colligit) *racemos in vindemia.* Ex hac versione duplex similitudo instituitur, nempe Deus comparat se ei qui facit spicilegium post messem, paucasque spicas a messore relictas colligit huc illuc 2° racematori, qui perpaucas uvas post vindemiam reliquas decerpsit. Paucae spicae, et paucae uvae colligebantur quidem vel ipso passionis Christi tempore, dum latro de Cruce clamabat (Matth. 27): *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum;* dum Centurio Christi divinitatem in propatulo confitebatur dicens (ibid.): *Vere filius Dei erat iste:* dumque alii revertebantur percutientes pectora sua (Luc. 23. 48). Sed huiusmodi paucissimi racemi, huiusmodi rarissimae spicae, quid sunt respectu unius tantum guttae sanguinis Christi, quae quum infiniti sit valoris, sufficeret ad redemptionem mille, et amplius, mundorum, si existerent? Esset quidem magno *medela vulneri* benedictae Virginis si ipsa sciret, quod sicut *copiosa* erat Christi redemptio quoad sufficientiam, ita *copiosa* etiam esset, quoad efficaciam, ut verbis utar Angelici Doctoris: sed tanto vulneri medela nulla fuit, et immedicabilis tunc remansit plaga eius.



## *Virgo Deipara post mortem Filii.*

### *Dolor Virginis in transfixione lateris defuncti Filii sui.*

*Unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.*

Io. 19. 34.

Nemini dubium esse potest, in toto Psalmo sexagesimo octavo Christum per os David loqui de sua passione. In primis, cum videret aquas tribulationum et desolationis intrantes, velut mare spumans, usque ad animam suam, opem divinam implorat: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam:* in syrtes infidas, et in scopulos multos incidisse, et deinde se a ventis adversis in altum mare deiectum et submersum dolet. Adhaec, gratuitos adversarios suos confortatos super se, quibus, cum ipse esset eorum frater, tamquam extraneus factus est et peregrinus, luget. Denique innocentiam suam, sanctitatem et iustitiam causae a se propugnatae, labores suos, necnon praecipue suam in aeterno Patre confidentiam exponit. Facta autem narratione fellis, quod dederunt ei in escam, et aceti, quo in siti sua potatus fuit, dolet quod inimici sui desaevire non cessaverint, et de hoc maxime conqueritur, dicens: *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (ibid. vers. 27). Quidnam quaeso Christus his postremis verbis intelligit? quomodo Iudaei addiderunt dolorem super dolorem vulnerum suorum?

Hugo Cardinalis (in explanat. hui. versiculi) exponit memorata verba de vulnere lateris Christo post mortem illatum; ait enim: *Super dolorem vulnerum meorum, idest manuum et pedum, addiderunt vulnus lateris.* Re quidem vera in memorato Psalmo prius sermo instituitur de felle et aceto, quemadmodum nuper vidimus. Divus Ioannes autem in suo evangelio dicit, quod post illam amarissimam potionem Iesus mortuus est. En eius verba (cap. 19. v. 20): *Cum ergo accepisset Iesus acetum dixit: Consummatum est. Et inclinato capite emisit spiritum.* Si igitur ita se res habet, profecto prophetia, de qua loquimur, nempe de additione facta praecedentibus vulneribus, non potuit adimpleri, nisi in vulnere lateris, quod post mortem inflictum fuit cadaveri Christi. En facti series, secundum laudati divi Ioannis Evangelium (cap. 19. v. 32): *Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo* (nempe utriusque latronis). *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.* Christus igitur certissime iam erat mortuus quando vulnus lateris illi illatum fuit. Verum si mortuus iam erat, quomodo potuit sentire dolorem ex huiusmodi vulnere? quomodo inimici eius ex malignitate et pravitate cordis potuerunt habere propositum addendi dolorem ceteris, quos iam Jesus passus fuerat? Non me latet, Medinam (3 part. q. 51. a. 1.) cum nonnullis aliis dixisse, quod cum Iesus certissime praeviderit, dum adhuc viveret, huiusmodi vulnus sibi post suam mortem inferendum, illudque sponte et voluntarie acceptaverit, sensit anticipate dolorem novum, qui provenire debuisset ex eodem ictu, quique addendus erat doloribus ceterorum vulnerum. Scio etiam, alios expositores diversas vias inire ad memoratum textum explicandum, illorumque interpretationes, dummodo Catholicae Ecclesiae sensui non adversentur, veneror et in debito honore retineo: verum, quod ad nostrum propositum attinet, ego existimo aliam viam tenere, et dico 1.° relate ad Christum, quoniam iam erat vita functus, Iudaei vulnerando latus eius, si non addiderunt ei *dolorem* stricte sumptum, addiderunt sane contumeliam, ignominiam et dedecus *super dolorem* vulnerum eius 2.° relate ad Deiparam, quae iuxta Crucem stabat, suisque oculis illam immanitatem et saevitiem spectabat, praecedentibus doloribus novum profundissimumque dolorem addiderunt.

In Deuteronomio sic lege sancitum erat (cap. 21. v. 12): *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Id potiori iure censuerunt Iudaei locum habere debere respectu Christi; nam non solum cito sepeliendus erat quia *appensus in patibulo*, sed ratione festi sequentis. Re quidem vera crucifixio et mors Christi locum habuit in *parasceve* sabbati, et in sabbato non licebat operari. Adhaec, non agebatur de imminentia cuiusvis sabbati, sed solemnissimi festi paschalis, quod contaminatum et funestatum fuisset, secundum Iudaeorum existimationem, si illa die appensa remanerent cadavera crucifixorum. Ob triplicem igitur adductam rationem, nempe suspensionis in patibulo, *parasceves* sabbati, et *parasceves* paschae, putaverunt Iudaei interdictum sibi esse ad insequentem diem transferre Christi sepulturam. Interea hora, in qua ipse Iesus expiraverat, fuit circa nonam, et vesperae utriusque festi sequentis iam appropinquabant: solemnitates autem a vespere incipiebant; scriptum enim est in Levitico (cap. 23. v. 32): *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Heic abs re non erit advertere, diem diversimode computari; est namque dies naturalis, dies astronomicus, dies civilis, et dies artificialis.

Dies naturalis evolvitur viginti et quatuor horis; astronomicus computatur a meridie ad meridiem; civilis constituitur pro gentium arbitrio; artificialis denique dies est spatium, quo sol in horizonte apparet. — Babylonici, aliique populi numerant diem ab ortu solis ad ortum solis: alii a media nocte ad mediam noctem. Nunc temporis catholica Ecclesia pro aliquibus, exempli gratia, pro ieiunio, pro abstinentia a cibis vetitis, et pro cessatione ab operibus servilibus, computat diem a dimidia nocte praecedente ad dimidiam noctem sequentem: pro rebus liturgicis vero a vespera ad vesperam. Sed Hebraei pro civilibus et sacris rebus, uti nuper vidimus, incipiebant diem a vespera, et ad vesperam terminabant. Quoniam igitur vespertinum tempus appropinquabat, in quo duplex solemnitas, nempe sabbati et paschalis incidebat, oportuit sepulturam Iesu et duorum latronum cum eo crucifixorum, accelerare. Hi autem duo crucifixi a dextris et a sinistris Christi nondum mortui erant. Iudaei ergo, *ut non remanerent in cruce corpora sabbato; erat enim magnus dies ille sabbati, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur* (Io. 19. 31). Crurifragii morem Iudaei a Romanis mutuarunt, teste Lactantio (de ira lib. 3. cap. 18), et hoc immani tormento mors damnatis accelerabatur, rumpendo ipsorum crura validis mallei, aut vectis ferrei ictibus. Lipsius (de Cruc. lib. 2 cap. 15) fatetur, Romanos aliquando consuevisse crurifragii paenam statuere pro reis graviorum facinorum, et Svetonius (in vit. August. cap. 67), testatur, quemdam Talium amanuensem damnatum fuisse crurifragio, eo quod, pro pretio quingentorum denariorum patefecerat secretum sibi commissum in epistola, quam ipse, pro sui officii munere, transcribere debuerat. Hoc tormenti genus inventum fuit, tum ad maiorem gravitatem poenae damnatorum; tum etiam quia, cum aliqui per plures dies viverent in cruce, per dictum crurifragium celerius vitam finiebant; nam, testante Plinio (hist nat. lib. 11. cap. 48), in cruribus est quaedam vis vitalis. Facta igitur ipsis Iudaeis a Pilato potestate, venerunt ad montem Calvariae *et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum* Iesu. Huiusmodi crurifragii tormentum voluissent profecto etiam Christo inferre; verum cum venissent, invenerunt illum iam mortuum. Cessato autem crurifragii scopo, quod erat, uti diximus, mortis acceleratio, vice illius tormenti, *unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua* (Io. 19. 34).

De nomine militis, qui vulnus lateris Christo mortuo inflixit, sacri Evangelistae omnino tacent; communis tamen et receptissima sententia invaluit, illum Longinum vocari, et huiusmodi opinio innititur tum Martyrologiis et Menologiis antiquis et modernis, tum auctoritati nonnullorum Sanctorum Patrum et ecclesiasticorum scriptorum. Brevitatis gratia heic tantum commemoro divum Augustinum (in Manual. cap. 23), div. Isidorum Hispalensem, relatum a Salmerone (tract. 48 de pass.), divum Gregorium Nazianzenum (tragaed. de Chr. patient.) etc. Sunt qui putant militem hunc fuisse Centurionem illum, qui visis miraculis in morte Christi, exclamavit: *Vere Filius Dei erat iste* (Matth. 27.54): dicunt etiam nonnulli, ipsum fuisse coecum, et ad contactum sanguinis Christi lucem oculorum recuperasse; quod merito a Card. Baronio improbatur; non enim videtur verisimile, quod coeco militi executio sententiae Pilati demandata fuerit. Subiungunt, illum sic egisse, quia sui muneris erat, sub sua responsabilitate et propriae vitae periculo, curare, ne patiens de patibulo adhuc vivens deponeretur. Sed huiusmodi opiniones habent ex una parte patronos, ex alia adversarios; hi enim obiiciunt: Si iste miles erat idem, qui nuper Christi divinitatem asseruerat dicendo: *Vere Filius Dei erat iste*, quomodo ausus fuisset iam horrendo vulnere eiusdem latus fodere? Illi contra reponunt, ipsum hoc fecisse, ut graviorem a Christo arceret iniuriam, quae profecto ei illata fuisset per crurifragium. De cetero subiungunt, quod cum munus eiusdem Centurionis esset, uti innuimus, curare ne vivus crucifixus de Cruce deponeretur, ad ipsum pertinebat experimentum facere, an iam obiisset; in quo nihil piaculi admittere putabat. Nos hanc questionem nominis et officii eiusdem militis intactam relinquimus, et solum arbitramur, illum fuisse unum ex custodibus, qui latronum crura fregerant, ad mortem illis accelerandam; et similiter egissent cum Christo, frangendo etiam eius crura, si adhuc viventem reperissent. Neque multum immoramur in quaerendo, an a latere dextro, sive a sinistro illatum fuerit supradictum vulnus corpori Christi. Sunt qui tenent, in sinistro latere Christum fuisse perfossum, quia ibi sedes est et domicilium cordis, ubi in sacris Canticis (cap. 4 v. 9) Sponsus se a Sponsa vulneratum adfirmat: alii, ob alias rationes, lanceam latus dexterum pertransisse autumant. Denique non desunt qui utramque sententiam conciliantes adfirmant, cuspidem lanceae transisse per cor et pericardium, atque exiisse per latus sinistrum ad papillam; et huic opinioni subscribunt Prudentius (in carm. de Pass.), divus Cyprianus (tract. de pass. Chr.), Theophilactus, etc. Communis et receptissimus Ecclesiae usus est, ut imagines Christi cum vulnere in latere dextro depingantur; et consuetudines, maxime quando sunt antiquae sive immemorabiles, maximam auctoritatem habent. Duo solum pro certo adfirmare possumus, nempe 1.° quod inflicto tali vulnere, non naturaliter, sed per miraculum *continuo exivit sanguis et aqua* (Io. 19. 34): non prius sanguis et postea aqua, sed simul utrumque; impermixtum tamen, ut unum ab altero discerneretur: 2.° quod sicut vulnera clavorum fuerunt tantae magnitudinis, quod Apostolus Thomas post resurrectionem in eorum cicatricibus potuit digitum inferre, sic vulnus lateris tam ingens fuit et latum, ut idem Thomas totam suam manum immittere in illud valuerit.

Ex saepe memorato huiusmodi vulnere nullum novum dolorem Christum sentire potuisse certo certius constat; mortuus enim erat, et cum anima separatur a corpore, doloribus amplius locus non datur; unde divus Thomas (1. 2. q. 35. 1. c.) docet, ad dolorem requiri duo, scilicet coniunctionem mali, et apprehensionem eius. Non defuit quidem aliquis auctor, profecto damnandus, qui sub quodam male intellectae pietatis praetextu, asserere ausus fuit, lateris vulnus Christo adhuc in cruce viventi illatum fuisse: nos tamen iam ex ipsis luculentissimis evangelicis verbis demonstravimus, tantum post mortem Christi latus lancea perfossum fuisse.

De mysteriis, qui in hoc vulnere lateat, nihil dicimus, nam doctissimus Carthagena disertissime de illis loquitur (lib. 12 hom. 1. et 2.). Arbitramur tamen patientissimum Iob ad hanc lateris Christi apertionem respexisse, cum dixit (Iob. 16. 13): *Posuit me sibi quasi in signum, circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea: concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.*

His praenotatis, nunc breviter demonstrandum est, quod relate ad Christum, quoniam iam vita functus erat, Iudaei vulnerando latus eius, si non addiderunt dolorem, addiderunt sane contumeliam, ignominiam et dedecus super dolorem vulnerum eius.

1.° Inaudita immanitas profecto est in mortuum desaevire. Ipse leo, qui sua feritate ceteras belluas longe superat, non modo homini iam mortuo, sed etiam prostrato parcere solet: unde Ovidius, ethnicus poeta, scripsit:

*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni;*
*Pugna suum finem cum iacet hostis habet.*

et Plato (lib. 5 de rep.) inquit, illum qui in mortui hostis cadaver irrumpit, *non differre a canibus in lapides saevientibus, eo qui recessit, praetermisso.* Tandem, ne nimis in hac thesi demonstranda immoremur, de Polystrato legimus, ipsum poetam quemdam dure increpasse, propterea quod in extinctum tyrannum stylum acuisset. En eius verba: *Institutum tuum laudarem si virum accusasses; viventem namque tyrannum lacessere viri esse duco; at mortuo insultare, cuiusvis.*

Ieremias propheta (cap. 12. v. 9) inquit: *Numquid avis discolor haereditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? venite, congregamini omnes bestiae terrae, properate ad devorandum.* Multi sancti Patres et Sacrarum Scripturarum interpretes diversimode explicant hunc versiculum, sed Septuaginta, loco *avis discoloris*, sic legunt: *Numquid spelunca hyenae haereditas mea est mihi?* Quid autem his verbis intelligitur? En explicatio ad nostrum propositum. In speluncis et cavernis solent congregari hyenae saevae et immundae, ut cadavera mortuorum devorent; unde Hugo Cardinalis (in hunc locum) inquit: *Hyena corpora defunctorum persequitur, et effossa devorat.* Ierusalem autem recte comparatur cavernae et speluncae hyenae saevae et voracis: et quemadmodum haec bellua in ipsis cadaveribus mortuorum desaevit, ita Iudaei, non saturati opprobriis Christo viventi illatis, velut hyenae, in illum adhuc mortuum irrumpunt, et lancea latus eius aperiunt.

Haud ignoro, nonnullos gravissimos auctores, inter quos divus Thomas, dixisse, militem lancea latus Christi aperuisse, ut probaret, an revera esset mortuus, quemadmodum nuper innuimus. Verum, cum iam ex ipso aspectu cadaveris, et ex aliis argumentis, illum vita functum esse clarissime appareret: cum insuper ex ipso Evangelii textu eruatur, milites eiusdem mortem non ignorasse; legimus enim: *Ut viderunt eum iam mortuum*; et nihilominus a lateris apertione non destiterint; cum denique, admissa etiam aliqua dubitatione ex parte militis, non deessent alii modi, ut eiusdem mortis certus fieri posset; sequitur, quod tantum saevitiae, crudelitati et contumeliae ictus lanceae adscribi debeat. - Divus Ioannes Chrysostomus (hom. 84 in Ioan.) ex puro odio in Christum aperturam eius lateris, post eius mortem, derivatam fuisse adfirmat; et eiusdem opinioni adstipulantur etiam divus Isidorus, Theophilactus, aliique. Nos brevitatis gratia, auctoritatem tantum Ioannis Tauleri (serm. de Pass.) heic referimus: ipse inquit: *Fecerunt hoc crudeles Iudaei ex feritate et nequitia singulari; noverant enim, quod dedecus illatum defuncto, tamquam adhuc viventi factum habeatur: et hoc ipso persuadere volebant omnibus, tantum esse scelus et facinus Salvatoris, quod in vivo corpore digne castigari nequiverit; itaque necesse fuit in corpus defuncti desaevire.* Heu! quot scelera in uno lanceae vulnere!? Quis profecto in milite, lancea Christi latus vulnerante, non videt summam calliditatem, invidiam, malignitatem, ac praecipue saevitiem et contumeliam? Ad rem optime divus Ioannes Chrysostomus (in nuper commemor. hom. 84 in Io.) inquit: *Mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem ac scelestissimam!* Theophilactus (in Io:) subiungit: *Lanceant Christum circa corpus ex animo contumelias inferentes.* Unde praefatus divus Isidorus asserit, quod praecise ob hanc crudelitatem erga mortuum, gravius delictum commiserunt Iudaei in ictu lanceae, quam in ipsa crucifixione.

Hinc catholica Ecclesia in sua liturgia, dum *dulce* vocat Crucis lignum, in quo Salvator noster pependit; clavorumque vocat *dulce ferrum*, quo appensus fuit in eiusdem Crucis patibulo; e contra lanceam, qua Christi latus perfossum fuit, crudelem et diram denominat: *Mucrone diro lanceae* (Eccl. in



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hymn. *Lustra sex qui iam peregit*). Videbatur sane magis rationi consonum vocare *dulcem* lanceam, quia illius ictus nullum attulit Christo dolorem, cum iam mortuus esset; et contra *diri* dicendi essent clavi, qui manus pedesque Christi viventis perforando, incredibilem illi dolorem attulerunt; et crudelem potius Crucem: verum Ecclesia epitheta haec sapienter commutavit, ad denotandam maximam crudelitatem illorum, qui Christo adhuc mortuo tanta immanitate insultarunt.

Nunc demostrandum superest, quod ictus lanceae, Iesu Cristi cadaveri illatus, relate ad dolentissimam Deiparentem, quae iuxta Crucem stabat, praecedentibus doloribus novum profundissimumque dolorem addidit.

2.° Simeon, dum Christus infans ad templum Ierosolymitanum oblatus fuit, ad eius Matrem conversus, Spiritu Sancto afflante, dixit (Luc. 2. 34): *Positus est hic in signum, cui contradicetur . . . et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Haec verba, iuxta sententiam Hugonis (in comm. hui. loc.) sic intelligi possunt: *Tuam ipsius animam*, idest Christi, quae est tua per amorem, *pertransibit gladius.* Re quidem vera in libro 1. Regum (cap. 18. v. 1.) legimus: *Anima Ionathae conglutinata est animae Davidis, et dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Quis ignorat, amantis animam quodammodo magis esse in amato, quam in seipso? quasi glutine enim adhaerentissimo, eorumdem, nempe amantis et amati, anima sic coniunguntur, ut illi unam eamdemque videantur habere animam, mentem ac voluntatem. Unde amans de amato dicere solet: *dimidium animae meae*: et vulgo de duobus amantibus dicitur, unam animam in duobus corporibus residere. Ad vivum hic conceptus exponitur a profundissimo divo Augustino (in suis confess. lib. 4. cap. 6). Ipse enim loquens de suo intimo amico defuncto, sic dicit: *Ego sensi animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus; et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, et forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.* Id potiori certe iure adfirmari debet de amore matrum erga filios: isti enim, sicut relate ad corpus sunt pars earum, nam ex eorum sanguine et substantia concepti sunt; ita quodammodo relate ad animam, videntur unam eamdemque illam habere cum matribus, quae magis in natis suis vivere solent, quam in seipsis. Argumentatione autem semper progrediente, quid dicendum erit de beatissima Virgine, quae, cum nulla humana ope, sed virtute tantum Spiritus Sancti, Christum conceperit, totum Filio dedit; adeoque notabilissimo modo, strictius quam ceterae matres, illum dilexit? Haec autem dilectio, quae a natura illi indita erat, ex gratia illi collata immensum fere in modum crevit. Quemadmodum autem tota anima Deiparae erat in corpore Iesu per sublimissimum amorem, sic vicissim tota Iesu anima erat in corpore Matris ob intensissimam charitatem, adeo ut una anima videretur. Hisce positis, quid mirum, si lanceae cuspis, quae Christi latus aperuit; cum in corpore eiusdem Iesu animam quodammodo Matris suae invenerit, eius animam pertransivit et vulneravit? Ad rem mellifluus Clarevallensis Abbas, divus Bernardus (in serm. sup. *Signum magnum*) inquit: *Vere tuam, o beata Mater, gladius animam pertransivit; alioquin nonnisi eam pertransiens carnem Filii penetraret. Et quidem postquam emisit spiritum tuus ille Iesus (omnium quidem, sed specialiter tuus), ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae impius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset), aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat; sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris.* — Huic divi Bernardi testimonio praestat subiungere aliud eximii Ecclesiae Doctoris Sancti Bonaventurae (in Meditat. de vit. Chr. cap. 80.). Videbitur fortasse minuta nimis et puerilis narratio ab eo facta *de apertione lateris Christi*, sed est tanti Doctoris, idque multam auctoritatem ei comparat. En eius praecisa verba: *Commorantibus et sedentibus, reverenda Domina nostra Maria, atque Ioanne, Magdalene et sororibus Matris Domini ab una parte prope Crucem. . . ecce armati multi veniebant a civitate versus eos . . . multum quidem Domina timet . . et vertens se ad Filium mortuum dixit: Fili mi dilectissime, quare redeunt isti? quid facere amplius tibi volunt?.. Putabam satiatos esse de te; sed ut video, adhuc te mortuum persequuntur . . . Appropinquant autem illi cum furore et strepitu magno, et videntes latrones adhuc vivere, frangunt eis crura, et ipsos occidunt et deponunt, et in aliquam fossam velociter illos proiiciunt. Redeuntibus autem ipsis versus Dominum Iesum, timens Mater ne similiter faciant cum Filio suo, tacta dolore cordis intrinsecus... genibus flexis, et brachiis cancellatis, vultu lacrymabili et voce rauca, sic eos alloquitur dicens: Viri fratres, rogo vos per Deum altissimum, ne amplius me vexare velitis in dilectissimo Filio meo. Ego enim sum moestissima Mater eius, et scitis, quod numquam offendi, nec iniuriam vobis feci... Non expedit, ut eius crura frangantur. Videtis, quod iam mortuus est et migravit; hora enim est postquam discessit... Unus autem, Longinus, nomine, tunc impius et superbus, sed postea conversus, et martyr, et sanctus, porrigens lanceam de longe, preces et rogamina contemnens, latus Domini Jesu dextrum vulnere grandi aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Tunc Mater semimortua cecidit inter brachia Magdalenae... Sed nunc vere Filii corpus, et animam Matris huius lanceae gladius perforavit.*—Praeterea devotissimus Lanspergius (homil. 54 de Pass.) sic loquitur: *Divisit Christus cum Matre sua huius vulneris iniuriam, ut ipse quidem persecutionem et vulnus exciperet, Mater vero huius vulneris in se poenam et dolorem reciperet.* Denique, ne alia innumera testimonia congeramus, pro coronide sufficiat referre verba Guilielmi Pepini (in suo Rosario aur. serm. 29), qui sic scribit: *Constat autem, quod illa lanceatio nullum dolorem Christo intulit, eo quod ipsius anima iam de corpore recesserat; sed anima Matris in corpore Filii propter amorem et compassionem erat, etiam magis, quam in corpore proprio; et ideo lanceatio illa ipsius animam ibi existentem pertransivit, dum Filio compassa fuit; ex eo scilicet, quod nec mortuo parcere volebant.*



Quoniam autem ostium nobis apertum est in corde Christi per lanceae ictum, *bonum est nos hic esse* (Matth. 17): hic habitabimus, quoniam hoc domicilium elegimus (Ps. 131. 14.). Et quoniam lancea etiam Deiparae Matris nostrae cor pertransivit, ingrediamur simul ad eam. O quam dulce, quam iucundum, quam utile est habitare in corde Christi vulnerati, et in corde Deiparae a doloris gladio transverberatae!

## III.

### *De desolatione Virginis post mortem Filii sui Jesu.*

Apud Ecclesiasten (cap. 7. v. 2. et 3) legimus: *Melius est.. dies mortis die nativitatis. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Id omnino verum est, tum ex parte ipsius morientis, tum ex parte superstitum. Ex parte morientis, quia ipse in die nativitatis proiectus fuit in vallem lacrymarum, in locum exilii ac innumerarum aerumnarum: in ipsa cuna obviam illi factae sunt calamitates, miseriae, infirmitates et omnigena pericula. E contra in die mortis, ille qui recte vitam duxit, ad portum securitatis appulit et cessantibus omnibus miseriis, vitam aeternaliter beatam exorditur. Hinc sanctorum gloria incipit in morte, et dies migrationis illorum dies natalitius ab Ecclesia nuncupatur. Unde etiam Thraces, licet lumine fidei illuminati non fuerint, teste Herodoto (vide Alexand. ab Alexand. lib. 2. Genial. cap. 25), fletu prosequebantur suorum natales, et plangebant recentes calamitates et vitae incommoda, quae mox puer passurus erat; risu vero diem mortis et honore prosequebantur, exultabantque in funere, propterea quod defuncto iam datum erat excedere ex omnibus calamitatibus et infortuniis, quae vita secum fert. Id ex parte morientis: ex parte vero superstitum *melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* In domo convivii quid invenitur? Crapula, ebrietas, levitas etc: ibi animus dissolvitur, et ad murmurationem, ad intemperantiam, ad inhonestatem et ad alia scelera inducitur. Vice versa qui ad domum luctus se confert, perpendit mortem, et vertit ad bonum cor suum. Idem sacer textus affert rationem, quare domus luctus melior sit domo convivali, nempe quia *in illa finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit.* — Adhaec in domo luctus virtutes recensentur et praeclara facinora defuncti; sicque ad illorum aemulationem impellimur. Ibi etiam officia pietatis erga eumdem vita functum, necnon compassionis erga suos propinquos persolvere possumus. Nonne divus Franciscus Borgia, dux Gandiae, dum cadaver imperatricis defunctae efferebatur ad sepulturae locum, mundo valedixit, vitamque pristinam commutavit, aperiendo sarcophagum, et videndo iam difformatam illam faciem, quae nuper pulchritudine et vita florebat? Vere igitur *monumenta* sic dicuntur, quia *monent mentem.*

Transeamus igitur libenter ad domum luctus, et talis luctus, qualis nec antea similem habuit, nec poterit habere posterius. Haec *dies mortis melior est die nativitatis* ipsius Servatoris nostri I. C., quia tunc inceptum tantum, nunc vero perfectum est nostrae salutis opus. Transeamus, inquam, ad domum, in qua desolata Virgo Maria reperitur, ut illam de morte unigeniti et dilectissimi Filii sui, si non consolare, saltem aliquo pacto dolorem eius temperare possimus. Ibi monebimur, quod vita ipsa pro nobis mortua est; ibi iusta funebria officia nostro redemptori Jesu Christo persolvemus, simulque, pietatem nostram, filialemque observantiam Matri nostrae dolentissimae exhibebimus.

In libro Ecclesiastici (cap. 7. v. 29) legimus: *Gemitus matris tuae ne obliviscaris*, et paulo inferius (vers. 38): *Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.* Re quidem vera compertum est, quod luctus communione dolor alleviatur, quia in aliis dividitur, et ab iis quasi sustentatur. Ita fecit Job dicens (cap. 30 v. 25): *Flebam super eo, qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Huiusmodi compassionis officium persolvere debemus erga quoscumque nostros proximos, sed potiori iure erga Matrem nostram in die desolationis cordis eius; et talem Matrem qualis est Deipara Virgo. Causae cur compassione levetur dolor afflicti sunt, 1.° quia compatiens quadammodo inducit tribulatum ad aperiendum cor suum, antea occlusum et oppressum, facitque ut dolor effluat, et a persona quae patitur ad personam, quae compatitur derivetur. Unde S. Ambrosius (lib. 3 offic. cap. ult.) inquit: *Solatium huius vitae est, ut habeas cui pectus aperias tuum, ut colloces tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur.* — 2.° ratio est, quia afflictus, quantumlibet sapiens, in suo dolore semper est consiliorum inops: compatiens autem sana consilia ad dolorem mitigandum suggerit, quae dolor patientis difficulter in seipso invenit: unde in libro Proverbiorum (cap. 27 v. 9) legimus: *Bonis amici consiliis anima dulcoratur.* - 3.° ratio est, quia compatiens dat patienti quasi partem cordis sui, quare patiens duplici quasi corde confortatus, levius fert dolorem. Rursus patiens in una lance ponit suum dolorem, in alia consolationem quam recipit, et ex hoc levamentum quoddam

hymn. *Lustra sex qui iam peregit*). Videbatur sane magis rationi consonum vocare *dulcem* lanceam, quia illius ictus nullum attulit Christo dolorem, cum iam mortuus esset; et contra *diri* dicendi essent clavi, qui manus pedesque Christi viventis perforando, incredibilem illi dolorem attulerunt; et crudelem potius Crucem: verum Ecclesia epitheta haec sapienter commutavit, ad denotandam maximam crudelitatem illorum, qui Christo adhuc mortuo tanta immanitate insultarunt.

Nunc demostrandum superest, quod ictus lanceae, Iesu Cristi cadaveri illatus, relate ad dolentissimam Deiparentem, quae iuxta Crucem stabat, praecedentibus doloribus novum profundissimumque dolorem addidit.

2.° Simeon, dum Christus infans ad templum Ierosolymitanum oblatus fuit, ad eius Matrem conversus, Spiritu Sancto afflante, dixit (Luc. 2. 34): *Positus est hic in signum, cui contradicetur . . . et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Haec verba, iuxta sententiam Hugonis (in comm. hui. loc.) sic intelligi possunt: *Tuam ipsius animam*, idest Christi, quae est tua per amorem, *pertransibit gladius.* Re quidem vera in libro 1. Regum (cap. 18. v. 1.) legimus: *Anima Ionathae conglutinata est animae Davidis, et dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Quis ignorat, amantis animam quodammodo magis esse in amato, quam in seipso? quasi glutine enim adhaerentissimo, eorumdem, nempe amantis et amati, anima sic coniunguntur, ut illi unam eamdemque videantur habere animam, mentem ac voluntatem. Unde amans de amato dicere solet: *dimidium animae meae*: et vulgo de duobus amantibus dicitur, unam animam in duobus corporibus residere. Ad vivum hic conceptus exponitur a profundissimo divo Augustino (in suis confess. lib. 4. cap. 6). Ipse enim loquens de suo intimo amico defuncto, sic dicit: *Ego sensi animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus; et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, et forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.* Id potiori certe iure adfirmari debet de amore matrum erga filios: isti enim, sicut relate ad corpus sunt pars earum, nam ex eorum sanguine et substantia concepti sunt; ita quodammodo relate ad animam, videntur unam eamdemque illam habere cum matribus, quae magis in natis suis vivere solent, quam in seipsis. Argumentatione autem semper progrediente, quid dicendum erit de beatissima Virgine, quae, cum nulla humana ope, sed virtute tantum Spiritus Sancti, Christum conceperit, totum Filio dedit; adeoque notabilissimo modo, strictius quam ceterae matres, illum dilexit? Haec autem dilectio, quae a natura illi indita erat, ex gratia illi collata immensum fere in modum crevit. Quemadmodum autem tota anima Deiparae erat in corpore Iesu per sublimissimum amorem, sic vicissim tota Iesu anima erat in corpore Matris ob intensissimam charitatem, adeo ut una anima videretur. Hisce positis, quid mirum, si lanceae cuspis, quae Christi latus aperuit; cum in corpore eiusdem Iesu animam quodammodo Matris suae invenerit, eius animam pertransivit et vulneravit? Ad rem mellifluus Clarevallensis Abbas, divus Bernardus (in serm. sup. *Signum magnum*) inquit: *Vere tuam, o beata Mater, gladius animam pertransivit; alioquin nonnisi eam pertransiens carnem Filii penetraret. Et quidem postquam emisit spiritum tuus ille Iesus (omnium quidem, sed specialiter tuus), ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae impius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset), aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat; sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris.* — Huic divi Bernardi testimonio praestat subiungere aliud eximii Ecclesiae Doctoris Sancti Bonaventurae (in Meditat. de vit. Chr. cap. 80.). Videbitur fortasse minuta nimis et puerilis narratio ab eo facta *de apertione lateris Christi*, sed est tanti Doctoris, idque multam auctoritatem ei comparat. En eius praecisa verba: *Commorantibus et sedentibus, reverenda Domina nostra Maria, atque Ioanne, Magdalene et sororibus Matris Domini ab una parte prope Crucem. . . ecce armati multi veniebant a civitate versus eos . . . multum quidem Domina timet . . et vertens se ad Filium mortuum dixit: Fili mi dilectissime, quare redeunt isti? quid facere amplius tibi volunt?.. Putabam satiatos esse de te; sed ut video, adhuc te mortuum persequuntur . . . Appropinquant autem illi cum furore et strepitu magno, et videntes latrones adhuc vivere, frangunt eis crura, et ipsos occidunt et deponunt, et in aliquam fossam velociter illos proiiciunt. Redeuntibus autem ipsis versus Dominum Iesum, timens Mater ne similiter faciant cum Filio suo, tacta dolore cordis intrinsecus... genibus flexis, et brachiis cancellatis, vultu lacrymabili et voce rauca, sic eos alloquitur dicens: Viri fratres, rogo vos per Deum altissimum, ne amplius me vexare velitis in dilectissimo Filio meo. Ego enim sum moestissima Mater eius, et scitis, quod numquam offendi, nec iniuriam vobis feci... Non expedit, ut eius crura frangantur. Videtis, quod iam mortuus est et migravit; hora enim est postquam discessit... Unus autem, Longinus, nomine, tunc impius et superbus, sed postea conversus, et martyr, et sanctus, porrigens lanceam de longe, preces et rogamina contemnens, latus Domini Jesu dextrum vulnere grandi aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Tunc Mater semimortua cecidit inter brachia Magdalenae... Sed nunc vero Filii corpus, et animam Matris huius lanceae gladius perforavit.*—Praeterea devotissimus Lanspergius (homil. 54 de Pass.) sic loquitur: *Divisit Christus cum Matre sua huius vulneris iniuriam, ut ipse quidem persecutionem et vulnus exciperet, Mater vero huius vulneris in se poenam et dolorem reciperet.* Denique, ne alia innumera testimonia congeramus, pro coronide sufficiat referre verba Guilielmi Pepini (in suo Rosario aur. serm. 29), qui sic scribit: *Constat autem, quod illa lanceatio nullum dolorem Christo intulit, eo quod ipsius anima iam de corpore recesserat; sed anima Matris in corpore Filii propter amorem et compassionem erat, etiam magis, quam in corpore proprio; et ideo lanceatio illa ipsius animam ibi existentem pertransivit, dum Filio compassa fuit; ex eo scilicet, quod nec mortuo parcere volebant.*

Quoniam autem ostium nobis apertum est in corde Christi per lanceae ictum, *bonum est nos hic esse* (Matth. 17): hic habitabimus, quoniam hoc domicilium elegimus (Ps. 131. 14.). Et quoniam lancea etiam Deiparae Matris nostrae cor pertransivit, ingrediamur simul ad eam. O quam dulce, quam iucundum, quam utile est habitare in corde Christi vulnerati, et in corde Deiparae a doloris gladio transverberatae!

## III.

### *De desolatione Virginis post mortem Filii sui Jesu.*

Apud Ecclesiasten (cap. 7. v. 2. et 3) legimus: *Melius est.. dies mortis die nativitatis. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convicii.* Id omnino verum est, tum ex parte ipsius morientis, tum ex parte superstitum. Ex parte morientis, quia ipse in die nativitatis proiectus fuit in vallem lacrymarum, in locum exilii ac innumerarum aerumnarum: in ipsa cuna obviam illi factae sunt calamitates, miseriae, infirmitates et omnigena pericula. E contra in die mortis, ille qui recte vitam duxit, ad portum securitatis appulit et cessantibus omnibus miseriis, vitam aeternaliter beatam exorditur. Hinc sanctorum gloria incipit in morte, et dies migrationis illorum dies natalitius ab Ecclesia nuncupatur. Unde etiam Thraces, licet lumine fidei illuminati non fuerint, teste Herodoto (vide Alexand. ab Alexand. lib. 2. Genial. cap. 25), fletu prosequebantur suorum natales, et plangebant recentes calamitates et vitae incommoda, quae mox puer passurus erat; risu vero diem mortis et honore prosequebantur, exultabantque in funere, propterea quod defuncto iam datum erat excedere ex omnibus calamitatibus et infortuniis, quae vita secum fert. Id ex parte morientis: ex parte vero superstitum *melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convicii.* In domo convivii quid invenitur? Crapula, ebrietas, levitas etc: ibi animus dissolvitur, et ad murmurationem, ad intemperantiam, ad inhonestatem et ad alia scelera inducitur. Vice versa qui ad domum luctus se confert, perpendit mortem, et vertit ad bonum cor suum. Idem sacer textus affert rationem, quare domus luctus melior sit domo convivali, nempe quia *in illa finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit.* — Adhaec in domo luctus virtutes recensentur et praeclara facinora defuncti; sicque ad illorum aemulationem impellimur. Ibi etiam officia pietatis erga eumdem vita functum, necnon compassionis erga suos propinquos persolvere possumus. Nonne divus Franciscus Borgia, dux Gandiae, dum cadaver imperatricis defunctae efferebatur ad sepulturae locum, mundo valedixit, vitamque pristinam commutavit, aperiendo sarcophagum, et videndo iam difformatam illam faciem, quae nuper pulchritudine et vita florebat? Vere igitur *monumenta* sic dicuntur, quia *monent mentem.*

Transeamus igitur libenter ad domum luctus, et talis luctus, qualis nec antea similem habuit, nec poterit habere posterius. Haec *dies mortis melior est die nativitatis* ipsius Servatoris nostri I. C., quia tunc inceptum tantum, nunc vero perfectum est nostrae salutis opus. Transeamus, inquam, ad domum, in qua desolata Virgo Maria reperitur, ut illam de morte unigeniti et dilectissimi Filii sui, si non consolare, saltem aliquo pacto dolorem eius temperare possimus. Ibi monebimur, quod vita ipsa pro nobis mortua est; ibi iusta funebria officia nostro redemptori Jesu Christo persolvemus, simulque, pietatem nostram, filialemque observantiam Matri nostrae dolentissimae exhibebimus.

In libro Ecclesiastici (cap. 7. v. 29) legimus: *Gemitus matris tuae ne obliviscaris*, et paulo inferius (vers. 38): *Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.* Re quidem vera compertum est, quod luctus communione dolor alleviatur, quia in aliis dividitur, et ab iis quasi sustentatur. Ita fecit Job dicens (cap. 30 v. 25): *Flebam super eo, qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Huiusmodi compassionis officium persolvere debemus erga quoscumque nostros proximos, sed potiori iure erga Matrem nostram in die desolationis cordis eius; et talem Matrem qualis est Deipara Virgo. Causae cur compassione levetur dolor afflicti sunt. 1.° quia compatiens quadammodo inducit tribulatum ad aperiendum cor suum, antea occlusum et oppressum, facitque ut dolor effluat, et a persona quae patitur ad personam, quae compatitur derivetur. Unde S. Ambrosius (lib. 3 offic. cap. ult.) inquit: *Solatium huius vitae est, ut habeas cui pectus aperias tuum, ut colloces tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur.* — 2.° ratio est, quia afflictus, quantumlibet sapiens, in suo dolore semper est consiliorum inops: compatiens autem sana consilia ad dolorem mitigandum suggerit, quae dolor patientis difficulter in seipso invenit: unde in libro Proverbiorum (cap. 27 v. 9) legimus: *Bonis amici consiliis anima dulcoratur.* - 3.° ratio est, quia compatiens dat patienti quasi partem cordis sui, quare patiens duplici quasi corde confortatus, levius fert dolorem. Rursus patiens in una lance ponit suum dolorem, in alia consolationem quam recipit, et ex hoc levamentum quoddam 27

experitur: unde divus Gregorius (20 Moral. cap. 26) inquit, quod plus valet compassio in afflictione, quam omne donum auri, argenti, aut quarumlibet divitiarum. 4.° ratio denique est, quia patiens est quasi demersus in mare amaritudinis, ex quo per se emergere nequit: compassionis autem affectu quasi praebetur ei manus, unde ex illa demersione extrahi possit. Ex adductis igitur rationibus aperte colligitur quantum satagere debeamus, ut compatiamur Deiparae in eius desolatione, et gemitus eius non obliviscamur.

Audiamus benedictam Virginem, post mortem dulcissimi Filii sui Jesu, verba Hieremiae usurpantem (Thren. I. 12): *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus, quoniam vindemiavit me... Dominus... posuit me desolatam tota die, maerore confectam.* Ipsa omnes qui in statu viae sunt invitat ad suas aerumnas considerandas. *O vos omnes*, ipsa inquit *qui transitis per viam:* quoniam sicut pro *omnibus* Christus mortuus est, ita pro *omnibus* Maria tantos dolores passa est. Deinde ad ponendos inducit in una lance reliquos dolores mundi et in alia dolorem suum, ut comparatione instituta, omnibus innotescat huius supereminentia. Si in unum profecto colligantur omnium aegrorum infirmitates, omnium oppressorum calamitates, omnium Martyrum tormenta, indubium est, quod aequare non possunt unum dolorem Virginis in sua desolatione pro Filii sui morte. *Vindemiavit* illam Dominus; quoniam sicut in vindemia uvae colliguntur, et sub torculari strictissime premuntur, ita cor Virginis et omnes eius affectus, et potentiae animi, et ipsa eius membra (dolor enim animae redundat etiam in corpus) sub torculari intensissimi doloris compressum est. Deus *posuit* illam *desolatam, tota die moerore confectam*, quia in ceteris doloribus usque ad Jesu mortem ipsa in Filio habuit socium suorum dolorum. Jam perdiderat sponsum castissimum, Josephum, testem et defensorem individuum suae virginitatis, suorumque dolorum, et suarum consolationum consortem: tamen remanserat ei Filius. Nunc autem quid amplius illi restat, quoniam ablatus est illi gratis unigenitus Natus suus? Isaias propheta haec duo vaticinatus est, cum in illa verba prorupit (cap. 47 9): *Venient tibi subito haec duo mala in die una, sterilitas, et viduitas.* Memoratae duae calamitates Deiparae obvenerunt: viduitas quia legitimo et castissimo sponso; sterilitas, quia unigenito filio naturali orbata. *Desolata* igitur est, et *tota die*, scilicet toto tempore, quod intercessit a Jesu morte et sepultura usque ad eius resurrectionem, *moerore confecta. Desolari* namque, inquit doctissimus a Lapide (sup. cap. 2. Ierem. v. 12) *idem est, quod solum relinqui, ad solitudinem redigi, destrui, vastari;*

Si ita se res habet, eligant sibi Pastores et Magi cunabula infantis in Bethleemitica specu; salvae sint tribus praedilectis discipulis deliciae montis Thabor: nos omnibus deliciis huiusmodi anteponimus funebria Golgothae, ut Matri nostrae dulcissimae aliquod lenimentum afferamus in eius acerbissima desolatione. Ad haec persolvenda adstringimur, 1.° humanae naturae conditione; nam cum Deus nos in societatem constituerit, et cor nobis dederit ad compassionem proclive, opus est, ut de alterius aerumnis tristemur; 2.° debito filiali, quia cum Mater dolet, immane, et impium esset si illam filii non succurrerent: *Gemitus matris tuae ne obliviscaris* (loc. cit.): 3.° gratitudinis vinculo, quia Deipara pro nobis patitur tot tantosque dolores: pro nobis orbata est unigenito Filio suo naturali; et nos ingratissimi redderemur, si aliquo pacto saltem nostram compassionem illi non tribueremus: 4.° denique ad hoc impellimur propter nostram utilitatem, nam si ipsam studeamus consolari in sua desolatione, illa vicem nobis uberrime rependet in vitae nostra angustiis.

Avertat Deus, quod de benedicta Virgine dici possit illud Ieremiae (Thren. 1 2): *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius.* Hoc ei ad cumulum desolationis accederet, si non haberet consolantem. Quinam sunt chari Deiparae? Sunt 1. Sacerdotes et virgines, qui maiore a Jesu filio suo honore prosequuti sunt: 2. sunt omnes Christiani, pro quibus ipsemet Jesus mortuus est, et beatissima Virgo tantos sustinuit dolores. In excidio Jerusalem hoc maximum malum fuit, uti scribit Olympiodorus, nempe quod alter alterum, et amicus amicum non est consolatus, quia omnes aeque desolati erant. Absit quod dolentissima Mater illud usurpare possit (Thren. I. 16): *Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam.* Anima siquidem, quae quasi per dolorem e corpore evehitur, recreata et confortata per compassionem et consolationem, quasi ad se reducitur et convertitur, ita ut vivere non desinat. Faxit Deus, quod ipsa pergere non debeat (ibid. v. 19): *Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me: sacerdotes mei in urbe consumpti sunt . . . Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me.*

Nobilissimum officium persolvimus, dum consolari nitimur dolentem desolatamque Deiparam; officium, inquam, *Paracleti*. Quid aliud namque *Paracleti* nomen denotat, nisi consolatorem? Deipara est Filia aeterni Patris; est Mater Verbi incarnati, est Sponsa divini Paracleti. Sed si Jesus Christus in cruce de derelictione Patris conquestus est: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (*Matth.* 27. 46), Deipara huius derelictionis particeps fuit, et ut ipsa cum Filio ad mundi redemptionem suis doloribus concurreret, morte benedicti et dulcissimi Filii sui Jesu, quodammodo dici potest etiam derelicta a Deo Paracleto et consolatore suo. Verum, dum Deus cessat ad tempus esse *Paracletus* et consolator Deiparae, relinquit nobis ut suas vices impleamus, et *Paracleti* efficiamur, seu consolatores Matris nostrae. O igitur nobilissima substitutio! Patriarcha Joseph, dum vixit, fuit Spiritus Sancti vicarius erga Deiparam; et nos in eiusdem desolatione eadem vicaria dignitate Divini *Paracleti* gloriari possumus.

Compatiamur igitur benedictae et dolentissimae Virgini. Amici Iob illi compassi fuerunt in suis aerumnis (Iob. 2. 11). Christus ipse, cum vidisset viduam Naim plorantem, dum unicus filius suus ad sepulchrum efferretur, illi appropinquans dixit: *Mulier noli flere*, desolatamque matrem dolore levavit (Luc. 7. 13); et nos matrem nostram, quae propter nos tantos dolores sustinuit, absque ulla consolatione relinquemus? Minime quidem; sed illam comitemur cum Ioanne et cum piis mulieribus in septem stationibus suae desolationis.

Huiusmodi septem stationes videntur velati septem columnae, de quibus legimus in libro Proverbiorum (cap. 9. v. 1): *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem:* sunt veluti septem candelabra, de quibus sermo est in Apocalypsi (cap. 1. v. 20): sunt denique veluti septem signacula, quibus obfirmatus est mysticus liber cordis Deiparae (Apoc. 5. 1.)

Dum autem benedictae Virgini appropinquamus, illam salutatione Angelica salutemus, dicamusque: *Ave.* Verum illam audio tacite respondentem: Quomodo *ave* dicitis? Ave, idem est ac *sine vae.* Ego autem illud Michaeae usurpare possum (cap. 7. v. 1): *Vae mihi!.. Periit sanctus de terra.* Subiungamus secundum salutationis verbum, dicamusque: *Maria.* Illa autem tacita respondebit: silete, nam Maria interpetratur illuminatrix: Quomodo autem talis nunc vocari possum, dum sol, a quo ego lumen mutuabam, eclypsim passus est et declinavit? Ipsa illa verba usurpare potest (Ruth. 1. 20): *Ne vocetis me Noemi, idest pulchram, sed vocate me Mara, idest amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* — Insistamus etiam, et cum Angelo dicamus: *Dominus tecum.* — Heu! respondet dolentissima Virgo: Dominus Jesus fuit quidem mecum; sed nunc lumen oculorum meorum, deliciae cordis mei, unicus amor meus, meum non est, sed in sepulchro iacet occisus: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi.. ubi est Deus tuus* (Ps. 41. v. 4.). Veluti Sacrorum Canticorum Sponsa, nunc quaero illum et non invenio.— Eia! confortare Deipara: *benedicta tu in mulieribus.* Et ipsa voce lacrymabili respondet: Sic me quondam Gabriel nuncupavit, et bene quidem: sed in hac hora nemo me dolore, aerumnis et desolatione superat *in mulieribus.* Tandem postremis salutationis Angelicae verbis Deiparam prosequamur dicentes: *Benedictus fructus ventris tui.* Ipsa autem tacite respondet: Pueri Hebraeorum ante dies sex, Filio meo Jerusalem ingredienti dixerunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Verum illa benedictio cito versa est in maledictionem. Dixerunt *Hosanna*, ut dicerent *Crucifige.* Fructus qui productus fuit in terra virginali ventris mei, nuper pendebat ex arbore Crucis.

Quid ergo desolatae Deiparae dicere poterimus, ut ipsius dolorem temperemus? Confiteamur prius quod nos inique egimus, nos peccando diximus: *Eradamus hunc fructum de terra viventium:* Ploremus coram Domino; detestemur quod fecimus: et tunc Sanctissima Virgo aliquo pacto consolabitur in sua desolatione.

I.

*Desolatio Deiparae postquam cadaver Jesu Christi sepultum fuit.*

Mortuo Jesu, cessarunt omnes eius passiones, non cessavit tamen acutissimus dolor superstitis benedictae Matris suae; quinimo tunc crudelior et profundior coepit esse plaga cordis eius; nam si antea solatium et levamen illi erat dulcissimae suae sobolis aspectus, nunc, Filio orbata, in maxima desolatione versatur. Huiusmodi desolationem quo modo possumus describere aggredimur.

Divus Bonaventura (in medit. vit. et mort. Chr.) asserit, quod post crurifragium duorum latronum, et vulnus lanceae cadaveri Christi inflictum, omnis turba, quae ad tragoediam passionis et mortis eiusdem Iesu Christi adstiterat, migrare coepit e Calvariae monte, tum quia immane spectaculum iam consummatum fuerat; tum quia vesper iam incumbebat: tum denique quia terraemotus et alia prodigia omnes terruerant. Deserto igitur a cunctis Golgotha, remanserunt illic tantummodo desolata Deipara, Ioannes et aliquot piae mulieres, inter quas praecipue Maria Magdalene, necnon, uti verisimile est, aliquot milites excubiae.

In historiis ecclesiasticis legimus, quod mortuo in deserto divo Paulo, primo eremita, cum divus Antonius Abbas, qui illuc reperiebatur, sarculum, quo terram foderet, non haberet, duo leones ex interiore eremo rapido cursu ad beati senis corpus feruntur, qui certatim terram pedibus effodientes, foveam, quae hominem commode caperet, effecerunt. Si igitur Deus ita mirabiliter providit sepulturam illius sancti, quid efficiet, cum Christi cadaver tumulandum est?

Sunt qui putant, Iosephum ab Arimathaea sponte, et absque alicuius suggestione petiisse a Pilato corpus Iesu: alii contra, inter quos doctissimus a Lapide (in Matth. cap. 27 v. 58), tenent eumdem ad id inductum fuisse praecipue hortatu Deiparae Virginis. Huic opinioni, utpote rationabiliori, adhaereo, nam satis probabile mihi videtur, quod cum praevideri facile posset, Iudaeos voluisse corpus Christi deponere et proiicere in profundam vallem cadaverum, quae erat iuxta Golgotha, ubi proiici solebant mortales exuviae scelestorum extremo supplicio affectorum, cumque tempus urgeret, tum quia 1. praescriptum erat in Deuteronomio (cap. 21 v. 22): *Quando homo adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit*

*cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur*: 2. adhaec alia ratio iungebatur, nempe quia ad solis occasum incipiebat solemnitas non cuiuscumque diei festi, sed solemnissimi festi paschae, et necesse erat sepelire cadavera, antequam vesperae illius solemnitatis inchoarentur. Non erat ergo absque fundamento timor, quod Iudaei voluissent Iesu corpus in vallem cadaverum proiicere, ut ita etiam post mortem odium suum ostenderent erga illum, privando eum honore peculiaris sepulturae. Verisimile autem est, quod Deipara Virgo, sciens, Iosephum ab Arimathaea valde divitem et nobilem decurionem Ierusalem, discipulum esse occultum Filii sui, aliquem nuncium miserit ad illum, enixis precibus rogando, ut a praeside Pilato hanc saltem gratiam impetraret, sepeliendi cadaver Iesu in aliquo peculiari sepulchro. Audito huiusmodi nuncio, Ioseph, licet antea propter metum Iudaeorum occulte ad Christi scholam pertineret, tamen factus animosior, tum ex prodigiis, quae in agone et in morte sui divini Magistri locum habuerunt, ex quibus ipse in fide fuerat confirmatus; tum praecipue ex gratia illum interius movente, quae absque ullo dubio ei fuit a Virgine impetrata, *audacter introivit ad Pilatum et petiit corpus Jesu.* Diversimode explicari difficile est, quomodo qui nuper *occultus* discipulus Iesu fuerat, paulo post, Apostolis omnibus, uno excepto Ioanne, prae timore fugientibus, tam forti animo, cumque periculo publicae indignationis, et forsan etiam vitae, praesidem Pilatum adierit, et rem satis arduam petierit.

S. Anselmus (dial. de pass.) affirmat, quod rationes a Iosepho adductae, ut licentiam tumulandi corpus Christi obtineret, fuerunt 1. quod alioquin Deipara simul cum Filio moreretur ob doloris intensitatem 2. quod Christus erat innocens, idque sat eidem Praesidi notum erat, uti ipse palam in tribunali confessus fuerat; ideoque aequum non videri cum ceteris sontibus eius corpus in vallem cadaverum, quae erat iuxta Golgotha, abjicere (vid. a Lapid. sup. Matth. cap. 27 v. 58).

Pilatus, auditis rationibus a divite et nobili Senatore allegatis, et accepta assecuratione, quod Iesus mortuus erat, iussit reddi eius corpus; idque credendum est fecisse 1. propter petentis reverentiam; nam Ioseph, uti iam diximus, erat non solum dives, sed etiam nobilis, et conspicuus senatoria dignitate; et iam ex gestis a Pilato in Christi iudicio, satis aperte constat, quantum ipse vilis et timidus fuerit et personarum acceptor: ut enim amicitiam Herodis aucuparet, Iesum ad illum misit, qui nullam Ierosolymis iurisdictionem exercebat; utque gratiam Caesaris non perderet, et populi favorem conservaret, innocentem, sua conscientia reclamante, damnavit: 2. Iussit Pilatus reddi corpus Iesu, quia, cum iam lavisset suas manus, ad significandum se aegre damnasse illum, qui *nihil mali fecit*, nunc, opportunitate habita aliud efficiendi, saltem in favorem cadaveris innocentis Christi, absque gravi periculo indignationis populi, iudicavit consentire posse petitioni divitis Senatoris: 3. tandem miracula tenebrarum, quae a sexta hora usque ad horam nonam locum habuerunt, necnon terraemotus etc. probabiliter terruerunt Pilatum, ita ut non difficilem praebuerit aurem petitioni Iosephi, et permiserit Christum sepeliri, non more hominum ad extremum supplicium damnatorum.

Ex evangelio Ioannis (cap. 19 v. 39) colligimus, quod postquam Ioseph ab Arimathaea desideratam facultatem obtinuit, *venit et Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloes, quasi libras centum.* — Quaerendum est, quomodo et quando Nicodemus venerit. Si ordinem verborum Evangelii considerare velimus, videtur Nicodemus venisse ad montem Calvariae, saltem postquam Ioseph iam tulerat de Cruce, sanctissimum Iesu Christi cadaver; legimus enim prius: *Permisit Pilatus. Venit ergo* (Ioseph) *et tulit corpus Iesu*: et deinde legimus: *Venit autem et Nicodemus etc.* Sed contraria est traditio, et videtur quod Nicodemus non venerit post depositionem cadaveris Christi de Cruce, sed potius, quod ipse praestiterit auxilium Iosepho in hoc piissimo opere. De cetero verba Evangelii possunt explicari non de tempore posteriori adventus Nicodemi, sed quod etiam ipse venerit. Mihi multum arridet divi Bernardi sententia, qui asserit Iosephum vel prius, vel post impetratam a Pilato veniam, adscivisse sibi Nicodemum in socium, et simul cum eo ad Calvariae montem ascendisse. Nicodemus, uti narrat Ioannes (cap. 3. v. 1 etc.), erat ex Pharisaeis, et fulgebat dignitate principis Iudaeorum. Pollebatur etiam dignitate senatoria, nam ex eodem Evangelista habemus (cap. 7 v. 50), quod in concilio ministrorum ad Pontifices et Pharisaeos defenderat Iesum quo modo potuit. Hic in praecedente nocte venerat ad Iesum, et ab illo edoctus fuerat de necessitate baptismi et de aliis rebus. Denique erat etiam magister in Israel, quemadmodum ex memorato Evangelio liquet. Hunc ergo nobilem, principem, senatorem, et doctorem in Israel, Ioseph ab Arimathaea adscivit sibi in socium. En verba divi Bernardi nuper commemorata (1): *Quo concesso sibi,* (Ioseph) *accersivit quemdam virum sapientem et legisperitum, discipulum Christi occulte similiter, nomine Nicodemum, et convenerunt ad locum, ubi Dominus crucifixus erat, secum instrumenta portantes etc.*

In evangelio Marci (cap. 15 v. 46) legimus, quod Ioseph *mercatus* sit sindonem, in qua involvendum erat cadaver Christi. Quare autem sindonem mercatus fuit? forsan dives et nobilis decurio domi suae sindones non habebat? Multas profecto habuisse credendum est; verum id fecit, vel ne tempus tereret ad propriam domum eundo, quae poterat esse remota a situ, in quo reperiebatur; vel ut pietatem et devotionem suam melius ostenderet, novam et mundam sindonem apposite emendo. Huiusmodi sindon munda convenienter adhibita fuit, ad demonstrandum necessitatem innocentiae et puritatis in illis, qui Christi corpus vivum in Eucharistia sumunt. Conveniens etiam fuit, ut qui iam rubricatus erat sanguine passionis, candidaretur sindone innocentissimae puritatis; sicque verificaretur illud, quod dicitur in Canticis (cap. 5. v. 10): *Dilectus meus candidus et rubicundus.* Sed heic quaeri potest, num una tantum sindon in Christi tumulatione adhibita fuerit. In Evangelio divi Ioannis (cap. 20. v. 5) legimus, quod ipse dilectus discipulus, qui id scribit, *cum se inclinasset, vidit linteamina posita, et sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum*; et in capite praecedenti (cap. 19 v. 40) idem Evangelista dicit: *Acceperunt ergo corpus Iesu, et ligaverunt eum linteis.* Fuit igitur una sindon, an plures? Divus Augustinus (de consens. Evang. lib. 3. cap. 23) inquit: *Quia aliqui una sindone a Ioseph involutum Iesum dixerunt, non propterea prohibuerunt intelligi, et alia lintea potuisse afferri a Nicodemo, et superaddi, ut verum narraret Ioannes, quod non uno linteo, sed linteis involutus sit: quamvis et propter sudarium, quod capiti adhibebatur, et institas, quibus corpus totum alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi una sindon ibi fuit, verissime dici potest:* LIGAVERUNT EUM LINTEIS; *lintea quippe generaliter dicuntur quae lino texuntur.* Insuper credendum est, duos divites et senatores non propriis manibus omnia detulisse ad Calvariae montem, quibus opus erat ad Christum e cruce deponendum et decenter tumulandum, sed ministerio famulorum suorum asportasse scalas, malleos, diversas sindones, et institas tum ad lavandum, tum ad involvendum cadaver; necnon aromata etc.

Interea heic abs re non erit auctoritatem doctissimi et piissimi auctoris Fr. Bernardini de Bustis (in Marial. part. 10 serm. 1 part. 3 lit. B. fol. 280. edit. ann. 1525) referre. En eius verba: *Cum beata Virgo staret iuxta Crucem Filii sui iam defuncti, ibique, associata a Joanne Evangelista, Magdalena et aliis devotis mulieribus amarissime ploraret, et iam sero appropinquante, cogitaret quomodo Filii sui corpus de Cruce deponeret, ecce vidit a longe venire Nicodemum et Joseph ab Arimathaea cum scalis, malleis, ceterisque instrumentis idoneis ad deponendum corpus, librasque centum myrrhae et aloes ad ungendum ipsum. Quos illa conspiciens, et quoniam prae multitudine lacrymarum eius oculi caligabant, non cognoscens, coepit valde expavescere, dubitans, ne essent scribae et pharisaei venientes, ut de corpore Filii sui iam mortui etiam alias strages facerent, trahentes illum per totam civitatem, sicut magnis malefactoribus fieri consuevit: ideoque pavore perterrita, ad Joannem et socias mulieres dixit: heu mihi! Judaei veniunt, velut canes rabidi, nondum saturati morte crudelissima Filii mei, ut ei nova opprobria inferant! et his dictis, in terram semimortua collapsa est. Interim Joannes obviam illis perrexit; cumque cognovisset Nicodemum et Joseph, statim ad ipsam Virginem cucurrit, consolans eam et dicens: Bono animo esto, Domina Mater mea; illi enim qui veniunt, sunt discipuli Filii tui, ac Magistri et Domini mei, et ad auxilium nostrum veniunt.* Haec narratio fere in totum convenit cum descriptione divi Bonaventurae (in Medit. de vit. Chr. cap. 80). - Nos intactam relinquimus quaestionem, an supradicti discipuli venerint sponte, vel a Deipara invitati, quoniam nihil ex Evangelio constat, et utraque sententia hinc inde graves habet patronos.

Nunc inquirendum est, quid effecerint nuper laudati Joseph et Nicodemus, et num etiam dolentissima Virgo eis cooperata sit in depositione, unctione et tumulatione cadaveris Jesu Christi.

Primum pietatis opus, quod exhibuerunt corpori Christi, verisimile est fuisse adorationem. Laudatus Bernardinus de Busto (in loc. sup. cit.) asserit, Iosephum et Nicodemum, statim ac pervenerunt ad Calvariae montem, genuflexos humiliter adorasse pretiosissimum Christi corpus, ex quo licet anima egressa erat ad tempus, tamen in eo divinitas inhabitabat. Deinde existimandum est, illos duos Senatores accessisse ad Deiparam, ut illius profundissimo dolori, per suam compassionem, lenimentum aliquod afferrent. Tum, quoniam veloci cursu sol ad occasum procedebat, venia impetrata ab eadem Deipara, ad depositionem Crucifixi perrexerunt.

Modum autem depositionis a Seraphico Doctore divo Bonaventura audire ne pigeat (in medit. de vit. Chr. cap. 81). En eius verba: *Ponuntur duae scalae a lateribus Crucis oppositae: Ioseph ascendit super scalam lateris dextri, satagit extrahere clavum ipsius manus: sed difficile est hoc, quia clavus longus et grossus est in ligno valde confixus, et sine magna suppressione manus Domini, non videtur posse fieri. Sed non est vis, quia fideliter facit, et Dominus totum acceptat. Evulso illo, Joannes annuit Joseph, dictum clavum sibi porrigi, ne ipsum Domina videat. Deinde Nicodemus alium extrahit manus sinistrae, et clavum similiter dat Joanni. Descendit Nicodemus, et ivit ad clavum pedis. Joseph vero sustentabat corpus Domini; felix satis, qui corpus Domini meruit sic amplexari. Tunc pendentem manum dexteram Domina suscipit reverenter, et ponit ad vultum suum. Intuetur et osculatur cum lacrymis validis et suspiriis dolorosis. Evulso autem clavo pedum, paulisper descendit Ioseph, et omnes accipiunt corpus*

(1) An praenotata verba sint vere divi Bernardi Claraevallensis, vel alterius abbatis Bernardi, incertum est. Illud tantum affirmare possumus, quod liber *de passione Christi et de doloribus et planctibus Matris eius* ex codice membranaceo saeculi XIII extractus est, et insertus reperitur in operibus eiusdem Doctoris tom. 1. pag. 1134 edition. Migne anni 1862.

*Domini, et ponunt in terram. Domina suscipit caput cum scapulis in gremio suo; Magdalena vero pedes, apud quos tantam gratiam olim invenerat. Alii circumstant. Omnes faciunt planctum magnum super eum ... amarissime.*

S. Gregorius Papa (homil. 29) loquendo de illo textu Canticorum: *Ecce iste venit saliens in montibus*, sic dicit: *Vultis, fratres charissimi,* (Jesu Christi) *saltus agnoscere? De coelo venit in uterum, de utero venit ad praesepe, de praesepe venit in crucem.* Ego hic subiungo: *De Cruce* venit iterum ad gremium Virginis; de gremio Virginis *venit ad sepulchrum, de sepulchro rediit in coelum.* Et re quidem vera, quis locus dignior inveniri poterat, in quo requiesceret Christus mortuus, nisi ille, in quo vivere incoepit? Columba emissa ex arca Noe, cum durante adhuc diluvio, *non invenisset ubi quiesceret pes eius,* ad arcam iterum rediit (Genes. 8 9). Sic fecit et Christus.

Heic operae pretium est exponere singillatim officia, quae dolentissima Parens persolvit erga defunctum Filium suum.

In primis ipsa e manibus Iosephi ab Arimathaea et Nicodemi, reverenter excepit coronam spineam, quae illorum ministerio ante omnia extractam fuisse e capite Christi mihi persuadeo, nisi dicere velimus cum aliis, huiusmodi extractionem factam fuisse a Virgine, dum in eius gremio cadaver Christi requiescebat. Haec spinea corona vel nunquam fuit detracta e Iesu fronte, uti adfirmat Origenes (apud Malon. in elucidat. stigmat. S. Sindonis cap. 12 n. 18), vel si detracta fuit dum iter ad Calvariae montem arripuit, denuo illi impositam, magno cum dolore fuisse in cruce dicendum est, uti adfirmat Tertullianus (lib. contr. Judaeos cap. 13), et, praeter revelationem S. Birgittae, docent diversi auctores videndi apud Benedictum XIV (de fest. J. C. cap. 7. § 89). Sive autem extractio coronae facta fuerit a Iosepho et Nicodemo, sive a beatissima Deiparente, haec, uti asserit doctissimus Carthagena (lib. 12 hom. 10), reverenter collegit et asservavit eam; dumque illam contrectabat, suis punctionibus, uti pie credi potest, manus suae virgineae dilaceratae fuerunt: sic autem sanguini Iesu Christi, coronae adhaerenti, sanguis benedictae Virginis permixtus fuit, et Oseae vaticinium (cap. 4 v. 2) impletum fuit, dicentis: *Sanguis sanguinem tetigit.* Accepit etiam eadem dolentissima Mater e manibus Josephi et Nicodemi clavos, illosque reverenter osculando, servavit; et diligenter collegisse pariter existimo sanguinem sive effluentem e cadavere Christi, sive cruci, coronae et clavis adhaerentem.

Insuper theologi et auctores magni ponderis tenent, beatam Virginem, absque ulla dubitatione, excepisse corpus Filii sui e cruce depositum (vide P. Virgil. Sedlmayr in Scholastic. Marian. p. 2. q. 8 art. 6; necnon I. C. Trombelli, SS. Mariae vit. et gest. diss. 39. etc.). Ita antiquissimus et sanctissimus vir Simeon Metaphrastes, qui id collegisse fatetur ex scriptoribus ecclesiasticis suo aevo anterioribus (ad diem 15 August.), Cardinalis Baronius (num. 132 vit. Chr.), Suarez (in 3. part. div. Thom. tom. 2. disp. 41. §. 2.). Carthagena (lib. 12. hom. 10), et, ne longius procedam, Adrichomius, qui (in descript. terr. Sanct.) dicit, quod etiam nunc ostenditur locus, *ubi Christus e Cruce depositus gremio materno exceptus fuit.* Huius traditionis antiquissimae testimonium sunt satis vetustae imagines in Ecclesia servatae, in quibus, beata Virgo cum cadavere Filii sui in gremio repraesentatur. Satis autem inverisimile videtur, Matrem adeo Filii sui amantissimam, illius cadaver aliis reliquisse, antequam hoc pietatis et charitatis maternae officium persolveret.

Quas lacrymas Deipara effuderit, dum corpus mortuum Iesu in suo gremio habebat, nec mente facile concipi, nec verbis exprimi potest. Non ignoro quaestionem tam agitatam, num benedicta Virgo fleverit, an non: dico tamen 1. quod lacrymas effundere ob honestum motivum non est certe defectus: cum constet Christum ipsum non semel flevisse. Dico 2. quod beata Virgo potuit a lacrymis abstinere dum iuxta Crucem stetit, ne Filio crucifixo afflictionem augeret, et ob alias rationabiles causas: sed post eius mortem potuit lacrymis habenas laxare. Beatus Germanus asserit, ipsam tam amare flevisse, ut post uberrimum lacrymarum effusum imbrem, tandem sanguineas lacrymas fuderit. Alphonsus Salmeron (tom. 12 tract. 15) id asserit de muliere quadam, cadaver mariti ante oculos habente: quanto magis id dicendum est de dolentissima Virgine? Ipsa profecto dicere potuit illud Ieremiae (Thren. 2. 11): *Defecerunt prae lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum.* Heu! quis gladius animam eius pertransire debuit, dum os illud clausum aspiciebat, ex quo semper prodierant verba vitae aeternae? dum manus illae tam beneficae; pedes qui semper ambulaverunt ad evangelizandum pacem, absque vita et motu conspiciebat? dum vultum illum speciosum forma prae filiis hominum, in quem desiderant Angeli prospicere, aspiciebat non habentem speciem neque decorem, et in quo non erat amplius aspectus eius?

Quaerunt insuper theologi et Scripturarum interpretes, num Deipara Virgo Filii sui defuncti oculos occluserit, et num eius cadaver laverit. Quod ad oculorum occlusionem spectat, doctissimus a Lapide exponens textum Genesis (cap. 46 v. 4): *Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos,* observat, priscum Hebraeorum morem fuisse, ut charissimis suis morientibus oculos clauderent. Quod vero attinet ad lotionem cadaveris, etiam hic mos apud Hebraeos vigebat, uti patet ex Actis Apostolorum (cap. 9 v. 37): *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur, quam cum lavissent, posuerunt eam in coenaculo.* De hac consuetudine videri potest etiam Calmet (in Act. Apost. 9. 37); necnon in Dictionar. ad verb. *Lotio*). His positis, rursus quaeritur, num benedicta Virgo haec officia praestiterit defuncto Filio suo. Non desunt patrocinatores adfirmativae sententiae; ego tamen verisimilius censeo, utrumque hoc officium praestitum fuisse a Iosepho et Nicodemo. Lavit quidem aliquo modo cadaver Filii benedicta Virgo suis lacrymis; sed illam lotionem, quae unctionem fortasse praecessit, memoratorum discipulorum ministerio peractam fuisse rationabiliter existimo.

Re quidem vera, mos erat apud Hebraeos (vide Baron. de vit. et mort. Chr.), quod viri virorum, et feminae feminarum cadavera curare solebant. En eiusdem Baronii verba, quae ipse mutuasse fatetur ex Rabbi Iacob, et Rabbi Mose: *Solebant viri virorum, feminae feminarum corpora curare hoc modo* etc.

Interea, quoniam Virgo nolebat avelli a memorato cadavere, et vesper iam incumbebat, oportuit, ut tandem Ioseph ab Arimathaea et Nicodemus e manibus eiusdem Deiparae acciperent illud pretiosissimum depositum, cumque curare inciperent. Iudaei ex Ægyptiis mutuaverunt consuetudinem curandi et condiendi defunctorum corpora (vid. Tacit. lib. 5. histor. § 5). Triplici autem modo cadavera curabantur, ut tradit Herodotus (lib. 2.). Primus modus adhibebatur pro personis vulgaribus, et constabat tantum aliquibus ablotionibus, necnon exsiccatione cadaveris. Ad hoc perungendum minimus sumptus requirebatur. - Secundus modus requirebat paulo maiores expensas, et adhibebatur pro civibus mediocriter divitibus, vel notabilibus. In huiusmodi curatione adhibebatur nitrum et unguinum cedrinum, quod apponebatur corpori mortuo; nam nitri est talis virtus, ut carnes penitus tabescere faciat, cute tantum et ossibus relictis: unguini vero ea est insita vis, ut, teste Plinio, in Ægypto corpora defunctorum eo perfusa serventur. Tertius et praestantissimus modus curationis erat Principum et insignium opulentiorumque virorum. Huiusmodi conditura seu curatio sic perficiebatur. In primis aqua calida, in qua herbae suaves et aromata miscebantur, corpus defuncti abluebatur; quae sane consuetudo apud Judaeos erat antiquissima (vid. Act. Apost. 19 37). Feminis plerumque munus illud demandabatur, (vid. Leon Modena rit. Judaic. p. 1. cap. 8, et Basnag. histoir. des Iuifs. tom. 5. 1. 7. c. 24). Sunt tamen qui viros viris lavandis, mulieribus mulieres destinatas contendunt, et hoc mihi videtur magis verisimile, ad servandam decentiam (Baron. an. 34 ex Rabb. Iacob et Maimonid.). Antequam autem vestibus defuncti induerentur, et immediate post lotionem, eorum corpora curabantur vino Phaeniceo, vel myrrha pura, casia contusa, vel similibus aliis speciebus aromaticis, uti referunt Plinius et Herodotus. Non prima, non altera, sed tertia omnium nobilissima conditura adhibita fuit erga Christi corpus. Eminentissimus Cardinalis Baronius, saepe a nobis commemoratus, paulo uberius describit tertium modum pollincturae cadaverum; inquit enim (loc. superius citato): *Oculos in primis et ora claudebant defunctorum, stringebant fascia, tondebant capillos, lavabant corpus, unguentis ungebant, linteis involvebant,* postquam manus et pedes ligaverant institis, seu fasciis, faciemque velaverant sudario; *sicque curatum in sepulchro locabant.* De hac Hebraeorum consuetudine in funeribus et sepultura fuse disserit Calmet, et videri possunt etiam alii Sacrarum Scripturarum interpretes, tum in cap. 50 Genesis, ubi de Iacobi sepultura sermo est, tum in Evangelio Ioannis cap. 11, ubi de Lazari sepultura et resurrectione disseritur, vel alibi. Quod autem omnia in illustrium Hebraeorum tumulatione adhiberi solita, peracta sint in Iesu funeribus, indubium videtur (vid. dissertat. de fasciis in tom. 318 Miscellan. in bibliothec. Card. Passionei). Imo maiori splendore Christi corpus curatum fuit, nam observat doctissimus Lamy (in Concord. Evang. 5. c. 37), quod cum ternae, quaternaeve librae unguenti satis fuissent perungendo eius corpori, Nicodemus centum libras in hoc opere adhibuit; quod signum est, non tantum eius opulentiae, quantum largitatis eius affectus erga eumdem Iesum. Magi in nativitate Iesu, inter alia munera, obtulerunt ei myrrham, in signum dominicae sepulturae. Magdalena etiam unguento Jesum vivum unxerat biennio antea in pedibus, in actu suae conversionis; et sex dies ante pascha, in capite. Nicodemus et Ioseph eumdem mortuum ungunt.

Nunc de sepulchro superest, ut aliquid subiungamus. Iudaei habebant sepulchrum commune in valle Cedron, in ea parte, quae *Gehenna*, sive *Tophet*, appellabatur, dicebaturque *Calvaria, regio mortis,* etc. ut patet ex libro 4 Regum (cap. 23 v. 6). Hoc sepulchrum inserviebat pro peregrinis et pauperibus, et in eo praecipue proiiciebantur sontium et reorum cadavera. Sic Urias, ad ignominiam, inter pauperes sepultus est. Attamen viri insignes et prophetae propria habebant sepulchra, cum titulis cuique debitis. His praenotatis, ut liceret cadaver damnati ad extremum supplicium peculiari sepulturae mandari, oportebat ut iudex veniam daret, quae non aegre concedebatur, dummodo forte non deposceretur pro seipsos occidentibus, aut pro perduellibus, vel seditiosis (vide Grotium in cap. 26 Matth., necnon Benedict. XIV de fest cap. 7 num. 132). Quoniam autem Pilatus nunquam persuaderi potuit, Christum vere esse reum facinorum, quorum accusabatur, non aegre licentiam tumulationis eiusdem dedit Iosepho ab Arimathaea.

Prope locum crucifixionis erat hortus, qui a Calvariae loco centum et octo pedibus distabat, uti refert Malonius (de Christi stigmatib, necnon Adrichomius etc.); et in horto monumentum novum, quod Ioseph ab Arimathaea, mortis non immemor, paraverat sibi. Huiusmodi monumentum erat excisum in petra, ne, uti observat divus Hieronymus, *si ex multis lapidibus aedificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, (Christus) ablatus furto diceretur.* Hebraei solebant habere monumen-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

la sive excisa in petra, sive in humo defossa. Prima, singulis annis, die 15 mensis *Ader*, qui respondebat nostro *Februario*, solebant dealbari; unde hac de causa Christus comparavit Phariseos *sepulchris dealbatis* (Luc. 11. 44). Formam memorati sepulchri Jesu fuse describit ven. Beda (in cap. 13 Marc.): *De monumento Domini ferunt, qui nostra aetate de Ierosolymis Britanniam venerunt, quod domus fuerit rotunda, de subiacente rupe excisa, tantae altitudinis, ut intro consistens homo vix manu extenta culmen possit attingere. Quae habet introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus advolutus est. In cuius monumenti parte aquilonari sepulchrum ipsum, hoc est Dominici corporis locus, de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmorum mensura cetero pavimento altius eminens. Qui videlicet locus, non desuper, sed a latere meridiano per totum patulus est; unde corpus inferebatur.* Brevius Adrichomius (in descr. Ierusal. num. 239) inquit: *Sepulchrum Domini gloriosum monumentum erat novum octo pedes longum, quod a monte Calvariae centum et octo pedibus, a monte autem Sion passibus mille distabat, in horto monti Calvario propinquo, quod in petra sibi Ioseph exciderat. Ioseph ergo sepulchrum cessit Christo, et Christus in alieno, scilicet Ioseph, sepulchro conditus est.*

Evangelista Matthaeus notat (cap. 27 v. 61): *Erat autem Maria Magdalena et altera Maria sedentes contra sepulchrum.* Huiusmodi mulieres, cum viderent cadaver Christi a viris decenter curari, probabiliter, modestiae gratia, se paulo remotius subtraxerunt; et idcirco legitur, quod sedebant *contra*, sive e regione sepulchri: id autem, uti puto, non impedivit, quod antequam facies Christi sudario cooperiretur, dolentissima Virgo, extrema vice osculata fuerit Filium suum; quodque idem praestiterint Magdalena et ceterae piae mulieres, eius pedes osculando, priusquam institis et sudario tegerentur. De benedicta Virgine heic silent Evangelistae, fortasse quia putant superfluum esse, si ipsi dicant illam remansisse in eo loco, usquedum sepulchrum clausum omnino esset. Quis enim crederet, Matrem ad miraculum usque Filii sui amantissimam, recessisse antequam cuncta funebria officia persoluta fuissent?

Ad extremum, corporis curatione peracta, feretrum ad locum sepulchri delatum fuit, Angelis pacis comitantibus, et amare lugentibus (Is. 33. 7.), et piis mulieribus simul cum discipulis inconsolabiliter lacrymantibus. Interesse funeribus, dum corpora defunctorum ad sepulchrum efferebantur, uti civile munus habebatur ab Hebraeis; quapropter non solum filii, fratres, socii et amici, sed quicumque casu incidissent in pompam aliquam funebrem, sive exequias defunctorum, adiungere se comitatui tenebantur, et plorantium lacrymas suis lacrymis augere (Ioseph. Hebr. contr. Appion. lib. 2. pag. 1075). Eo spectavit Apostolus cum inculcavit (ad Rom. 12.15): *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* De Deipara vero quid dicam? Quando Abner interfectus perierat (2. Reg. 3 31), *dixit David ad Ioab, et ad omnem populum qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner. Porro rex David sequebatur feretrum. Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner: flevit autem et omnis populus. Plangensque rex, et lugens Abner, ait: Nequaquam, ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Manus tuae ligatae non sunt et pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti.* Sed quid Abner cum Christo? aut quae comparatio Davidi cum Deipara? Ad memoriam redit potius factum narratum ab Evangelista Luca (cap. 6. v. 12) de adolescente defuncto, filio unico matris suae viduae, qui efferebatur ad sepulchrum, et mater eius inconsolabilis feretrum sequebatur. Ipsa tantum flebat, quod Redemptor illuc pertransiens, misericordia motus fuit super eam. Hoc factum revera aliquatenus conditionem delineat benedictae Virginis, feretrum Filii sui sequentis, sed nimis leviter. *Cui ergo comparabo te, vel cui assimilabo te, Virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua* (Thren. 2 13).

Ut pervenerunt autem ad sepulturae locum, deposuerunt cadaver Jesu in loco ad hoc destinato, et Deipara extrema vice, uti mihi persuadeo, et nonnulli auctores dicunt, corpus Filii sui, iam sindone involutum, iterum osculata fuit, et aegerrime illinc exiens, vidit per Josephum ab Arimathaea et per Nicodemum lapide magno occludi ostium monumenti.

Re quidem vera apud Hebraeos, cum ad locum sepulturae funebris pompa pervenerat, deposito in terram feretro, defuncti elogium, si de persona clara et illustri agebatur, ab aliquo concinne pronunciabatur; quemadmodum nuper vidimus David egisse in exequiis Abner. Quo absoluto adstantes circuibant cadaver, preces ad Deum fundendo. Post haec cadaver in sepulchro collocabatur ore ad coelum verso, et clauso monumento adstantes dicebant: *Ivit in pace*, et proficiscendo dicebant: *Memoria eius in benedictione* (vid. Pulce, antiquit. Hebraicar. lib. 1. cap. 20).

Divus Bernardus (de planct. Virg.) asserit Deiparam, Josepho et Nicodemo ostium monumenti claudere volentibus, sic locutam fuisse: *Illum* (Filii mei corpus) *adhuc paululum mihi relinquite, ut faciem eius, sublato velamine, iterum valeam contemplari.* Sed necessitas impulit eam, ut rationabilibus suasionibus illorum discipulorum obsecundaret, et sepulchrum occludi permitteret.

Quis heic enarrare sufficiet verba, quibus angustias et acutissimum sui cordis dolorem maestissima et desolaat Deipara patefacere debuit? In illud Cantici Canticorum fortasse prorupit (pluries in eod. lib.): *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.... Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi... Botrus Cypri in vineis Engaddi... En ipse stat post parietem nostrum... in foraminibus petrae, in caverna maceriae ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora...*

Sequamur et nos, per compassionem, inconsolabilem Deiparentem, et interim Redemptori nostro paremus in corde nostro triplex unguentum mysticum ad ungendum eum, nempe compunctionis, devotionis et pietatis: paremus unguentum ex quadruplici ingrediente formatum, nempe ex quatuor virtutibus cardinalibus (vid. div. Bern. in Cantic. serm. 22. necnon in sermon. divers. 87, 88 etc.): paremus illi sepulchrum, si non novum, saltem per poenitentiam innovatum.

## II.

## *Desolatio Deiparae migrando a sepulchro.*

Antequam manum admoveamus ad disserendum de hoc argumento, quaestio nobis heic enodanda occurrit, utrum beatissima Virgo revera e sepulchro Filii sui recesserit. Eutymius (in cap. 27 Matth.), Simeon Metaphrastes (de compass. Virg.), aliique, putant, ipsam per totum triduum, usque ad Christi resurrectionem immotam prope sepulchrum remansisse. Huius verba (Eutymii) digna profecto sunt, ut silentio non praetereantur. *Mater sola, inquit, sepulchro adhaerens, minime dormientibus oculis erat perseverans; nam aliae quidem tota nocte ad sepulchrum ingressae sunt et egressae... Clarum est, hoc fuisse materni et ardentis amoris, quae perpetuo assidens, et acriori spiritu vigilans... ne tantillum quidem a sepulchro recesserit, donec ipsam vivificam vidit resurrectionem.*

Re quidem vera, apud Isaiam (cap. 65 v. 4) sermo est de iis, *qui habitant in sepulchris*, et Septuaginta vertunt: *qui in sepulchris et specubus dormiunt.* Erant enim sepulchra veterum ampla et spatiosa, instar camerarum et cubiculorum, in quibus proinde homines facile dormire, quin et habitare poterant. Non me latet, hanc commorationem in monumentis in more esse apud magos, qui ideo ibi degebant, ut daemones consulerent; vel apud illos, qui a mortuis petebant somnia, ex quibus futura auspicari possent. Verum hoc non impedit, quod etiam alii, non ex superstitione, aut alio fine pravo, sed ex motivo pietatis, morarentur per aliquod tempus in memoratis locis, in quibus sepulti reperiebantur propinqui, vel amici, vel heroici viri. Hoc adeo verum est, quod in ecclesiasticis monumentis saepe mentio fit de nocturnis vigiliis, quae a Christianis fiebant ad Martyrum sepulchra, et de epulis, quae fiebant in sepulchris mortuorum, quorum mos, iustissimis de causis, per divum Ambrosium et divum Augustinum sublatus fuit.

Si ita se res habet, potuisset quidem beatissima Virgo commorari per totum triduum, usque ad Jesu resurrectionem, in sepulchro, in quo ipse iacebat. Sed quod permanserit in parte interiori eiusdem sepulchri, obstat Evangelium; scimus enim saxum magnum admotum fuisse ad ostium monumenti, illumque sigillo obsignatum fuisse: quod autem permanserit extra sepulchrum, videtur improbabile et inverisimile, nam praeter obsignationem lapidis, foris monumentum aderat custodia militum et excubiarum assidue vigilantium; et non fuisset decens Virginem prope illos per totum triduum permanere. Denique si permansisset ad sepulchrum Deipara, aliae mulieres illam profecto solam non reliquissent, sed secum stetissent. Sed ipsae non steterunt; nam apud Lucam (cap. 23 v. 56 etc.) legimus, quod *revertentes paraverunt aromata et unguenta, et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum: una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quae paraverant aromata.* Non autem venissent quae mansissent, nisi et illae, quemadmodum reliqui, recessissent.

Refutata prima sententia, succedit secunda, quae paucos patronos habet. Qui illi adhaerent, dicunt, benedictam Virginem non in sepulchro permansisse, sed in quamdam solitudinem se recepisse, ubi ab omnibus segregata, per totum triduum in maxima desolatione fuit, et inconsolabiliter ac incessanter lacrymas effudit.

Tertia tandem sententia est illorum, qui putant, sanctissimam Deiparentem, post Christi sepulturam, e Calvariae monte migrasse, et a Ioanne in propria domo hospitatam fuisse. Haec sententia innititur receptissimae traditioni, et quoddam fundamentum habet etiam in Evangelio eiusdem divi Ioannis, qui (cap 19. v. 27) inquit: *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua*: quae verba licet ab aliquibus diversimode interpretantur, tamen non desunt multi qui legunt *in sua* domicilia, vel in suam habitationem aut domum. Non dubito, quod benedicta Virgo voluisset quidem ad Filii sepulchrum permanere, ibique assidue vigilare, velut altera Respha (2 Reg. 21. 9), quorum filii, cum iussu Davidis crucifixi essent, *incipiente messe hordei, ipsa tollens... cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de coelo* (id est circiter per sex menses, uti docent interpretes, nam in Palaestina pluviae, quae per aestatem cessarunt, post tale tempus incipere solent), *et non dimisit lacerare aves per diem, neque bestias per noctem.* Si igitur illa mater potuit tanto tempore permanere ad custodiam cadaverum filiorum suorum, qui crucifixi fuerant ob patris delictum, quanto magis Deipara fir-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ma et immobilis constitisset ad custodiam sepulchri innocentissimi Filii sui, qui pro totius humani generis delictis crucifixos fuerat? — Sed Christus adhuc in Cruce vivens Matrem Ioanni commendaverat, et istios suasionibus et precibus, uti pia traditio tenet, ipsa de monumento discessit.

Antequam autem Deipara ex illo loco migravit, ubi thesaurum suum relinquebat, sic locutam fuisse aeterno Patri, eidem Filio suo, et Christi discipulis, insignium auctorum suffragio fulcitus, verisimiliter arbitror. Æterno Patri dixit *verbum recommendationis*: Filio defuncto dixit *verbum valedictionis*: 3. discipulis dixit *verbum gratiarum actionis*.

1. In primis, lacrymantibus oculis ad coelum conversis, aeterno Patri sic, aut similibus verbis, locutam fuisse existimandum est: Suscipe, Deus omnipotens, hostiam benedicti et sanctissimi Filii tui et mei, qui seipsum tibi obtulit pro remissione omnium mundi iniquitatum: suscipe etiam oblationem incomprehensibilium dolorum, quos ego miserrima Mater experta sum in corde meo, quosque nunc patior recedendo ab hoc monumento, in quo thesaurus cordis mei absconditus iacet, ad obtemperandum voluntati illius, cui me Filius meus, in Cruce moriens, commisit. Antequam autem, Sanctissime Pater, ex hoc sepulchro abeam, sine, ut ad aliquod mei doloris lenimentum promissionum tuarum reminiscar. David, prophetico Spiritu afflatus dixit (Ps. 15 v. 10): *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Haec verba praecipue de corpore Filii tui ac mei profecto intelligenda sunt. Putrefactio corporis, Pater aeterne, provenit ex infirmitate eiusdem: Christus autem, qui in utero meo conceptus est de Spiritu Sancto, corpus proculdubio habuit optime conformatum; nec ex infirmitate vita functus est, sed, uti dixit Isaias (cap. 53 v. 7): *Oblatus est quia ipse voluit*. Non debet ergo corpus eius resolvi et incinerari. Insuper, ad ostensionem divinae virtutis, decet quod illud cadaver incorruptum permaneat. Adhaec eadem incorruptio debita est illius sanctitati. Si autem multis Sanctorum cadaveribus, Pater omnipotens, huiusmodi dotem largieris, ut in pulverem, unde exierunt, non revertantur; quanto magis iustitiae tuae consonum est, ut illam corpori sanctissimi Iesu tribuas? Arca veteris testamenti, in qua continebantur *Gomor* mannae, binae tabulae legis, et virga Moysis, facta erat ex lignis Setim (Exod. 25. 10), illudque lignum erat imputribile: quanto magis arca humani corporis, in quo inhabitavit anima Sanctissima Christi, et inhabitat adhuc divina eius natura, imputribilis perseverare debebit? Per Isaiam scriptum est (cap. 11. v. 10): *Et erit sepulchrum eius gloriosum*. Quoniam autem haec verba primario nonnisi de Iesu sepulchro intelligenda sunt, Pater Sancte, hanc gloriam illi reclamo. Illius mors, secundum tuae iustitiae decretum, debuit esse ignominiosa, quia passibilitatem et humanitatem ipse assumpsit propter mundi redemptionem, et ideo eadem redemptio completa est in sua morte. Nunc, Pater iuste, cessante vitae et mortis ignominia, sepultura eius debuit esse nobilis et sumptuosa; et ideo per duos nobiles discipulos Filii mei cadaver depositum et curatum est; et insuper propterea, more principum copiosissimo ac pretiosissimo unguento unctus est; et tandem propter hoc in nobili monumento sepultus est. Restat, Sanctissime Pater, ut postquam in vita et usque ad mortem benedictus Iesus, testante Isaia (cap. 53 v. 12), *cum sceleratis reputatus est*, iuxta eiusdem Prophetae oraculum (cap. 11. v.10), *sepulchrum eius* sit *gloriosum* (vid. hunc concept. in Vincent. Lirin. in Matth. cap. 27; necnon Suarez in 3 p. div. Thom. quaest. 21 disp. 41 sect. 1.). Denique aeterno Patri Deipara confidenter dicere verisimiliter potuit: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere honorem, et gloriam et benedictionem* (Apoc. 5. 12). Tu dixisti per Iob (cap. 22. v. 29): *Qui humiliatus fuerit erit in gloria*: si ergo *usque ad mortem, mortem autem Crucis*, decuit Iesum ignominiose tractari, ob humanam redemptionem; nunc, soluto redemptionis pretio, condecens est sepulchrum eius honorari et glorificari.

2. Solent viventes sermonem convertere cadaveribus illorum, quos dilexerunt, velut si adhuc viverent. Sic, ut innumera alia exempla omittam, David loquebatur cum Ionatha defuncto, et sic illi dicebat (2. Reg. 2. 26): *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam*. Sic etiam legimus apud doctissimum Calmet (de funerib. et sepultur. Hebr), ipsum collegisse ex Leone Modena et ex Buxtorfio, quod cum pompa funebris pervenerit ad locum sepulturae, adstantes convertuntur ad defunctos, tamquam si superstites essent, illosque his verbis alloquuntur: *Benedictus Dominus, qui vos creavit, pavit, nutrivit, ac tandem e mundo per suam iustitiam eduxit. Ille vestrum omnem numerum servat, ille constituto tempore vos ad vitam revocabit. Benedictus sit Deus, qui mortem inducit, et vitam restituit*. Non coeco amori id tribuendum esse censeo, sed fidei circa animae immortalitatem, et resurrectionem mortuorum, uti observat idem Calmet (eod. loc.). Cum enim amans sciat animam dilecti defuncti per totum vitae tempus inhabitasse in illo corpore, et etiam per mortem adhuc immortalem perdurare; quodammodo loquendo cadaveri sibi praesenti, existimat conversari cum anima, quam licet non videat, certo certius tamen scit adhuc vivere, et esse aeternam.

Quid autem mirum videbitur si etiam nos ad cadavera nostrorum dilectorum aliquando sermonem convertimus; si etiam id facimus cum eorum imaginibus, maxime si Sanctorum personas nostris mentibus repraesentent? nonne etiam coram reliquiis Sanctorum nostras preces effundimus?.. Et si ita



res se habet, quaenam reliquia, respectu praesertim Deiparae magis honoranda, quam Christi Cadaver, et plus digna, cui ipsa dolentem sermonem converteret?

Quidquid autem sit de exposita doctrina, verisimiliter censendum est, quod Deipara Virgo, sicut ex magna fide in Patrem aeternum, cum ipso loquuta fuit, antequam e sepulchro Filii sui discederet; sic, non solum ex fide circa immortalitatem animae Christi, sed etiam de eius divinitate, quae procul dubio etiam in eius defuncto corpore permanebat, priusquam abiret ex eius monumento; illi extremum vale dixerit. Quibus autem verbis hoc materni cordis officium verisimiliter persolverit, nunc exponere operae pretium duco. Ipsa dicere debuit, ad sepulchrum conversa: *Cur, faciem tuam*, Fili mi, mihi *abscondis, et arbitraris me inimicam tuam* (Iob. 13 24)? Inimicis profecto solet proprius negari aspectus; unde apud Iere-am (cap. 18 v. 17) sic hostibus suis a Deo comminatum legitur: *Dorsum et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum*. Ego autem, ne per momentum quidem, sicut ceteri Adae filii, inimica tibi fui, et, te ipso testante (in Cant. 5 2) omni tempore *amica* tibi exstiti, et nunc insuper sum tua dilectissima Mater. — Ego recedo quidem, Fili mi, ex hoc sepulchro, in quo delitescis, ut tuae obsequar voluntati, per Ioannem mihi patefactae, quia tu me ipsi commendasti; verum recedo corpore, non mente, non animo, non corde. Si enim *ubi thesaurus, ibi et cor* amantis sit necesse est (Matth. 6. 21): cum in hoc monumento tu, thesaurus meus, conditus sis, heic etiam et cor meum permanebit (vid. Novati, de emin. Virg. t. 1 cap. 18 quaest 34). Tu, o Iesu fili mi, quem coeli capere non possunt, in meo te clausus es utero, factus homo: nunc corpus tuum, quod ex meo sanguine efformatum, per novem menses in meis visceribus habitavit, in hoc brevi sepulchro delitescit. Vale ergo, fili dulcissime cordis mei, et pars mea in aeternum: memento promissionum tuarum, quando dixisti (Matth. 26.61): *Possum destruere templum Dei, et post triduum reaedificare illud*. Ego patientissime et dolenter triduum a te constitutum promissionibus tuis sustinebo, quod mihi, prae amoris vehementia et magnitudine, aeternitas videbitur; sed tu, tempore opportuno, et ab aeterno Patre praeordinato, reaedifica templum tuae sanctissimae humanitatis, et restitue te amantissimae Matri tuae. Ego firmissime semper credidi; et Elisabeth Spiritu Sancto repleta, mihi dixit (Luc. 1 45): *Beata quae credidisti*: non igitur velut dubitans, sed velut certa et fiduciosa tuis verbis, illud Iob usurpabo (cap. 40 v. 4): *si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas, circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus... et ego confitebor, quod salvare te possit dextera tua*. Vale iterum, dilectissime Fili. Per triduum te sustinui puerum duodennem, et inconsolabiter luxi, quamvis scirem te, non adhuc peracta redemptione, viventem esse, sed a me dispersum. Ecce aliud triduum, longe tristius! Tunc vivebas, florente iuventa, imo non adhuc adepta pubertate; nunc defunctus es. A tuo sepulchro, ego Mater dolentissima recedo, sed sine corde: cor meum, quod semper tecum fuit, heic tibi relinquo, et cum Regio Psalte dicere possum (Ps. 39. v. 13): *Cor meum dereliquit me*. — Interea, salve sepulchrum, quod coelum contines; nam qui in coelo tamquam in throno sedet, in te tamquam in thalamo requiescit! Salve sepulchrum, thesaurum opulentissimum in te complectens!.. Vos, Angeli Dei, sepulchrum hunc custodite. Unus Seraphim gladio districto igneo et versatili ostium custodivit terrestris paradisi; sed millia millium, et decies centena millia Angelorum circumdate monumentum hoc, in quo thesaurus cordis mei delitescit. Descendistis ad praesepe Bethleem in nativitate Filii mei, eiusque cunabula circumdedistis; descendite nunc ad hanc speluncam mortis. Angelis suis aeternus Pater mandavit de Filio suo et meo, ut custodirent illum in omnibus viis suis: implete ergo mandatum, et servate corpus in hoc monumento inclusum, in quo Deus vester inhabitat. Si lectulum Salomonis sexaginta fortes Israel ambiebant, omnes tenentes gladios; quot Angelorum agmina circumdabunt sepulchrum, in quo Filius meus iacet? Dilectus meus dormit. *Adiuro vos, ne suscitetis, neque evigilare faciatis eum, donec ipse velit.. En ipse stat post parietem nostrum* (Cantic. 2 7 et 9).

3. Denique dolentissima Virgo discipulis verbum direxit gratiarum actionis.

Legimus in 2. libro Regum (cap. 2 v. 4): *Nuntiatum est David, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul. Misit ergo David nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, et sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem: sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud*. Si ergo David tam gratum se exhibuit erga illos, qui sepelierant Saul, hostem suum acerrimum, quasnam gratiarum actiones existimandum est beatissimam Virginem reddidisse illis, qui operam praebuerunt in sepultura dilectissimi filii sui Jesu? — Re quidem vera, Deipara, utpote omni gratia suae conditioni convenienti repleta, cor habuit optime conformatum, et idcirco ad gratitudinem proclive: si autem tam gratam se exhibuit sponsis, apud quos convivio excepta fuit in Cana Galileae, ut hospitalitatis vicem illis rependendo, a Filio suo magnum miraculum imploraverit (Io. 2. 3.), quanto magis gratitudinis officia persolvere debuit cum iis, qui funebria reddiderunt defuncto Filio suo? Ad Ioannen igitur prius conversa, et deinde ad ceteros discipulos, verisimiliter dicere debuit: Ioannes, gratias tibi, quas possum, rependo, eo quod, ceteris Apostolis fugientibus prae timore, tu solus adstitisti charissimo Magistro tuo morienti, et deinde ad illum e Cruce deponendum et sepeliendum operam

tuam contulisti. — Ioseph ab Arimathaea, benedictus sis a Domino. Nisi tu, nobilis decurio, ad Pilatum audacter introisses ad petendum corpus Filii mei, iam Iudaei proiecissent illud in vallem, ubi cadavera reorum graviorum criminum ad patibulum suspensorum sepeliri solent: nisi tu sindonem novam emisses, ad involvendum corpus tui Magistri, et sepulchrum tuum novum, quod excideras tibi in petra, more nobilium et principum, dedisses Nato meo, ego vidua miserrima et pauperrima mulierum, ubi reposuissem illum? Ego, velut altera Noemi, tibi novo Booz, aliud dicere non possum, nisi illius verba (Ruth. 2 20): *Benedictus sit a Domino, quoniam eamdem gratiam, quam praebuerat vivis, servavit et mortuis.* Tu, quamvis occulte, propter metum Iudaeorum, honorasti Filium meum viventem, et nunc ei defuncto funebria persolvisti. Nicodeme, magister in Israel, princeps et senator Synedrii, tu non solum non consensisti cum iis, qui perdere voluerunt innocentissimum Filium meum, sed una cum tuo collega Iosepho ab Arimathaea huc venisti, afferens tecum centum libras myrrhae et aloes, et sedulam tuam operam navasti tum depositioni a Cruce Filii mei, tum ungendo eius corpori, iuxta consuetudinem nobilium et principum; tum denique illius cadaveri sepeliendo. Quas grates tibi, Nicodeme, ego paupercula vidua, unico Filio meo orbata, tibi persolvam? - Vos denique, Maria Magdalena, ceteraeque mulieres, quae mihi sociae in compassione fuistis, quaeque et Dilecto vestro extrema officia persolvere, et meum profundissimum dolorem aliquatenus temperare studuistis, excipite et vos grati mei animi testimonium. - Brevi: Omnes, quotquot estis, *benedicti sitis a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Iesu, et sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis Dominus misericordiam et veritatem: sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud* (loc. super. cit.)

His peractis, audiamus nunc Seraphicum Doctorem, divum Bonaventuram, cetera narrantem (in medit. de vit. Chr. cap. 83). En eius verba: *Appropinquante autem nocte, dixit Ioannes: non est honestum hic nimis morari, vel de nocte in civitatem redire: et ideo, si vobis placet, Domina, recedamus.*

De Uria legimus (2 Reg. 11 11), quod, quum exhortatus fuisset, ut descenderet in domum suam, respondit: *Arca Dei.. habitat in papilionibus, et dominus meus.. super faciem terrae manet: et ego ingrediar domum meam?.. per salutem tuam, et per salutem animae meae, non faciam rem hanc.* - Beatissima Virgo id etiam dicere voluisset: *Arca* vera *Dei*, nempe cadaver Filii mei, in qua eius divinitas latet, *habitat in papilionibus*, idest in sepulchro: *Dominus meus super faciem terrae manet*: et ego, quomodo possum hinc abire? Verum, utpote obsequentissima divinae voluntati, *surgens*, uti prosequitur S. Bonaventura (loc. cit.), *et genuflectens, sepulchrum amplexatur, et benedicit. Et recedere tunc coeperunt.*

Antequam autem a sepolchro cum Maria recedamus, sinite, fratres, ut Isaiae verbis vos alloquar (cap. 51. v. 1): *Audite me, qui sequimini quod iustum est, et quaeritis Dominum. Attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis.* Attendite, inquam, ad petram sepulchri, et ad cavernam laci, nempe ad monumentum, ubi Christus intravit mortuus, ut nos inde educeret ad gratiam vivos. *Attendite*, Propheta subiungit, (eod. loc. v. 2): *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos.* Attendite, ego subiungo, ad verum Abraham, nempe Christum; *et ad Saram*, nempe ad Mariam, *quae* suis doloribus *peperit vos.*

## III.

### *Desolatio Deiparae migrando a monumento, et iter arripiendo versus civitatem Jerusalem.*

*Iustorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Hisce verbis sapientissimus Salomon (Prov. 4. 18) summatim semitam hominum, per vias iustitiae et sanctitatis incedentium, descripsit. Semitae iustorum sunt semitae Christi, quem oportuit multas tribulationes *pati, et ita intrare in gloriam suam* (Luc. 24. 26). Ipse quasi dux debuit praeire electis suis, et ideo dixit (Matth. 16 24): *Qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me.* Nos igitur propriam crucem ferendo, et *per multas tribulationes, oportet intrare in regnum Dei* (Act. 14 21). Iamvero huiusmodi semitae tribulationum et dolorum habent sua stadia diversa, variosque periodos; et veluti lux, quae mane oritur, deinde gradatim *procedit et crescit*, et postea pervenit *usque ad perfectam diem*; sic semitae iustorum habent suam auroram, suum progressum et suam perfectionem.

Deipara Virgo, quae post Christum fuit primiceria et antesignana iustorum, plus omnibus per huiusmodi semitas, toto tempore vitae suae ambulavit: sed dies praecipua tribulationum cordis eius fuit dies passionis benedicti et dulcissimi Iesu. Huiusmodi dies habuit auroram doloris, cum obviavit Filio Crucem baiulanti, eiusque crucifixioni et agoniae adstitit; habuit progressum, cum illum iam mortuum vidit, illumque aspexit e Cruce depositum et tumulatum: habuit denique suam perfectionem, cum a monumento recessit.

Non me latet, Deiparam summopere doloris gladio transverberatam fuisse ob ignominias et passionem Filii sui, quae, cum per eius mortem cessaverint, videtur quod propterea deinde dolor eiusdem beatissimae



Virginis minui debuisset. Sed considerandum est, quod duplici ex capite praecipue oriebatur huiusmodi dolor: 1. ex diris cruciatibus Filii, qui quodammodo in cor Matris repercutiebantur. 2 ex eo quod per mortem Filii ipsa in terris destituta remanebat omni solatio, quod proveniebat ex visibili aspectu et conversatione dulcissima, quam per annos trigintatres habuit cum eodem charissimo Filio suo. Quamvis igitur ex una parte, cessante vita Christi, ac proinde cessante etiam eius passione, minui propterea debuisset ex hoc respectu dolor in corde Matris; tamen quia per tumulationem desierat etiam aspectus dulcissimi et carissimi cadaveris; et dirigendo etiam gressus suos versus Ierosolymam, separabatur etiam a loco, in quo ipsa sciebat thesaurum suum esse reconditum, idcirco dicere possumus, quod dolor cordis Deiparae quando a monumento recessit, ex hac parte, fuit maximus. Donec ipsa Filium adhuc viventem in Cruce vidit, discindebantur quidem materna eius viscera ob atrocissimos illius cruciatus; verumtamen vultum saltem sui Nati, quamvis *non habentem speciem, neque decorem*, adhuc aspicere poterat, et audiebat saltem *verba vitae aeternae*, quae ex eius ore procedebant. Sequuta autem morte Iesu, dolor Deiparae mirum in modum crevit; sed tamen adhuc illi remanebat aliquod solatium, (si solatium dici potest) dum corpus eius exanimatum in gremio suo habuit, et certe exclamare dolentissime potuit (Cant. 1 13): *Fasciculus myrrhae Dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur.* — Advoluto autem saxo magno ad ostium monumenti, et quando Deipara debuit obtemperare divinae voluntati, et a loco, in quo benedictus fructus virginei ventris sui recondebatur, recedere, dolor eius culmen acerbitatis tetigisse videtur, ob desolationem, in qua remansit; adeoque puto, quod afflictionum suarum *semita*, quae, uti dixi, fuit *quasi lux splendens* et velut aurora, cum obviavit Filio Crucem baiulanti, eiusque crucifixioni et agoniae adstitit; quaeque *processit* in morte, depositione et tumulatione eiusdem; tandem *crevit usque ad perfectam diem*, et pervenit ad culmen et apogeum, fuitque maximus, quando a monumento recessit, et iter arripuit versus civitatem Jerusalem.

Ipsam inconsolabiliter abeuntem sequamur, et inspiciamus

Quam viam eligit, ut ad Ierusalem revertatur. Existimo, quod aliqua via brevior probabiliter aderat, per quam a loco sepulchri pervenire poterat ad civitatem: verum 1. non dubito quod Deipara voluerit transire per locum Crucifixionis, et per easdem semitas redire, per quas Iesus mane, Crucem baiulans, montem ascenderat, 2. id etiam prudentia consulebat, nam sero erat, et non expediebat, relicta via consulari, remotiorem et magis solitariam eligere. Notandum autem est, quod locus sepulchri, uti iam diximus, centum et octo passibus minoribus a loco crucifixionis distabat; locus autem crucifixionis longe erat a domo Pilati, quae erat inter moenia civitatis, per 1321 gressus sive passus pariter minores; adeoque, vespere iam incumbente, desolata Domina, iam defatigata itinere, iniuriis et doloribus, percurrere debuit viam fere milliaris italici (vide Adrichom. in descript. Ierusal. num. 118).

Divus Bonaventura graphice et laconice iter describit dicens (in medit. Vit. Chr. cap. 83): *Et recedere coeperunt. Cum autem venerunt ad Crucem, ibi genuflectit ipsa, et adoravit Crucem dicens: hic requievit Filius meus, et hic est pretiosissimus sanguis eius. Similiter et omnes fecerunt.*

De filiis Patriarchae Iacob, qui Iosephi fratris prius necem machinati fuerunt, deinde in cisternam illum demiserunt, et denique, inde eductum, Ismaelitis vendiderunt viginti argenteis, scimus ex sacro Geneseos libro (cap. 37. v. 31), quod *tulerunt tunicam eius, et in sanguine haedi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes qui ferrent ad Patrem, et dicerent: Hanc invenimus; vide utrum tunica filii tui sit, an non. Quam cum agnovisset Pater, ait: tunica filii mei est: fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph. Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere.*

Christus a fratribus suis, ad quos quaerendos, et Patri reducendos, in terris e coelo descendit, vere necatus et occisus fuit crudelissima et turpissima morte. Non Ismaelitis, sed impiis Iudaeis vilissimo triginta denariorum pretio venditus fuit. Non tunica eius missa fuit ad Patrem Iacob, in sanguine haedi tincta, sed Crux apparuit Mariae redeunti e sepulchro, pretiosissimo Agni immaculati sanguine respersa. Ad rem divus Ambrosius (lib. de Ioseph cap. 3) inquit: Christus *nobis*, et praecipue Deiparae, *agnus est; illis* (scilicet Judaeis) *haedus. Nobis agnus Dei occisus est, quibus abstulit peccatum mundi; illis haedus, quorum acerbavit errores, delicta cumulavit.* Cum vidisset desolatissima Virgo Crucem copioso Iesu sanguine respersam, velut imbrem lacrymarum effundens exclamavit: Crux Filii mei est! Deinde mihi videtur in haec verba prosilire debuisse. Salve Crux pretiosa, in qua dulcissimus Natus meus pependit. Quando Adam de fructu arboris in medio paradisi collocatae manducavit, Verbum aeterni Patris lignum illud notavit, ut postea in temporum plenitudine, assumpta humana natura, in eo mori posset, ad solvenda superabundanter prioris ligni damna. Ex prima arbore pependit fructus maledictionis et mortis pro toto humano genere; ex hoc ligno pependit nuper benedictus fructus ventris mei, fructus benedictionis et vitae. Serpens aeneus, qui a Moyse, iubente Domino elevatus fuit in deserto pro signo, ut percussi ab ignitis serpentibus, illum aspiciendo salvi fierent (Num. cap. 21), hoc signum Crucis praefiguravit, in hoc deserto monte

Golgotha elevatum. O Crux pretiosa! Ego Christum infantem per novem menses in utero meo portavi; tu eumdem, iam factum virum perfectae aetatis, per tres horas continuas portare meruisti. Crux sancta, in te passus et mortuus est Filius meus; per te passa sum in corde meo ego miserrima Mater; sed exinde in honore eris: tu super regum coronas fulgebis: qui pro iustitia et veritate dimicabunt in *hoc signo vincent*; denique in fine saeculorum *hoc* idem *signum erit in coelo, cum Dominus ad iudicandum venerit*. O Crux igitur, tu Cathedra fuisti docentis, tu altare offerentis, tu thronus regnantis, tu thalamus sponsi, tu tribunal iudicantis, tu tandem beatis ipsis trophaeum es victoriae.

Doctissimus a Lapide, exponendo illa verba Geneseos (cap. 3 v. 6): *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, aspectuque delectabile, et tulit de fructu eius, et comedit; deditque viro suo, qui comedit*, observat quod Eva semel atque iterum de fructu ligni vitae manducavit. En eius verba: *Videtur ergo Eva bis comedisse, semel sola, secundo cum Adamo, ut eum ad esum pelliceret, et in esu se sociam praeberet.* — Quo posito, dico. Nemo ignorat, Deiparam Virginem fuisse reparatricem malorum ab Eva admissorum. Sicut autem Eva bis manducavit de fructu ligni vitae in paradiso terrestri constituti; sic Maria bis ad verum lignum vitae, nempe ad Crucem accessit, et reparavit duplicem comestionem vetitam primae mulieris: prima vice Cruci adstitit, quando adhuc pendebat ex ea Jesus; deinde accessit denuo, Iesu sepulto, ut Jerosolymam reverteretur. In hac secunda vice ipsa maiori attentione inspicere potuit nodos illius ligni, ex quibus immensa molestia redundare debuit corpori Crucifixi; lata foramina clavorum, et alia huiusmodi, quae fortasse ex illius oculis prima vice effugere potuerunt, quando tota eius attentio ad personam patientis Filii attrahebatur. Illud ergo dolorum Christi dirissimum instrumentum centies milliesque dolentissima et desolata Mater amplecti et osculari debuit.

Quod Deipara benedicta Crucem adoraverit, cum a sepulchro rediret, indubium videtur. In Psalmis legimus (Ps. 98 v. 5): *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* — Quodnam est scabellum pedum Domini? Sub hoc nomine Regius Psaltes intelligebat profecto arcam a Moyse, Deo iubente constructam, et in loco sublimi, nempe in Sancta Sanctorum collocatam. Dicebatur *scabellum pedum Dei*, quia Deus, per Angelum suum vicarium, qui praeerat populo Israel, quique sedebat super alas duorum Cherubinorum aureorum arcae impositorum, pedes suos ponebat super illius operculum aureum idest super propitiatorium. Et notandum est, quod hic Angelus, vicem Dei gerens, et superimpositus propitiatorio arcae, non erat verus Angelus, sed tantum imago eius. Hoc non obstante, David Israeliticum populum invitat ad cultum exhibendum huiusmodi operculo arcae, ubi simulacrum Angeli Deum repraesentantis suos pedes ponebat, dicebatque: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* — Genebrardus (in exposit. hui. loci) dicit, praedicta verba intelligenda esse, quasi David diceret: *Coram scabello pedum eius procidite, quasi ante pedes eius prostrati, quoniam sanctum et honorandum est quidquid ad ipsum pertinet, etiamsi abiectum videatur, ut pedum scabellum.* — Tandem Cardinalis Bellarminus (in exposit. hui. Ps.) inquit: *Incurvantes et prosternentes vos ad arcam foederis, quae est scabellum pedum eius, quoniam arca, sive scabellum huiusmodi sanctum est propter relationem ad Deum, cui dicata est, et propter eius honorem adoratur.. Deus sanctissimus est, et sanctitatem impertit iis, quae ad eum pertinent, quatenus ipsius sunt.*

His positis, si venerabile et adorandum erat scabellum pedum Dei, idest operculum arcae; quanto magis adoranda est Crux, in qua non solum fuit *scabellum pedum* Jesu Christi, veri Dei, sed ex qua tota eius sanctissima humanitas, et Deus ipse pependit? Omni profecto superstitione vacat cultus, qui Cruci Domini nostri exhibetur, ipsaque est omni veneratione et honore digna, non quidem propter se, verum propter piacularem hostiam, quae ab ea pependit (vide Perrone Institut. theolog. de Cult. Sanctor). Quapropter catholica Ecclesia canit: *O Crux ave spes unica.. O Crux adoranda*; et Angelicus Doctor divus Thomas (2 2 q. 103 4 ad 3 item 3 q. 25 4 o) dicit: *Si loquamur de ipsa Cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda, uno scilicet modo in quantum repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea; alio modo ex contactu ad membra Christi, et ex hoc, quod eius sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriae. Et propter hoc etiam Crucem alloquimur et deprecamur, quasi ipsum Crucifixum... unde Damascenus dicit* (in 4 lib. orth. fid. cap. 12 circ. med.): *Pretiosum lignum, ut sanctificatum tactu sancti Corporis et Sanguinis, decenter adorandum.*

Si ergo Crux adoranda est, proculdubio Deipara Virgo, cum rediret a sepulchro Filii sui, ipsam adoravit. Quando peperit Jesum, et reclinavit eum in praesepio, ipsa certissime, prima omnium, cunabula adoravit infantis; absurdum enim esset, pastores et magos illam praecessisse in hoc cultu. Unde, quando Apostolus (ad Hebr. 1 6) inquit: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: et adorent eum omnes Angeli eius*, ego puto quod, (omissis aliis interpretationibus praedicti textus, videndis apud a Lapide et alibi) sive hoc intelligatur de Christi incarnatione aut nativitate, sive de Christi resurrectione, Angeli non praecesserunt Deiparam Virginem in Christi adoratione. Divus Bonaventura (in medit. vit. Chr. cap. 7) id adfirmat dicens: *Mater flexis genibus adoravit etc.*; et, aliis omissis, Ecclesia Catholica, quae sicut orat, sic credit, in sua liturgia dicit: *Virgo, quem genuit, adoravit.* Sic etiam, licet ex Evangelio id non colligatur, tamen existimandum est, Deiparam, primam omnium vidisse Christum post eius resurrectionem, illumque adorasse. Divus Ambrosius inquit (de Virgin. lib. 1 cap. 7 n. 11): *Vidit ergo Maria resurrectionem Domini; et prima vidit et credidit. Vidit et Maria Magdalene, quamvis ista nutaret.* Idipsum docet Rupertus Abbas (lib. 7 de divin. offic. cap. 25) dicens: *Redivivus Filius, ante omnes fortasse mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annuntiavit, et dulcia carnis suae vulnera.... deosculanda praebuit.* Brevitatis ergo praetermittimus S. Bernardinum Senensem, Cardinalem Baronium, Suarez, aliosque idipsum adfirmantes.

Si ergo Deipara prima omnium adoravit cunabula Christi infantis; si ipsa omnium prima adoravit Filium resurgentem, eiusque vulnera venerata fuit; rationabiliter existimandum est, quod ipsa, de sepulchro eius recedens, et per locum crucifixionis pertransiens, etiam omnium prima Crucem adoraverit. Ad rem Ludolphus (de vit. Chr. part. 2 cap. 66) inquit: *Ipsa, nempe Deipara, fuit prima, quae Filium natum adoravit: nunc est prima, quae Crucis Lignum adorat.* Re quidem vera, nemo melius benedicta Virgine Crucis virtutem agnoscebat: nemo etiam plus illa de fructu Crucis participavit, nam passionis Christi merita ei fuerunt anticipato et nobiliori modo applicata per praeservativam redemptionem; unde ipsa dicitur *primogenita redemptionis.* Patet igitur, quod ipsa ante omnes, et plus quam omnes, debuerit pretioso Sanctae Crucis ligno cultum exhibere. Quod autem ita revera factum sit, omissis aliis auctoritatibus, testatur divus Bonaventura, dicens (in medit. vit. Chr. cap. 83): *Cum autem venerunt ad Crucem, ibi genuflectit ipsa, et adoravit Crucem dicens: Hic requievit Filius meus, et hic est pretiosissimus Sanguis eius.*

Quod spectat ad Coronam, quae capiti Christi imposita fuit, et ad clavos, quibus Cruci affixus fuit, quamvis non desint qui existimant, Deiparam praedicta passionis Christi instrumenta secum asportasse, mihi tamen melius arridet opinio Eminentissimi Baronii. Hic (tom. 1 in append.) observat, Hebraeos consuevisse reponere instrumenta supplicii in eodem sepulchro, ubi cadavera damnatorum tumulabantur. Putat igitur idem Cardinalis, pollinctores spineam Coronam et Clavos in sepulchro Domini inclusisse; Crucem vero, quae ob eius magnitudinem ibi reponi nequivit, reliquisse in loco ubi erecta fuit.

Praeter Crucem, quid aliud oculis Deiparae Jerosolymam reverterenti obiicitur? Fortasse, lumine lunae, quae in solemnitate paschali in sua plenitudine reperiebatur, vidit arundinem cum spongia, vas aceti et fellis amarissimi: vidit absque dubio fere per totam viam vestigia sanguinis a Filio suo effusi dum Crucem baiulavit, et praecipue in Crucifixione; vidit capita damnatorum, seu *calvaria* eorum, quae ad publicum exemplum huc, illuc, videbantur pendentia: recordata fuit probabiliter, hac occasione, *calvariae* Adae, quae, secundum opinionem multorum, ibi sepulta fuit, et cogitavit quod eius delictum fuit causa passionis Filii sui benedicti: videre potuit denique hinc ossa arida damnatorum, illinc diversas cruces, aliaque patibula et suppliciorum instrumenta; et ex huiusmodi aspectu materna eius viscera mirandum in modum dilacerabantur. Recesserant sane e Calvariae monte Scribae, Pharisaei, Judaei, ceterique, qui crucifixioni Jesu adstiterant: in monte solitudo regnabat; sed hinc solitudo, illinc nox, quae iam tenebras suas longe lateque diffundebat, tristitiam inenarrabilem cordi Deiparae ingenerabant.

In libro Genesis legimus (cap. 8 v. 8), quod Noe decimo mense ab inchoato diluvio, *emisit columbam... quae cum non invenisset ubi requiesceret pes eius, reversa est in arcam.* — Quod Deipara Virgo sit *Columba*, testatur saepe epithalamicus Sponsus in sacro Canticorum libro. Ipsa est *Columba sine felle* (S. Andr. serm. in transitu. Virg. ap. Amadaeum); *Columba* a pennis deargentatis, et cuius posteriora in pallore auri (S. German. Const. orat. 1. in Praes. Virg.); *Columba* gemitum pro cantu emittens (Rupert. Abb. lib. 2): *Columba* iuxta fluenta residens Scripturarum (ibid.): nidificans in petris (ibid.): denique est *Columba* pura, simplicissima, suos pullos nutriens, et *Columba* fidelissima Noe, uti illam appellat divus Bonaventura (in Specul.). Huiusmodi Columba, cessato diluvio Sanguinis Filii sui Jesu Christi in lateris transfixione, et illo iam sepulto, e monumento, velut ex arca, emissa fuit: Sed, *cum non invenisset, ubi quiesceret pes eius*, quia quocumque oculos verteret, videbat hinc vestigia sanguinis et passionis Filii, illinc ingratitudinis et saevitiae Judaeorum, oportuit reverti in arcam. Sed ad quam arcam? Ad arcam sepulchri dulcissimi sui Nati voluisset quidem, sed non potuit: advolavit igitur, seu perrexit ad arcam domus Joannis.

Interea si Deipara adeo Crucem dilexit, quod cum iam iuxta illam stetisset per longum tempus, dum Filius suus ex ea pendebat, voluit iterum, post Christi tumulationem ad illam redire, eamque summo cum amore amplexari; discamus et nos eamdem Crucem diligere, et Christum crucifixum sequi. Nobis absit gloriari, nisi in Cruce. Crux sit nostra individua comes: in hoc baculo mysticum Iordanem transibimus, et cum hac scala ad coelum usque ascendemus.

Tu interim, benedicta Virgo, quae iuxta Crucem fortiter constitisti, benigna aure unum excipe votum, quod unusquisque nostrum tibi exhibet, quodque his Ecclesiae verbis includitur:

*Iuxta Crucem tecum stare,*
*Et me Tibi sociare*
*In planctu desidero.*

## IV.

### *Desolatio Deiparae, cum associata a piis mulieribus, Ierosolymam revertitur.*

Quamvis duo posteriores libri Esdrae in canonem divinarum Scripturarum non sint relati; cum tamen Ecclesia illos imprimi sinat in textu Sacrorum Bibliorum post omnes libros canonicos, et illis aliquando utatur in sacra liturgia, liceat nobis aliquid ex illis excerpere ad nostrum propositum. In quarto enim libro eiusdem Esdrae haec verba legimus (cap. 9. et 10): *Respexi oculis meis, et vidi mulierem in dextera parte, et ecce haec lugebat et plorabat cum voce magna, et animo dolebat valde, et vestimenta eius discissa, et cinis super caput eius.... et conversus sum ad eam, et dixi ei: ut quid fles? et quid doles animo? Et dixit ad me: Dimitte me, domine meus, ut defleam me, et adiciam dolorem; quoniam valde amaro sum animo, et humiliata sum valde. Et dixi ei: Quid passa es? dic mihi. Et dixit ad me.. Dedit mihi* (*Deus*) *filium; et iucundata sum super eum valde.. et nutrivi cum labore multo. Et factum est, cum crevisset, et venisset accipere uxorem... et introisset in thalamo suo, cecidit et mortuus est.* - In huiusmodi muliere videre possumus Deiparam Virginem, cuius Filius Jesus, venit accipere Sponsam, nempe Ecclesiam, et apparuit *in diademate, quo coronavit eum mater sua, nempe Synagoga, in die desponsationis illius, et in die letitiae cordis eius.* Verum, cum *introisset in thalamo suo*, nempe Cruce, *mortuus est.*

Nunc ad mulierem, de qua supra in libro Esdrae, revertamur. - Haec nolebat consolari in desolatione sua, et venit in solitudinem, dixitque cuidam adstanti: *Veni, sicut vides, in hoc campo, et cogito iam non reverti in civitatem, sed hic consistere, et neque manducare, neque bibere, sed sine intermissione lugere et ieiunare usquedum moriar.... quoniam fructum ventris mei perdidi.* Sed ille, qui cum huiusmodi desolata muliere colloquebatur dixit ei: *Nunc ergo retine apud temetipsam dolorem tuum, et fortiter fer, qui tibi contigerunt casus.. Ingredere ergo in civitatem.* — Haec ille.

Dolentissima Virgo, tumulato Jesu, adhuc in cacumine Calvariae montis reperiebatur; et quoniam ingrata civitas Jerusalem Filium suum crudeliter morti damnaverat, dicere potuisset: *Cogito non reverti in civitatem, sed hic consistere, et neque manducare, neque bibere, sed sine intermissione lugere et ieiunare;* eo magis, quia heic adest Crux, in qua Filius meus expiravit. Sed Ioannes, dilectus discipulus, cui Jesus moriens Matrem suam commendaverat, dulciter ad illam conversus dixit: *Nunc ergo retine apud temetipsam dolorem tuum, et fortiter fer, qui tibi contigerunt casus.. Ingredere ergo in civitatem.*

Abs re non erit hoc loco meditativam narrationem facti a piissimo et Seraphico Doctore divo Bonaventura audire (in medit. vit. Chr. cap.83): *Volens Joseph ab Arimathaea redire in civitatem post officium sic completum, dicit Dominae: Domina mea, ego vos deprecor propter Deum, et propter amorem Filii vestri, et Magistri mei, si placet, ut divertatis in domum meam; scio enim, quod domum propriam non habetis: utamini ergo mea, ut vestra, quia omnia mea vestra sunt. Similiter fecit et Nicodemus.... Tunc ipsa se inclinans humiliter, et gratias agens, respondit se esse commissam Ioanni. Quibus Joannes, adhuc eam rogantibus, respondit, quod volebat eam ducere in montem Sion, in domum, in qua Magister coenavit heri sero cum discipulis, et ibidem stare cum ea volebat. Illi vero inclinantes se Dominae et adorantes sepulchrum, abierunt.... Exinde* Deipara Virgo cum Joanne et piis feminis *recedunt versus civitatem.... Appropinquantes ad civitatem Sorores Dominae velaverunt eam tamquam viduam, cooperientes quasi totum vultum suum.* - Haec divus Bonaventura. — Nunc circa argumentum, quod prae manibus habemus, aliqua a nobis elucidanda occurrunt, nempe. 1. de viduali velo, quo piae mulieres contegerunt vultum desolatae Virginis 2. de personis, a quibus ipsa comitata fuit cum rediret in Jerusalem 3. de dolore, quo eius maternum cor transverberatum fuit videndo civitatem.

1. Matronae Hebraeae extra domum prodeuntes solebant contegere et defendere vultum velo, quod Graeco nomine dicitur *Theristrum.* S. Hieronymus eodem nomine appellat velum, quo Thamar faciem suam celavit (Genes. 38 14). In Hebraeo dicitur *Zaiph*, quod verti solet velum, sive palliolum, quod Orientalibus mulieribus erat multum familiare quovis tempore. Eadem Hebraea vox recurrit in libro Genesis (24 65), cum sermo est de Rebecca pallio se amiciente. *Theristrum* etiam legitur in textu latino Isaiae (cap. 3. v. 23), cuius loco in textu Hebraeo legitur *Hardidim*, et Septuaginta reddunt *velum ad decumbendum.* Huiusmodi velum multum descendebat in faciem, sinum et humeros, et per illud transversum intueri poterat lux, vel, ut alii dicunt, erat perforatum ad oculos in commodum gradiendi, quo modo solent Confratres Congregationum nostris temporibus. Ex hoc autem argui potest modestia mulierum priscis illis temporibus (vid. Calmet. Dictionar. S. Script. ad voc. *Theristrum*). Si autem quovis tempore mulieres se tegebant oblongo velo, multo magis existimandum est illo usas fuisse in viduitate. et tempore luctus. Re quidem vera doctissimus Lamy (apparat. biblic. lib. 1 cap. 14 pag. 265 edit. Venet. 1667) observat, quod etiam viri Hebraei in luctu, in templo, et in synagogis coopertum habebant caput; multo magis id dicendum est de feminis, quae nunquam in publicum, nisi velatae prodibant. Quoniam autem Hebraei tempore luctus pullum, seu obscurum colorem adhibere solebant in vestibus, uti inferius dicendum erit, idcirco velo nigro se probabiliter contegebant. Deipara Virgo, cum vidit Filium suum crucifixum verecundari ob nuditatem, abstulit a se velum capitis sui, uti adfirmat divus Bonaventura (in medit. vit. Chr. cap. 78), quem plures alii sequuntur, et illo nuditatem Jesu quo modo potuit, cooperuit. In eius depositione de Cruce potuit dolentissima Mater velum ipsum resumere, illoque se contegere antequam ingrederetur in civitatem Ierusalem. Verum probabilius existimo, quod aliqua ex piis feminis illam comitantibus, vel suum velum commodaverit dolentissimae Deiparenti, vel opportune aliud velum luctui aptum providerit, quo ipsius vultum contegeret.

2. Nunc de personis, quae comitatae fuerunt Sanctissimam Virginem, cum e sepulchro rediret, aliquid dicendum est.

Ex meditationibus Seraphici Doctoris, uti superius innuimus, videtur, quod Joseph ab Arimathaea et Nicodemus, facta exhibitione respectivae domus pro hospitio Sanctissimae Virginis, illaque, iustis de causis non acceptata, abierint a monumento. Ipsi, quoniam nullum aliud officium praestare debebant, et verisimiliter habebant suos familiares cum scalis, malleis, vasis unguentorum, etc.; proinde potuerunt cum ipsis ad proprias domos remeare. Interea piae mulieres adhuc erant *sedentes contra sepulchrum* (Matth. 27 61). Huiusmodi feminae diversimode ab Evangelistis recensentur, sed divus Augustinus illos concordat (in Concordia Evangelior. lib. 3 cap. 21). Evangelista Matthaeus (27 55) dicit: *Erant autem ibi mulieres multae a longe, quae secutae erant Jesum a Galilaea, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene et Maria Jacobi et Ioseph Mater, et Mater filiorum Zebedaei.* Evangelista Marcus, narrata Christi sepultura, dicit (15 47): *Maria autem Magdalene et Maria Ioseph aspiciebant ubi poneretur.* Evangelista Lucas nullam feminarum proprio nomine recenset, sed acervatim de illis loquitur dicens (23 55): *Subsecutae autem mulieres, quae cum eo venerant de Galilaea, viderunt monumentum etc.* Denique Evangelista Ioannes (19. 25) inquit: *Stabant autem iuxta Crucem Iesu Mater eius, et soror Matris eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalene.* = Omnes igitur huiusmodi mulieres Cruci adstiterunt: aliquae ipsarum etiam tumulationi certissime praesentes fuerunt; sed non constat utrum omnes permanserint usque ad finem, an autem aliquae abire coeperint progressu temporis, ut se a turbae densitate retraherent. Auctores, profecto non infimae notae, qui de desolatione Virginis aliqua scripserunt, inter quos praecipue divus Bonaventura, unanimiter tenent, Apostolum Ioannem et aliquas pias mulieres comitatas fuisse dolentissimam Deiparentem a sepulchro Filii Ierusalem revertentem. Id rationi maxime consonum est; incredibile enim videtur, quod dilectus discipulus, cui Christus moriens Matrem suam commendaverat; et mulieres adeo piae, quae omnibus contemptis, Christum usque a Galilaea secutae fuerant, dolentissimam eius Genitricem in desolatione crudeliter dereliquerint.

A Ioanne igitur, piisque feminis associata Deipara Ierosolymam perrexit.

3. Super hanc civitatem legimus Iesum flevisse. Flevit cum egrederetur, a Betphage et Bethania. Tunc pueri Hebraeorum et turba multa cum ramis olivarum obviaverunt ei sedenti super pullum asinae, et prae gaudio sternentes vestimenta sua in via, clamabant dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Sed Iesus, cum appropinquaret ad descensum montis Oliveti, *videns civitatem Ierusalem flevit super illam* (Luc. 20 41). Quid est, quod inter gaudia triumphi, et inter faustas gratulantium et *Hosanna* vociferantium acclamationes, Christus lacrymatur? Flevit profecto ob coecitatem et duritiam Ierosolymitanorum, qui se Messiam et Salvatorem recipere noluerunt; flevit praevidendo iustissimam Dei vindictam, et gentis illius excidium per Titum et Vespasianum; flevit denique videndo labores et dolores suos frustrari et irritos cadere.

Verum si Iesus Christus videns civitatem flevit super illam ob delictum in sui crucifixione patrandum, potiori ratione flere debuit beatissima Virgo Ierosolymam post Filii sepulturam rediens, ob delictum iam patratum. Mellifluus Claraevallensis Abbas divus Bernardus (de lamentat. Vig.) haec habet: *Multae feminae videntes eam* (Deiparam), *commotae pietate super illius doloribus, amarum convertebantur in luctum. Quaedam vero post ipsam euntes, lamentabantur et ipsae.* (Deipara) *tam pie plorabat, tam amare dolebat, quod sui ploratus pietate multas etiam incites ad lacrymas provocabat. Fiebat planctus quocumque Maria transibat, omnesque plorabant, qui obviabant ei.*

Huic ploratui suas lacrymas opposuit dolentissima Virgo, flevitque 1. ob id quod fuerat Ierusalem 2. ob id, quod tunc erat, 3. ob futuram suam desolationem.

1. Primitus Ierusalem fuit *civitas iusti* (Is. 1 26) quoniam ibi exhibebatur cultus vero Deo, et unica ac sola vera religio ibi profitebatur: insuper leges iustae et sanctae, a Deo immediate populo illi datae fuerunt, et maior pars principum, nempe Melchisedec, Esdras, Nehemias et alii, iusti fuerunt. Insuper Ieremias dixit (3. 17): *In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini*, tum quia Deus ibi habitavit per praesentiam peculiaris protectionis, tum quia *de Sion exivit lex et verbum Domini de Ierusalem.* Brevi: haec civitas fuit praedilecta a Deo, qui *non fecit taliter omni nationi*, (Ps. 147 20).



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. Interea Ierusalem, quam sibi Deus desponsaverat in fide et charitate, quaeque antea suo Sponso adhaeserat, a via recta declinavit, ac ad idola, ad fraudes et ad iniustitias deflexit, et *facta est meretrix civitas fidelis* (Is. 1. 21). Ipsa occidit Prophetas et lapidavit eos, qui ad eam missi fuerant (Matth. 23 37): unde in Ierusalem Ieremias lapidatus fuit, Isaias sectus, Zacharias inter templum et altare occisus, aliique crudeliter ac pessime tractati fuerunt. Tanta autem crimina horrendo Deicidio Ierusalem nuper compleverat, morte turpissima mulctando innocentissimum Iesum; et propterea Deipara Virgo e sepulchro Ierosolymam revertens, non potuit non summopere tristari, et flere super civitatem, quae adhuc cruore Filii sui respersa erat. = Flevit super eam, quia *facta* erat *quasi vidua Domina gentium, princeps provinciarum facta* erat *sub tributo* (Thren. 1. 1). Quasi vidua facta fuit Ierusalem, quia sceptrum iam ceciderat de manu Iuda, ipsaque suo rege orbata erat; *quasi vidua*, quia propter horrendum deicidium et alia peccata iam patrata, a Deo, velut a suo sponso, derelicta fuit. Omni igitur decore spoliata oculis Deiparae apparebat illa civitas, quondam venusta et gloriosa, et potuit dicere: *Haeccine est urbs perfecti decoris, gaudium universae terrae* (Thren. 2 15)!

3. Denique dolentissima Virgo *videns civitatem, flevit super illam*, praevidendo futuram suam desolationem ob patratum horrendum delictum in crucifixione innocentissimi Iesu. Transivit forlasse Deipara ante templum, et futurae destructionis praescia, dicere potuit: Heu! Salomon tanta magnificentia hanc domum Domini aedificavit: Zorobabel postea templum illud restituit, ipsumque magnam gloriam mutuavit a Filio meo, tum quando Simeon excepit illum in ulnas suas, cum adhuc esset parvulus; tum quando ipse Filius meus duodennis heic visus fuit audiens et interrogans legis doctores. Verumtamen hoc templum certo certius destruetur, nec erit qui illud reaedificare poterit. Transibat Deipara per vias Ierusalem, quae tunc ratione paschalis festivitatis affluebant immensis civibus et incolis, et cum illius menti obversaretur futura eius desolatio, dicere potuit, veluti si oculis suis id spectaret quod eventurum erat: *Quomodo sedet sola civitas plena populo* (Thren. 1. 1)! Transibat ante magnificas domos, ante palatia optime constructa, et forte intra se dicebat: Heu! nec lapis super lapidem relinquetur horum aedificiorum, eo quod Ierusalem non cognoverit tempus visitationis suae.

Ex velatione benedictae Virginis discant omnes, ac praesertim mulieres, modestiam: ex personis Deiparam comitantibus, cum rediret in Ierusalem, discamus omnes Matrem hanc dulcissimam in sua desolatione consolari, ut ipsa vicissim nos ad coelestem Ierusalem comitetur, et iter nobis praestet tutum: et denique ex fletu Deiparae benedictae super illam ingratam civitatem, discamus flere super nos ipsos, qui non cognovimus tempus visitationis nostrae, et centies milliesque rursus crucifiximus Filium Dei in nobismetipsis.

Fac (o desolata Domina) me tecum pie flere,

*Crucifixo condolere*
*Donec ego vixero.*

## V.

### *Desolatio Deiparae, cum Ioannes excepit eam in domum suam*

Diversas domos benedicta Virgo incoluit tempore vitae suae. In domo parentum suorum, in civitate Nazareth, primordia suae aetatis transegit, quidquid alii dicant de eius patria (vide I. C. Trombelli SS. Mariae vit. et gest. Dissert. 5. pars. 1. cap. 1. et 2). Trimula ad templum Ierosolymitanum delata fuit, ibique moram traxit usquedum, Deo sic iubente, divo Iosepho desponsata fuit. Rediit deinde ad paternam domum, in civitate Nazareth, ubi ab Angelo visitata fuit. In domum Zachariae, visitatura Elisabeth cognatam suam postea perrexit, et inibi tribus mensibus mansit, usque ad ortum Joannis Baptistae. Posterius nunc in Bethleemitico antro, nunc in Aegypto, nunc denuo in Galilaeam; nunc huc illusque diversata fuit, nunquam fere domicilium fixum habens. Ex quo praesertim Dominus Iesus vitam publicam, praedicationemque Evangelii inivit, Deipara Virgo, per civitates, per vicos et castella cum Filio suo discurrisse verisimile est.

De seipso Christus dixit in Evangelio (Matth. 8. 20): *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Re quidem vera, praesertim in triennio praedicationis, ipse domum fixam habere nequivit. Benedicta autem eius Mater Filio praedicanti perpetua comes adhaesit. Id fatentur divus Epiphanius (Haeres 78 § 9), Guerricus Abbas (serm. 4 de Assumpt. num. 1), et multi alii. Si enim multae piae mulieres Iesum secutae fuerant a Galilaea, ut ministrarent ei (Matth. 27. 55): si Apostoli dicere potuerunt (Matth. 19 27): *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*, quare beatissima Virgo eius Mater non esset choriphaea memoratarum piarum mulierum, et etiam Apostolorum, ita ut relicta in Nazareth sua humili domo, Filium huc illuc per civitates et castella discurrentem secuta sit? Ipsa ergo, cum Filio, in toto illo triennio domum propriam non habuit.

Si ita se res habet, mortuo ac tumulato Christo, quo divertet hospitabiturque desolatissima Virgo? Vidimus iam, cum divo Bonaventura, quod Ioseph ab Arimathaea et Nicodemus domum propriam Deiparae



Virgini exhibuerunt. Idem Seraphicus Doctor sic narrationem prosequitur (in Medit. vit. Chr. cap. 83): *Appropinquantes ad civitatem, sorores Dominae velaverunt eam tamquam viduam, cooperientes quasi totum vultum suum, et praecedebant. Domina autem inter Ioannem et Magdalenam. Haec volens in ingressu civitatis sumere viam, quae ducit ad domum suam, et illuc eos ducere, praevidit sibi ante, et dicit: Domina mea, precor vos amore Magistri mei, ut eamus ad domum nostram, et ibi melius stabimus; scitis enim quomodo* (Iesus) *libenter veniebat ad eam: ipsa vestra est, et omnia mea vestra sunt; rogo ergo ut veniatis. Et hic plangere inceperunt. Domina autem tacente, et annuente versus Ioannem, adhuc illa rogat Ioannem. Ipse vero respondit: Decentius est, ut eamus usque ad montem Sion, et maxime quia sic respondeamus amicis nostris: tu potius venias cum ea. Tunc Magdalena respondit: Bene scis, quod veniam cum ea quocumque ierit, et nunquam dimittam eam... Intravit ergo Domina domum, et Magdalena, et duae sorores eius.*

Interea, ingrediente desolata Virgine in civitate, accidit ei quod de Noemi in libro Ruth legimus (cap. 1 v. 1. etc.). Haec, nempe Noemi, associata a Ruth, in Bethlehem venit. *Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebuit, dicebantque mulieres: Haec est illa Noemi! Quibus ait: Ne vocetis me Noemi* (id est pulchram), *sed vocate me Mara* (*id est amaram*), *quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens?* — Ni fallor, videtur, quod haec historia, mutato nomine, de Deipara Virgine in Ierusalem ingrediente post Filii sui tumulationem, ad litteram narrari possit. Licet iam nox procederet, tamen civitas illa plena erat populo, praesertim ob paschalem festivitatem. Iam fama horrendum deicidium secutum ad cunctos detulerat. Plurimae mulieres iam in via reperiebantur; aliae potuerunt expresse e domibus exire, ut viderent desolatam Deiparam e monte redeuntem. Huc, illuc dicebatur: Haec est Mater Crucifixi! en quomodo flet!!.. in ipsa sua desolatione, quam pulchra est!!! = Deipara autem tacite videbatur respondere: Ne vocetis me Noemi (id est pulchram), sed Mara (idest amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Egressa sum plena, nam Mater eram, et Filium habebam speciosum forma prae filiis hominum; sed nunc vacuam, nempe viduam et unigenito meo orbatam, reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Matrem, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens? Sequamur nunc ipsam Deiparam ad hospitalem domum Ioannis pergentem.

Iam innuimus, ex Evangelio colligi quod, cum dixisset Iesus Ioanni: *Fili, ecce Mater tua, ex illa hora accepit eam discipulus in sua* (Io: 19 27). Quidam cum Venerabili Beda legunt: *Accepit eam in suam*, idest, in matrem suam, vel curam (Bed. in Io: 1. 5). Divus Epiphanius (haeres. 78 in Antidicomarianit.) legit: *Ab illa die accepit ipsam ad seipsum*: quod et Syriacus habet: *Ex illa hora recepit eam discipulus apud se.* Sed quaerit divus Augustinus (tract. 119 in Io:) in quae sua Ioannes Matrem Domini accepit? En eius verba: *Sed in quae sua Ioannes Matrem Domini accepit?.. Sic debemus accipere, quod dictum est: Accepit eam discipulus in sua, ut ad eius curam quidquid ei esset necessarium pertineret. Suscepit ergo eam in sua, non praedia, quae nulla propria possidebat, sed officia, quae propria dispensatione exequenda curabat..* Si autem obiiciatur, quod Ioannes, perinde ac ceteri discipuli, reliquerat omnia quae possederat, ut Christum sequeretur; ac proinde propriam domum non habebat, in qua exciperet beatissimam Virginem, responderi potest, 1. quod in Actis Apostolorum legimus (cap. 4 v. 32): *Quotquot enim possessores praediorum vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, et ponebant ad pedes Apostolorum: distribuebatur autem unicuique prout opus erat.* Ergo divus Ioannes habere potuit in distributione partem, prout illi opus erat, ex qua vel emere, vel saltem conducere, et sibi locare posset domum, ubi reciperet Deiparam. 2. Eruditissimus Salmeron putat, Joannem, post oblationem factam omnium quae possederat, aedes quasdam comparasse, ex pecunia haereditatis cuiusdam ad eum devolutae. 3. Potuit etiam dilectus discipulus dono accipere, vel etiam ex charitate obtinere domum ad usum proprium. 4. Nicephorus (lib. 2 eccl. hist. l. 4) testatur, ex antiqua traditione constare, quod Ioannes, vendito patrimonio, domum emit in monte Sion, in qua Dominus fecit ultimam coenam, et beata Virgo usque ad obitum suum habitavit in ea; ubi Dominus apparuit ianuis clausis; et in qua tandem Spiritus Sanctus descendit super Apostolos, qui postea consecrarunt ibi primam Ecclesiam. Quidquid autem sit de expositis opinionibus, nos adfirmamus, quod sive domus pertinuerit ad dominium Ioannis, sive ab eo conducta et locata fuerit, sive illi donata aut commodata, hoc videtur ex antiquissima traditione admissum, quod Deipara Virgo tempore suae desolationis ab illo hospitata fuerit, cui Filius suus in Cruce moriens ipsam commendaverat. Ad quid enim Christus Matrem suam Ioanni solum, et praeterea nemini, commendasset, nisi ut hic ipsius curam gereret, eique hospitium, ac cetera omnia ad victum necessaria provideret?

Iacob Patriarcha, dum moreretur, dixit dilecto filio suo Ioseph (Genes. 48 21): *En ego morior.... Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo.* Nemo catholicorum ambigit, praecipuam totius patrimonii Christi haereditatem, absque controversia fuisse Deiparam Virginem. Ipsam Deus tulit de manu Amorrhaei, hoc est diaboli, in gladio et arcu sanctissimae Crucis, servando illam immunem ab immani originalis peccati ho-

ste. Quia ergo Christus prae omnibus aliis discipulis Ioannem speciali praerogativa dilectionis prosecutus fuerat, eumdem amorem in morte ei ostendens, pretiosissimum hoc donum intemeratae Mariae Virginis, extra omnes alios, et supra reliquos Apostolos, ei custodiendam, hospitandam et alendam tradidit. Quis non admirabitur Ioannis sortem et Iesu praedilectionem erga eum? Verba quae Salomon in libro Proverbiorum dixit (cap. 3. v. 14) profecto non solum de Sapientia, sed de beatissima Virgine possunt intelligi: *Melior est acquisitio eius negotiatione argenti et auri primi et purissimi fructus eius: pretiosior est cunctis opibus, et omnia quae desiderantur, huic non valent comparari.* Fateor quidem Petro super omnes Apostolos primatum honoris et iurisdictionis, ac totius Ecclesiae regimen collatum fuisse, quando Christus ei dixit (Io 21. 15): *Pasce oves meas, pasce agnos meos;* sed cura Deiparae alii demandata non fuit, nisi Ioanni, cum ei dixit (Io. 19 27): *Ecce Mater tua.* Apostolorum Principi commissa fuit Ecclesia, ut illam inter tot fluctus et tempestates huius mundi incolumem ad portum aeternitatis deduceret; Ioanni, discipulo, quem diligebat Iesus, commendata fuit pretiosissima illa gemma Deiparae Virginis. Petro traduntur regendi homines, qui dividuntur in iustos et peccatores: Ioanni committitur illa, sine qua nec iusti in iustitia perseverare valent, nec peccatores converti. Ad culmen ministerii Ioannis nullus admittitur: hic solus, tamquam Pontifex ad hoc specialiter destinatus, mystico Propitiatorio Deiparae Virginis assistit: ipsi altare incensi et sancta sanctorum commendatur: solus hic depositarius et custos est aurei vasis continentis manna dulcissimum. Iustus Obededom meruit possidere arcam veteris testamenti apud se tribus mensibus (1. Paralip. 13 14): Iosue Bethsamita potuit habere eamdem arcam in agro suo per aliquod tempus (1. Reg. 6. 14): sed Ioannis sors longe superat omnium sortem, nam usque ad mortem Deiparae, uti multi gravissimi scriptores existimant, meruit hospitare in domo sua hanc novi *foederis arcam.* In Evangelio legimus (Luc. 10 38): *Intravit Iesus in quoddam castellum, et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam.* Sed Magister divinus non remansit ibi ad longum tempus. Sic etiam legimus apud Lucam (19. 5.), quod Zachaeo stanti super arborem, ut videret Iesum transeuntem dictum fuit: *Zachaee, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere:* sed una die hic statura pusillus meruit Jesum hospitari. At beatissimus Ioannes ad longum tempus meruit habere in domo sua Virginem Sanctissimam. Rectissime, ad rem, inquit Cardinalis Bellarminus (de sept. verb.): *Quis non libentissime cohabitaret Matri illi, quae Verbum incarnatum novem mensibus in utero suo portavit, et illi totos triginta annos et amplius, devotissime dulcissimeque cohabitavit?* — Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, cum videret Deiparam ad se divertentem, exclamavit (Luc. 1. 43.): *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Potiori iure idipsum dicere debuit dilectus discipulus Jesu. *O Felix*, exclamat divus Bernardus (in lib. de lamentat. Virg.): *O felix et beate Ioannes, cui tantum thesaurum Dominus dignatus est commendare!* Quam uberem remunerationem ex hac hospitatione ipse sperare non debebit? Elisaeus a muliere Sunamitide hospitio receptus, dixit ei (4. Reg. 4 13): *Ecce sedulo in omnibus ministrasti nobis; quid vis ut faciam tibi? Numquid habes negotium, et vis ut loquar regi, sive principi militiae?* Apostolus Paulus memor erat benigni hospitii a Galatis recepti, sicque illis scribebat (Galat. 4 14): *Sicut Angelum Dei recepistis me, et si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi.* Ipsemet gratum se exhibens familiae Onesiphori, ob hospitalitatem sibi tributam, dixit (2 ad Timot. 1. 16): *Det Dominus misericordiam Onesiphori familiae, quae saepe me refrigerat, et catenam meam non erubuit.* Quodnam ergo gratiarum augmentum non habebit Joannes, ob hospitium desolatae Dominae in domo sua concessum?

Nunc inquirendum remanet, quomodo beatissima Virgo in domo Joannis tempus desolationis transegerit.

Tempus immediate subsequens interitum charorum, apud omnes ferme nationes in luctu transigitur. Huiusmodi luctus religiose servabatur ab Hebraeis, et tunc temporis omne doloris specimen exhibebant. In libro Ecclesiastici legimus (cap. 22. 10 etc.): *Supra mortuum plora, defecit enim lux eius... Modicum plora super mortuum, quoniam requievit*, et alibi (cap. 38 16): *Fili, in mortuum produc lacrymas... et fac luctum secundum meritum illius.*

Varios dolores et luctus gradus Rabbini distinguebant. Prioribus tribus diebus lacrymis et dolori omnes habenas laxari quisque permittebatur. Proximis diebus septem, a dolore aliquantulum temperandum erat. Si vero luctus ad mensem protraheretur, longe moderatior dolor erat exhibendus (vid. Calmet. Dictionar. ad verb. *luctus*). Huiusmodi luctus praecipue observabatur in vestibus, in more sedendi, in lecto, etc. Si igitur moderatus et ordinatus luctus res est sancta et laudabilis, procuidubio beatissima Virgo lucui indulsit post mortem Filii sui.

Doctissimus Calmet observat, quod pullus, sive obscurus color, adhibebatur ab Hebraeis in luctu. Solebant ea occasione indui sacco vel cilicio, nempe lanea, rudi et inculta veste, vel potius texta e pilis camelorum, seu caprae. In obitu tantum coniunctorum, vel in aliqua alia rerum domesticarum angustia huiusmodi vestes erant in usu. Quare non semel in sacris Scripturis luctum agentes exhibentur sacco accincti: sub qua *sacci* phrase aliud non designatur, nisi pulla, rudisque vestis, quae in cinguli formam tunicae seperimponebatur. In ea re usus feminarum non erat varius a virorum consuetudine. Mortuo Abner, David vestes luctuosas praescripsit omni populo, dicens (2. Reg. 3 31): *Accingimini saccis.*

In more erat etiam apud Hebraeos, quod in obitu coniunctorum propinqui scinderent proprias vestes, quemadmodum solebant etiam facere cum blasphemiam audiebant. Huiusmodi scissura fiebat a capite usque ad pectus, vel ad cingulum, et ad hoc alludebat Propheta Joel (cap. 2. v. 13), cum dicebat: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Pars inferior vestium non lacerabatur ob decentiam, ne partes verendae nudarentur; carebant enim femoralibus. Quod attinet ad vestium scissuram pro blasphemia, legimus in Evangelio, quod Caiphas, cum audisset Christum respondentem et adfirmantem se esse Filium Dei, *scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit* (Math. 26 65). Ex Rabbinorum doctrina scissionem vestium in obitu alienorum et extraneorum post triginta dies sarcire licebat; in obitu vero consanguineorum, vel affinium vestes scissae numquam sarciebantur, et pars rupta semper pendula portabatur (vid. Calmet dissert. de funerib. Hebraeor.). Mulieres viduae semper pullam vestem et cilicium adhibebant, uti liquet ex libro Genesis (cap. 38 v. 19), in quo Thamar exhibetur *induta viduitatis vestibus;* ex historia Iudith (cap. 10 v. 2), quae licet vestibus vidualibus indueretur omnibus diebus vitae suae, praeter sabbata et neomenias et festa domus Israel, tamen cum ad Assyriorum campum prodire debuit, *abstulit a se cilicium, et exuit se vestimentis viduitatis suae;* et tandem idem colligitur ex facto mulieris Thecuitae, cui Joab dixit (2. Reg. 14 2): *Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.* Porro vestes illae a luctuosis funebribusque non abludebant.

Hisce delibatis de moribus Hebraeorum, dico quod beatissima Virgo, quae proculdubio observantissima fuit legum et traditionum sui populi, etiam quoad hoc conformari debuit consuetudini, ac proinde in sua desolatione induere debuit pullam, seu obscuram vestem, ciliciоque se cingere. Doctissimus Pontifex Benedictus XIV (de Canonizat. Sanct. lib. 4 cap. 21 § 7) quaerit an permitti possit effigies Deiparae de Septem Doloribus cum habitu obscuro, quemadmodum solet repraesentari a Patribus Servitis. Post rationes expositas tum pro sententia negativa, tum pro adfirmativa, tandem concludit, quod Sacra Congregatio nihil decernere voluit. Verum, licet laudatus Pontifex a sua opinione aperte manifestanda abstineat, tamen quisquis facile videre potest, ipsum ad partem adfirmativam inclinare. Ego igitur existimo, quod si ipsa beatissima Virgo reliquo tempore vitae suae singularitatem vitavit, et ornata apparuit more ceterarum mulierum; in tempore etiam luctus obscuras, lugubres et viduales vestes induere debuit.

Num tempore luctus Hebraei calceamenta deponerent, nunc inquirendum est. Sunt qui tenent viros nudis omnino omni tegumento pedibus incedere, et non nisi in itinere calceis uti solere. Certum est, Deum praecepisse Moysi, quod dum Hebraei edere debebant agnum paschalem, calceamenta in pedibus habere deberent (Exod. 12 11). Quod si legimus, aliquos, ob peculiares circumstantias nudis pedibus incessisse, ex hac exceptione erui potest, quod ordinarie calceati incedebant. Sic legimus Davidem, dum filii sui Absalom perfidiam lugebat, nudis pedibus et ore velato ex urbe egressum. En verba sacri textus (2 Reg. 15. 30): *Porro David ascendebat clivum olivarum scandens et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite.* Legimus etiam, Judaeos, in die expiationis solemnis, et in funeribus, nudos habere debere pedes (vid. Buxtorf. Synag. cap. 35). Isaias a Deo iubetur, detractis calceis, positisque vestibus, vivam quamdam imaginem futurae captivitatis exhibere (Is. 20 2). Non ignoramus tandem, quod cum Moyses ardentem rubum spectavit (Exod. 3 5); cum Iosue Angelum circa Jerichuntem obvium habuit (Ios. 5. 15), utrique calceos detrahere iussi sunt. Alia exempla omittimus brevitatis ergo, et silentio praeterimus filium prodigum redeuntem ad patrem, inter alia, calceis donatum fuisse (Luc. 15 22): Joannem Baptistam, qui loquens de Christo dixit (Luc. 3 16): *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere;* et Petrum in carcere, cui Angelus dixit (Act. 12 8): *Solve calceamenta de pedibus tuis.* Haec de viris: quod attinet ad mulieres, videtur ipsas calceatas e domo prodire solere. Omissis aliis, tantum commemoramus sandalia Iudith, quae oculos Holofernis rapuerunt (Iudith. 16 11), et Sponsam Sacrorum Canticorum, cuius pulchritudo etiam in calceamentis admirata fuit (Cant. 7. 1.): *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!*

Sive autem de viris loquamur, sive de mulieribus Hebraeis, indubium est, ipsos in luctu, et dum poenitentiam agerent pro criminibus, consuevisse nudos habere pedes, uti patet ex Ezechiele (24 17), cui Deus interdixit deponere calceamenta, et alia praestare quae luctus tempore tunc fiebant. — In hoc igitur etiam, quemadmodum in reliquis, existimandum est, Deiparam secutam fuisse consuetudinem ceterarum Hebraearum mulierum; ac proinde in sua desolatione calceamenta deposuit. Adhaec, eodem tempore, aliorum more, habuit crines pectine non deductos, caput velatum, ungues non recisas, lectum incompositum, etc: sed de lectulo in sequenti capite loquemur.

Nunc inquirere praestat, an tempore praedicto desolata Deipara aliquem cibum sumpserit. — Solebant Hebraei convenire ad domum lugentis funus propinqui, seu amici, ut solatium aliquod illi afferrent: cibus lugenti afferebatur, ut vires personae desolatae reficerentur; eo magis quod probabiliter in aegritudine et agonia personae defunctae, illius propinquus, seu amicus

cibum non sumpserat. Huc spectare creditur locus Proverbiorum (31. 6): *Date siceram moerentibus, et vinum his qui amaro sunt animo; bibant et obliviscantur egestatis suae, et doloris sui non recordentur amplius* (intellige, donec vis vini remaneat-vid. Buxtorf. necnon Calmet in Ierem. 16 7. et in Iob. 4 18). Etiam in primis Ecclesiae saeculis celebrabantur convivia charitatis et amicitiae, quae *Agapes* nuncupabantur. Huiusmodi *Agapes* dividebantur praesertim in natalitias, nuptiales, et funerales (vide Macri, in Hierolex. ad verb. Agapes).

Nemo facile existimabit, divum Ioannem Evangelistam, beatissimam Virginem, suam hospitem, non reverenter rogasse ad se refocillandam aliquo cibo; et licet horrendus casus crucifixionis Christi, prout ego existimo, non permiserit eidem instruere *epulum funebre* alios invitando, tamen persuadere mihi non possum, quod ipse, negligendo hospitalitatis munia, non obtulerit Deiparae aliquam refectionem, pro suarum virium facultate. Verum, gustavit ne aliquid desolata illa Vidua?

De regio Psalte legimus, quod mortuo Abner, solemnissimisque exequiis eius cadaveri redditis, *cum venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die, iuravit David, dicens: Haec faciat mihi Deus, et haec addat, si ante occasum solis gustavero panem, vel aliud quidquam.* (2. Reg. 3 35). Doctissimus a Lapide (in hunc loc.) observat, quod tota civitas coegit David comedere, quia tota civitas cum eo luxit mortem Abner, ideoque *funebre convicium* instruxit. Verum, sicut David noluit ante solis occasum aliquam refectionem sumere, multo magis idem egisse credendum est beatissimam Virginem, quae in maxima desolatione reperiebatur. Ipsa igitur *panem lugentium* fortasse penitus non comedit, et de *calice consolationis*, quemadmodum illum dicebant, non bibit; vel si aliquod jentaculum gustavit in modico et discretissimo convivio luctus, id certe fecit, ut obtemperaret Ioanni, qui ad hoc illam coegit, sciendo quod a multo tempore ieiuna erat, et laboribus ac dolore extenuata. - David nuper laudatus, in funere Abner invitatus ad coenam luctus, respondit (2 Reg. 3 38): *Num ignoratis quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israel? Ego autem adhuc delicatus*; quasi diceret: quomodo ego tam delicatus ero, quod ad mensam audeam sedere, in tanto luctu? = Quid ergo dicere debuit beatissima Virgo? Proculdubio *fuerunt lacrymae eius panes die ac nocte, dum* ipsi dicebatur: *ubi est Deus tuus?* ubi est dilectissimus Filius, quem tu ipsa genuisti (Ps. 41. 4.)? Quod si ad mensam, facilis rogantibus tandem sedit, illud usurpare potuit: *Cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.*

De visitationibus factis desolatae Deiparae tempore luctus aliquid nunc dicendum superest, antequam finem huic capiti imponamus.

In more erat apud Hebraeos, quod propinqui defuncti inviserentur, ut solatium aliquod ipsis afferretur. Id spectare licet in historia filiorum Iacobi, qui patri necem filii sui Iosephi, quem a bestia voratum credidit, lugenti, solatium allaturi venerunt. En sacri textus verba (Genes. 37 35): *Congregatis autem cunctis liberis eius, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere.* Celebris est etiam expeditio legatorum consolatorum facta a Davide ad Regem Ammonitarum, ad condolendum de obitu patris eiusdem. En verba sacri textus (2. Reg 10 2): *Misit ergo David consolans eum per servos suos super patris interitu.* Similiter legimus, quod in luctu Iob, ob amissionem filiorum et omnis substantiae eius, *audientes tres amici omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo.. Condixerant enim, ut pariter venientes, visitarent eum et consolarentur. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in coelum, et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem.* Denique ex Evangelio Ioannis (cap. 11 v. 31) colligitur, quod propinqui et amici Lazari, audita ipsius morte, Bethaniam statim venerunt, viduatas fratre sorores Mariam et Martham solaturi.

Si ita se res habet, venerunt ne ad domum Ioannis personae, ut condolerent Virgini, et aliquam consolationem illi praeberent in sua desolatione? Divus Bonaventura id adfirmat, sicque factum narrat (in medit. vit. Chr. cap. 84). En eius verba: *Mane autem sabbati stabant in domo ianuis clausis Domina et aliae sociae una cum Ioanne, afflictae et dolorosae tamquam orphanae, et plenae moerore, non loquentes, sed memorantes. Sedebant simul, aspicientes se mutuo raptim, sicut contingere consuevit magna pressura et calamitate gravatis. Pulsatum autem fuit ad ostium, et timebant, quia omnia timuerunt; securitas enim eorum discesserat. Tamen Joannes ibat ad ostium, et aspiciens cognovit Petrum et dixit: Petrus est. Et Domina: aperias ei. Ingreditur igitur Petrus verecunde cum singultibus magnis et fletibus, et tunc omnes plorare coeperunt, nec verbum loqui poterant prae moerore. Postea veniunt successim et alii discipuli etiam plorantes. Tandem cessantes a fletu, incipiunt de Domino suo loqui. Dicit ergo Petrus: Ego verecundor in meipso, nec deberem in conspectu vestro loqui, vel hominibus apparere, quia Dominum meum, qui me tanti diligebat, sic reliqui et negavi. Similiter et alii cum percussione palmarum, lacrymarumque effusione seipsos redarguebant, quia Dominum suum dulcissimum sic reliquerant. Tunc dicit Domina: Magister bonus, et Pastor fidelis recessit a nobis, et nos remansimus velut orphani: sed spero firmiter, quod nos rehabebimus ipsum, et vos scitis, quia benignus est Filius meus, et vos multum diligebat. Non dubitetis, quia bene reconciliabitur, et libenter remittet omnem offensam sive culpam. Tantus autem fuit, permissione Patris, furor contra eum, et ita praevaluit malorum audacia, quod non potuissetis eum iuvare, etiam existentes cum eo; et ideo nolite turbari. Respondit Petrus: Vere, Domina mea, ita est, ut dicis; nam et ego, qui tantum initia vidi, tanto fui timore percussus in atrio Caiphae, quod vix credebam me posse evadere, et cum negavi. Nec fui memor verborum, quibus hoc praedixerat mihi, quousque me respexit. Tunc Magdalena quaerit quid ei praedixerat; et respondit de negatione, et narrat ei totum, et addit, quod eis alia plura dixit in coena de passione sua. Tunc dicit Domina: Vellem audire de his, quae dicta et facta fuerunt in coena per eum. Et Petrus annuit Joanni, ut ipse referat. Joannes vero incipit et narrat totum, et sic tam de his, quam aliis, quae fecit Dominus Jesus cum eis, narrant ad invicem, modo unus, modo alius, et sic totam diem de ipso sermocinando percurrunt. O quam attente auscultabat Magdalena, sed multum attentius ipsa Domina! O quoties in ipsa die dicebat in narratione gestorum: Benedictus sit Filius meus Jesus!* = Haec divus Bonaventura, qui profecto non est pia quaedam muliercula, sed Doctor profundissimae scientiae. De cetero, quae ab ipso meditative narrantur, nihil profecto inverisimile exhibent; imo ratio persuadet, quod revera res sic evenerint.

Supradictae patheticae descriptioni Seraphici Doctoris, unum addendum puto. Existimo igitur quod Deipara benedicta, quae praecedenti die fortasse inquirere non potuit de Iudae proditione, in sua desolatione interrogaverit Petrum ceterosque Apostolos de hoc. Postquam igitur de omnibus edocta fuit, scilicet de Iesu praedictione in ultima coena: de Iuda qui ausus fuit respondere: *Numquid ego sum, Rabbi?*; de lotione pedum et communione Sacrae Eucharistiae eidem Judae facta; necnon de modo quo ad hortum venit ille proditor, ac de signo, quo per osculum complevit homicidium, sive potius Deicidium: tandem, cum, post haec omnia audivit Deipara, Iudam in se reversum, agnovisse suam culpam et dixisse: *Peccavi tradens sanguinem iustum*; sed, hoc non obstante, desperatum, in fine laqueo se suspendisse; ex hac narratione puto, quod illa Mater clementiae et pietatis multum commoveri debuit, et summopere tristari, eo quod tunc amplius non poterat Iudam iuvare, ei impetrando veniam suae iniquitatis, quemadmodum profecto fecisset, si Iudas adhuc vixisset, et de divina misericordia non desperasset.

Haec de Apostolis.— Potuerunt insuper alii noti, seu amici Mariam invisere tempore sui luctus et desolationis. Venerunt probabiliter Ioseph et Nicodemus; venerunt alii discipuli et piae mulieres. Potuerunt etiam illam visitare Centurio, et alii, qui, cum antea essent Christo inimici, post eius mortem in Ierusalem *revertabantur percutientes pectora sua.* Certo certius omnes loquebantur de virtutibus, beneficentia, ac miraculis Christi, et de circumstantiis suam passionem comitantibus. Beatissima autem Virgo profecto, utpote humillima et dulcissima, nullum abiecit: nemo Isaiae verba ab ea audivit (cap. 22 v. 4): *Recedite a me, amare flebo; nolite incumbere ut consolemini me*: nemini ad Deiparam venienti Ioannes verba Elisaei ad Giezi, circa mulierem Sunamitem, dixit (4 Reg. 4 27): *Dimitte illam; anima enim eius in amaritudine est.* Omnibus patuit et patebit semper accessus ad eam; praesertim postquam ipsa facta fuit omnium Mater: et si aliqui voluissent quosdam expellere aut removere, ipsis proculdubio dulcissima Virgo verba Filii sui dixisset (Marc. 10 14): *Sinite.. venire ad me, et ne prohibueritis eos.*

Adeamus ergo et nos ad eam, ut in sua desolatione ipsam consolari aliquo modo possimus. *Ad hunc misericordiae cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat* (div. Bernard. serm. 4 de Assumpt.). Quisque nostrum ex corde illi dicat: O dulcissima Virgo, *fac ut tecum lugeam... Fac me tecum pie flere.* - O vulnerata Domina, vulnera corda nostra.

## VI.

### *Diu noctuque desolatae Virginis menti in domo Ioannis semper passio Christi obversatur.*

Quemadmodum in circulo omnes radii ad centrum convergunt, sic Deiparae cogitationes omnes a cogitatione Filii sui veluti absorbebantur. Anima, quae Deum diligit, quocumque se vertat Deum invenit: invenit illum si aspicit solem, in quo Deus posuit tabernaculum suum; si lunam considerat, quae est scabellum pedum eius; si ad maria, ad arbores, ad volucres, ad universa germinantia se convertat: brevi, per omnia visibilia ad considerationem Dei invisibilis velut attrahitur. Apostolus Paulus (ad Rom. 1. 20) ad rem inquit: *Invisibilia ipsius* (nempe Dei) *a creatura, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* Re quidem vera, per discursum, ex creaturis homo elevari potest ad cognoscendum, saltem imperfecte, Deum: unde in libro Sapientiae legimus (13. 5): *A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Hinc divus Augustinus exclamabat saepe ad Deum (enarrat. in Ps. 145): *Coelum et terra, et omnia dicunt mihi, ut amem te* (vid. insign. opuscul. Card. Bellarmini: *Scala coeli*; necnon opusculum S. Alphonsi de Ligorio, cui titulus: *Modo di conversare con Dio* § 32). Benedicta Virgo, plus quam omnes Angeli et ho-

mines simul sumpti, dilexit Christum, qui cum esset Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, erat etiam verissimo dulcissimus Filius suus; consubstantialis quidem Patri secundum divinitatem, sed consubstantialis sibi Matri secundum humanitatem. Ex quo igitur ipsa Mater Christi facta fuit, semper omnes affectus cordis sui, et suae mentis cogitationes ad ipsum Filium suum directae fuerunt. Sed quis ignorat, quod in absentia obiecti amati amans experitur in corde suo vehementissimum desiderium illius? Ex quo igitur Deipara Filium amisit, ipsiusque cadaver in sepulchro tumulatum fuit, omnes sui materni cordis affectus, mentisque cogitationes, veluti absorptae fuerant ab una Nati sui cogitatione, et ne momentum fuit quidem, in quo de illo non occuparetur.

In vigilia et diurno tempore, quidquid probabiliter fecerint Ioannes et alii, qui ad ipsam invisendam convenerunt, ut animum desolatum Deiparae avocarent a lugubri cura, in qua demersum reperiebatur, incassum rediit. Exordiebantur fortasse sermones de diversa re, quamvis alias sancta, et sensim ac sine sensu, ad praevalens argumentum de Christo defuncto deducebantur; nam ubi thesaurus, ibi cor: et ex abundantia cordis os loquitur.

Verum, quoniam iam in praecedenti capite aliquid tetigimus de diurnis occupationibus Virginis benedictae tempore suae desolationis, cum locuti fuimus de lugubri vestitu, de cibis, deque personis ipsam visitantibus, operae pretium est, ut in praesentiarum ipsam consideremus in tempore, in quo sola domi remansit, et praesertim nocturno tempore.

Iam totum tempus desolationis quodammodo nox dici potest pro benedicta Virgine; nox, inquam, tum quia tempus calamitatis et tribulationis nocti assimilatur; tum quia sol aeternae iustitiae, idest Christus Dominus occiderat. Doctus Sacrorum librorum commentator, nomine Sylveira (in Evang. lib. 8. cap. 22, quaest. 6), exponens illa verba Canticorum: *Per noctes quaesivi quem diligit anima mea*, sic dicit: *Quare solum in nocte, et non etiam per dies?. Tantus erat dolor Deiparae de morte Filii, ut diem verteret in noctem.* Interea sicut nos, cum sol ad occasum vergit in polo arctico, saepe animo perpendimus, quod oritur in polo antarctico; sic beata Virgo, dum de absentia Filii sui a se tristabatur, cogitabat ipsum iam ad inferos descendisse, et Patribus a tot saeculis expectantibus incredibile gaudium attulisse. Si autem Mater Sisarae, nesciens, filium suum occisum esse, dicebat (Iudic. 5 30): *Forsitan nunc dividit spolia*, Deipara Virgo potiori iure, dum ex una parte desolata erat ob mortem dulcissimi Filii sui, ex altera vero parte ex fide et revelatione poterat praedicta verba usurpare, et de Iesu dicere: *Nunc dividit spolia.*

Quando Deipara, dum nox medium cursum perageret, Filium suum in Bethleemitica specu peperit, potuit assumere verba Regii Psaltis (Ps. 138 v. 11): *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Sed ehu! quam diversae ab illa nocte fuerunt noctes eius desolationis! De his postremis noctibus adhiberi possunt de inclyta Deiparente illa Ieremiae verba (Thren 1. 2): *Plorans ploravit in nocte.* - Ipsa potuit etiam assumere verba Isaiae (cap. 26 v. 9): *Anima mea desideravit te* (Filium meum) *in nocte*; necnon alia Canticorum (cap. 3 v. 1): *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea: quaesivi illum et non inveni*; et tandem illud Psalmi (Ps. 16 v. 3): *Probasti cor meum, et visitasti nocte.*

Nunc, quoniam de noctibus desolatae Deiparae Virginis loquimur, abs re non erit inquirere an dormierit, et an in somno interrupti fuerint dolores cordis eius ob Filii amissionem. - Angelicus doctor divus Thomas, loquendo de nostris primis parentibus, dicit (1 p. q. 94 art. 4 ad 4): *Homo in statu innocentiae comedisset, et per consequens dormivisset*; et paulo inferius (1 p. quaest. 67 art. 2 ad 2) subiungit: *Sentire et dormire non removent hominem a naturali dispositione, sed ad bonum naturae ordinantur*; denique (2. dist. 19. q. 1. art. 3. ad 3) dicit: *Secundum quosdam, homo in primo statu non dormivisset... sed probabilius videtur, ut ex quo vitam animalem habebat, ea quae talem vitam consequuntur, sibi non deessent. Somnus autem quandoque provenit ex causa naturali, sicut ex vaporatione alimenti, vel ex humiditate cerebri, ut in prima aetate; et sic videtur utraque de causa potuisse esse somnum in primo statu.* = Indubium est quod in libro Genesis legimus (cap. 2. v. 21): *Immisit Dominus soporem in Adam.* An vero pro sopore intelligi debeat ecstasis, vel somnus verus ac naturalis, litigant sacrorum librorum expositores: sed cum in textu hebraeo legatur *Tardema*, idest gravem et profundum somnum, nos cum doctissimo theologo Francisco Suarez dicimus, quod pro verbo *soporem* intelligi debeat verus somnus corporalis, quamvis in memorato nostro primo parente fuerit etiam spiritualis. Re quidem vera, si in statu innocentiae homo ad conservandam vitam immortalem indigebat cibo fructus a Deo ad hoc designati, quid mirum quod indiguerit etiam somno? Nisi igitur in somno verificetur aliquis excessus, ipse non est defectus aut imperfectio. Hoc posito, nemo in dubium vertet, Deiparam Virginem tempore vitae suae dormivisse, quamvis fuerit peccati expers: et quemadmodum cibo, ita etiam et somno ipsa indiguit. Sed dormivit ne in duabus noctibus suae desolationis?... et posito quod dormierit, interruptus ne et suspensus remansit per somnum profundissimus dolor cordis sui?

Ex una parte videtur, quod somnus recedere debuerit ab oculis eius. De Assuero rege legimus (Esth. 6. 1), quod quando Aman patibulum Mardochaeo paraverat, ipse, ob animi praeoccupationem, *noctem illam duxit insomnem.* Narrant insuper sacrae historiae de Dario rege, quod cum aegre Danielem includi permiserit in lacum leonum, *abiit in domum suam, et dormivit incoenatus.... insuper et somnus recessit ab eo.* = Deipara igitur profundissimo dolore in corde sauciata ob crudelissimam Filii sui mortem, ac eius tumulationem, potuisset non dormire in illis duabus noctibus, in quibus Christi corpus in sepulchro iacebat, et somnus recedere ab ea.



Ex alia parte nonnulla argumenta inducunt ad cogitandum quod eadem Sanctissima Virgo dormierit in noctibus suae desolationis. = 1. Quamvis profundissimus fuerit dolor cordis eius, tamen ipsa divinae voluntati fuit obsequentissima. Cum autem divina providentia, uti observat doctissimus a Lapide (in cap. 20 Prov. v. 13), oculos hominis, inter alia, ad somnum capessendum statis horis destinaverit; videtur quod eadem Sanctissima Virgo, absque necessitate ab hoc divinae providentiae instituto non deflexerit, ac proinde quod somnum coeperit. = 2. ordinarie loquendo, qui vitam bene ordinatam ducunt, discrete dormire solent; cum ex opposito intemperantes et qui habenas laxant passionibus, in vigilias incidunt, et noctes ducunt insomnes: ideo in libro Ecclesiastici legimus (cap. 21 v. 24): *Somnus sanitatis in homine parco; dormiet usque mane, et anima illius delectabitur* (vide Commentatores hui. text. et praecipue a Lapide). Cum autem in beatissima Virgine omnia fuerint ordinata, sequitur quod statis horis, pro naturae conditione dormire debuerit. - 3. Non solum experientia, sed gravissimi etiam auctores docent, quod labor, defatigatio et moeror animi ad somnum inducunt. In libro Ecclesiastici legimus (cap. 5. v. 2): *Multas curas sequuntur somnia*; et paulo inferius (eod. cap. v. 11): *dulcis est somnus operanti.* Quis ignorat, quod homines post multos labores facilius et profundius dormiunt? De Elia scimus, quod cum pergeret in deserto, fugiens Iezabelem, et sederet subter iuniperum, obdormivit (3 Reg. 19 5). Unde divus Basilius (ap. Ant. in Mel. p. 1. cap. 42) inquit: *Gratias age illi, qui nos mirabiliter per somnum ab assiduis laboribus recreat, et modicae quietis beneficio rursus ad vigorem virium reducit.* Sed quid refero sacras auctoritates, cum etiam prophani scriptores idipsum testati sint? Ipse Romanus orator Cicero (lib. 2 de divinat.) inquit: *Somnus est omnium laborum perfugium.* - Ovidius (lib. 2. Metam.) subiungit:

*Somne quies rerum, placidissime somne deorum,*
*Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris*
*Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.*

et tandem Claudianus (*in rapt. Proserp.*) inquit:

*Omnia quae sensu volvuntur vota diurno,*
*Tempore nocturno reddit amica quies.*

Insuper moeror et afflictio animi ad somnum inducit; *moeror enim*, inquit a Lapide (in Io 1. 5), *parit somnum; somnus vero moerorem deprimit.* Hinc doctissimus Calmet exponens somnum Ionae, dum navis, in qua ipse erat, ob tempestatem periclitabatur, dicit (in Io: 1 5): *Ionas dormiebat sopore gravi, quem lassitudo, labor, seu dolor moerorque pepererant; uti Apostolis in horto Gethsemani usu venit.* Ex experientia enim constat, quod tristes et melancholici proniores sunt ad dormiendum; et contra qui in immoderata laetitia reperiuntur, in vigilias incidunt, et saepe insomnes ducunt noctes. Cum igitur beatissima Virgo multum defatigata esse debuerit ob labores praecedentis diei; cumque in maxima desolatione et moerore reperiretur, existimandum est ipsam aliquantum dormire debuisse. - 4. Denique notandum est, quod Deipara benedicta probabiliter noctem praecedentem insomnem duxerit, quodque cum reperiretur in domo Magdalenae, uti adfirmat divus Bonaventura, statim ac per Ioannem certa facta fuit de Christi comprehensione, illico coepit per diversa tribunalia ipsum sequi. Non videtur igitur verisimile, quod post noctem praecedentem transactam absque somno, etiam secundam et tertiam, absque ulla rationabili causa, insomnem similiter transegerit. Ex adductis ergo rationibus videtur concludi posse, quod in noctibus desolationis probabiliter Deipara dormierit; eo magis, quod si ipsa Ioannis hortatu *parumper comedit*, uti adfirmat divus Bonaventura (in medit. de vit Chr. cap. 83 circ. fin.), existimandum est, quod etiam aliquantum dormierit.

Nemo heic mirabitur si ob argumenti affinitatem quaestionem instituimus, an in lectulo eadem Deipara Virgo in triduo suae desolationis dormierit. Ante quaestionis enodationem, abs re non erit observare, quod in Sacris Scripturis non semel mentio fit de lectis seu cubilibus. Iacob in lecto decumbens benedictionem filiis impertitus fuit (Genes. 47 31); David exhibetur in lectulo suo moriens (2 Reg. 1 47): Holofernes a Iudith in lectulo suo occisus fuit (Iudith 13 8), etc. Huiusmodi lectuli apud Hebraeos quadruplicis erant generis. 1. Aderant lectuli, seu thalami nuptiales, qui pro personarum conditione magis minusve pretiosi esse solebant, quemadmodum ex sacro Canticorum libro colligimus, ubi legimus (cap. 3 v. 9): *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* 2. Aderant lectuli convivales, qui etiam plus, minusve pretiosi esse solebant. In magnifico illo convivio, quod paravit Assuerus rex tertio anno imperii sui, *lectuli aurei et argentei super pavimentum smaragdino et pario stratum lapide dispositi erant; quod mira varietate pictura decorabat* (Hesth. 1. 6). Omnibus notum esse arbitramur, quod Judaei accumbebant mensae in triclinio paratae, strati in lectis, reclinantes superiorem partem corporis in cubitum sinistrum, inferiorem vero in longum porrigentes, et in iisdem lectis iacentes, capite leviter erecto, et dorso a pulvillis modice suffulto. In singulis

autem lectis accumbebant terni vel quaterni; ita ut qui secundo loco accumbebat caput ad primi accumbentis pectus obversum haberet, pedes vero iuxta tertio loco accumbentem; et sic de singulis. Hinc facile intelligitur quomodo praedilectus Apostolus divus Joannes in postrema coena supra pectus Christi Domini recubuerit; et quomodo S. Maria Magdalene Christi ad mensam accumbentis in domo Simonis pedes retro, sive post eum stans, lavare, et capillis capitis sui abstergere potuerit ( vid. Calmet. dissert. de re cibar. Hebraeor; Glaire, Antiquit. Hebr; Lamy, Apparat. bibl. lib. 1 cap. 14 etc.). - 3 Insuper aderat *grabatum*, qui, uti ait Sypontinus, erat exiguus lectus, in quo meridiari solebat, et facile portari poterat. De huiusmodi *grabato* sermo est apud divum Marcum ( cap. 2 v. 4 ), apud divum Joannem (5. 8), in Actis Apostolorum, etc. - 4. Denique aderant lectuli, seu thalami communes ad dormiendum. Nos heic non de lectulis nuptialibus, non de convivalibus, non de *grabatis*, sed de lectulis destinatis ad dormiendum loquimur. Nihil peculiare de hac re dicendum occurrit, nisi quod Hebraei tempore luctus solebant lectulos habere incompositos (vid. Calmet, de luct. Hebraeor.).

In domo Joannis, et ipsius hortatu, ac precibus, beatissimam Virginem recubuisse in aliquo lectulo, mihi persuadeo, imo pro certo habeo. Defatigata in delicatissimis membris ob iter illius diei huc illuc, et usque ad Calvariae montem; ob plurium horarum demorationem iuxta Crucem, absque eo quod sederet; ob aliam viam quam percurrere debuit usque ad locum sepulchri; ac tandem ob regressum in Jerusalem, et incommoda multa quae pati debuit, ac insuper ob profundissimum dolorem, quo in corde sauciata erat, indiguit profecto, ut requiem aliquam sibi indulgeret. Verum doctissimus a Lapide (in Genes. 28 11), exponens factum patriarchae Jacob, *qui tulit de lapidibus, qui iacebant et supponens capiti suo dormivit in eodem loco, viditque in somnis scalam*, observat, quod coeli aulicos, uti erat Jacob, durus lectus, durus victus, omnia dura decent. Idem etiam, praeter alia innumera exempla, scimus de Elia, qui super nudam terram et sub umbra iuniperi lassus et defatigatus dormivit ( 3 Reg. 19 5. ), et de ipso Christo, qui in navicula dormiebat ( Matth. 8. 24 ). Igitur Beatissima Virgo, quae semper pauperem, et humilem vitam duxit, quaeque toto tempore, quod in antro Bethleemitico transegit, verisimiliter super stramen dormire debuit, in domo Ioannis pauperem, et incompositum, qualis in luctu decebat, habuit lectulum. In huiusmodi autem lectulo decumbens ipsa dicere potuit cum Regio Psalte (Ps.4 9): *Dormiam et requiescam, quoniam, tu Domine, singulariter in spe constituisti me.* Negari enim non potest quod Deipara Virgo non solum spem, sed certitudinem habuit resurrectionis filii sui Iesu: *singulariter in spe constituisti me*: sed haec praescientia nequaquam acerbitatem profundissimi doloris sui minuit, quia ex eo quod Christus resurgere debebat, non poterant destrui et annihilari dolores et ignominiae passionis et mortis praecedenter toleratae; et ex alia parte Deipara iam orbata remanebat dulcissima Iesu praesentia. Ad rem mellifluus Claraevallensis Abbas inquit (serm. de 12. stellis): *Sed forte quis dicat: Numquid non cum praescierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fideliter. Super haec doluit crucifixum? et vehementer.*

Nunc inquirere praestat, an in desolatione, tempore somni interruptus fuerit dolor eiusdem Virginis benedictae.

In dubium verti nequit, quod in somno ligatae remanent omnes animae rationalis et sensitivae vires, adeo ut eo tempore nihil intelligitur, nihil sentitur; et idcirco, ordinarie loquendo, nec mereri possumus, nec demereri. His positis, videtur prima fronte quod si Deipara dormivit, in somno interruptus et suspensus mansit profundissimus eius dolor. Nihilominus gravissimi auctores docent, beatissimam Virginem somno non fuisse impeditam, quominus actuali amore in Deum tenderet; ac proinde non fuit interruptus dolor ob amissionem Filii iam defuncti, qui dolor erat tantus, quantus eius amor.

Divus Augustinus ( lib. 5 contr. Iulian. cap. 9 ) inquit: *Tam felicia erant somnia dormientium in statu innocentiae, quam vita vigilantium* in statu naturae corruptae. Si ergo hoc dici potest de somno in statu naturae innocentis, nos a fortiori idipsum adfirmare possumus de beatissima Virgine, quae proculdubio in suo statu cumulata fuit maioribus donis et gratiis, quam ipsi primi parentes statim ac conditi fuerunt.

Celeberrima sunt verba Sacri Canticorum libri, quibus Sponsa dicit (cap. 5. v. 2): *Ego dormio et cor meum vigilat.* Haec optime beatae Virgini aptantur, quae etiam dum necessitate naturae dormiebat, corde tamen vigilabat. Per diem enim tanto fervore rapiebatur ad divina meditanda, et ad continuos amoris erga Deum actus, ut eosdem dormiendo et somniando iteraret; imo, ut illi modicum eius somnum crebro abrumperent. Adhaec multi probabiliter opinantur, beatam Virginem, sopitis inter dormiendum sensibus, per singulare Dei donum mentem habuisse solutam et vigilantem, adeo ut liberos actus eliceret, ac in ardentis orationis et amoris suspiria erumperet; hoc enim praecise significant memorata verba: *Ego dormio, et cor meum vigilat*; et nulli fidelium ita proprie competunt, quemadmodum beatae Virgini, uti recte explicat Rupertus Abbas ( lib. 5 in Cantic. ): *Multarum*, inquit, *animarum fuit et est, non solum secundum illam similitudinem otio sancto dormire, idest a terrenis curis vacare, et in coelestibus per contemplationem corde vigilare; verum etiam eodem modo quo et Iacob tunc dormivit, secundum corpus dormire, et secundum animam per somnium coelestia videre.. Sed, o Tu, coelum Dei, unica sedes Domini, in utroque vigilantiae modo cunctis mortalibus, sive terrenis hominibus, longe eminentior extitisti.* Divus Ambrosius, longe ante memoratum Rupertum, idem dixerat de Deipara Virgine ( lib. 2. de Virg. ). En eius verba: *Dormire, non prius cupiditas, quam necessitas fuit, et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat.* Idipsum adfirmat divus Bernardus ( tom. 2. serm. 51. §. 1. e 2 ): *Somnus*, inquit, *qui abyssat et sepelit in nobis rationis et liberi arbitrii actus, et per consequens actum merendi, non credo, quod talia in Virgine fuerit operatus.. Unde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam unquam fuerit aliquis alius dum vigilavit.* Non dissimiliter docent Dionysius Carthusianus, Albertus Magnus, S. Antoninus, S. Bernardinus Senensis, Beatus Petrus Canisius, et alii videndi apud celeberrimum theologum Suarez ( 3. p. quaest. 37. art. 4 disp. 18 sect. 2. sub fin ), qui id probat 1.° quia Adae et Evae id concessum docet S. Augustinus (lib. 1. cont. Iulian, c. 9.) dicens: *Tam felicia erant somnia dormientium, quam vita vigilantium*: 2. quia Angeli ex quo in primo instanti suae creationis conversi sunt in Deum, numquam ab actuali illius amore cessarunt; ergo multo magis id credi potest de Angelorum regina: 3. quia beatae Virgini data fuit scientia per se infusa, qua uti posset sine conversione ad phantasmata: quare etiam noctu dormiens, sopita phantasia, illa uti potuit.

His praelibatis, facillime concludi potest, quod si benedicta Virgo in somno non interrumpebat actus suae charitatis et amoris erga Deum; a pari verisimiliter, dum ex necessitate naturae dormivit in duabus noctibus suae desolationis, non fuit suspensus profundissimus dolor cordis eius; unde ipsa dicere poterat quod legimus apud Climacum (Grad. 30): *Ego propter naturae necessitatem dormio, sed cor meum propter amoris copiam vigilat*: vel, quamadmodum dicit doctissimus a Lapide (in 5 cap. Cant. v. 2): *Ego noctu dormio, sed cor meum, idest imaginatio et mens mea, semper vigilat, quia semper cor mentemque meam unit amor, desiderium et memoriam Dilecti.... quare dormiens... vigilo, idest cogito et somnio de ipso.*

Nos nuper exposuimus sententiam Francisci Suarez, qui docet, quod benedicta Virgo ob scientiam infusam, qua praedita fuit, opus non habuit conversione ad phantasmata; quare noctu etiam dormiens, sopita phantasia, poterat de Deo occupari. — Verum, quamvis, adhaerendo sententiae huius doctissimi theologi, dicamus Deiparam phantasmatibus absolute non indiguisse, nemo tamen vetat adfirmare, quod eius phantasia, utpote a dominio ipsius plene dependens, potuit ipsam mirifice adiuvare, ut de dilecto suo Filio cogitaret, aut etiam dormiens, de illo somniaret. Angelicus Doctor in sua theologica Summa non semel de hominis phantasia disserit; et laudatus Suarez, illius vestigiis insistendo, docet (vid. Suarez de orat. ment. et elevat. cap. 14 etc. ), quod huiusmodi phantasia distincta est ab intellectu humano. Nos existimamus quod phantasia non solum in vigilia, sed etiam in somno operetur in homine. Non erit inutile pervolvere Benedictum XIV (de Canonn. lib. 4 part. 1. cap. ult.), necnon opusculum Ludovici Ant. Muratorii, cui titulus DELLA FORZA DELLA FANTASIA UMANA, ut ex principiis ab illis statutis possit deduci quomodo phantasia beatissimae Virginis operari potuerit, praesertim in triduo suae desolationis. Sed propius ad argumentum venientes, P. Virgilius Sedlmayr (in sua Scholastic. Marian. quaest. 11. art. 6 ) quaerit, *utrum phantasia beatae Virginis fuerit ita ordinata, ut omnibus insomniis inordinatis caruerit.* Laudatus auctor observat, insomnia quadruplicis esse generis, nempe divina, daemoniaca, naturalia et animalia: deinde ponderosis argumentis demonstrat, 1. Deiparam Virginem non potuisse pati insomnia orta ex tentatione vel illusione daemonis: 2. eidem repugnare insomnia naturalia orta ex quacumque intemperie: 3. ipsam pati nequidem potuisse insomnia animalia, de se falsa et deceptoria. Restat igitur quod potuerit habere tantum insomnia divina, vel etiam naturalia non orta ex intemperamento aliquo; et denique etiam animalia de rebus piis ac sacris.

Re quidem vera in libro Numerorum (cap. 12. v. 6) legimus: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*; et, ceteris omissis, nemo ignorat somnia antiqui Iosephi Patriarchae (Genes. 48), qui propterea dictus fuit a fratribus *somniator*; necnon somnia trium Magorum, qui, dum dormiebant, ab Angelo moniti fuerunt, ne redirent ad Herodem (Matth. 2 13); ac tandem somnia divi Iosephi, Sponsi beatissimae Virginis, qui per Angelum iussus fuit fugere in Aegyptum ad declinandam Herodianam persecutionem, et deinde, illo mortuo, redire in Galilaeam etc. — Potuit ergo beatissima Virgo, praesertim in triduo desolationis, habere eiusmodi somnia, quemadmodum habere potuit somnia animalia, de se pia ac sacra (vid. Medin. in 3. p. quaest. 13 a 3); cum haec dicantur illa, quae nascuntur ex speciebus per diem acceptis, quae in b. Virgine nonnisi de rebus sacris et honestissimis fuerunt. Ipsa fuit etiam immunis a deceptione per sensus in naturali suo modo cognoscendi, nam ita fuit omnigenis scientiis sibi convenientibus instructa, ut omne iudicium falsum evitare potuerit ( vid. Vega Theol. Marian. n. 806).

His praelibatis, dico, quod in triduo desolationis Sanctissima Deiparens, dum vigilabat, semper eius intellectui et phantasiae obversabatur Filius suus Iesus; et dum dormiebat, etiam in suis somniis nihil aliud videbat nisi Filium suum.

Nec tristitia, quae ex huiusmodi somniis aut ex phantasmatibus in Virgine oriebatur; quamvis vehementissimo sensu apprehensa,

fuit ullo modo inordinata, quia ipsa apprehensio in ea erat rectae rationi ordinatissime subiecta, et ab ea directa. Idem dicendum est de doloribus, quos eadem, veluti Martyrum regina, perpessa est; nam ex iis nequaquam dissoluta fuit humorum temperies ex parte virginei et bene ordinati sui corporis; nec eius phantasia, aut aliae animi sui potentiae fuerunt ullo modo deordinatae.

Sive igitur diurno, sive nocturno tempore; quemadmodum in vigilia, ita et in somno, dolentissima Virgo semper de Filio suo dulcissimo cogitavit. Praesertim *plorans ploravit in nocte*, quando cuncta silebant. Si naturae necessitas, et memororum defatigatio illam dormire cogebat, in somnis videbat proditionem, tribunalia, flagella, spinas, crucem etc. - Quando somnus ab oculis eius recedebat, quocumque se in illis tenebris verteret, Filium aspicere videbatur, et veluti cum illo conversabatur.

De muliere forte legimus in sacro Proverbiorum libro haec verba (cap.31 v.18): *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Non desunt permulti gravissimi auctores, qui putant memorata verba sic intelligenda esse, nempe, quod mortuo Christo, in toto triduo desolationis, quod comparari potest obscurae et tenebrosae nocti, lucerna fidei accensa manserit in sola Deipara Virgine. Inter eos adnumerantur S. Bonaventura (in Medit. de vit. Chr. cap. 4), S. Thomas (opusc. 4 de dec. praec.), Alexander Alensis (3. p. quaest. ult. § 2), etc. etc. (vide Sedlmayr, Scholast. Marian. pars. 4 Sect. 1 art. 8). Nos hanc quaestionem definire nolumus, quae hinc inde patronos habet: imo, si nostram sententiam dicere debemus, potius in ea opinione sumus, quod Apostoli non amiserint praecise fidem, sed quod non habuerint animi fortitudinem necessariam ad illam profitendam: quoad Ioannem vero, a fortiori argumentum viget. - Potuit insuper eadem fidei lucerna manere accensa in aliis, puta in piis mulieribus, et in iis qui reversi fuerunt *percutientes pectora sua.* Attamen, quidquid sit de aliis, de beatissima Virgine hoc pro certo et absque ulla dubitatione pronunciamus, quod mystica fidei lucerna in ipsa accensa et vivida tunc temporis et semper mansit.

Sed quid vidit desolata Deipara huius lucernae lumine in toto illo tenebroso triduo? Profecto, quoniam *lucerna eius erat Agnus* (Apoc. 21. 23), semper et absque ulla vel minima interruptione ipse Agnus immaculatus ei praesens fuit. - Divus Bernardus loquendo de divo Ioanne Baptista, de quo scriptum est: *Ipse erat lucerna ardens et lucens* (Io 5 35), dicit, quod illa lucerna ardebat et lucebat tripliciter (d. Bern. serm. 983 in nativ. S. Io. Bapt. tom. 2. pag. 397 edit. Mign.). Deipara Virgo, lumine lucernae suae, scilicet Agni immaculati, quid vidit? Tria vidit, nempe 1. id quod Iesus erat, 2. id quod Iesus fecerat 3. id quod Iesus passus fuerat.

1. Dixi quod Deiparae menti et phantasiae indesinenter et absque ulla interruptione obversabatur quod Iesus erat, nempe Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Considerabat eius misericordiam, dum propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelo, et incarnatus fuit in eius utero virginali: considerabat quod ipse erat sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, *et excelsior coelis.*

2. Videbat omnia quae Iesus fecerat. *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui;* ipse liberavit multos oppressos a daemonio; omnibus infirmis ad ipsum recurrentibus sanitatem restituit, et ipsos mortuos ad vitam revocavit: brevi; *pertransiit benefaciendo et sanando omnes.*

3. Denique Deiparae phantasiae obversabantur omnia quae Filius suus passus fuerat, incipiendo a tempore incarnationis, usque ad tumulationem: videbat incommoda adstrictionis in suo utero virginali, poenas itinerum ab ipsa susceptorum, dolorem circumcisionis, fugam in Aegypto, labores vitae privatae, sudores ab eo sparsos in peregrinationibus, dum huc illuc gradiebatur ad evangelium praedicandum. Videbat Deipara contradictiones, persecutiones, odia, invidiam; videbat Iudae proditionem, sudorem sanguineum in horto, comprehensionem et deductionem ad diversa tribunalia, flagellationem, coronationem, etc. Horum omnium claram et distinctam memoriam Deipara semper habebat, et dicere potuit (Ps. 41 5) *Haec recordata sum, et effudi in me animam meam.* - To *haec* ad tria pariter referri potest, nempe 1. ad inimicorum odium 2. ad Filii cruciatus et patientiam 3. ad Patris aeterni severitatem.

Dum autem eadem Sanctissima Deipara forte aliquantulum in triduo saepe memorato dormiebat, existimo quod in somniis suis nihil aliud viderit nisi funes, flagella, spinas, crucem, spongiam cum aceto et felle, lanceam, sepulchrum etc. Somnia Deiparae, non ex phantasiae et mentis perturbatione derivata fuerunt, quemadmodum saepe hominibus evenire solent, nam in ipsa totum erat ordinatissimum; sed cogitationes, quae per diem in sua mente volvebantur, quaeque semper de suo dilecto Iesu erant, per somnia aliter disposita a phantasia ipsi repraesentabantur. Re quidem vera observat a Lapide (in Canon. in 12 Proph. min. Can. 19), quod phantasia, per motum humorum et spirituum animalium, in quibus deferuntur internae rerum species, ita ipsos componit et commiscet, ut hanc, illamve speciem intellectui repraesentet. Si autem in libro Numerorum Deus promisit per somnium loqui Prophetis (cap. 12 v. 6); quanto magis Iesus iam vita functus per somnium loqui debuit cum sua Sanctissima Matre Prophetarum regina? Verum huiusmodi somnia, tam longe erat ut dolorem acerbissimum cordis Deiparae aliquo pacto temperare aut minuere possent; quin ipsum magis exaggerabant, ipsaque poterat dicere cum Davide (Ps. 41 v. 4): *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi.. ubi est Deus tuus?..* et dolor *meus in conspectu meo semper* (Ps. 37. v. 18.)



Benedicta Virgo diu noctuque passionem Filii sui mente volvebat in sua desolatione. Nos si volumus a peccato converti, et transire de virtute in virtutem, quotidie meditemur eamdem Christi passionem, quemadmodum nos hortatur divus Bernardus. Ad memoriam revocemus oculos Christi sanguine in coronatione cruentatos, ut oculos nostros claudere possimus seductioni huius mundi: recordemur aceti et fellis, unde fuit potatus Christus, ut os nostrum non declinet in verba malitiae: nostrae menti obversentur Christi manus et pedes clavis perforati, ut nec manus nostrae ad malum extendantur, nec pedes nostri in via ambulent iniquitatis.

Insuper Deipara summopere tristata fuit de visibili tantum absentia Christi, quamvis ipsa propinquissima Deo esset per gratiam, quam numquam amisit. Nos potius ploremus coram Domino die ac nocte, eo quod per peccatum millies et sponte recessimus ab eo, et dereliquimus fontem aquae vivae, ut foderemus nobis cisternas dissipatas.

Virgo virginum praeclara... fac ut portem Christi mortem, Passionis fac consortem, et plagas recolere... Fac, ut Iesum, quem millies propter mea peccata amisi, tandem invenire possim, ut dicam: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.*

## VII.

## *Desolatio Deiparae eo quod praevidit passionem Christi innumeris hominibus profuturam non esse.*

Per Isaiam Deus Babylonensi civitati sic interminatus est (cap. 47 v. 9): *Venient tibi duo haec subito in die una, sterilitas, et viduitas.* — Ni fallor, praedicta duo mala, quamvis non ad punitionem, sed ad meriti augmentum, venerunt etiam super beatissimam Virginem. Ex quo castissimus suus Sponsus divus Iosephus ex hac vita migraverat (1), Deipara iam vidua erat: sed donec ipsa secum habuit dulcissimum filium suum Jesum, in illo omnia possedit. Christo vita functo, tunc vere et perfecte desolata Domina viduam se esse agnovit. - Hoc de viduitate: sed quomodo venit super illam etiam malum sterilitatis, de quo Isaias loquitur? Non de naturali, sed de mystica sterilitate memorata verba, quae Sanctissimae Dei Genitrici accomodavimus, intelligenda sunt. Re quidem vera, quando ipsa a Filio moriente audiit (Io: 19 26): *Mulier, ecce filius tuus,* virtutem foecundatricem spiritualiter accepit, per quam, sicut pro omnibus hominibus Christus moriebatur, ita Deipara omnes homines ad spiritualem et aeternam vitam gignere et parere posset. Sed ehu! Quamvis non pauci Adae filii de tam copioso fructu redemptionis participare, et spiritualiter filii Deiparae effici debebant, tamen respectu immensae magnitudinis ipsorum Adae filiorum, qui damnandi erant, ipsamet beatissima Virgo sterilitate mulctata dici potuit. Cum igitur eius desolatae menti haec cogitatio occurrisset, dum apud Ioannem moraretur, quod nempe Christi passio innumeris hominibus profutura non erat, eius maternum cor in oceanum dolorum veluti submersum fuit.

Angelicus Doctor divus Thomas quaestionem elevat, utrum homini conveniat agere propter finem (1 2 q. 1 art. 1), et suo more, post elevatas obiectiones in contrarium, affirmative dubium resolvit. - Si ita se res habet, quisnam finis praecipuus redemptionis? Profecto duplex, nempe Dei glorificatio, et hominis per peccatum perditi salvatio. Ut huiusmodi duo fines assequerentur, libentissime Christus totum suum sanguinem et vitam ipsam profudit; et benedicta eius Mater tot dolores et cruciatus in corde suo aeque libenter sustinuit. Sicut autem non posset non supra modum tristari colonus, si dum semen in terra serit, et diei et aestus pondus portat, certo praevidet fere omnia perdenda fore; sic multo magis dolere debuit Deipara Virgo, dum in sua desolatione certo certius agnovit, quod finis a se intentus cooperando operi humanae redemptionis, non nisi in modicissima proportione assequendus foret. Ipsa autem sub aliquo respectu potuit, ob hanc causam, verba Ieremiae usurpare (Thren. 3 15): *Replevit me* (Dominus) *amaritudinibus, inebriavit me absynthio... cibavit me cinere... et dixi: Periit finis meus.*

Supradictum beatissimae Virginis dolorem in sua desolatione ex duobus capitibus colligere praestat, nempe 1. ex munere Matris; 2. ex officio Corredemptricis. Ex utroque hoc capite non potuit non summopere tristari, praevidendo passionem Christi innumeris hominibus profuturam non esse.

1. Quod beatissima Virgo facta fuerit Mater omnium Adae filiorum tempore passionis Dominicae, in dubium verti nequit. Inchoative ipsamet facta est omnium hominum Mater dum consensum praestitit Gabrieli Archangelo, dixitque (Luc. 1. 28): *Ecce ancilla Domini.* Completive autem, tempore passionis omnium Mater effecta fuit quando Christus ei dixit (Io. 19 26): *Mulier, ecce filius tuus.* Ita Sancti Patres unanimiter, et praecipue S. Augustinus (lib. de Virg. cap. 6), qui inquit: *Iuxta Crucem stando exercuit actum summae obedientiae erga Deum, et charitatis erga homines, Filium pro illis voluntarie offerendo; quo actu mater omnium fidelium dici promeruit.* Insuper, omissis aliis, S. Hieronymus (lib. adv. Helvid. de perp. virginit.) *Matrem gentium* illam appellat; S. Proclus (de nativ. Dom. serm.

(1) Extra dubium est, divum Iosephum vixisse usque ad duodecimum Christi annum. Videtur autem probabile, quod cum Christus invitatus fuit ad nuptias in Cana Galilaeae, eius putativus pater erat iam mortuus; nam alias etiam ipse invitatus fuisset. Quoad tempus mortis Iesu, fere omnes auctores pro certo habent, quod divus Ioseph iam vita functus erat; nam alias Deipara non fuisset commendata Ioanni (vide Sedlmayr, Scholastic. Marian. Sect. 1. art. 12).

14) *Matrem totius mundi*; S. Petrus Chrisologus (serm, 140) *Matrem per gratiam*, etc.

In Sacro Canticorum libro legimus (cap. 8 v.5): *Sub arbore malo suscitavi te.* Doctissimus a Lapide (in praedict. loc.) inquit: *Sub malo, id est, sub Cruce.* Deipara enim virtutem Crucis prima omnium percepit, et praeservativa redemptione redempta fuit. Sed insuper sub malo, id est, sub Cruce, genuit nos ad instar Patris aeterni; nam hic genuit nos *sub arbore malo*, id est, praeviso Adae peccato, tradidit Filium suum pro nobis, uti ait Apostolus ad Romanos (cap. 8 v. 32): *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ita etiam beatissima Virgo nos genuit proprium Filium suum coelesti Patri pro nobis offerendo. Unde divus Bernardus, haec considerans, exclamabat (serm. 61 cap. 4): *O mira circa nos utriusque Parentis Jesu Christi pietatis dignatio! O inaestimabilis aeterni Patris et Virginis Matris dilectio charitatis, qui, ut servum redimerent, Filium tradiderunt, propter nimiam charitatem, qua Deus et Virgo nos miseros dilexerunt.* - Adhaec Deipara Mater hominum facta est quodammodo vi rescripti Principis, qui est Christus, dum hic volontatem suam, ex Cruce pendens expressit. Ipsa Mater est hominum per adoptionem; nam cum adoptio a jurisperitis definiatur, *acceptio personae extraneae ad haereditatem*, benedicta Virgo nos coeli extraneos suscepit, ut meritis et patrocinio suo ad haereditatem aeternam perducat. Denique, Christus est noster frater, imo *primogenitus in multis fratribus* (Rom. 8 29), et beata Virgo dicitur peperisse filium suum *primogenitum* (Luc. 2. 7); si autem hoc intelligi nequit in sensu, quod alios filios naturales habuerit; ergo beatissima Virgo est omnium Adae filiorum Mater per adoptionem, et spiritualiter.

2. Adhaec, eadem benedicta Virgo verissime cooperatrix dicenda est humanae redemptionis. Non ignoro redemptionem humani generis principaliter Christo tantum adscribi debere, ipsumque dicere potuisse (Is. 63 3): *Torcular calcavi solus.* Hoc non obstante, jure merito sanctissimae Deiparenti titulus asseritur *cooperatricis* humanae redemptionis, et *corredemptricis* totius humani generis, 1. quia a consensu eiusdem voluit Deus pendere opus redemptionis, nolendo aliter Verbum incarnari, nisi eiusdem consensu praehabito: 2. B. Virgo eatenus cooperata est mysterio redemptionis, quatenus se obtulit sociam passionis; cum, quantum Christus passus est in sua humana natura, ipsa passa fuit in anima: 3. Sancti Patres fere omnes hoc perhonorificum titulum ipsimet asseruerunt, et theologi idipsum confirmant; hoc discrimen summum inter Christum Redemptorem, et Deiparam Corredemptricem statuentes, quod ille redemptionem nobis meruit *de condigno*, sanguinem suum pro nobis fundendo; haec vero eamdem redemptionem nobis meruit *de congruo*, Filium suum aeterno Patri pro nobis offerendo. Quapropter Innocentius III. (serm. 2. de Assumpt.) inquit: *Quod damnavit Eva, salvavit Maria... Maria causa est nostrae salutis, quia Christum genuit, et nobis modo congruo promeruit, ipsi compassa est, et passionem eius Deo pro se, et pro nobis omnibus obtulit.* (vid. Sedlmayr, Scholastic. Marian. pars. 4. sect. 1. art. 10. num. 1412). Hinc Ecclesiae Patres fere uno ore eamdem Dei Genitricem hoc nomine cohonestarunt. S. Ephrem illam voca *catptivorum redemptricem* (orat. ad Virg.); et omissis aliis, S. Petrus Damiani (serm. de Annunt.) subiungit: *Per ipsam, cum ipsa, et in ipsa totum faciendum decernitur, ut sicut sine ipso nihil factum est, sic sine ipsa nihil refectum sit*, etc. etc.

Si igitur beatissima Virgo omnium Mater effecta fuit iuxta Crucem Filii sui stans, profecto in sua desolatione cogitare debuit, quod maior pars filiorum suorum abusura foret redemptionis pretio; et idcirco summopere tristari debuit. Ipsa usurpare potuit verba Rebeccae (Genes. 25.22), quae ait: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?*

Idem dicatur de officio Corredemptricis. Re namque vera, haec sola cogitatio Marianum dolorem in sua desolatione lenire potuisset, nempe quod pretiosissimo cruore Filii sui, velut saluberrimo lavacro, abluendae essent sordes infinitae peccatorum, quodque vehementissimi sui materni cordis dolores profuturi essent universo humano generi. Ut autem prophetico suo intuitu praevidit, tantum minimam hominum partem salvandam fore, in maxima desolatione cecidit, adeo ut illa Jeremiae verba rectissime usurpare potuerit (Thren. 1. 13): *Posuit me desolatam, tota die moerore confectam.*

Supradicta desolatio derivata fuit ex ineffabili amore, quo Deipara prosequebatur Deum et homines. Diligebat Deum, et ideo tristabatur, eo quod videbat illi adimi gloriam accidentalem provenientem ex hominum salute: diligebat omnes homines, et voluisset nec unum solum perire: tristabatur autem praevidendo multorum ruinam. Quando ipsa Angelo nuntianti consensum praestitit, scienter id egit, et cum plena scientia doloribus immensis ex illo consensu secuturis se subiecit, imo libenter elegit. Hoc unum non voluntarie elegit, imo aegerrime sustinuit, nempe futuram hominum damnationem, non obstantibus Christi redemptione, et suis doloribus. -

Nobis datum est benedictam et desolatam Matrem nostram consolari in tribulatione sua, hoc efficiendo, Dei gratia adiuvante, ut pro nobis saltem Christus non inutiliter mortuus sit, utque ipsa benedicta Virgo non in vacuum tot sustinuerit dolores.

Dulcissima Virgo, haec tibi sit in tua desolatione consolatio, quod si innumeris hominibus, nec Filii tui copiosa redemptio, nec tui dolores profuturi erunt, saltem nos, quotquot sumus, ex illo numero, Deo adiuvante, et Te intercedente, non erimus.

---

Qui alia argumenta circa praesentem materiam desideret, recurrere poterit ad paginam XCII huius nostrae appendicis.



## *Orationis conclusio et peroratio*

---

Apud Ieremiam legimus (cap. 12. v. 11): *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde* - Liceat nobis memorata verba ad nostrum propositum accomodare, et dicere: *Desolatione desolata est* benedicta Virgo Mater Iesu, *quia nullus est qui recogitet corde.* Quare Propheta semel atque iterum de desolatione loquitur, et dicit: *Desolatione desolata* etc? Solent Hebraei huiusmodi vocum iteratione uti ad vim sermonis augendam. Igitur nos dicere possumus, quod cordi, iam satis superque desolato Deiparae, alia desolatio superaddita est. Verum undenam, quaeso, hoc desolationis augmentum repeti debet? Profecto prima desolationis Sanctissimae Deiparentis causa est mors et tumulatio dulcissimi sui filii Iesu. Quasi autem haec desolatio non sufficeret, super dolorem cordis sui alius profundissimus dolor additus fuit, *nempe quia nullus est qui recogitet corde.*

Iam in septem praecedentibus capitibus totidem desolationis Deiparae argumenta perpendimus, et cogitavimus eius profundissimos et ineffabiles dolores. Nunc operae pretium est, ut eosdem *recogitemus corde.* Nec sine causa vox *corde* adiecta est a Ieremia: non sufficit enim cogitasse mente; et verbo, aut scripto enarrasse, si corde etiam non *recogitetur.* Perpendimus iam in superioribus capitibus effectum, nempe Christi passionem, mortem, tumulationem; necnon dolorem desolationemque Deiparae etc. Nunc ab effectu ascendamus ad percontandam causam. Causa proxima ex parte Christi fuit eius mira dilectio, et ex parte Deiparae fuit ineffabilis amor cordis eius; sed causa remota fuerunt nostra delicta. Nobis igitur imputandum est si Christus passus, mortuus et sepultus fuit; et si cor benedictae Virginis Mariae dirissimo doloris gladio transverberatum, et in sua desolatione veluti submersum extitit. Haec omnia sedulo *recogitemus corde*, si iam satis desolato Matris nostrae cordi aliam desolationem superaddere nolumus. Perpendamus, nos execrabiles parricidas Christi, et Deiparae matricidas extitisse. Verum quoniam Christus Iesus iam sepultus brevi resurget, *praeoccupemus faciem eius in confessione... ploremus coram Domino, qui fecit nos*, dicamusque Christo Iesu, propter nos sepulto: Nos peccavimus; nos inique egimus; nos cum Iuda te innocentem vendidimus; nos cum Iudaeis clamavimus: *Crucifige, Crucifige*; nos cum Pilato te ad mortem damnavimus: nos flagella, spineam coronam, clavos, crucem, acetum et fel, lanceamque paravimus; nos denique corpus tuum sanctissimum et exanimatum ad sepulchrum descendere fecimus. Dicamus pariter dulcissimae Deiparenti et desolatae nostrae Matri: Propter nos Simeon tibi dixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*: Nos fuimus in causa, quod Tu in tanta desolatione et tristitia, veluti viduarum miserrima reperiaris. De male factis igitur ex intimo corde doleamus, et nunc revertimur *percutientes pectora nostra*

Interea benedicta et dolentissima Virgo dupliciter desolata existit; desolata ob mortem et tumulationem Iesu, filii sui naturalis; desolata quia a filiis suis adoptivis crudeliter derelicta; idcirco de ipsa usurpari possunt memorata verba: *Desolatione desolata est.* Verum si sic desolata antehac fuit, non ita erit in posterum. Brevi enim dulcissimus Iesus filius suus naturalis resurget, et Matri charissimae gloria immortalitatis circumdatus, et mortis victor apparebit. Hoc respectu filii naturalis. Sed respectu filiorum adoptivorum Deipara erit ne adhuc desolata? Minime quidem:

Isaias prophetico afflatus spiritu haec scribebat (cap.49 v.4 etc): *Et ego dixi: In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi?... Et nunc haec dicit Dominus... Leva in circuitu oculos tuos et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi Sponsa... Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuae: Angustus est mihi locus; fac spatium mihi, ut habitem. Et dices in corde tuo: quis genuit mihi istos? Ego sterilis et non pariens.* Licet Sancti Patres et Sacrarum Scripturarum interpretes praedicta verba de Christo Redemptore intelligant, nemo vetat etiam Deiparae Virgini, humani generis Corredemptrici illa accomodare. Ipsa in sua desolatione, orbata suo dulcissimo Filio, et pene ab omnibus derelicta, usurpare potuit prima memorati textus verba: *Et ego dixi: ergo in vacuum laboravi etc?*. Verumtamen, reddito ei in resurrectione Filio suo dulcissimo et naturali, foecundata est etiam innumeris filiis adoptivis; adeo ut illi dici potuerit: *Leva in circuitu oculos tuos et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* A solis enim ortu et ab occasu, ab aquilone et mari innumeri homines ad pedes Crucis venerunt, quibus Deipara circumdedit se quasi Sponsa. Ipsa, quae antea desolata extitit, nunc a laudato Isaia audit (54.1.): *Lauda sterilis quae non paris, decanta laudem quae non pariebas; quoniam multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum: dilata locum tentorii tui...* quoniam (cap. 62. 4) *non vocaberis ultra derelicta*, et non eris amplius *desolata.*

Satagamus igitur dulcissimam Deiparentem in sua desolatione consolari. Gemitus Matris nostrae ne obliviscamur, ut perficiatur propitiatio et benedictio nostra; quoniam ipsa vicem uberrimam nobis rependet, praesertim cum in extremo agone constituti erimus; et si socii Deiparae benedictae in passione erimus, erimus et in consolatione. Quod Deus omnipotens per suam gratiam nobis concedere dignetur. Amen.

# INDEX

I. Titulus - S. MARIA AMORIS pag. V.- 1. Deipara vehementissime dilexit et diligit Deum ib. - 2.° etiam relate ad proximos recte salutatur S. Maria Amoris, pag. VIII - 3.° Mater pulchrae dilectionis, pag. X - 4.° Deipara Virgo amabilis est, pag. XI.

II. Titulus - S. MARIA AB ARCU, pag. XIII - historica descriptio cultus ib. - 1.° Deipara iure salutatur S. Maria ab Arcu relate ad iridem, pag. XIV - 2. etiam relate ad arcum, quod intento nervo incurvatur et remittitur ad iaciendas sagittas, pag. XVII 3.° etiam relate ad structuram aedificii in modum arcus curvatam, pag. XX - 4.° relate ad arcum, seu plectrum, quo ex aliquibus instrumentis fidicularibus sonus emittitur, pag. XXI. - 5.° tandem relate ad arcum triumphalem, pag. XXII.

III. Titulus - S. MARIA AB AURORA. pag. XXV. - Exordium ib. - 1. Deipara aurorae comparatur respectu sui. ib. - 2.° respectu mundi, pag. XXVI.

IV. Titulus - S. MARIA AUXILIATRIX. pag. XXVIII - Exordium - historica descriptio cultus. ib. - 1.° Auxilium Deiparae inspiciendum est respectu illud impertientis pag. XXX 2.° Auxilium Deiparae inspiciendum est respectu, illud accipientium pag. XXXVIII. etc.

V. Titulus - S. MARIA CASTELLI pag. XLVIII ib. - Deipara recte nuncupatur S. Maria Castelli, si castellum sumatur pro arce, pag. XLIX 2.° si sumatur pro oppido, in quo diversae domus sunt unitae pag. L - 3.° si sumatur pro connexione diversarum partium pag. LII. 4.° si sumatur pro cacumine pontis magnae navis, pag. LIII.

VI. Titulus - S. MARIA CINCTURAE (per errorem inscribitur S. M. Castelli) pag. LIV - Cinctura, seu zona, qua Deipara lumbos suos perstrinxit symbolum est donorum, quibus cumulatissime ornata fuit. ib. - Deipara cincturam tradit Christifidelibus in signum dilectionis, in signum foederis, veluti symbolum continentiae, veluti symbolum poenitentiae, denique veluti symbolum fortitudinis et militiae spiritualis, cui adscribimur, pag. LIX.

VII Titulus - S. MARIA CIVITATIS pag. LXII - Exordium - historica descriptio cultus ib. - 1.° Deipara est mystica Dei civitas pag. LXIII - mysticae Marianae civitatis fundamenta pag. LXV - 3.° Ubinam positum fuit hoc fundamentum? ib. - 4.° quodnam fuit fundamentum huiusmodi civitatis? pag. LXVI - 5.° portae Marianae civitatis pag. LXVII - 6.° Marianae civitatis incolae et cives pag. LXVIII - 7. muri Marianae Civitatis ib.

VIII. Titulus - S. MARIA COMPASSIONIS, ET REGINA SEPTEM DOLORUM pag. LXXI - 1.° *de doloribus B. M. V. antequam Christus crucifigeretur - advertentia.* ib. 1.° dolor in circumcisione Filii pag. LXXII - 2.° dolor ob Simeonis prophetiam pag. LXXIII - 3.° dolor ob fugam in Aegypto pag. LXXV 4.° dolor in dispersione duodennis Iesu pag. LXXVIII 5.° dolor discedente Filio ad passionem pag. LXXX - 6.° dolor in occursu Filii baiulantis Crucem pag. LXXXII 7 dolor in Christi crucifixione pag. LXXXIV

— II DEIPARA IN CRUCIFIXIONE Iesu, seu de compassione, et doloribus, quos Deipara, Filio suo adhuc vivente passa est, pag. LXXXVI - 1.° Deipara compassa est Filio qua mulier, pag. LXXXVI - 2.° qua mater, pag. LXXXII 3.° qua mater unigeniti, pag. LXXXVIII - 4.° qua mater innocentis, pag. LXXXIX - 5.° qua praesens eius passioni, pag. XC 6.° qua impotens ad illum sublevandum, pag. XCI - 7.° quia praevidebat, quod passio Christi, et dolores materni sui cordis non omnibus essent profuturi, pag. XCII.

Virgo Deipara post mortem Filii in transfixione lateris eius. pag. XCIII.

— III - DE DESOLATIONE VIRGINIS POST MORTEM IESU, pag. XCVII - exordium. ib. - 1.° desolatio Deiparae postquam cadaver Iesu sepultum, fuit, pag. XCIX 2.° migrando a sepulchro, et denuo videndo crucem. pag. CV 3.° iter arripiendo versus civitatem Ierusalem. pag. CVIII - 4.° cum associata a piis mulieribus Ierosolymam ingreditur. pag. CXII 5.° cum Ioannes accepit eam in domum suam pag. CXIII - 6.° cum diu noctuque in domo Ioannis passio Christi suae menti obversatur pag. CXIX - 7.° cum praevidit passionem Christi innumeris hominibus profuturam non esse pag. CXXV. - orationis conclusio et peroratio pag. CXXVII.

Si, praeter meam intentionem, in hoc opere aliquid irrepsit, quod catholicae doctrinae absonum sit, inhaerendo Summorum Pontificum Constitutionibus, ex nunc illud expunctum, emendatum et retractatum volo.

---

CENSURA ARCHIEPISCOPALIS NEAPOLITANA

*Nihil obstat*

LEOPOLDUS CAN. RUGGIERO

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.
Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |

BV4254
.L3
C3
v.4
Pte.2 45133
AUTOR
CARTHAGENA, Ioanne de

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS